
ANNUS
Hebdomadarū Cælestium
Authore
R. P.
IOANNE NADASI
è
Societate IESV
C. Screta delin.
P. Kilian. S.



# ANNUS HEBDOMADARVM COELESTIUM,

*SIVE*

# OCCVPATIONES COELESTES

PIIS ALIQUOT OPUSCULIS
PRO SINGULIS
HEBDOMADÆ PER TOTVM
ANNUM DIEBUS DISTRIBUTÆ,

*AUTORE*

R. P. JOANNE NADASI
è SOCIETATE IESV,

Quibus acceſſit Index geminus, alter rerum memorabilium, alter Thematum pro Concione prædicabilium, ſingulari ſtudio cujusdam item è Societate IESU confectus.

PRAGÆ,
Sumptibus ac Typis Vniverſitatis Carolo-Ferdinandeæ
in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem,
Anno M. DC. LXIII.

Eremitas Camaldolensis ppè Varsaviam,
Fr. Benedictus Erta Camaldolensis mpp

Bien. J. IV. 7

# TYPOGRAPHUS
## LECTORI.

*PRodierant hactenus in lucem varij libelli, à R. P.* IOANNE NADASI *è Societate IESV ad acuendam pietatem perutiliter conscripti. Quorum quia ægrè copia haberi jam poterat, & à multis pietatis Studiosis avidè expetebantur, operæ pretium me facturum judicavi, si eos in unum Tomum collectos, quo faciliùs ad manum forent, Tibi Amice Lector proponerem. Quia tamen omnia præfati Autoris opera simul recudere non vacabat; placuit præ omnibus Annos illos sacros, qui pro singulis Hebdomadæ diebus distributi sunt, seligere, tum quia hi in spiritu sese exercentibus valde sunt proficui; tum etiam divini verbi Concionatoribus non parùm accommodi. Quem in finem duplici eos Indice opera & labor cujusdam Societatis IESV Sacerdotis locupletavit; quorum prior materias notabiles ordine Alphabeti digestas continet: alter themata nonnulla pro Concionibus suggerit. Anni autem præfati sunt:* 1. *Annus SSS. Trinitatis pro die Dominico.* 2. *Annus Morientium & mortuorum pro feria secunda.* 3. *Annus Angelicus, pro feria tertia.* 4. *Annus Pueri Dei IESV, pro feria quarta.* 5. *Annus Eucharisticus, pro feria quinta.* 6. *Annus Crucifixi, pro feria sexta.* 7. *Annus Marianus, pro Sabbato. His ultimò additus est Annus Æternitatis, qui reliquos dies (ut Emblema in fronte Libri indicat) serpentis instar in sese reflexi circumplectitur & colligat; quò doceatur, omnes Hebdomadæ vitæque nostræ dies in circulum beatæ Æternitatis ire debere. Cujus tu semper memor vive, & vale.*

# FACVLTAS
# R. P. PROVINCIALIS
## BOHEMIÆ.
## JOANNES POSSMURNIUS SOC: JESU,
per Provinciam Bohemiæ PRÆPOSITVS Provincialis.

CVm quædam ex Opusculis, quæ hactenus à R. P. IOANNE NADASI Societatis nostræ Sacerdote typis vulgata sunt, visum sit denuo recudere: potestate ad id, ab Admodum Reverendo P. N. GOSWINO NICKEL, Societatis IESU Præposito Generali, acceptâ, facultatem concedo Typographo Academico GEORGIO CZERNOCH, ut quæ ad hunc usque diem impressa sunt, recudi possint. Cujus rei gratiâ has Officij mei Sigillo ac manu propriâ munitas dedi. Romæ, die 6. Maij, Anno 1661.

IOANNES POSSMURNIUS.

# PROTESTATIO
## AVTORIS.

IUxta Vrbani Pontificis VIII. Decretum Anno 1625. 13. Martij editum, & Anno 1634. 5. Iulij confirmatum, & juxta explicationem ejusdem Anno 1631. 5. Iunij ita datam, ut non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea quæ cadunt super mores, & opinionem; PROTESTOR hîc in principio, quòd in ijs quæ hîc refero, eorum quæ calculo Ecclesiæ necdum sunt ritè approbata, fides sit tantùm penes AUTOREM. Scopus meus est, illis Decretis quàm reverentissimè integerriméque parere, uti par est, & veteribus novisque adductis, *breviter veluti digito plura Lectori innuere*, ac sic bonis cordibus occasionem dare, eáque exacuere ad colendam semper amplius SSS. TRINITATEM, &c.

Dies

# DIES DOMINICVS SIVE ANNUS SSS. TRINITATIS VNIVS DEI,

HONORI, AMORI, CVLTVI SACER,

*PER*

DOMINICOS

ANNO TOTO CURRENTES

DIES,

Brevibus SSS. TRINITATEM ſolidè pro felici morte colendi officijs, & exemplis

EXPLICATVS.

Prum Eremitarum Camaldolensium prope Varsaviam

*ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMINO*

COMITI,

# FRANCISCO WESSELENYI

DE HADAD,

Perpetuo de Murán, &c. Præsidij Filekiensis Administratori, Sac. Cæs. Regiæque Majest: Cubiculario, Consiliario, &c. Superioris Ungariæ Generali, nunc PROREGI.

*ET*

*ILLUSTRISSIMÆ DOMINÆ, DOMINÆ*

COMITISSÆ,

# ANNÆ MARIÆ SZECHI,

DE RIMA SZECS, &c.

Illustrissimis Conjugibus felicitatem.

*ARistoteles quando librum Perihermenias scriptitabat, calamum in mente tingebat, inquit* lib. de Dialect. *Cassiodorus. In corde tingendus est, & in magnorum exemplis ac mentibus crudiendus calamus, qui magnum SSS. TRINITATIS mysterium non jam explicaturus mentibus, verùm insinuaturus cordibus venit. Ab illo petendus est calamus ad scribendum, cujus apud Ægyptios imago, narrante Eusebio* lib. 3. de præp. Evang. c. 3. *colore cæruleo pennam in capite gestat Deo. Imò penna in corde gestanda est, cùm penna quâ hæc scribuntur, non quæstionum Theologicarum explicationes condat in capite, verùm quæstuosissimæ erga* SSS. TRINITATEM *devotionis modos & artes quærat in corde.*

*Tibi verò* Illustrissime Comes Generalis ac Prorex, Tuæque Illustrissimæ Conjugi MARIÆ SZECHI *penna hæc offertur, quia & pennas glorioso capite gestare aliquando consueviſti; & (quod palmare est) unà cum Illustriss. Conjuge singulari quadam propensione voluntatis uterque divinissimo* SSS. TRINITATIS *cultui devoti estis. Inde est quòd Tu, licet*

*eorum*

*eorum qui Te sinè invidiâ noverunt Christianorum, & eorum qui Te cum terrore nôsse didicerunt Turcarum ore, jure merito maximus utroque Marte (domestico scilicet atque etiam Germanico) miles audias, neges tamen Te aliquid esse, verùm Sacrosancto planè apophthegmate dicere, Ungarico idiomate, soleas: Miles est* SSS. TRINITAS. *Sub tali tu milite miles quæ egeris, loquuntur Anni Tui propè omnes; loquuntur antiqua veteranorum sub Te olim militum nomina; loquitur Imperium, Ungaria, Polonia; loquuntur experti id Ungari & Germani; loquitur expertissimus* Ferdinandus *Cæsar. Quid quòd ne ad Turcicam quidem velitationem excurrere volueris, nisi ad eum qui Tibi à sacris cordis arcanis erat conscientiæ arbitrum eques in militari tumultu accurreres, & cùm nihil esset quod expiandum putares maculæ, felicem ab illo benè Tibi precante missionem,* In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, *postulares? Quid quod, vel teste illâ quæ illam in Te virtutem admirari primùm, deinde imitari etiam incepit lectissimâ conjuge, non literas inchoes, non equũ currúmve conscendas, non cibo, non consveto tuo frigidæ cyatho manum ósve admoveas, nisi ductâ Cruce In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti? Cui verò in* TRINITATEM *blasphemo, Te conscio, esse licuit? Horret id Illustrissima onjunx Tua usq; adeò, ut si blasphemum quid à quopiam contra Deum dictum referendum coram Te sit, id illâ præsente prudens audeat nemo, adeò illam ad id genus horrenda pijssimo quodam horrore quasi obrigescere probè nôsti. Vidit id Cassovia nuper; & fatales luentem pœnas blasphemum (ut jussisti) aspexit. Credo ego etiam Filekiensem illum dæmonem,* SSS. TRINITATIS *nomine à Te ad plurium fructum, ad omnium consternationem adjuratum, Tuæ erga* SSS. TRINITATEM, *(& Divam Deiparam) pietati cessisse, quando à Te magno* MAXIMÆ MILITIS TRINITATIS *milite, adspectante id Catholicorum & Acatholicorum frequentissimâ concione, fugatus est. Sed de hoc aliàs. Nunc id agendum ut conceptam in divinissimæ* TRINITATIS *cultum animi propensionem fovere in Te, Tuâ, & Tuis pergas. En scintillas illis aptas incendijs,* FRANCISCE PROREX. *Franciscus Borgia è Magno Prorege Societ. IESU postea Generalis, integras ejus cujus clavum tenebat, Societatis Provincias offerebat* SSS. TRINITATI, ut in Borgia lib. 8. n. 177. *author est Franciscus Sacchinus. Solebat quoque Professorum familias Patri, Collegia Filio, Probationum Domos S. Spiritui dedicare, & custodienda permittere. Ajunt, qui Te noverunt, familiare id Tibi esse, ut eam, quâ nil Te carius habere*

*bere ais,* MARIAM SZECHI, *Tuámque Domum omnem, sæpe offerat sub umbram alarum* SSS. Trinitatis, *ut juxta familiaris Tibi Tuæque Conjugi Psalmi elogium, habites unà cum domo Tua omni* in adjutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commoreris.

*Exeunte Anno 1197.* ( ut Miræus lib. 1. orig. mon. à c. 8. refert) *Ioannes Matha, magistro cœlesti Angelo,* ordinem SSS. Trinitatis de redemptione captivorum *instituit, suósque,* Fratres SSS. Trinitatis *nuncupavit. Etiam in hoc triumphat Tua erga* SSS. Trinitatem *pietas, Magne Prorex, quâ Tu, pijssimi magnetis instar, ferreas ad Te manicas pedicásque illorum è captivitate Turcica attraxisti, quos inde in libertatem Christianam ( quanto rei domesticæ dispendio, tanto Tuæ tum hîc, tum in cœlo Patriæ compendio ) asseruisti, & asserere etiamnum pergis. Hoc est illud* Trinitatis *nomen, quod vel auditum, Seraphico Ægidio, erat extasis. Hoc est sigillum cordis nostri. nam ut aureus Ioannes loquitur serm. de Trin.* obsignati sumus ; sed unum signaculum est Sanctæ Trinitatis. *Hoc sigillo libellum hunc obsignamus. Utinam omnes adeò pretiosi adamantes simus in circulo Anni seu annuli, æternitatis, ut ipsa in nobis vivum sigillum* SSS. Trinitas, *unus Deus.*

*Apud Gederam in Hispania veteres* in var. hist. *aras, Anno alteram, Mensi alteram, positas, memorat Ælianus. S. Cyprianus* de orat. Domin. *tres ait orationis horas jam olim* Sacramento Trinitatis *observatas, tertiam, sextam, nonam ; & quia tres horas in harum trium singulis numerabat,* per ternas, *inquit,* horas Trinitas perfecta numeratur. *Nos non aras annis, & mensibus, & horis, verùm annos, menses, & horas* SSS. Trinitatis *aris dicamus. Ipsæ nobis horæ apud yprianum illam loquuntur ; quidni ergo ex horis conflati dies, è diebus hebdomadæ, ex hebdomadis menses, è mensibus anni eandem tot linguis nobis loquantur quot horis constant ? Illa, illa est æternitatis ac temporum omnium Sol, horologium, index, pondus, omnia. Ibi nativitatis, imò æternitatis nostræ rota est. quare* ibid. *de illa loquens os aureum,* venerare illam rectè, *inquit,* ne pereas. *Suos certè illa perire non sinet. Valete, felices ; par Illustrissimum ! & à* primo, *id est, Dominico,* die quo Trinitas Beata mundum condidit, *ita hebdomadas annorum omnium incipite, ut quot annos, menses, hebdomadas, horas vixeritis, tot Hecatombis omnium victimarum gratiores ex ipsis annis, mensibus, hebdomadis, horisque aras* Uni SSS. Trinitati *ponatis. Victima erit* FRANCISCUS & MARIA, *in binario numero cor unum.* Tyrnaviæ, 1. die Anni 1650.

AN

# ANNI SSS. TRINITATIS

## PARS PRIMA.

## HEBDOMADA PRIMA.

*Omnes per annum totum dies Dominicos in honorem* SSS. TRINITATIS *præcipuâ devotione honora.*

HIc dies Hebdomadæ totius Sol est ac Dominus. Vnde & Dominicus à Domina omnium TRINITATE, & Solis dies est. Nam SSS. Trinitatis, hoc est, DEI omnia architectantis, & Christi Resurgentis, & Pentecostes, id est, & Patris, & Filij, & Spiritus sancti festum colitur die Dominico. Hic hebdomadarum, & nascentium ex illis annorum primas, & quod Sol præ Lunâ, Marte, Mercurio, Jove, Venere, Saturno, hoc iste Solis dies est præ alijs Septimanæ diebus.

Sol, & Dominici diei Planeta, SSS. Trinitatis quale quale Symbolum est. Nam S. Athanas teste, *qq t. 2. q. 4.* Typus Patris est Orbis Solaris, Filij est radius, Spiritus sanctus est lumen. In Sole orbis, radius, & lumen, non dicuntur tres Soles, sed unus: similiter in DEO, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, unus DEVS, non tres. Apud S. Dionys. *ep. 7.* Magi triplicis Mithræ sive Solis memoriam recolunt. Primus hic dierum dies, in quo *Gen. 1.* creavit DEVS (id est SSS. Trinitas) cœlum & terram; in quo Spiritus DEI ferebatur super aquas; in quo facta est lux, in quo appellata est lux dies, & tenebræ nox; in quo factum est vespere, & mane dies unus. Hujus ergo cultui dedica præcipuè diem Dominicum, utpotè diem creationis, & sacrum Patri, qui die Dominico, seu primo, creavit cœlum & terram; Filio, qui è sensu *Syn. 6. can. 8.* teste etiam veteri Ecclesiæ Prosâ, Dominico die natus est, & Dominico resurrexit: Spiritui sancto, qui Dominico ferebatur super aquas, & Dominico super B. V. & Apostolorum capita in linguis igneis Pentecosten celebrans ferebatur, imò stabat. S. etiam Joanni SSS.

*Trinitas* in die Dominico, velut apocalypticâ visionis die, admiranda aperuit *Apoc.* 1. 10. *Fuit in Dominicâ die*, cùm vidit, & visa scribere jussus est. Pretiosus hic super alios multis nominibus dies excelsæ super omnia Trinitatis esto.

Apud Tertull. *Apolog. c.* 16. lætitiæ dedicatur dies Dominicus. Radicem lætitiæ, voluptatis, honoris habet, qui illam defixit in sinu SSS. Trinitatis. Spes nostra (canit Eccl. Dom. SSS. Trin.) salus nostra, honor noster, ô beata Trinitas!

Atque ut plùs nobis sacri otij sit ad colendum SSS. Trinitatem, unicus inter omnes hebdomadas dies est dies Dominicus, quô operari non licet. Alijs diebus aliquando per festa operari non licet quidem, sed tamen nulli nunquam licet, sicut diei Dominico; ideò Dei dies est. Hebdomada reliqua, est quasi molendinum streperum, bonam vel malam farinam molens: Dominicus, quietis dies. Vnde Niremb. *de mir. nat. Eur. lib.* 2. *c.* 15. ait, apud Ossyoriam esse molendinum S. Lucherini Abbatis, quod diebus Dominicis nihil, de furto verò vel rapina nunquam molit.

Apud S. Joan. Chrysost. *hom.* 5. *de Resurr.* dies Dominicus dicitur Dies Panis. In hoc die datur nobis panis cœlestis, ex ipso sinu SSS. Trinitatis, quia datur in panis specie secunda è SSS. Trinitate persona. Inde Dominico die frequens olim, & nunc, apud Sodales, Religiosos, & pios quosdam alios sancti hujus panis frequentatio. Onuphrius, vitæ *c.* 11. Omni die Dominico, vel Sabbatho, inquit, Angelum Domini paratum inveni, sacrosanctum corpus & sanguinem Domini nostri Jesv Christi secum deferentem: de cujus manu mihi pretiosissima donantur munera, vitæque meæ salus perpetua. Verùm etiam omnes qui vitam spiritualem ducunt Monachi in eremo, tali participantur gaudio. In Vitis PP. Joannes quidam senex solâ Eucharistiâ diebus Dominicis sumptâ vixit; & dæmonem, qui Sacerdotem mentitus, Dominico die falsum illi Sacramentum porrigebat, agnovit, fugavitque.

Apud S. Ignatium Ep. Mart. *epist.* 3. ad Magnesianos, dies hæc, regalis, regina, princeps, & omnium dierum eminentissima est: quidni ergo Reginæ, Imperatrici, Eminentissimæ omnium *Trinitati* sit sancta? Meretur æternitatis Deus, ut illi sancti sint dies nostri. S. August. *Tu Domine, in æternis habitas*, inquit: *& æternitas es.*

Hebdomadam ferè tempus, Dominicam Æternitas, id est, Deus, vendicat sibi. S. Gertrudis V. *Insin. lib.* 4. *c.* 42. *Dominicâ* SSS. Trinitatis sic orabat: *Gloria tibi, imperialis, excellentissima, nobilissima, dulcissima, benignissima, semperque tranquilla & ineffabilis Trinitas, & æqualis una Deitas, & ante omnia sæcula, & nunc, & in perpetuum.* Ita orans vidit Christum splendore admirabili coruscantem, & corpore toto floribus respersum lectissimis.

Delectatur nimirùm natura divina & prout est in sanctissima *Trinitate*, & prout est in Christo humanâ carne vestita, his nostris, tenuibus licet, obsequijs. Imò sunt apud Baëzam hist. Evang. *lib.* 18. *c.* 1. §. 16. qui (quod ego quidem alijs relinquo in medio arbitrandum) in expiatorio purgatorij carcere detentas animas *Dominico die* nonnihil respirare putent, in ejus diei reverentiam, à doloribus illis.

Inde

Inde etiam hebdomadam reliquam (nisi festum occurrat) in nostro relinquens arbitrio Ecclesia, Dominico tamen die suos ad Concionem convocat, & Sacrum audire imperat: & quoties de Dominica divinum recitatur officium, toties celebre illud, & nostram de SSS. Trinitate fidem explicans S. Athanasij Symbolum recitatur: *Quicunque*. In Paraquaria *dies Dominicus* vocatur *Verus dies*. *Verax Pater*, inquit Dom. SSS. Trin. Ecclesia, *Veritas Filius*, *Veritas Spiritus sanctus*, *ô beata Trinitas*. Veri SSS. Trinit. servi, alij sacrâ exomologesi & Eucharistiâ, alij precibus, concione, & uno, altero, vel etiam tertio (ut in honorem SSS. Trinitatis omne trinum sit perfectum) Sacro audito honorant hunc diem. Sunt qui omnes quas possunt conciones, ubi plures habentur, sunt qui omnia Sacra audiant. Et quidem in Paraquaria, ut ejus Regni Annuæ An. 1626. & 27. ferunt, parvulum decennem, qui *Dominico* Missam neglexerat, tanquam eum qui toti illi minori ætati maculam inussisset, judicaturi coætanei pueri, puerile in foro tribunal posuêre; omnes eò confluxêre. Et hoc jam in morem abijt. Puer reus in medio statuitur, conspuitur, calumnijs oneratur certatim ab omnibus. Dæmonis illum filium vocant; pugnisque ac verberibus onustum exturbant. Mirabantur primùm, & causam tumultus rogabant adulti; responsum à pueris retulêre; Puerum illum inferno oriundum dicentibus alijs, alijs dæmonis esse mancipium, ideóque è suo cætu, ut ne contaminarentur, proscriptum, quippe qui *Vero die* Missam ausus fuisset omittere. Consecra ergo uni vero trinóque Deo tuo *Verum* hunc *diem* peculiari studio: & hoc die totam, quę ab illo velut capite descendit, hebdomadam. Falsi enim, non veri sunt illi dies, falsæ hebdomadæ, falsi menses, falsi anni, qui vero Deo uni ac trino in spiritu & veritate non dicantur ex toto. Neque illos sequetur verus Dominicus, seu Resurrectionis dies. Suspira accenso corde cum S. Cath. Sen. Or. 13. ad SSS. Trinitatem, (quæ nobis æternùm Dominicus resurrectionis & vitæ dies erit,) sic die quovis Dominico: *O resurrectio nostra, alta & æterna Trinitas, evisce ra animam meam! O Redemptor, & Resurrectio nostra! ô Trinitas æterna! O ignis continuè urens, qui nunquam extinguêris, nec deficis aut diminui potes, etiamsi totus mundus accipiat ignem tuum!* Hoc igne illuminanda & inflammanda est die Dominico tota sequens hebdomada. Ita nec tenebricosæ, nec tepidæ nobis fluent hebdomadæ, in bono SSS. Trinitatis lumine collocatæ.

---

# HEBDOMADA SECVNDA.

*Maximâ submissione mentis sanctè colitur* SSS. Trinitas.

Violam Trinitatis dictam vulgò, Decembri florere ait in fine lexici herb. Kyberus. Tunc est pretiosissima quando à multis superbæ menti displicentibus difficultatibus aspera est viola humilitatis.

Hæc est viola Trinitatis in qua illa delectatur. Dicam hebd. 27. singulari quâdam in cœlis gloriâ ornatum B. Joannæ pectus, ob insignem animi de-

missionem, & præcipuum erga SSS. TRINITATEM affectum.

Altissima enim illa sit licèt; illis tamen delectatur qui se in imum demittunt.

" Quid prodest tibi altâ de Trinitate
" disputare, inquit aureus Th. à Kempis
" *lib. 1. de imit. c. 1. n. 3.* si careas humili-
" tate, unde displiceas Trinitati?

Joseph. à Costa *l 2. de temp. novissi.* apud Delr. disquis. *lib. 4. q. 3. s 3.* Theologum Peruani orbis, & virtute, ut apparebat, & doctrinâ miraculum, refert extaticæ nescio cujus, quæ se ab Angelo mira doceri ajebat, mulierculæ familiaritate usque ad superbissimam stolidissimámque dementiam inescatum. Illa illi Theologa, & Magistra superbiæ, Seraphinum hunc dum in divino SSS. Trinitatis throno collocare videbatur, dejecit in ignem. Didicerat à Dea illa sua Theologâ, & sibi persuaserat, ajebátque, se altiore quàm omnes Angelorum omnium ordines, majore quàm omnes Apostoli sanctitate donatum. Miracula se facere sibi persuadebat, quæ tamen videbat nemo.

*Summâ DEI ipsius familiaritate, & immediato colloquio se potitum, &c. affirmabat se & Regem futurum, & Pontificem summum, &c. oblatam sibi à DEO unionem hypostaticam, sed ab ipso non esse admissam. Datum quoque se Redemptorem orbis quoad efficaciam, ut ipse loquebatur, quòd Christus solùm quoad sufficientiam fuisset. Confessionem se abrogaturum.*

Quinquennio mentem superbam tenuit stolida persuasio. Disputatum cum insensato illo à doctissimis; at denique non cessit sacro tribunali, non argumentis monstrum illud superbæ stultitiæ, è portento doctrinæ. Sed ignem sibi portendere nesciebat, futurorum aliàs, imò omnium, opinione suâ, gnarus. Quare is qui se jam in sede majestatis collocaverat, qui se Regem, imò Pontificem fore, & obliteratis antiquis, novas cásque perfaciles conditurum leges ajebat, & pro re certâ vendebat seriò; omnem suam secum spem in ignem, ad quem condemnatus est, abstulit, nec Christus, nec Rex, nec Papa, sed superborum exemplum, cinis.

En in quam abyssum cecidit, quæ se ad ipsum usque SSS. Trinitatis thronum exaltârat superbia! Sanctæ humilitatis Magistrum, ipsam Patris Sapientiam, nobis dedit SSS. Trinitas, quæ semper restitit, & resistit superbis, humilibus autem dat gratiam, & sua secreta communicat; ut ab illa discamus, quia mitis est, & humilis corde. Vnde *Matth. 11.* altera in Trinitate persona Patri de humilibus: *Confiteor tibi*, id est, laudo te, benedico te, *Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Ab illo hanc virtutem didicit Paulus, ideò dixit *Phil. 4 Scio & humiliari.* Vnde SSS. Trinitatis mihi videtur illa vox Isaiæ *66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum?* Negat enim aliàs spiritum suum quieturum, nisi super humilem, & quietum, is qui oculos superborum humiliat DEVS. Debet autem summa esse oris cum corde concordia; ut sis humilis corde, ore, ac opere. Demitte te, & DEVM lauda. Si laudaris; refunde, cordato linguæ ingenio, laudem in SSS. Trinitatem. Ita dum te demittes, te ad illam elevabis. Nam, ut ait Chrysostomus *hom. 43.* ad Antiochen. desiciens hæc laudum, *est Angelica cujusdam animæ cervicis cœlestis testudinem tangentis.*

Vt

Vt ergo de pronunciatione Rhetor ille apud August. *ep.56.* ad Dioſc. ter rogatus quid primum, quid ſecundum, quid tertium in eloquentiæ præceptis obſervandum videretur, pronunciationem ter pronunciavit eſſe obſervandam; ita Auguſtinus ſi ter interrogaretur, ter ſe reſponſurũ ajebat, & primò & ſecundò, & tertiò neceſſarijſſimam eſſe humilitatem in Chriſtianæ religionis præceptis. Hoc à te requirit Pater, qui etiam in MARIA reſpexit præ alijs virtutibus humilitatem ancillæ ſuæ; hoc Filius humilitatis Doctor in ſtabulo, in Cruce; hoc Spiritus ſanctus nolens requieſcere niſi ſuper humilem, & quietum. Quare ſi quis me roget, quid in nobis Patri, ut in filijs dilectis, maximè placeat, dicam, Humilitas; quid Filio, ut in ſervis & amicis, Humilitas; quid Spiritui ſancto, ut in ſanctis ſibi, Humilitas. & toti TRINITATI humilitas.

S. Gertrudis Inſin. *lib.4. c.17.* vidit cujuſdam mortui fidelium laborum viri animam, cùm, ſepulto jam illo poſt exequias caneretur, *Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis,* & ſimul magnâ demiſſi cum corpore animi per crebras genuum & capitis inclinationes ſignificatione, veniæ, ut vocant, fierent, quaſi corpore amictam, & levatis in cœlum oculis manibúſq; genua, unà cum omnibus coràm SSS. Trinit. pro ſe orantibus, flectentem, & gratias agentem, ſéque maximis quibus poterat humilitatis ac reverentiæ ſignis demittentem. Adeò nimirùm profunde ſe demittunt illæ animæ benedictæ, quia profundiùs penetrant, vident altiùs altitudinem infinitam, infinitâ, ſi id fieri à nobis poſſet, humilitate coli digni trini & unius DEI. Ita tu quò altiùs ad intelligendam divinam SSS. Trinitatis majeſtatem attentâ ſed humili mente aſſurrexeris, eò te altiùs deprimes coram illa, & coram omnibus quæ creavit. Nieremb. de adorat. *lib.1.c.8.* profundiſſimæ ſubmiſſionis virum Fr. Vrigman Dominicanum memorat. Ajebat ille nullum ſe pro ſe poſſe locum congruum reperire, niſi in profundiſſimo inferni, ſub ipſo Lucifero. Audivit delapſam è cœlo invitantis vocem vir ille tantæ humilitatis, dicentem: *Citò huc aſcende ad thronum altiſſimum, in Cor Dei Patris.* O omni cordis demiſſione digna uſque ad ipſum SSS. Trinitatis thronum, uſque ad ipſum DEI Patris Cor aſcenſio! Demitte te, ut aſcendas. Ars hæc DEI eſt.

---

# HEBDOMADA TERTIA.

## *Et in vita ſyncritatem ſine hypocriſi, & in verbis veritatem ſine mendacij fuco amat SSS. Trinitas.*

MAjora ſunt operum factis loquentium mendacia, quàm verborum. DEVS veritas eſt: diabolus Pater mendacij. DEVS veritas, vult ut ante omnia opera noſtra verbum verax, ante verba noſtra opus verax præcedat nos: diabolus verò filios mendacij amat. Ita Cyrolæ Pſeudo-Epiſc. Arriani SSS. Trinitatis hoſtis hypocriſim confudit DEVS, quando, teſte Greg. Turon 2. *hiſt. Franc. c.3.* Baronio, ac alijs, Hunerici Wandalorum Regis tempore, ad aucupandam Arrianæ ſuæ perfidiæ authoritatem no-

ménque colligendum, cuidam nigræ suæ farinæ homini, cæcitatem ut simularet, promissis illi aureis quinquaginta, non difficulter persuasit. Ibat cum alijs etiam Catholicis, Cyrola per plateas; & ecce miserabiliter per omnes sanctitatis & factorum hactenus ab illo miraculorum (scilicet!) titulos, opem implorantem fictum illum, & ipso mendacio veritatem jam loquentem cæcum. Tum Cyrola, mendax hypocrita, impositis super conducti illius cæci oculos manibus; secundùm fidem nostram, inquit, (id est Arrianam) quâ rectè DEVM credimus, aperiantur oculi tui. At certè clausi sunt. Nam horrendo repentè oculorum & dolore & cæcitate percussus, errorem suum vidit seriò cæcus. unde, Væ mihi misero, clamabat, quia seductus sum ab inimico legis divinæ! Væ mihi, quia propter pecuniam DEVM irridere volui, ut hoc facinus perpetrarem! Accipe aurum tuum, ô inimice DEI. Redde lumen meum, quod dolo perdidi. Vos interim, ô verè Christiani, ne despicite miserum, sed velociter succurrite pereunti. Aderant veri SSS. Trinitatis & fide, & re ipsâ cultores Episcopi Catholici, quibus num SSS. Trinitatem crederet, interrogantibus, *Credo*, inquit, *Deum Patrem omnipotentem; credo Filium JESVM Christum æqualem Patri; credo Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem, & coæternum.* Qui hæc quæ profero non credit, idem quod ego hodie patior, patiatur. Dixit, & cæcitatis ac doloris vi pressum accedens Eugenius S. Episcopus, illi dolorem abstulit, oculorumque lumen restituit; & hypocritæ Cyrolæ confuso, pro empto mendacio data est in omnium oculis ignominia vera; & pro miraculo Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, & erat vox una populi dicentis: *Verus Deus Pater, Verus Deus Filius, Verus Spiritus sanctus, unâ fide colendus, uno timore metuendus, eodemque honore venerandus.* Id verò syncerè, sinè dolo. Vnde S. Senensis V. Cath. orat. 19. *O alta, & æterna Trinitas! tu Deus rectus es absque ulla tortuositate, simplex absque duplicitate, & syncerus absque aliquâ fictione.* Quid ergò curvos amet rectus, tortuosos, duplices, is qui nil tortuosum, nil duplex admittit? Dolosum abominabitur Dominus. *Non enim habitabit in conspectu ejus omnis hypocrita*, inquit Job. c. 13.

Cave ergò damnatam, & tot à Christo percussam fulminibus hypocrisim. Sap. 1 *Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Ecce Pater tales in conspectum suum non admittit, utpote filios Patris mendacij, & damnationis; Filius, contra fermentum Pharisæorum horrenda fulminat; Spiritus sanctus talem effugit; *partemque ejus ponet cum hypocritis* SSS. Trinitas; *illic erit fletus & stridor dentium. Matth.* 24. Ita apud S. Greg. 4. *dialog.* hypocrita ille DEO exosus, in agone se draconi ad devorandum traditum dixit, qui, inquit, caudæ suâ mea genua pedésq; colligavit, caput verò suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Ita extractus illi spiritus non à Spiritu sancto, sed à spiritu mendacij. Ita & Parisiensis ille Doctor, sanctitatis, ut videbatur, non ultimæ vir, ter post mortem locutus è tumba, quasi pro SSS. Trinit. tribunali ter stetisset, dixit primo die: *Justo Dei judicio accusatus sum.* altero die: *Justo Dei judicio judicatus sum.* tertio die: *Justo Dei judicio condemnatus sum.* En pars cum hypocritis. Ita DEVS perdet omnes qui faci-

faciunt, imò & eos qui loquuntur mendacium, & mittet ad eum qui egreditur & est spiritus mendax in ore omnium, in ore scilicet illo quod mentitur, & mendacio occidit animam. Hinc horrenda, etiam accersito in os impium tremendo SSS. Trinitatis nomine, perjuria.

Si ergo Patris filius, Filij frater & cohæres, Spiritus sancti habitaculum esse vis, nec vis pro DEI tribunali accusari, judicari, condemnari, partémque tuam poni cum hypocritis, sive Macchiavellisticis politicis, sive alijs, cave esse ex Patre diabolo, cave esse illius filius qui est pater spiritúsque mendacij. Spiritus ille mendacij, est pro animando corpore peccati.

Cave corpus hoc, hunc spiritum. Ille Pater, tu filius, ille spiritus, pessima trinitas, & hostis veræ, sempiternæ, sacrosanctæque Trinitatis. Sit in te Spiritus veritatis, qui à Patre Filióque procedit.

# HEBDOMADA QVARTA.

*Iungenda est cum SSS. Trinitatis cultu in quotidianis precibus etiam colendæ per quotidianas preces SS. Eucharistiæ devotio.*

SEnensem Catharinam divinum officium cum JESV orasse, & ad Psalmi finem dixisse *Gloria Patri & Tibi, &c.* lego passim. Sunt qui sub elevatione, sunt qui sub ipsam communionem dum JESVM aspiciunt, dicant: *Gloria Patri, & Tibi, & Spiritui sancto, &c.* Ita unà cum SS. Sacramento etiam SS. TRINITATEM colunt. Coluit, & his etiam quinque JESV vulnera, & Angelum Custodem addidit colendum, felix ille apud Cæsarium *lib. 9. mirac. c. 49.* miles. Is apud Fridericum Imperatorem accusatus, exilio mulctatus, postea comprehensus, & nullo Sacerdote advocato suspensus, tertiâ post die ijs qui illac transibant illum tam boni coloris esse mirantibus, vivere se dixit, deponique è furca impetravit. Tum; modicum obsequij, inquit, ego peccator DEO impendi propter quod misertus est mei. *Singulis diebus tres orationes Dominicas, cum totidem Venijs* (reverentiæ, & cujuspiam capite ac genibus factæ inclinationis vetus id nomen est) *SSS. Trinitati dicere consuevi, Angelicâ oratione præmissâ.* Quinque verò orationes, cum quinque venijs, & Ave MARIA, quinque vulneribus Christi: unam orationem Angelo, cui commissus sum. Item eodem modo unam corpori Christi, quod singulis diebus conficitur per totum mundum: quatenus in fine vitæ meæ tanto muniri viatico merear. Ita Sacerdos illi adductus, & ille peccata ritè confessus, & divino illo quotidiéque petito refectus viatico, postea quàm, volente id SSS. Trinitate, triduum in patibulo pependit, neque mori permissus est; tum demùm feliciter moriens dimissus est in pace ad æternitatem. S. Paulinus ep. ad S. Aug. *Os tuum, fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim.* SSS. Trinitas fons est, qui se in Eucharistia ori tuo infundit, & fis fons. Marulus refert S. Petronillam ante mortem *Panem Trinitatis* accepisse. Hoc pane suos Filios pascit æterna Trinitas. Bene ergo utriusque cul-

cultum conjunxeris. Ita apud SSS. Trinitatem non esuries in æternum. Vide ut immortales SSS. Trinitati gratias reddas pro pane illo. Philo de opif. mundi cum Platone ait, *Os mortalia intrant, exeunt immortalia.* Certè os tuum cùm intret immortalis DEVS in Eucharistia, dignum est ut inde immortales exeant gratiarum actiones. Plura in hanc rem suppeditabunt seqq. hebdomadæ.

# HEBDOMADA QVINTA.

## *In SS. Eucharistiæ sumptione, petendus, & renovandus eximius erga SSS. Trinitatem affectus.*

P Ferdinandus de Monroy S. J. felici cum morte vitam pijssimam commutavit Anno 1626. 29. Sept. ut est in Peruanis annuis, vir orationis, & quàm pauci ac propè nullius cibi, tàm multæ in vexando corpore afflictationis. Hic cùm pro more nocte quâdam coram ara summa, ubi SS. Sacramentum asservari solet, orans prostratus obdormisset, visus est sibi videre, & audire Christum Dominum dicentem; se illum velle modum orandi docere facilem æquè ac proficuum, sibique gratissimum. Nimirum Æterno Patri suo laudes assuesceret dicere gratiâsq; agere pro conceesâ Ven. Eucharistia. Ex quo tempore miris semper voluptatibus perfluebat, cùm ad illa in Sacro verba veniret: Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus!* Vellem hoc punctum à melioribus mentibus altiùs penetrari. Ita SSS. Trinitatem & SS. Eucharistiam simul coles.

S. Gertrudis V. Insin. div. piet. lib. 2. c. 7. *Cum sumpto*, inquit, *vivifico alimento, Deo & mihi intenderem, recognovi animam meam in similitudinem cera diligenter ad ignem emollita adesse, quasi sigillo imprimendo Dominico pectori: & subitò videbatur illi circumposita, & quasi intracta ipsi thesaurario, in quo habitat corporaliter plenitudo divinitatis insignita charactere fulgida semperq; tranquilla Trinitatis.* Atque omninò ibi, cùm communicas, cor tuum admotum est dominico pectori, & dominicum pectus cordi tuo. Tu thesaurum illum traxisti in te; vide ut thesaurus ille trahat te in se. *Ad eum veniemus*, inquit de te loquens quasi SSS. Trinitatis interpres Christus, *& mansionem apud eum faciemus.* In illo thesauro quem in linguâ habuisti, & habebis, corporaliter inhabitat plenitudo divinitatis, insignita charactere fulgidæ, sempérque tranquillæ TRINITATIS. Da cor pro cera, cui felix ille character imprimatur. Hoc sigillo signatum cor, velut literas, aperire non audebit mundus, non caro, non dæmon. Resistet malæ illi trinitati SSS. Trinitas, mundo Pater, mundi creator; carni Filius incarnatus; immundo spiritui dæmoni, Spiritus sanctus.

Eadem S. Gertrud. ibid. *lib. 4. c. 49.* post plurima de SSS. Trinitatis veneratione mira visa, refert, se cùm more solito *Laudate Dominum omnes gentes, &c.* ter diceret, pro sancto ad sanctam communionem apparatu, primò Psalmum illum eo fine dixisse, ut Sancti omnes merita sua DEO offerrent, quò per illa

digna

digna redderetur perceptione Sacramenti tanti. Ita se eundem Psalmum secundò pronunciasse pro B. Virg. meritis pro se offerendis: & tertiò, pro meritis Christi. B. Virginem exurrexisse, quæ *stetit*, inquit, *in conspectu fulgida semperque tranquilla Trinitatis*. Tum pro Gertrude oblata ab ipsa Deipara omnis illa meritorum gloria, quibus ipsa placuit beatissimæ Trinitati. Disce has artes SSS. Trinitatis cultum igne Eucharistico inflãmantium filiorum, & filiarum DEI; & per Sanctissimam Eucharistiam, quæ panis est TRINITATIS, te SSS. Trinitati para, ut illam & amare, & ab illa semper amari reddaris aptior.

---

# HEBDOMADA SEXTA.

## *A sanctissima Trinitate, petenda erga Venerabilem Eucharistiam reverentia singularis.*

PAter æternus in Christo, Filius in Patre, Spiritus sanctus ab utroque & in utroque est. Qui videt Christum, videt & Patrem. Eadem trium personarum natura est. Cùm ergo secundæ personæ natura in SS. Eucharistia sit, & primæ & tertiæ natura illic est, quia & primæ & tertiæ natura divina est eadem quæ secundæ.

Italica Siculorum Notitia 30. *Octob.* meminit P. Francisci Farsia S. J. Catagironæ defuncti. Hic vir altissimam quandam de SS. Eucharistiæ Sacramento habebat æstimationem ardentissima cum devotione conjunctam. Maximam ad utrumque affectum accessionem fecit magnum illud, quo intelligere cupiebat, quomodo in admirabili illo Sacramento esset SSS. TRINITAS, desiderium. Ergo annuente pijs votis SSS. Trinitate, elevante Eucharisticam hostiam Sacerdote, vidit hostiam illam se cœlum usque extendentem, unde Divina Majestas in specie trium ramorum in uno trunco, non relicto cœlo, se se in sanctissimo Sacramento collocabat.

S. Catharinæ Sen. *dial. tract. 2. c. 78.* æternus Pater de hujus cibi convivis. *Ego*, inquit, *mensa sum illis: Filius verò meus verè est cibus: Spiritus quoque sanctus servit eisdem.* Et *tract. 3. c. 91.* vidit consecrato SS. Sacramento, demonstrante æterno Patre, *lumen unum lucidissimum, veluti radium Solis, à Patris pectore. In quo, & cum quo lumine descendebat una columba super hostiã pariter, & calice. Ibique, gustasti*, inquit Catharinæ æternus Pater, *& vidisti Trinitatis abyssum, & verum Deum, & hominem absconditum & velatum sub albedine illa.* Vid. & *tract. 4. c. 142.* post medium. Ibi è Patris æterni pectore lumen hauri.

BB. Franciscus Borgia, & Aloysius Gonzaga, uterque Soc. JESV, feriam quintam, sextam, & Sabbathum, Patri, Filio, & Spiritui sancto, impendebant, pro Sancto ad SS. Sacramentum apparatu, adhibitâ quovis die vesperi ad Deiparam Virginem supplicatione. Diem verò Lunæ, Martis, & Mercurij ijsdem divinis personis dabant pro gratiarum actione pro tanto beneficio: & vesperi gloriosæ DEI Matri pro eodem reddebant gratias. S. Augustinus *l. 1.* de fide ad Petrum *c. 1. Totus*, inquit, *Pater in Filio, & Spiritu sancto est: totus Filius in Patre, & Spiritu sancto est: totus Spi-*

*ritus sanctus in Patre est, & Filio. nullus eorum extra quemlibet ipsorum est.* Itaque in Eucharistia dum Filius est, & à te amatur, & honoratur, an non tota SSS. Trinitas honoratur? Illam illic benè ut honores & ames, ab ipsa cor tuum his impleri pete. Ita altera hæc devotio ab altera acuitur, ut & ad SS. Sacramentum nos SSS. Trinitas præparet, & erga SSS. Trinitatem, nos accendat SS. Sacramentum.

---

# HEBDOMADA SEPTIMA.

## *Sacro quotidiano, & singulari SSS. Trinitatis in sacro veneratione cole SSS. Trinitatem.*

LAudandus ille postea *hebdom.* 33. à præcipuo SSS. Trinitatis cultu P. Franciscus Folianus S. J. impetratâ ad id à summo Christi Vicario facultate, in quotidiano Sacro, pretiosam illam, & doctissimæ devotionis plenissimam de SSS. Trinitate præfationem, præter eam quam Sacri ordo legendam publicè postulabat, tacitus in Sacro suo recitabat, ut se admirabili illo sacrificio ad illam majore semper studio colendam acueret Trinitatem, cujus honori nullum unquam pretiosius oblatum est munus.

Et verò frequentem nobis SSS. Trinitatis memoriam inculcat Sacrum illud sacrificium. Nam illo *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* inchoato, postea cum Angelis dicit Ecclesia *Gloria in excelsis Deo.* laudat, benedicit, adorat, glorificat, gratias agit illi propter magnam gloriam suam, &c. Ibi post Evangelium actum fidei renovat erga singulas SSS. Trinitatis personas. Ibi ad Patrem suspirans, *Suscipe*, inquit, *sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, &c. Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, &c.* Ibi, verè dignum & justum, æquum & salutare esse ait, nos DEO semper & ubique gratias agere. & ut cum Angelis atque Archangelis, &c. nostras voces admitti jubeat, deprecatur, & dicit *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* Canon totus est ad aliquam è SSS. Trinitate personam. In fine tandem: *Placeat*, inquit, *tibi sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, & præsta: ut Sacrificium quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum, Amen.* Tum osculo altari dato, Sacerdos, *Benedicat vos omnipotens Deus*, inquit ad præsentes, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Tum sequitur mirabile illud, de SSS. Trinitate & Verbo incarnato, S. Joannis Evangelium. Atque ita à SSS. Trinitate inchoatum, in illa etiam finitur sanctissimum Missæ sacrificium. Sublime quiddam esse didicêre à DEO sanctissimi quidam Ascetarum, agere DEO frequentes gratias pro SS. Sacramento. Agis id, dum Sacrum audis quotidiè: sicut enim in redemptione, ut S. Catharina Sen. ait *orat.* 20. non venit solus Christus, sed tota Trinitas adfuit; ita hîc adest tota. Ita illi coràm agis gratias. *O ignis amoris*, ait illa ibid. *nunquid non sufficiebat creatio ad imaginem, &c. nisi etiam totam Trinitatem tribueres nobis in cibum, &c.* Dat enim nobis in Eucharistia SSS. Trinitas unam illam, quæ com-

communis est personis omnibus, naturam divinam. Vnde meretur ut nunc Sacro quotidiano agas illi gratias quotidiè, postea verò in æternum, pro pane Angelico Trinitatis.

S. Gertrudis *Insin. div. piet. lib. 4. c. 40.* videbat sub elevatione in sacro Hostiam salutarem ex omni sui parte in ramos longè pulcherrimos extendi, *quos Spiritus sanctus colligens, ipsis sepire videbatur thronum semper veneranda Trinitatis:* in quibus videbat mirum in modum delectari SSS. Trinitatem, à qua utinam sacro quotidiano id impetres, quod in votivi de SSS. Trinitate sacri Secretis ab illa petitur; ut per oblationis illius hostiam te sibi SSS. Trinitas *perficiat munus æternum.* Illi ipsa SSS. Trinitas æternum erit munus, quem sibi munus æternum perfecerit.

# HEBDOMADA OCTAVA.

## *Pro donis in Sanctissimam Christi humanitatem à SSS. Trinitate effusis, age gratias SSS. Trinitati.*

ITa rem & ipsi liberalissimæ *Trinitati*, & donis ditissimæ Christi humanitati facies cumprimis gratam. S. Cath. Sen. *orat. 9. O alta, & æterna Trinitas! O Trinitas æterna! Tu Trinitas æterna, dedisti nobis dulce, & amabile Verbum. Pro ipso ergo primò Verbo nobis dato danda gratia SSS. Trinitati; tùm pro donis omnibus datis, busque Christo ut homini datis.*

S. Leo *ser. 3. de Pent.* & aliàs: *Divisit opus nostræ redemptionis misericordiosa* TRINITAS, *ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus ignire.* B. Magdalena de Pazzis, ut est vitæ illius *p. 2. c. 18.* inter altissimos quos à DEO didicit amoris divini actus, hos didicit: Gaudere de omnibus ijs thesauris & gratijs infinitis, quas æternus Pater donavit, & communicavit humanitati Verbi, patrandi miracula, & trahendi ad se corda creaturarum.

Gaudere, quòd æternus Pater dederit nobis pro hæreditate Verbum Incarnatum: & gaudere de gaudio, quo ille contentus est illâ hæreditate, & de complacentia, quam habet in animabus justorum.

Vidit S. Gertrudis *Insin. lib. 4. c. 57.* in festo Sanctorum omnium *ineffabilia mysteria de gloria semper veneranda* TRINITATIS, *& qualiter ipsa beata & gloriosa* TRINITAS *in seipsa sine principio & sine fine omni dulcedine & jucunditate, & beatitudine superefluens, omnibus Sanctis gaudium, & gloriam, & beatitudinem administrat æternam.* Christus verò Sanctus Sanctorum cùm sit, & Rex omnium, ille primus est, in cujus humanitatem unicam majora quàm in omnes creaturas dona effudit SSS. TRINITAS. Inde est quòd eidem *ibid. c. 6.* die Epiph. cùm pro auro SSS. TRINITATI offerret, *superexcellentissimam Deitatem Christi, cum delectatione fruitionis ejusdem, in suppletionem defectuum omnium creaturarum, apparuerit Dominus* JESVS, *ipsam oblationem in similitudine cujusdam dignissimi Xenij semper colendæ* TRINITATI *representans.* Ita tuam etiam repræsentabit gratiarum actionem, quâ SSS. Trinitati gratias ages pro communicata, id est, per hypostaticam unionem uni-

tâ divinâ naturâ cum humanitate, id est, humanâ naturâ Christi.

B. Magd. de Pazzis *ibid. c. 6.* in admirabili quâdam spiritus visione pro gratiarum actione, & suis erratis *offero*, inquit, *tibi, sanguinem humanitatis tui Verbi, ô æterne Pater! offero illum tibi, ô Verbum; offero illum tibi, ô sancte Spiritus. & si aliquid deest, offero illum tibi, ô* MARIA, *ut præsentes illum SSS. æterna Trinitati.*

S. Bern. *serm. 3. in Vigil. Nativ.* pulchras cordi SSS. inter TRINITATEM & JESVM parvulum medio, facit delicias, dum sic ait: *Sicut in illa singulari divinitate, Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione* (in Verbo incarnato) *trinitas est in substantijs, in persona unitas. Et sicut ibi persona non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita hic persona non confundit substantias, nec substantia ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, &c. Verbum enim, & anima, & caro in unam convenere personam; & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Ita ille. Age ergo illi Trinitati gratias pro hac. Et hæc Trinitas, creata non est, quantum ad Verbum attinet; creata verò est, quia & caro & anima Christi, & memoria, & intellectus, & voluntas (quæ S. Bernard. *serm. 1.* inter parvos *creatam Trinitatem* vocat) creata est. Optimè facit qui SSS. Trinitati pro gratiarum actione donorum datorum humanitati Christi, ipsa Christi merita infinita offert. Vnde cit. Magdalena *p. 1. c. 20.* in mirâ & Matris DEI, & Filij DEI visione, acceptâ parvuli JESV statuâ, *Offero*, inquiebat, *tibi sancte Pater, Filium tuum, quem ab æterno genuisti, & mihi in terram dedisti, &c. Offero tibi quem ab æterno in sinu tenuisti, & in Sapientia tuæ generasti, & propter miseriam meam, & misericordiam tuam in terram misisti.*

---

# HEBDOMADA NONA.

## *Crucifixus colendus in honorem & gratiam SSS. Trinitatis.*

SVnt qui dicant, in opalo lapide pretioso, candorem, purpuram, & ardorem, in communem quandam tribus his coloribus viriditatem conspirare. Ecce in niveo candore Pater, Filius in purpurâ passionis, in ardore verò igneo, amor, Spiritus sanctus. Viriditas, divinitatis umbra esto. Jungenda nimirùm etiam est JESV patientis purpura.

Junxit hos duos amores, & in uno corde magistro cordis nostri etiam post mortem ostendit nota illa cœlo & orbi omni S. Clara de monte Falconis. Adeò enim toto corde viva complexa est & Christum passum, & SSS. TRINITATEM, ut post illius etiam mortem in corde aperto pro thesauro reperta sit non tantùm Crucifixi imago, cum clavis, lanceâ, funibus, coronâ spineâ, columnâ, spongiâ, &c. verùm & in sellis bursula, ut vocant, tres, nucum trium instar, æquales pondere & mensurâ, colore similes repertæ sint sphæræ, quarum singulæ tantum habebant ponderis quantum duæ aliæ, duæ item aliæ quantum singulæ. Res magis etiam oculis nota est, quàm ut narrari pluribus debeat.

S. Ger-

S. Gertrudis *lib.4. c.35. in salutationem celeberrimorum Vulnerum totius corporis Domini* JESV, quinquies millenis quadringentis & sexaginta sex vicibus hanc nonnunquam gratiarum actionem ad SSS. Trinitatem repetebat: *Gloria tibi, suavissima, dulcissima, benignissima, nobilissima, imperialis, excellentissima, fulgida, semperque tranquilla Trinitas, pro roseis Vulneribus mei unicè electi amatoris.* Id aliquando agenti, floridus per omnia corporis totius vulnera, pretiosissimus JESVS apparuit in gloria, & se ita floridum, rutilum, & amœnum illi etiam morienti adesse velle promisit.

B. Magd. de Pazzis (*Vitæ p.2. c.6.*) cùm divina quædam lumina è cœlo An. 1585. 1. Maij hauriret, repentè dixit: *Ancilla sum Patris, Sponsa Filij, templum Spiritus sancti.* Ista cùm diceret, JESVM in S. Augustini, S. Catharinæ Senensis, & SS. aliorum præsentiâ, spineam sibi coronam imponere volentem vidit, & dicentem audivit; dolores ejus coronæ illam sextâ quavis feriâ sensuram. „ Tum illa: Suavis, inquit, DEVS, suave „ Verbum in communicatione sanguinis „ sui. Suavis etiam Pater, qui fecit ut „ Christus pro nobis sanguinem suum tra- „ deret!

S. Franciſca Romana, *fascic. myrrhæ lib.2. c.24. n.2.* vidit sanctissimorum Christi vulnerum lumen, seu splendorem, primò diffusum ad gloriam SSS. TRINITATIS, Beatissimæ Virginis, Sanctorum cœlitum omnium. Deinde in mortales, sed impare longè luce: majore ac plenâ magis in alios, in alios verò non plenis effusâ vulneribus Vide quanta sit inter sacrorum JESV vulnerum & SSS. TRINITATIS gloriam communicatio! Vtramque ama, ut ab utraque hauries lumen.

S. certè Franciscus *collat.24.* desiderium imitandi passionem nostri Salvatoris, ait esse peculiare donum, quod concedit Spiritus sanctus animæ, quæ verè DEVM amat, & eidem inservit. Addo aptissimum, ad id quod contendo persuadendum, argumentum, ex ejusdem vitæ *c.13.* Biennio ante mortem revelatum Francisco est, quòd in apertione Evangelij reperturus esset, revelante Christo, *quid Deo de ipso, & in ipso maximè foret acceptum.* Apertus à socio in SSS. TRINITATIS nomine liber Evangeliorum ter, & ter occurrit *Passio Domini.* Præcipuos inter, dubio procul, SSS. TRINITATEM colendi modos est, id facere quod est SSS. TRINITATI gratissimum. Ergo mentem & cor ad cogitandam feriò & ipsâ etiam imitatione colendam Christi passionem accinge. Crucifixo verò ut placeas, cole SSS. Trinitatem.

Apud Raderum *Aula c.14.* cùm à causidico ad magnificentissimum fanum inductus puer, ignarus quid secum ageretur, interrogatus à dæmone, *Istne, puer, tu meus famulus?* respondisset; *Ego sum famulus Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* omnis illa personata dæmonum, & loci majestas, unà cum mago causidico, in Inferos fulminata disparuit. Inde liberali in pauperes Domino adhæsit puer, & hanc à Crucifixo gratiam retulit facti tanti. Orabat ille ad sinistrum Patricij Domini sui latus coram Crucifixo, & quocunque puer se verteret, illum benigno vultu sequebatur Crucifixus. Indignum se Christi aspectu ratus Patritius, ejulabundâ lachrymatione prostratus, Christe sancte, inquit,

quare avertis faciem tuam à servo tuo? Tu mihi testis es, me nunquam avertisse faciem meam ab ullius miseria, petentis misericordiam meam. Tum è Crucifixo, aut potiùs à SSS. Trinitate, vox: *Tibi quidem habeo gratias de fortunis tuis à me collatis, mihi litanti: sed huic plus debeo in ultimo terrore non neganti, me palàm Patrem, & Filium, & Spiritum profitenti.* Ita & te benigno aspectu dignabitur Devs Crucifixus, pro singulari erga SSS. Trinitatem & Crvcifixvm affectu, & cultu.

---

# HEBDOMADA DECIMA.

## *Et* Deo Jesv *parvulo, &* Mariæ Jesv *Matri gratum est quodvis, tametsi minimum videatur, SSS. Trinitatis gloriæ datum obsequium.*

Chron. Carthus. *lib. 2. c. 26.* ait Cæsarium Rasonem Carthusianum, tenerrimam quandam cordis devotionem erga SSS. Trinitatem, & parvulum Jesvm per Beatissimam Virginem impetrasse, & illi morienti postea Beatissimam Virginem adfuisse. Placet nimirùm & ipsi SSS. Trinitati, & Jesvlo, & Mariæ illa devotio.

Jordanus, totius Prædicatorum Ordinis Generalis, cùm religiosam in choro *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* &c. devotè, & inclinato humi capite, vultu reverentiæ pleno, summâ quâ poterant attentione, canentium sui Ordinis religiosorum coronam videret, vidit ita prono in terram vultu inclinatis, ad nominatam SSS. Trinitatis gloriam, à sedente in throno Deipara, ductâ parvuli, quem sinu gerebat, Dei Jesuli ad beneprecandum manu, benedici. O benè ductam maternâ Virginis manu Dei Filij ad benedicendum SSS. Trinitatis cultoribus manum! O felix, & communis licèt, vixque tanti æstimanda videatur, pretiosa tamen, & à Virgine Beatissima æstimata, modesti ac humi submissi, sed à cœli Domino Jesv parvulo, Dominâque Virgine Reginâ cœlorum benedicti, capitis inclinatio! Certè solenne est Ecclesiæ sanctæ, ut illius Filij Sacerdotes in officio divino singulas à singulis SSS. Trinitatis personis exposcant benedictiones. *Benedictione perpetuâ, benedicat nos Pater æternus, Amen. Vnigenitus Dei Filius nos benedicere, & adjuvare dignetur, Amen. Spiritus sancti gratia illuminet sensus & corda nostra, Amen.* Et postea: *Deus Pater omnipotens sit nobis propitius, & clemens. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.* Vis & tu, ut Jesvs Mariæ; Maria Jesuli manum ad te benedicendum ducat? Sæpè, & attentè inclinato, quàm modestissimâ potes corporis animique ad SSS. Trinitatis thronum prostrati reverentiâ, corde & capite, dic SSS. Trinitati: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in secula seculorum, Amen.

Inde illa S. Catharinæ Sen. *orat. 13.* suspiria: *O Trinitas æterna, in lumine tuo cognoscitur, quòd tu es illud summum, & æternum viridarium, quod in te teres clausos flores & fructus; quia tu es flos*

gloria,

*gloria, qui tibimet gloriam reddis, tibimet fructus. Tu tibimet es fructus, & gloria: & fructus quos reddit tibi creatura tua, à te sunt, &c. In viridario sinus tui, Pater æterne, clausus erat homo. Tu traxisti eum de sancta mente tua, velut florem.* Tu ergo ille è SSS. Trinitatis viridario flos cùm sis, vide ut in viridario sinus materni clauso Jesv gratum facias odorem. Et è mente æterni Patris cùm sis, vide ut ad mentem illius dicas *Gloriam*. Erit hoc ad mentem etiam Filij sedentis in sinu Matris. Nam non vult sine SSS. Trinitate coli Jesvs. Omnem refundit honorem in Patrem. Ita Leo secundus Constantinopoli Imperator noluit sine Patre imperare: detractámque suo capiti coronam, capiti Patris imposuit.

# HEBDOMADA VNDECIMA.

## *Pro beneficijs Beatissimæ Deiparæ à SSS. Trinitate collatis age gratias SSS. Trinitati.*

SOlebat Hermannus è felici Servorum Beatissimæ Virginis Ordine fidelis ejusdem servus & prudens, admirari, gratulari, gratias agere, æstimare stupendos illos gratiarum thesauros, quibus æternùm adoranda divina Trinitas hanc suam electam præ omnibus Virginem adornavit. Sæpè contemplabatur, quomodo in amœnissimo, & omni gratiarum flore ornatissimo hoc Paradiso sibi complaceat Beatissima illa Mariæ Virginis amatrix Trinitas: & sæpè illi gratias pro illa agens, tandem suspirabat ad Jesvm: O dulcissime Jesv, dignare me tuam, & meam dulcissimam Matrem ore laudare, corde mirari, & sanctas illius virtutes imitari.

S. Cathar. Senen. *orat. 11. O Maria, Maria, templum* Trinitatis! *O Maria portatrix ignis! O Maria, currus ignis! Si aspicio te, ô Maria, video quòd manus Spiritus sancti descripsit in te totam* Trinitatem. Age ergo SSS. Trinitati gratias, quòd sibi illam in templum elegerit, séque in illa descripserit.

Inter alia pretiosa è cœlo lumina & istud quod nunc tractamus, & hebdom. 8. tractavimus, à cœlo didicit S. Gertrudis. Vnde *Insin. lib. 6. c. 10.* refertur, consuetum illi morem fuisse, ut laudaret *primò immensam bonitatem & dignationem semper venerandæ Trinitatis pro omni gratia, quæ ex superefluentia abyssali ipsius unquam defluxit in salutem omnium beatificatorum. Secundò pro omni gratiâ factâ Matri Dei dignissimæ. Tertiò pro omni gratia infusa sanctissimæ humanitati* Jesv *Christi.* *Lib.* autem 4. *c.* 12. dum Ave Maria cantaretur, *vidit tres rivulos efficacissimos, procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu sancto, cor Virginis Matris suavissimo impetu penetrare, & de corde ipsius rursus originem suam repetere: & ex illo influxu SSS. Trinitatis hoc donatiu B. Virgini, quòd ipsa est potentissima post Patrem, sapientissima post Filium, & benignissima post Spiritum sanctum.*

Vniversa etiam Ecclesia Catholica in ijs quæ de B. V. fiunt Missis, æternum Patrem ita alloquitur gratias agens, & Devm in illa collaudans: *Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus! Et te in Conceptione, Nativitate, Præsentatio-*

*tatione, Annunciatione, Visitatione, Purificatione, Assumptione, festivitate, Generatione B* MARIÆ *semper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare, quæ & Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & Virginitatis gloriâ permanente lumen æternum mundo effudit* JESVM *Christum Dominum nostrum.*

Et meritò. Nam si in hymno Angelico ita SSS. TRINITATEM alloquitur Ecclesia; *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; si licet ipsi DEO gratias agere pro illa gloria quam ipse habet à seipso, cur non liceat eidem agere gratias pro omni gratia & gloria quam ab illo SSS. TRINITATIS fonte SS. Christi humanitas, Beatissima Deipara, & SS. omnes acceperunt? Ipsa *Beatissima Virgo est gloria SSS. Trinitatis*, dum in utero suo alteram in Trinitate personam humanitati nostræ hypostaticâ eáq; divinâ unione unitam complectitur, parit, lactat, fovet, educat. Dic » ergo SSS. Trinitati: Gratias agimus tibi » propter magnam gloriam tuam quam è » Filio MARIÆ, & ipsa MARIA habuisti, & » habes.

Cyrillus Alexandrinus ad B. Virginem *homil. contra Nestor. Per te Trinitas sanctificatur*, inquit, id est, laudatur ab alijs: non autem quod ab illa accipiat sanctitatem, cùm det illi.

Corolla etiam illa, quæ tribus Dominicis & duodecim Angelicis orationibus constat, multis & magnis jam olim in usu fuit, ita ut *Pater noster* æterno Patri diceretur, & quatuor Ave MARIA, in honorem, & gratiarum actionem privilegiorum Beatiss. Virgini æterni Patris Filiæ concessorum. Idem fit dictâ iterum semel oratione Dominicâ, & quater Angelicâ Salutatione, pro beneficijs eidem à Filio concessis. Idem tertiò, additâ tertiâ precatione Dominicâ & quater dicto Ave MARIA in memoriam & gratiarum actionem beneficiorum eidem à Spiritu sancto collatorum. Gratias tibi, æterne » Pater, æterne Fili, æterne divine Spiri- » tus, propter magnam gloriam tuam, & » omnes communes & singulares gratias, » omnémque gloriam, MARIÆ Filiæ tuæ, » Pater; Matri tuæ, Fili; Sponsæ tuæ, Spiri- » tus sancte, concessam! Da ut æternas » tibi apud te pro beneficijs & illi & no- » bis concessis unà cum illa gratias aga- » mus in æternitate beata, Amen. »

Pretiosam exquisitissimi, atq; elaboratissimi erga SSS. TRINITATEM amoris, & simul præcipui erga Beatissimam Dei parentem cultûs unionem etiam in his sanctæ Mechtildis delicijs adverte, ut exardescas ad honorandam in MARIA diviniſſimam TRINITATEM.

Sabbatho quodam, apud Nieremb. de amore erga Beatam Virginem c. 21. S. Mechtildis Beatissimæ Virgini di- » xit: Si te, cœli Regina dulcissima, salu- » tatione, quam unquam humanum cor » excogitare potuit, salutare possem, li- » bentissimè salutarem! Statim glorioſis- » sima Virgo eidem apparuit, habens in pectore scriptam aureis literis Angelicam salutationem, & ait: Supra hanc » salutationem nunquam homo pervenit; » nec aliquis dulciùs me salutare poterit, » quàm is, qui salutat in illa reverentia, » quâ Deus PATER me per hoc verbum » AVE salutavit, confirmans me omnipo- » tentiâ suâ, ut essem immunis ab omni » Evæ culpa. Filius quoque DEI suâ Divi- » nâ Sapientiâ sic me perlustravit, ut sim » clarum sidus quo cœlum & terra illu » stratur, &c. SPIRITVS SANCTVS etiam » totâ suâ divinâ dulcedine me penetran- »

do

do tam gratiosam effecit, ut omnis qui per me gratiam quærit, ipsam inveniat. In hoc verbo *Dominus tecum* admoneor ineffabilis unionis, & operationis, quam tota TRINITAS perfecit in me, cùm carnis meæ substantiam, divinæ naturæ in una persona copulavit, ita ut Deus fieret homo, & homo DEVS. Eandem B.V. docuit pro felici vitæ exitu ter salutationem Angelicam in honorem SSS. TRINITATIS orare, quę habetur passim. Vt tamen ad manum sit, illam subjungo.

*Ad primam Salutationem Angelicam:*

„ O Domina mea, Sancta MARIA, sicut „ Deus Pater per omnipotentiam suam „ te potentissimam effecit; ita mihi quæso „ adsis in hora mortis, expellendo à me „ omnem contrariam potestatem!

*Ad alteram:*

„ O Domina mea, sancta MARIA, sicut „ Filius Dei tantâ te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines; ita in hora mortis, animam meam „ cognitione fidei sic illustres & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur.

*Ad tertiam:*

„ O Domina mea, sancta MARIA, sicut „ sanctus Spiritus suum amorem plenè tibi „ infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis „ amaritudo reddatur mihi suavissima. Hoc age per MARIAM apud SSS. TRINITATEM, & age seriò, ac ora, ut sicut baptizatus es, ita moriaris felix in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, Amen.

Age gratias pro beneficijs MARIÆ collatis, & illa aget pro beneficijs tibi conferendis.

# HEBDOMADA DVODECIMA.

*Honorem & amorem, quem B. Virgini Matri defers, ad SSS. Trinitatem referre tanquam ad fontem, ipsi B. Virgini gratum est.*

ID nos ab ipsa Deipara didicimus, quæ ita libentissimè salutatur, ut illius laus in gloriam redundet SSS. Trinitatis. Ita S. Gertrudis fecit, dum diceret ad MARIAM: *Ave candidum lilium fulgida semperque tranquilla Trinitatis, rosaque prafulgida cœlica amœnitatis: de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit, divinis influxionibus animas nostras pasce!*

Egisse fertur illa suo Alberto Magno, S. Thomæ Aquinatis Magistro gratias, quòd fecerit id, quod hæc faciendum suadet hebdomada. *Gratias tibi ago, bone Alberte*, ajebat, *quia tali me salutatione salutásti, quali ab alio nunquam fui salutata.* Salutatio hæc erat:

*Salve* MARIA, *nobile triclinium totius* TRINITATIS.

Quid? quòd prudentissima hæc, & cujus humilitatem respexit Deus, Virgo, cùm admirabili illi, quam tota SSS. Trinitas misso ad illam Legato Angelo adornârat, legationi ultimum responsum daret, illo ipso responso omnem hunc honorem se non sibi, sed illi, à quo Legatus Gabriel veniebat, adscribere, transscribereque testata, dixerit: *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* quasi diceret cum suo Davide: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Malè itaque Catholi-

tholicis imponit ille, qui in Apologia pro SS. Virgine MARIA scripta, in admonit. ad lect. citatur, Apostata, qui illam Trinitatis totius Matrem à nobis vocari blasphemè planè mentitur. Ancillam illam dicimus SSS. Trinitatis: MARIAM in gratiam SSS. TRINITATIS honoramus, ita ut honor illi impensus redundet in DEVM, ut ultimum omnium finem, & MARIÆ creatorem, à quo illa omnia habet quæ habet.

Vnde sapienter Ferdinandus III. Imperator, ut Anni MARIANI Sabb. 37. retulimus, in ea, quâ se & suos DEO, & Immaculatæ Deiparæ devovit, formulâ, et hoc addidit: *Supreme cœli, terræq; Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas.* Et bene: nam si is, qui glorificantes se glorificat, etiam in SS. suorum honoribus honoratur; quomodo supra omnes alios glorificantem se Virginem non glorificabit, & in hujus Sanctæ Sanctorum omnium Reginæ honoribus non honorabitur DEVS? Gloria Matris DEI, est gloria Patris, est gloria Filij, est gloria Spiritûs sancti, & denique SSS. Trinitatis. Etiam ipsam, quam à Deo habet Virgo Deipara, & omnem, quam ab ulla creatura habuit, habet, & habitura est, gloriam, offeramus ad Majorem Dei gloriam. Vnde præsens in horâ mortis auxilium promisit illi B. Virgo (*Insin. div. piet lib. 3. c. 19.* Gertrudi loquens,) qui se hoc nomine coluerit: *Salve candidum lilium Trinitatis, & rosa prafulgida cælica amœnitatis.* Tunc enim visa est S. Gertrudi B. Virgo in præsentia SSS. Trinitatis in similitudine candidi lilij trium foliorum. Et *lib. 4. cap. 53.* impetrante à SSS Trinitate B. Virgine, gratias mirabiles acquisivit die Natæ B. Virg. Gertrudis, cùm *collaudaret ineffabiliter dignè extollendâ Dei Patris omnipotentiam, admirandam Dei Filij sapientiam, Spiritûs sancti Paracleti stupendam benevolentiam, quâ prævaluit, scivit, & dignata est Trinitas semper veneranda, in salutis nostræ subsidium, tam plenam omni gratiâ Virginem formare, cui superabundantiam divinæ suæ beatitudinis tam largè communicaret.*

Vnde & Adamus de S. Vict. apud Cantiprat. *lib. 2. c. 29. n. 2.* eò quòd his B. V. versibus salutare consuevisset,

*Salve Mater pietatis,*
*Et totius* TRINITATIS
*Nobile triclinium*;

illam resalutantem, gratiásque agentem audivit. Et S. Mechtildi *revel. 1. c. 52.* ajebat B. Virgo: Altissima TRINITAS „ in me delectabatur & gaudebat, quia ta- „ lem imaginem facere volebat, in qua to- „ tius potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ „ artificium elegantissimè appareret. „

Totum ergo affectum, honorem totum in SSS. Trinitatis honorem refunde, & scias id B. Virgini fore longè gratissimum. Nam ibid. *c. 58.* refertur: quòd S. Gertrudis in festo S. Elizabethæ eidem Sanctæ dixerit, num non putaret esse pro suæ laudis detrimento, quòd in festo suo, quasi nullo ad ipsam Elizabetham respectu, omnes in Deum intenderent, à quo Elizabeth omnia accepit? Ad quæ S. Elizabeth: Nequaquam, inquit, sed in infinitum gratiùs hoc acceptum. Ita nec Marianum cultum in sacrilegam invidiam vocabit ullus, & ipsa B. Virgo à te, refusum in SSS. TRINITATEM honorem omnem, libentiùs acceptabit, & tu illam fundatis in unius Dei honore, à quo omnis B. Virginis gloria promanat, honoribus sapienter coles. Denique, MARIAM ideò supremis inter

puras

puras creaturas honoribus honoramus per hyperduliam, quia illam SSS. TRINITAS supra creaturas puras omnes & ipsa honoravit, & voluit honorari. Sic est voluntas ejus. Ergo *Fiat Voluntas tua, sicut in cælo!*

---

# HEBDOMADA XIII.

## *B Virginis Matris auxilium, ut singularem nobis ac solidum erga SSS. Trinitatem affectum impetret, implorandum.*

APud Nieremb. de amore erga B. Virginem *c.*19. Religioso cuidam B. Virgo ajebat, facilè præcipuum inter sua in cœlis gaudia censeri hoc: quòd una sit eadémque sua & SSS. TRINITATIS voluntas, adeò, ut quicquid sibi placet, id ex singulari gratiâ Deus mox ratum habeat, liberalissiméque indulgeat. Ab illa ergo petendus singularis hic erga SSS. TRINITATEM affectus, religiosissimáq; inclinatio voluntatis.

Fecit id B. Magdalena de Pazzis, quæ vitæ *p.*2. *c.*14. Anno 1593. 14. August. in præparatione cordis ad festum Assumptionis Deiparæ Virginis, in sanctissimo longissimóq; mentis raptu ita loquebatur: „ Jucunditatem in corde, libertatem „ in voluntate, nuditatem in intellectu, „ conservationem beneficiorum in memo- „ ria, simplicitatem in operatione, verita- „ tem in verbis, mortificationem in sensi- „ bus convenit ut habeat is, qui vult ascé- „ dere ad MARIAM, &c. Sit cor purum, „ &c. Sit forte, ita ut non desideret aliud quàm Deum: & si essent millies plures „ Dæmones, quàm sint, & mille inferni, ut „ avellere nos non possint ab eo, quod vult „ Deus. In tale, ita purum, resplendens, & „ forte cor potest MARIA infundere dona „ sua, & gratias. Tandem sanctas illas ho- „ ras, & lumina ita concluſit in rem nostram: *Adorna, ó* MARIA, *corda creaturarum, ut possint se offerre SSS. Trinitati unà cum tuo. ne sit ullus, qui recuset tale ornamentum, &c.* En quò tandem ibat longa illa tot sanctarum horarum extasis. Disce ergo, MARIAM, ut ad adornandum SSS. Trinitatis amori tuum cor veniat, rogare. Illa scit, quomodo anima tua illi majestati sit adornanda. Ægyptij Deum vocabant ignotas tenebras, idque ter repetebant. Roga tu Matrem luminum, ut te ad illas tenebras, quas posuit Deus latibulum suum, inducat.

S. August. in Psal. 122. *Antequam faceret Sanctos Deus*, inquit, *ubi habitabat? In seipso habitabat: Pater in Filio, & Spiritu sancto: Filius in Patre, & Spiritu sancto: & Spiritus sanctus in Patre & Filio.* Ita tunc. Nunc verò & in seipso, & postea in B. Virginis utero, deinde in Cruce ac Sanctis suis habitat Filius Dei. Pater in illo, & ille in Patre est. imò & apud Matrem. Ibi ergo quærenda est sancta ista erga SSS. TRINITATEM devotio. Itaque quia colendæ Sanctissimæ DEI Matri assuescimus à teneris ferè omnes, quos bona parentum institutio à cunis ad Scholas usque, quos bona Scholarum disciplina per Scholas deductos à Scholis ad virilem usque, & in statu officióve quopiam stabilitam perduxit ætatem, jam tunc ars hæc ediscenda esset; ut cum ætate adolesceret sensim; ut B. Virginem pro singulari nostræ erga illam devotionis stimulo, & quasi

præmio, rogaremus, ut nobis felicem illum erga SSS. TRINITATEM affectum solidè imprimi impetret ab ipsa SSS. TRINITATE. Certè Brachmanes tres divinas personas, ut parvulis suis à puero super omnia colendas inculcent, student. Quâ de re loquuturus Orat. de DEO uno & trino ad PIUM V. Pont. Max. & Card: Collegium Perpinianus, Vetus, inquit, est quod dicam P. B, sed nemini eorum qui adsunt, ut arbitror, ante hanc diem unquam auditum. Brachmanes apud Indos, reliqui ex illa veteri Gymnosophistarum disciplina, tres divinitatis personas, unum tamen DEVM esse credunt, & quod humana mens capere fide non potest, id ipsi Santali arboris in illis terris bene notæ, similitudine non satis exquisitâ, sed in hominibus tam alienis à veritate, neutiquam contemnendâ, persuadere cæteris conantur, *quo in ligno uno & eodem hæc tria*, frigus, color, & odor, inter se diversa reperiuntur. Itaq; funiculum gestant ex tribus alijs funiculis intortum, quorum singuli rursus constant è tribus linis ad personarum numerum designandum: quas unum & idem esse declarantes, extrema funiculi inter se nodo connectunt. is pueris injicitur à parentibus septimo ætatis anno, insigne pietatis ac religionis, quo Brachmanes à cæteris discernuntur. eum rumpere nefas esse dicunt. Ita ille Romæ in Sacello Pontificum dixit. Vtinam à septennio primo ætatis hoc veræ pietatis insigne, unà cum primo pietatis, quam erga B. Virginem accipimus, lacte imbibamus omnes. Ad altè enim aliquid imbibendum, plurimùm omninò interest à teneris assuevisse. quid verò altiùs imbibi debet, quàm sensus intimus erga altissimam TRINITATEM? Et quando, quóve modo imbibetur altiùs, quàm cùm parvuli ipso quasi DEI Matris lacte lactamur? Aut quid vel illa pro nobis petet meliùs, vel ipsa SSS. TRINITAS nobis concedet libentiùs?

# SECVNDA PARS
# ANNI SSS. TRINITATIS.

## HEBDOMADA XIV.

*In oranda B. Virginis Corona, orationem tuam SSS. Trinitatis devotione condire assuesce.*

Admi-

ADmirabilis ille Brasiliæ Ecclesiastes, Josephus Anchieta, suo ipse, quod hebdomadâ superiore suadebamus, & quod nunc suademus, exemplo docet, ut narrat in ejus vita Beretarius. Is tenerâ erga SSS. TRINITATEM, JESVM, & MARIAM devotione ut Brasilos suos imbueret, id à tenera inchoandum & in adulta perficiendum ætate ratus, divisis in choros Brasilis, hinc pueris, inde puellis, ut chorus uterq; alter ad alterum canendo clamans SSS. TRINITATEM, JESVM, & MARIAM cantaret lætus, edocuit. Cantabant parvuli: *Benedictum sit dulcissimum nomen* JESV! Respondebant parvulæ: *Et gloriosum sit sanctissimum nomen* MARIÆ *Virginis*. Tum voce ad devotam quandam suavitatem compositâ, rosarium canebatur, sed ita, ut ad singularum decadum finem, instrumentis musicis accineretur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* S. Gregorius Naz. orat. 8. de ore hominis justi: Organum est divinum, inquit, quod à præclaro artifice, hoc est, à Spiritu sancto ad cœlestem harmoniam accommodetur, atque pulsetur. An non talia SSS. TRINITATIS organa tibi videntur hæ linguæ SSS TRINITATI gloriam, ad illam quam SSS. TRINITAS Matri JESV misit, salutationem, resonantes? Audi Europa! Disce à Brasilia, & à Brasilis parvulis discite Europæi magni, & magnæ! Ita Brasili SSS. TRINITATIS, ita JESV, ac MARIÆ venerationem imbibunt, retinéntque. Pretiosa omninò, & quàm facilis imitationi, tam non negligenda ratio Rosarij recitandi. Vel, si lubet, ora quod *lib. 2. c. 7* vitæ P. Fabri de eodem narrat Orlandinus: Interdum, inquit, inter Psalmum & Psalmum brevem quandam precationem raptim jaculabatur ad DEVM. Pater cœlestis, da mihi spiritum bonum. Idem tu inter decadem ac decadem precare, ut renoves attentionem.

---

# HEBDOMADA XV.

## *Tua, tuorúmq; obsequia SSS. Trinitati per Angelum tuum Custodem, & Sanctos Angelos offer.*

SOlet Deus, ut divina quoquo modo quasi per rimam videamus à longè, illa nobis humanis quibusdam imaginibus ostendere. Ita cœlestis beatitatis, auro gemmísque, portis & plateis ornata in Apocalypsi imago est. Ita in P. Pauli Achillis S. J. vita, recensetur id, quod anima quæpiam crebris aliàs etiam id genus luminibus perillustris, vidit, cùm illi universa JESV Societas monstrata est sub symbolo vasis pulcherrimi, & profundi, oblati in Dei conspectum à tribus juvenibus, Angelis. In vase tria erant cochlearia, quasi ut SSS. TRINITAS gustaret id, quod erat in pretiosissimo illo vase. En promptos ad præsentandum Deo id quod facis, & quod faciunt ij qui tecum sunt, Angelos! Do testem S. Franciscũ Xaveriũ, qui *lib. 3. ep. 5.* de B. Virginis, Angelorum, & omnium Cælitum patrocinio scribens, addit: *Nec dubitamus; quin quicquid in hac ipsa cælestium imploratione à nobis per incuriam ac negligentiam delinquitur, à beatis illis sociis*

*nostrùs compensetur, qui nostra qualiacunque studia gratificandi* DEO, SSS. TRINITATI *studiosissimè cupidissimèque offerunt.*

B. Magdalena de Pazzis, vitæ *p. 2. c. 17.* » inter cælestia sua lumina, Ibis, inquit, » ad chorum SS. Angelorum, quos roga- » bis, ut offerant ante thronum SSS. TRI- » NITATIS, sanguinem Verbi Incarnati, » petendo veram humilitatem spiritûs. Ita » animam suam altissimæ puritatis sitien- » tem, ad chorum Archangelorum mittit: » tum ad chorum Principatuum, petendo » ab ijs perfectam obedientiam. A choro » Potestatum, frænum sensuum omnium: » à choro Virtutum, firmam stabilémque » in bono constantiam: à choro Domina- » tionum, dominium de passionibus inter- » nis. Septimò recurres ad Thronos, in- » quit, qui ibunt ad plena amoris huma- » nati Verbi brachia, & illi te offerent. » Octavò, Ibis ad chorum Cherubino- » rum, & illi te offerent purissimis oculis » amorosi Verbi humanati. Nonò ad cho- » rum Seraphinorum, qui te offerent dul- » cissimo, & pietatis amorisque plenissimo » cordi Verbi humanati.

Ita tibi facienti cùm è vita discessum parabis, vel tunc, vel in æternitate beata dicet Angelus tuus Custos id quod Tob. 12. cap. dixit: *Raphaël Angelus unus ex septem, qui adstant ante Dominum: Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandiũ tuum, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Distribue illos in septem dies hebdomadæ: aut si mavis, pro Dominico die, tanquam die SSS. TRINITATIS, accipe & designa Angelos, Archangelos, & Thronos, qui ejus diei & vitę præcedentis totius acta offerant SSS. TRINITATI. Pro feria secunda, Dominationes; pro tertia, Principatus; pro quarta, Potestates; pro quinta, Virtutes; pro sexta Cherubinos; pro septima, seu Sabbatho, Seraphinos roga. Adsunt Angeli tuis prandijs, lecto, colloquijs, lusibus. At hæc in Annum fortasse alium differamus.

S. Catharina Sen. *tract. 6. c. 167. O abyssus, ô Trinitas æterna, ô Deitas, &c. Tu es illud lumen super omne lumen, quod das intellectûs oculo, supernaturale lumen in perfectione & abundantia!* Vtinam in illo lumine videas, quantũ, earum, quas tu facile per negligentiam offerre omittis, rerum sit precium & coram Angelis, & coram SSS. TRINITATE! O Trinitas! ô æternitas! quando tandem seriò plenéque videbimus, quàm pretiosum sit dedere se obsequijs tuis! Accipe è manibus Angelorum tuorum frigida obsequia mea!

---

# HEBDOMADA XVI.

## *In singulari SSS. Trinitatem adorandi reverentia, Angelos imitare.*

APud Niceph. *lib. 1. c. 8.* & Socratem *lib. 6. hist. c. 8.* S. Ignatius, tertius à S. Petro Antiochenorum Hierarcha, qui etiam frequenti cum Apostolis conversatione familiariter diu multúmque est usus, in extasi vidit, & audivit Angelos antiphonis, id est, alternis, & sibi invicem respondentibus carminibus, SSS. TRINITATEM hymnis & laudibus celebrantes. Vnde Antiphonarum usus. Idem jam antè, *cap 6.* viderat Isaias, qui

in

in solio excelso & elevato sedentem DEVM conspicatus, Seraphinos etiam stantes vidit, totis sex alis in DEI, coram quo stabant, reverentiâ occupatos. *Duabus, alis velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Quanta, quàm profunda, quàm exaggerata reverentia! Velant, & volant. Sub velo nunc est illa, quam oras SSS. TRINITAS. O si velum illud vel cogitatione seriâ tantisper, dum re ipsâ olim reducatur, reduceres; & illam, cui assistis, videres Angelis, Archangelis, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, Dominationibus, Thronis, Cherubinis, & Seraphinis circumdatam SSS. TRINITATIS majestatem. Quantam in illa Angelorum schola, in illa SSS. TRINITATIS Academiâ, & beatorum Spirituum Vniversitate disceres, in orando intus attentionem & ardorem, foris modestiam, reverentiam, cordis cum lingua, linguæ cum corde compositionem! O quàm felix esses, si spiritualibus oculis semel intueri posses! inquit S. Bernardus cap. 6. medit. Videres procul dubio quâ curâ intersunt cantantibus, assistunt orantibus, adsunt meditantibus; quomodo soliciti discurrunt inter nos & Deum medij, nostros gemitus fideliſſimè ad eum portantes, ipsiúsque gratiam ad nos devotiſſimè reportantes. S. Augustinus c. 27. soliloq. Da igitur, da Pater, inquit, eis semper gaudere de nobis; ut tu semper per eos lauderis in nobis.

Vide, ut oratio tua sit à corde tuo ad æternæ usque TRINITATIS sinum extensa scala Jacob, sed vigilantis, per quam Angeli tui tua sursum ferentes spiria in ipso orationis igne (ut Angelus Manue) simul evolent alis igneis, & ascendant, & inde ad te pleni petitarum, & majorum illis, gratiarum descendant. Vide ut ne sit scala à corde tuo ad culinam, ad libros, ad convivia, ad stabula, ad lupanar, ad infernum: per quam Angeli Sathanæ ascendant ex inferno ad cor tuum, & descendant tua inferno digna facinora, quasi suo Principi referentes. Denique quantâ legis, audis, experiris diligentiâ, diabolum & angelos ejus attentam illam tuam in orando reverentiam intervertere velle, tanto tu studio Angelicam in colenda illa, cujus faciem semper vident, TRINITATE, ad sanctè, meditatè, exactè, ardenter orandum contentionem, ac studium imitare. Matres parvulos suos orare docent.

B. Joanna Vrbevetana Custodis Angeli ostendens imaginem, posteaquam trimula Matre, quinquennis verò, Patre orbata fuisset, *Scito*, inquiebat sociæ suæ, *hunc Angelum mihi esse in Matrem, à quo adhuc parvula percepi omnia fidei & pietatis documenta.* Documentum documentorum est ita orare, ut preces eò penetrent, ubi ipsi SSS. TRINITATEM Angeli ad majestatis thronum adorant. Hanc in orando reverentiam & vim ab Angelo tuo, imò ab omnibus Angelorum choris disce.

---

# HEBDOMADA XVII.

*Statis quotidie precibus SSS. Trinitati devotus esto; atque illas eò perficias ardentiùs, S. Ignatij alio-*

*aliorúmq; id agentium exemplis te accende.*

BEne conveniunt, & in una boni cordis ſede morantur SSS. TRINITATIS majeſtas, & amor. Imò majeſtas illa amore adoratur. Terrentur quidam SSS. TRINITATIS majeſtate, ne illam dulci illo devoti cordis amplexu ament, quo vellent. unde fit, ut etiam in devotis nonnullis quaſi frigeat cultus SSS. TRINITATIS. Exemplis, & ipsâ rei tam dulcis æſtimatione calefaciendum eſt cor timidium, ut audeat amare hanc præ omnibus devotionibus ſuis.

Ribad. vitæ S. Ignatij Loyolæ, S. J. Authoris, *lib.* 1. *c.* 7. Cùm magna erga tres SSS. TRINITATIS perſonas devotione teneretur, ſingulíſque ſuas preces, ſtatáſque quotidie perſolveret, die quodam in ſcalarum gradibus templi Dominicanorum conſiſtens, & horarias B. Virg. preces recitans, cœpit ita in Deum intellectu ferri, quaſi SSS. TRINITATEM (ſpecie quâdam viſibili id ſignificante exteriùs, quod interiùs percipiebat) cerneret, eâ divinæ conſolationis magnitudine & copiâ, ut ſibi à ſuſpirijs fletúque, etiam inter ipſas publicas ſupplicationes, quas deinde proſecutus eſt, ad prandium uſque temperare nequiverit, aut verò à prandio aliud omninò vel cogitare, vel loqui, quàm de SSS. TRINITATE, tantâ, támque variâ rationum, ſimilitudinum, atque exemplorum copiâ, ut admirationi omnibus audientibus eſſet. Addit etiam ibid. Ignatium de SSS. TRINITATE jam tum ſcribere aggreſſum. Et demum, ſemper, inquit, cùm ad SSS. TRINITATEM orationem funderet (quod frequenter & diu faciebat) eximiam divinæ conſolationis ſuavitatem percipiebat: & aliquando quidem ſingularem quandam in Deum Patrem, totius divinitatis fontem, & reliquarum perſonarum originem atque principium, devotionem ſenſit: deinceps etiam in Filium: poſtremò in Spiritum ſanctum: ſingillatim ſe ſingulis perſonis commendans & tradens, & ſimul ex omnibus quaſi ex uno atque eodem gratiarum omnium pleniſſimo fonte, virtutes omnes abundanter hauriens. Hæc Ignatius ipſe ſenſit. Hæc Ignatij Filius à Patre ſuo didicit. Is fuit P. Petrus Faber, ut Orlandinus habet vitæ ejus *lib.* 2. *c.* 4. Ingrediebatur mente beatam illam curiam: & ad thronum SSS. TRINITATIS accedens, Patrem rogabat, ut Filio, & Spiritui ſancto benediceret (id eſt, de illius gloriâ, mutuâ quâdam complacentiâ, gratularetur;) tum Filio ſupplicabat, ut benediceret Patri ac Spiritui ſancto: ac denique ſanctum venerabatur Spiritum, ut idem Patri benediceret, ac Filio.

Deinde Beatiſſimam cœli Reginam precabatur, ut SSS. TRINITATEM ſuo nomine, aut etiam alicujus è vivis vel mortuis, adoraret: ac rurſus auguſtiſſimam TRINITATEM, ut B. Virgini benediceret pro omnibus donis, quæ per eam in terras derivatur.

Ab Ignatio ergo, & P. Petro diſces, SSS. TRINITATI, perſoníſque ſingulis preces ſtatas fundere, omni, quâ coram tanta majeſtate loqui par eſt, mentis corporíſque reverentiâ. Vt preces illæ placeant, ipſum tunc à TRINITATE beatiſſimâ adeo accenſum ac illuminatum, nunc verò ipſo SSS. TRINITATIS tunc ſub velo tantùm viſæ aſpectu fruentem Ignatium, & præcipuè illam, in cujus officio recitando beatis illis SSS. TRINITATIS luminibus illuſtratus eſt Ignatius,

Ma-

MARIAM roga. *Verè lumen istud, est unum mare, quod nutrit animam quousq; tota sit in te*, inquit ad SSS. Trinit. Cathar: Senensis t. 6. c. 167. & exclamat: *O mare pacificum, Trinitas æterna! Hujus maris aqua non est turbida, est aqua clarissima, & res occultas apertè manifestat.* Ingredere hoc mare lucidum cum Ignatio. Amitte te in illo. Nullus te inde hamus, rete nullum extrahat. Non timebis illic varios maris nostri fluxus & refluxus. Vive illic, felix piscis! Vide, ut nemo te expiscetur. Ad mortem te extrahet, qui extraxerit. Tu potiùs alios cum Ignatio in mare hoc deliciarum trahe ad vitam. Orando autem id quàm optimè perfeceris. Ita suum erga SSS. TRINITATEM affectum statis precibus confirmabat S. Margarita, ut est in vita 10. Iunij, quæ in domûs suæ loco templum posuit SSS. TRINITATI, & singulis noctibus de SSS. TRINITATE, de Cruce, de B. Virgine matutinas divini Officij preces absolvit. Orationis nimirum oleo fovendus est iste SSS. TRINITATIS ignis in cordis lampade.

# HEBDOMADA XVIII.

## *Dona te peculiari quadam devotione totum SSS. Trinitati.*

BEatus Stephanus in Aquitania circa A. D. 1076. accepto secum ab desertum annulo, transcripsit corpus, animam, suáque omnia SSS. TRINITATI, & illius Virgini æternæ MARIÆ. Tum solenniſſimo, quo potuit, ritu affectúque contradixit dœmoni, protestatúsque est, nulli se unquam in æternum peccato velle suam concedere voluntatem. Litteras imposuit capiti, & flexis humi summâ etiam animi submissione genibus, clamans ad illam, cui se voto novo dedicaverat, SSS. TRINITATEM, ejusdémque æternam Virginem, rogavit; ut professionem, & protestationem, dedicationémq; illam æternùm authenticam, firmam, ratam, acceptam velint usque ad finem & coronam perseverantibus promissam.

At quomodo ita SSS. TRINITATI dedicatum suum corpus tractârit, quomodo animum excoluerit, ut modicum aliquid pro te inde imitatione decerpas, & ipse totus SSS. TRINITATI consecratus, vide. Pane tantùm frigidáque epulatus, totus sub veste intimâ cataphractus, inter frequentissima terræ oscula, duratis in cornu à frequenti flectendi situ genibus vixit semper: neq; nisi modicam somni partem, & illam nudo incubans asseri, sibi concessit; totus plenum SSS. TRINITATIS holocaustum. Totum illi aliquando nil aliud agenti, quàm potenter plenóque corde oranti, triduum fluxit. Felix triduum à tribus SSS. TRINITATIS personis animatum! Orationi verò sui Stephani vires tantas dabat illa, cui se penitùs ex asse consecrârat, SSS. TRINITAS, ut impossibile videretur non converti illum, pro cujus conversione apud SSS. Trinitatem Stephanus institisset. Sic suum corpus jejunijs, modico somno, doloribus, sic animum amoribus sanctis, oratione pascit is, qui & corpus, & totum ex toto ac totum ex qualibet sui parte animum dedicavit illi, cujus sunt omnia, SSS. TRINITATI.

Ita os ſuum & cor donârat Chriſto S. Honoratus Ep. de quo in funebri oratione Arelatenſis Hilarius: Nunquam, „ inquit, in ore tuo niſi pax, niſi caſtitas, „ niſi pietas, niſi caritas: nunquam in cor„ de, niſi horum omnium fons habitavit. Ita tu os, ita cor, ita manus, ita omnia da Patri, da Filio, da Spiritui Sancto. Tertull. de Reſurr. c. 61. *Accepiſti*, inquit, *home, os ad Sorandum atque potandum, cur non potiùs ad loquendum, ut à cæteris animalibus diſtes? cur non potiùs ad prædicandum DEUM, ut etiam hominibus anteſtes?*

Os ergo pijs de illa TRINITATE ſermonibus, cor amantiſſimis ſuſpirijs, totum te toti illi ad officia omnia devove Trinitati.

Sic & B. Magdal. de Pazzis p. 1. c. 5. Anno 1584. ipſo SSS. Trinitatis feſto, profeſſione religiosâ, ſe dicavit SSS. Trinitati.

Ita in Chron. Min. cùm S. Franciſcus nocte quâdam cum DEO, quaſi in flamma ardente, ardentiùs loqueretur, petijt ab illo ſibi aliquid offerri, idq; ter repetijt: SSS TRINITAS, Domine, in„ quit Franciſcus, ſum totus tuus, quid „ potero offerre? Cœlum, & terra, ignis, „ & aqua, omnia tua ſunt Tum in ſinum manum mittere, & id quod illic reperit offerre juſſus, auream inde, qualem nunquam viderat, monetam protulit, & obtulit loquenti ſecum DEO. Iterùm illi dictum offer ſecundò, & tertiò quod inveneris. Tum ille, ne id in juratæ fie„ ret præjudicium paupertatis, Tu ſcis, „ inquit, Domine DEVS, quia non amo, „ nec volo aliquid præter te. Aurum & „ omnia deſpexi, ob amorem tui. Si er„ go aliquid in ſinu meo eſt, tu poſuiſti il„ lud, & reddo Dominatori omnium. Ita tribus aureis in ſinu repertis nummis, ter oblationem fecit Deo uni ac trino; intellexítque, religioſam in nummis illis paupertatem, caſtitatem, ac obedientiam deſignari. Sis ergo & ipſe nummus non plumbeus, ſed aureus, SSS. Trinitatis imagine inſignitus. Aurea, id eſt, optima, pretioſa non vilia ſint, quæ unà tecum DEO offers, cogitationes, verba, opera.

P. Petrus Faber è primo S. I. decemviratu vir eximius, in monitis ad quendam Novitium, Vitæ lib: 2, c. 23. vult nos eſſe regnum SSS. Trinitatis. In exilium ait pellendum *Meum & Tuum*, *Ego & Tu*: & ſic fore nos regnum regnantis in ſeipſo & in Sanctiſſima Trinitate Chriſti JESV. Qui autem *Meum & Tuum* abijcere non vult, ſaltem ſe unà cum ſuis omnibus abijciat in ſinum beniguiſſimæ Trinitatis, & illi totus ſacer eſto.

Si quid jam reliquiſti, inquit ib. Faber, perfectè relinquito; ſi cui rei oculos claudere cœpiſti vel aures, aut quépiam aliorum ſenſuum, perfectè claudito, nunquam poſtea rebus ejuſmodi aperturus. Ita cœci, optimè vident in lumine gratiæ SSS. Trinitatem: ita ſurdi, benè audiunt apud illam. Sed non omnes volunt abijcere aurium ſcandala, vel ſcandalizantes oculos eruere. Volunt, qui videre ſeriò volunt SSS. Trinitatem. Servant ſe illi cui ſe dedicârunt SSS. Trinitati, ab alijs abſtinent, & aures oculóſque dum claudunt, cœlum aperiunt ſibi.

HEB-

# HEBDOMADA XIX.

## *Iaculatorijs aſpirationibus colenda SSS. Trinitas.*

NObilem unam, & cœleſtem planè nobis è cœlo, magiſtro noſtro, attulit Conſtantinopolitanus ille parvulus, de quo è Menol. 25. Sept. faſti, & Raderus Aulæ Sanctæ c. 14. Is inter ſex totis menſibus durantes funeſtos & plenos cladis plurimæ terræ motus, turbine in cœlum raptus, trementibus, & *Kyrie eleiſon* clamantibus, in quorum oculis hæc fiebant, Bizantinis, poſt horæ unius vel circiter ſpacium, terris reſtitutus, teſtatus eſt, ſe cœleſtis aulæ Muſicos audiſſe in hæc verba cantantes: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis.* Addidit, vetitum eſſe, ut ne quid his adderetur. Ita ille quaſi cœleſti legatione functus, vitâ ſimul defunctus eſt. Et oratione illâ, tremula hactenus terra firmata eſt manu illius, qui tribus digitis appendit molem terræ, unius & trini Dei. Theodoſij & Pulcheriæ decreto, ter ſancta hæc ode, divinum triſagion, ubique terrarum cantari juſſum.

Ad has te hortatur Thren. c. 2. Deus: *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui* Unde Apocal. 4. quatuor illa animalia ſenas alas habentia, & in circuitu, & intus plena oculis *requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*

Breves illæ & igneæ cordis in Deum elevationes ſunt. Aſpira ad illum, ibi quieſce. Ibi habes Patrem, Fratrem, Sponſum, bona anima. Plures flammeas id genus boni cordis ad SSS. Trinitatem directas reperies ſcintillas hoc libello ſparſas. Selectis utere. Dic cum Auguſt. ſol. c. 28. *Doce me, creatrix ſapientia &c. Suſpende molem corporalitatis hujus quam gero, tribus inviſis digitis tuis ad te; ut videam & cognoſcam, quàm admirabilis es!* Fontes aſpirationum harum ſunt ipſæ divinæ perſonæ in una natura, & ipſa rerum natura, grandis, & jaculatoriarum precum plenus S. Antonij codex, in quo ipſe ſeipſum deſcripſit & depinxit Deus. Apud S. Auguſt. ſolil. c. 31. creaturæ ab illo, ut ſibi de Deo aliquid dicerent, interrogatæ, *clamaverunt omnes voce magnâ; ipſe fecit nos.* Deum verò idem Medit. c. 33. ita alloquitur: *O æterna veritas, ô vera charitas, & chara æternitas! tu es Deus meus. Ad te ſuſpiro die ac nocte, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire deſidero. Qui novit te, novit veritatem, novit æternitatem.* Et ſolil. c. 10. Laus tua tu es, & laus tua manet in æternum, etiam ſilentibus omnibus creaturis. Laudet te incomprehenſibilis potentia tua, incircumſcriptibilis ſapientia tua, ineffabilis bonitas tua. Laudet te ſupereminens clementia tua, ſuperabundans miſericordia tua, ſempiterna virtus, & divinitas tua. Laudet te omnipotentiſſima fortitudo tua, ſumma quoque benignitas tua, & charitas tua, per quam creâſti nos, Domine Deus, vita animæ meæ. Et ibid. c. 31. *O Trinitas, ſoli tibi integrè nota! Trinitas ſancta, Trinitas ſupermirabilis*, & ſuperenarrabilis, & ſuperinſcrutabilis, & ſuperinacceſſibilis, ſuperincomprehenſibilis, ſuperinintelligibilis, ſupereſſentialis, ſupereſſentialiter exuperans omnem ſenſum, omnem

„ rationem, omnem intellectum, omnem
„ intelligentiam, omnem essentiam super-
„ cœlestium animorum! Et iste tantæ ma-
jestatis Deus *Patrem* se nostrum vocat.
Unde in ea, quam universo mundo scri-
psit, epistolâ S. Franciscus ad SSS. Trini-
„ tatis amorem ita nos accendit: O quàm
„ glorioſum & magnum, inquit, habere in
„ cœlis Patrem! ô quàm sanctum, pul-
„ chrum & amabile Paraclitum habere
„ Sponsum! ô quàm sanctum, & quàm
„ delectabile, beneplacitum, humile, pa-
„ cificum, dulce & amabile, & super o-
„ mnia desiderabile, habere talem Fratrem,
qui posuit animam suam pro ovibus suis!
Aspira adhuc pleno lachrymarum, &
ignium corde, & cum Aug. solil: c, 23.
„ dic: Aperi aures tuas clamoribus lachry-
„ marum pupillorum tuorum, qui clamant
„ ad te!

Vel cum S. Joannicio 4, Novembr. *Spes mea DEUS Pater, asylum Christus, scutum Spiritus est.* Quicquid tibi novi accidit, sive ad novum quempiam locum venias, sive alicui quidpiam dones, vel per contractum des vel accipias, omni denique, quam ingeniosa erga *SSS. Trinitatem* devotio suggeret, occasione, ejaculare igneum è corde suspirium ad SSS. Trinitatem.

In Ungar: hist. de 2. Ung. eruptione c. 2. pag: 21. & 12, Arpad Dux visâ terræ, ad quam venerant, bonitate, buccinâ militari, hauſtâ aquâ è flumine, litavit cœlo. Tum Vngari omnes Latinam hanc vocem, *Deus! Deus! Deus!* ter repetivêre illo in loco, cui *Deus* nomen adhæsit: nunc vocabulo corrupto *Dees* dicitur. Inde ille inolevit mos, ut contractibus peractis, testes vocarentur, & pro benedictione seu successu contractûs biberetur, ac ter clarè inclamaretur: *Deus, Deus, Deus!* Ita pro felici rerum successu, & benedictione succlamemus & nos, toto cordis se in DEUM jaculantis clamore, cum Rege sancto: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus!* Pater, est Pater *noster*, Spiritus S. est *noster*, quia datus est nobis; Filius tamen est *noster* singulari quodam modo, quia nostrâ carne indutus est. Aspira, ut sis unius & trium benedictus æternùm.

---

# HEBDOMADA XX.

## *Præsentis semper & ubique SSS. Trinitatis cogitatione sanctè colitur SSS. Trinitas.*

SÆpè suis ad constantem virtutis soliditatem animandis dicebat S. Antonius, referente id S. Anastasio in ejus vita: Vna est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ DEUM semper cogitantis jugis recordatio, quæ dœmonum ludos quasi fumum expellit. „ „ „ „

Sapientissimus Arabum quispiam imaginabatur suo capiti plenum majestatis oculum quendam imminere, à quo quicquam ille mente manúve versaret, videretur; aurem, quæ verba ipsius omnia audiret,; manum, quæ omnia quæ ageret adnotaret. Triophthalmos, tres unà oculos exprimens lapis, à tribus oculis invenit nomen. DEUS totus oculus est, sceptris, & ligonibus, & cordibus mentibúsque, ac rebus omnibus incubans. Videt, audit, adnotat omnia SSS. Trinitas, supremus ille oculus, suprema auris, suprema manus. „ „ „ „

S. Gre-

S. Greg. 2. dial. c. 35. refert; à S. Benedicto divina patiéte visum hunc mundum universum sub DEO, quasi sphæram exiguam sub solis radio collectam. Sphæram hanc in illo divinitatis triangulo & tu unà tecum contemplare inclusam. Semper adest tibi, neque abesse potest, DEUS.

Sic apud Nieremb. de adorat. in spiritu. lib. 4. c. ult. ignearum orationum vir, P. Didacus Martinius S. I. ferè semper se videbat circumfusum quâdam luce splendidissimâ *Trinitatis*, aut alicujus è tribus personis. O me, ô te in illam SSS. Trinitatis lucem! quàm illa illuminaret tenebras nostras, quàm accenderet corda frigida!

Apud S. August. in medit. c. 30. & Isidorum de summo bono lib. 1. cap. 2. Immensitas divinæ magnitudinis ita est, ut intelligamus DEUM intra omnia, sed non inclusum: extra omnia; sed non exclusum: & ideo interiorem, ut omnia contineat, ideò exteriorem, ut incircumscriptæ magnitudinis majestate omnia concludat. S. Dionys. c. 9. de div. nomin. magnitudinem DEI, ait, omni magnitudini superfundi, & superexpandi; omnem complecti locum, omnem excedere numerum, omnem transilire infinitatem. Tanti verò, magni & immensi, ideóque præsentis ubique Dei memoriam faciebat Augustinus, ut 15. Trinit. c. 29. ad SSS. Trinitatem ita suspirârit: Meminerim tui, Domine! intelligam te! diligam te! Ita ille memoriâ suâ, intellectu suo, voluntate suâ colere volebat SSS. Trinitatem. Solil. verò c. 18. Sicut ergo nulla hora est vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi.

Neque ij tantùm, quos per viam Illuminativam, & Unitivam ad ipsum sanctitatis fontem, ad thronum suum deduxit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, verùm & ij, qui nunc primò à peccatorum fœtutinis, quasi à dœmone, ex inferno ad cœlum, id est, ad cœlestem viam, & ad DEUM adrepunt, novi hospites, id faciunt, & ut faciant docentur. Ita Dorothei præceptum celeberrimum & auro dignum judicatum est illud, quod novo cuidam vitæ sanctioris assectæ, dum se ad viam vitámque novam, desertâ morte, accingeret, dedit: Nunquam cordi tuo DEUS excidat: semper cogita præsentem, & te coram illo stare. Fecit id Novitius, & è perdito vanissimóque militiæ assecla, factus est sanctus ascetæ Dei.

Henricus Suso, ut est vitæ illius c. 9. etiam inter edendum memor erat præsentis SSS. Trinitatis. Unde majora poma in quatuor secabat frusta: *ex ijs tria comedebat in Sacrosanctæ TRINITATIS* nomine; quartum, in eo amore, quo cœlica Mater & Virgo, tenerrimo suo filiolo JESU pomum præbuit edendum.

S. Greg. 2. Moral: c. 8. Ipse manet intra omnia; ipse extra omnia; ipse supra omnia; ipse infra omnia. Et superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, intus penetrans: unus idémque, totus ubique: præsidendo sustinens, sustinendo præsidens; circumdando penetrans, penetrando circumdans.

Nonne

Nonne denique pretiosus planè SSS. Trinitatem colendi modus est non peccare? Quid cultu isto solidius? Atqui *si Dominum præsentem, & omnia videntem, ac judicantem semper cogitaremus*, inquit ep. 13. S. Ignatius Ep.M. *aut vix, aut nunquam peccaremus.* S. verò Aug. hom. 46. de verb. Dom. *Lucerna ardet? videt te: lucerna extincta est? videt te. Ipsum time, & vel timendo castus esto. Aut si peccare vis, quære ubi te non videat DEUS, & fac quod vis.* Audite hæc, qui obliviscimini DEUM! *Innocui vivite!* *Numen adest!* Cùm ergo potens & pretiosum ad evitandam peccati, quo SSS. Trinitas solo offendi, &, ut sic dicam, inhonorari ac lædi potest, turpitudinem instrumentum, sit cogitata *SSS. Trinitatis* præsentia, eadem est longè pretiosissimum, & æstimatione omni dignissimum colendæ *SSS. Trinitatis* instrumentum. *Hominem vereris præsentem*, inquit S.Ambr. in Ps. 118. *DEI-Patrem, & Filij non vereris præsentiam?* Hoc Thaidem, sanctam fecit. Hac cogitatione ergo optimè colitur præsens ubique, quia *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.*

## HEBDOMADA XXI.

### *TE DEVM LAVDAMVS, qui hymnus est SSS. TRINITATIS, fac ut præcipuâ cum devotione ores.*

NOtum jam passim, ex lib. de Ord. Cisterc. exord: Angelos, cùm hymnus ille cantaretur, vidente S. Bernardo, circa cantantes mirâ arridentis vultûs hilaritate versatos. Idem Bernardus vidit Angelos aliàs orantibus assistere, & ardenti corde orantium preces auro, aliorum argento, quorundam atramento, aliorum aquâ tantùm adnotare, prout poscebat devotio attentióq; orantium. Quidam verò Angelorum, clientum suorum preces ne adnotabant quidem, eò quòd mente abessent totâ à laudando DEO, tametsi corpore adessent toto.

Auro sinè dubio dignâ devotione *Te DEUM laudamus* Maximæ ac Sanctissimæ *Trinitatis* honori, amoríque cantabat B. Eustachius cum suis, de quo Kal. Mar. ex Cæsarij c. 21. meminit, visam ab illis Beatiss. Virg. in majestate gloriæ, simúlque illos æternâ beatitate donandos dixisse. Et hoc est, quod à secunda in SSS. Trinitate persona in illo hymno petitur: *Æternâ fac cum Sanctis tuis gloriâ munerari.*

S. Henrico moriente totum *Te DEUM laudamus* hymnum honori *SSS. Trinitatis* Angeli cecinêre, ut referam hic hebd. 51. Ora illum nunc tu, ut illum illi in morte tua orent pro te feliciter moriente laudantes Deum.

B. Joannes Cirita in Menol Cisterc. 13. Dec: narratur morti proximus hymnum hunc suavissimè cecinisse. Mart. verò Franc. 9. Junij, B. Catharinâ Manriquâ Sanctimoniali moriente, ait, *Te Deum laudamus* omnibus ferè sororibus audientibus cantatum ab Angelis, usque ad versum: *Te ergo quæsumus*, &c.

Item Cisterc. Menol. 3. Aprilis, refert, B. Giomariâ fœminâ sanctâ, & in affligendo corpore severissimâ morientem, auditos Angelos hymnum hunc suavissimè concinentes, & visam felicem illam

lam animam in ſpecie nivei cujuſdam ſplendoris ad cœlum uſque ſurſum tendere.

Cæſarius l 8. c. 90. refert, obeunte innocentiſſimâ parvulâ cùm *Te Deum laudamus* cantaret chorus, viſos aperiri cœlos, & in cœlos chorum ipſum cum canentibus ſublevari. Ad verſum verò, *Tibi omnes Angeli, &c.* vidit ſingulos omnium chororum Angelos, flexis genibus, vultu ſupplicante, ſubmiſſo capite, expanſis manibus adorare, & proclamare *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c.* ita *TRINITATEM* veneratos. Inde ad verba: *Te gloriosus Apostolorum chorus, &c.* idem Apoſtolos, idem ad ſequentes verſus, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confeſſores, Virgines feciſſe. Hymno finito, chorus in terras redijt, & clauſum eſt cœlum. Bene, omninò bene & hymnum *Te Deum laudamus*, & quicquid orandum eſt orabis, ſi eâ quâ vel ipſi moribundi illum dixêre, vel Angeli cecinêre devotione oraveris. Ita invitabere, & ibis ad canendum æternùm, *Te Deum laudamus SSS. Trinitati.* Ingredere chorum cœli!

# HEBDOMADA XXII.

*Crebris fidei actibus tuam in SSS. Trinitatem fidem ſolida, renováque.*

„ MOnas genuit monadem, inquit Merc. Triſm. & in ſe reflexa produxit ardorem. Pater ſcil. is eſt à quo eſt, Filius, & ab utroque hoc Spiritus Sanctus, qui ardor eſt, nos fide illuminans, & accendens contrà fidei noſtræ hoſtes.

B. Joannes Auguſtinus è D. Dominici familia vir illuſtris, & nullâ mortalis peccati noxâ ſordidatus unquam, ut refert Pius An. 1476. cùm ſe circa SSS. Trinitatis deitatem, & Deiparæ virginitatem in fide à dœmone tentari animadverteret, dicente dœmone (id quod etiamnum dicunt non pauci) Dei Matrem honoribus tantis eſſe indignam, Deo enim ſic detrahi; ille ſublatis tribus in cœlum digitis: *Unus tantùm*, inquit, *eſt DEUS! tres perſonæ. MARIA eſt Mater, & Virgo; & adhuc majoribus, adhuc majoribus, longè adhuc majoribus, quàm noſtra illam colat tenuitas, honoribus digna, Apageſis, dæmon, cum tua hæreſi.* Age, & tu; & in fidei petra iſta ſta, ut ne ſcrutator ſis majeſtatis & opprimaris à gloria Dei in ignominiam tuam æternam. Arrij magiſter fuit dœmon. Poteſt & te, qui plures pares tibi potuit, ſeducere, ni attendas.

De Judæis Hadr. Finus in flagell. Jud. lib. 8. c. 8. ait, illos teneri ſingulis diebus ſaltem bis ſex has dictiones Deut. 6. *Deus, Deus noſter, Deus unus eſt* proferre, in hoc ſuam collocare felicitatem, & manè quotidie de ſe ipſis ita loqui: Beati nos qui quotidie manè & veſperè bis ſurgimus, dicentes: Deus, Deus noſter, Deus unus eſt. Fatentur illi quod neſciunt: tu fatere quod credis. Ecce in Deo ter repetito *Trinitas* perſonarum, unus autem in eſſentia Deus. Inde noſtra pendet felicitas: hæc eſt vita æterna. Hâc profeſſione, & *SSS. Trinitatis* confeſſione liberatum à dœmone Notarium quendam ait ſer. 4. de Trinit. Pelbartus. Ubi enim dixit Notarius, *Ego ſum ſervus SSS. Trinitatis*, dœmones

in

in fugam egit. Finus ibid. c. 23. à Pythagoricis DEUM sub triplici honore cultum refert, scil. *adoratione, oblatione, & honore laudis.* Ita tu adorando, intellectum, voluntatem ad credendum, sperandum, amandum offerendo, laudando reverere, profitere *SSS. Trinitatem*: Pro hac fide S. Hilarius æternum Patrem ita orabat lib. 12. de Trinitate. Conserva hanc, oro, fidei meæ religionem, ut semper obtineam Patrem, scil. te, & Filium tuum unà tecum adorem, & Spiritum Sanctum tuum, qui est per Unigenitum tuum, promerear. Et prodest omninò corde collecto renovare hos fidei actus, ad fugandum dæmonem, ut sis servus *SSS. Trinitatis.*

Altum hoc punctum est. Ab hoc ducitur circumferentia circuli æternitatis. Hic murus aheneus esto. Eusеb. Nierenberg. hist. nat. lib. 8. c. 17. Tibetensibus orbis alterius incolis ait aurea esse simulachra, & fœmineam ab illis effigiem coli, quæ in altum attollit manus, orantis instar, quam dicunt esse *Dei Matrem.* DEUM trinum & unum fatentur. Secundam in Trinitate personam vocant *librum magnum.* En vel illic æternæ Virginis, & *SSS. Trinitatis* antiqua ab ætatibus primis relicta vestigia. Lege quotidianis fidei actibus librum hunc. Quicquid nomen *Trinitatis* nonnullis displiceat, ideóque illa illius invocatio *Sancta Trinitas unus Deus* explodatur ab explodendis quibusdam; placuit tamen doctissimo & Sanctissimo Orthodoxæ Ecclesiæ Patri Augustino, qui lib. 1. de doctr. Christ. c. 5. ita habet: Nec facilè invenio nomen quod tantæ excellentiæ conveniat, nisi quòd meliùs ita dicitur: *Trinitas* hæc, unus DEUS, ex quo, per quem, in quo omnia; eadem una substantia; unus tamen non est alter: eadem tribus potestas, eadem æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas; in Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum. His tu confirma fidem tuam: ut hujus *fidei firmitate ab omnibus semper muniaris adversis.*

P. Emmanuel Dias S. I. Macao 23. Aug. 1625. scripsit in Xensi Sinarum Provincia effossum fuisse lapidem 24. palmos longum, incisum An. 1243. sive inscriptum hac epigraphe: Quàm verus, & profundus est Trinus incomprehensibilis, spiritualissimus! Si de præterito agitur, sinè principio est; si de futuro, sinè fine, & semper in eadem perfectione. Accepit nihilum, & ex illo fecit omnia. Primus cui honos inter omnes Sanctos debetur. *Trinus, & unus* sinè principio, verus Dominus, &c. Propositit (Messias) mundo purissimam legem trini & unius. Trini ergo in personis, unius in natura Dei & divinitatem unam, & personas tres crede, fidémque hanc sæpè renova. Neque disputa: ne apparentibus quibusdam rationibus doctior te dæmon seducat in tartarum; sicut illum dicitur Theologum seduxisse in agone, qui à morte amico item Theologo adfuit, séque damnatum dixit, eò quòd subtili dæmonis theologastri sophismate delusus, in fide SSS. Trinitatis naufragium simul fidei fecisset, & æternitatis. Unde alter ille moriens cùm ab eodem antagonista dæmone quid de Trinitate crederet examinaretur, respondit: *Id quod carbonarius*, id est: *Id quod Ecclesia Catholica.* Rogatus quid illa; respon-

respondit: *Id quod ego.* Ita felix fide pervenit ad portum, infelix futurus, si plùs rationibus humanis, quàm fidei credidisset.

S. Cath. Sen. *t. 6. cap. ult.* Vesti me, inquit, SSS. TRINITAS, & fac ut induam te veritatem æternam, ut ego curram hanc vitam cum vera obedientia, & *cum lumine sanctissimæ fidei, de quo lumine videtur, quòd animam meam de novo nunc inebries! DEO gratias. Amen.*

Non est vacua ibi spes, & charitas, ubi cor occupavit sancta veræ adeóque vivæ erga SSS. TRINITATEM *fidei* ebrietas. Ita crede, ita spera, ita ama. Omnia hæc tria habent, quod inveniant in SSS. TRINITATE.

---

# HEBDOMADA XXIII.

## *Rudes, quid de SSS. Trinitate credere debeant, pro illorum captu, suaviter instrue.*

DIsce id breviter ipsius DEI Matris, & S. Joannis Theologi Evangelistæ exemplo.

S. Gregorius Niss. *orat. de vita Greg. Thaumat.* & Baron. Anno C. 233. autores sunt, S. Gregorio Thaumaturgo de SSS. TRINITATIS mysterio, quomodo quædam quorumdam dubia solveret, speculanti, noctu visam esse Beatiss. V. quæ S. Joanni Evangelistæ ajebat, ut adolescentem in dubijs illis solvendis erudiret. Fecit id, quod à DEI Matre jubebatur, Joannes, & explicuit ea, quæ postea S. Greg. scriptis mandavit, prædicavit. Illius verò à Beatiss. V. imperatæ, à S. Joanne datæ institutionis verba hæc sunt: *Unus est DEUS Pater Verbi viventis, sapientia subsistentis, & potentia & figura aterna; perfectus, perfecti genitor, Pater Filij unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, DEUS de DEO, figura & imago deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & potentia totius creaturæ effectrix. Filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxij corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxij morti, & aternus aterni. Unus Spiritus Sanctus, ex DEO ortum & existentiam habens. quippe per Filium apparuit, videlicet hominibus: imago Filij perfecti perfecta. Vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix: per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. TRINITAS perfecta, quæ gloriâ atque aternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur.*

Ecce Magistrum rudium, seu doctorum pro rudibus, Joannem; sed MARIÆ, illam de SSS. TRINITATE catechesin imperantis, jussu. Puta idem tibi à Beatiss. Virgine imperatum. Disce, & doce. Is qui alios falsa docet dogmata, displicet TRINITATI: placebis tu, qui docebis vera. Vide autem, ut id sobriè facias, & prudenter.

AntiChristus SSS. TRINITATIS mysterium cupiet in omnium cordibus aboleri: abrogabit personarum TRINITATEM: veniet in nomine suo. Illam Anti-Christi fidem tenent Judæi, qui nos à TRINITATE Tritheistas vocant. Sunt & alij qui *homousion* vocem, id est, eandem personarum substantiam seu es-

sentiam, detestati, fateantur odium animæ suæ, & TRINITATIS vocabulum frigidum, & humanitùs tantùm repertum dicant. Vide plura quorundam de SSS. TRINITATE suspecta dicta ap. Lessium de Anti. præcurs. compar. 6. n. 15. & num. 22. Tu Anti-Christianus esse, cave. Imprime omnium cordibus SSS. TRINITATEM: ut credatur, laudetur, ametur ab omnibus. Quantum illi contra, tantum tu pro illa.

Persvadendum autem, ut non disputando, sed intellectum in obsequium fidei captivando credamus, & voluntate liberrimâ supremo cultu colamus SSS. TRINITATEM. Insidiatur huic fidei, etiam in doctis, magister insidiarum dœmon, sed fugatur à pijs, dicentibus: Plùs volo credere, quàm possim intelligere. Ita apud continuatorem Sigeberti Anno 1121. Præmonstratensi cuidam de SSS. TRINITATE cogitanti dœmon triceps adfuit, dixítque se esse SSS. Trinitatem, & ipsum dignum, qui videat SSS. Trinitatem. Sed modestissimâ nihil altum de se sapientis viri humilitate fugatus est triceps ille inferni Cerberus. Apud Antonium etiam 3. *p. hist. tit.* 24. *c.* 9. §. 6. Simoni Fratri cuidam de SSS. TRINITATE quasi dubiè cogitanti, per quietem adfuit Christus, & dixit: *Simon, dormis?* Excitato verò, & prostrato: Non cogites „ de his, inquit, nec de TRINITATE in a- „ liquo dubites: sed sicut audisti, & cre- „ dit Ecclesia Catholica, firmiter ita cre- „ das. Paruit. Eadem tu alios doce, quæ „ istum docuit Christus.

Notum est passim id, quod A. 583. è Greg. Turon. narrat Baronius. Catholicus Diaconus, ut SSS. TRINITATIS mysterium bene ab Ecclesia credi probaret, ex pacto cum Presb. Arriano è ferventis aquæ pleno aheni fundo, projectum illuc annulum, nudo brachio illæsus extraxit. Arrianus idem periclitatus, non nisi ossa brachij retulit; carnem illi totam fervens aqua detraxit. At per miracula non semper itur. Nos fidei demus cœcas manus, & cæcâ obedientiâ jubenti ea nos credere, quæ non intelligimus, DEO, toto capite annuamus.

---

# HEBDOMADA XXIV.

*Pro felici bellorum pro DEI gloriâ susceptorum exitu precare SSS. Trinitatem; & unionem animorum ama.*

APud Pierium *in append. Hierogl. lib.* 11. pugnaturus contra hostes Antiochus, monitus est per quietem, ut salutis ac victoriæ symbolum pro tesserâ Tribunis daret. Ostensus verò illi est pro symbolo salutis & victoriæ *triangulus triplex* invicem insertus. Tu in perfectissimo SSS. TRINITATIS triangulo tesseram, salutem, victoriam reperies pro toga & sago.

Leo VI. Imper. à milite suo illam, quam Constantinopolitanus puer in cœlo didicerat doxologiam, orari jussit quotidie: *Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis.*

Apud Bar. Anno D. 911. tempore ejusdem Leonis VI. aquâ benedictâ aspersus narratur totus exercitus, & sanctum illud trisagion manè vesperíque pro-

pronunciatum, pleno omnium ore; *Sanctus, &c.*

Gregorio Turonen. *mira. l.* 1. *c.* 13. teste, Vasatensem Vrbem hostis obsederat. Vidit Rex nocte intempestâ candidatos quosdam psallentes, Vrbis muros cum cereis circumire. Aliàs globum igneum vidit in Vrbem è cœlo descendere. Vtroque innuebatur, adfuturum è cælo auxilium: cujus implorandi ergo, cùm Sacerdos sanctum Missæ sacrificium offert DEO, videt è templi fornice cadere tres guttas æquales magnitudine, claritate, candore, crystallinis pulchriores. Stupent omnes! Petrus (*id Sacerdoti nomen*) patellam tenet, in quam omnes illæ tres defluunt, confluúntque in unam gemmam pretiosissimè amabilem, & gratam oculis. Fit è puro auro Crux, conferuntur gemmæ certatim gemmarum aliarum reginæ, sed ut primùm *una* hæc *& trina* gemma Cruci inclusa est, omnes illæ reliquæ decidêre. Ita hostis fugiens, Vrbem securam reliquit. Novi Illustrissimum, & majorum gloriâ, & Turcico fuso plurimo sanguine virum, qui nunquam nisi SSS. TRINITATE, Beatiss. Virg. & S. Antonio de Padua invocatis, hostem aggressus est. Et in Proverbio illi fuit: *Miles est SSS. Trinitatis.* Felix illi, & sinè ullo unquam vulnere semper prælium fuit. Illum ora, ille est maximus omnium exercituum DEVS, qui docet manus Christianorum ad bellum, qui tot Israëli, tot alijs nationibus, gentibúsque paravit victorias & triumphos.

Sed & pace domesticâ, & mutuâ unione multorum colitur SSS. TRINITAS, ut ne sint bella & contentiones inter nos. Simus unum omnes. Pax, Angelorum Collegio sociat, inquit Eligius Noviomensis *hom.* 1, simus unum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Quorum opulentia, inquit *orat. in Bapt.* S. Gregorius Nazia. naturæ identitas est. Ecce unio divitiæ SSS. TRINITATIS! Joan. 17. Christus, *Pater Sancte*, inquit, *ut sint unum! sicut & nos.* Naz. *orat.* 1. *de pace:* Ut unum sint, à SSS. accipiant TRINITATE.

# HEBDOMADA XXV.

## *Sanctissimo trisagio sæpè in honorem SSS. Trinitatis devotè orando assvesce.*

E Cœlo sanctam hanc doxologiam veniſſe diximus, & refert Nicephi. *lib.* 14. *c.* 46. ab illo puero è cœlo reduce, illam ita, ut eam in cœlo ab Angelis cantari audierat, præsente Proclo Episcopo, & Theodosio Imperatore, totáque multitudine pronunciatam. Puer verò vitâ statim functus, & in templo Pacis conditus. Loco illi, quà puer in cœlum sublatus, & terris postliminiò quasi fuerat restitutus, nomen datum est, ut DIVINA EXALTATIO diceretur.

S. Joannes Damasc. *lib.* 4. ait etiam à peste liberatam Constantinopolim, posteaquam ab Angelo edoctus innocens puer hoc Trisagium cecinit: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis.* O si ita divinum hunc versum, si alia, quæ orando loqueris vel cogitas, omnia tali corde ac ore mentéque pronuncies, ac si ea in

cœlo ipse audisses. Quali Deus bone! ardore spiritûs, quali cordis cum ore concordiâ orares, quasi edoctus ab Angelis, in terras iterum è cœlis redux, & paulò post iterum reddendus cœlo! Hoc age, ita ages bene, si nunc egeris ita.

Anno 1622. 15. Sept. P. Camillus Constantinus Tabiræ in Japonia, cùm palo alligatus, à fumo & igne ex adspectantium oculis eriperetur, audiebatur tamen de DEO loqui ad concionem. Ubi subsidens flamma illum non nihil reddebat oculis, orare deprehensus est. Tandem cùm Psal. *Laudate Dominum omnes gentes*, diceret, ad *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* concidit. Sed iterum exurgens, iterum loquebatur divina. Semper illi in mente SSS. TRINITAS. Usitatâ Japoniorum, quæ singularem exundantis inter delicias animi significat hilaritatem, phrasi, ter ingeminavit magno sensu: *O quàm bene mihi est! O quàm bene mihi est! O quàm bene mihi est!* Vestes combustæ, & humi abjectum cadaveris instar, inter ignes corpus, jam mortuum nunciabant, cùm repentè Camillus, ut ultimas vitæ, spiritûs, vocisque reliquias impenderet laudibus *SSS. Trinitatis*, sanctum trisagion voce ultimâ moriens, non jam inter aquas, verùm inter ignes, cygnus, cantare, & quinquies ingeminare auditus est. Ita *Sanctus* canentem animus felix deseruit, immortuum cantatis laudibus SSS. *Trinitatis!* cui & cum Apocalypticis alatis, oculatisque animalibus, ad æternam Dei visionem oculatissimus, & cum clamantibus apud Isaiam *c.* 6. Seraphinis faciem Dei velantibus, facie revelatâ se ostendenti, jam æternùm cantat doxologiam æternam, æternus Dei Phœnix.

# HEBDOMADA XXVI.

*Quicquid tibi videtur arduum, id tu in suavissimum SSS. Trinitatis sinum deponito: ita aggreditor.*

CArthusiani, sancti illi Sanctissimi Patriarchæ Brunonis filij, ob intolerabilem, ut videbatur, Ordinis disciplinam, Ordinem vel mitioribus circumscribere legibus, vel deserere dum cogitant, adest S. Petrus Apostolus, *& in nomine SSS. TRINITATIS* pollicetur facilitatem sensuros, si Beatiss. Virginis Dominæ suæ, horas orarent quotidie. Fecêre: & promissam SSS. TRINITATIS facilitatem, ejusdem SSS. TRINITATIS auxilio à Beatiss. Virg. impetrato, sunt experti. Hoc nimirum est nomine condiendum, quicquid videtur insipidum. Hoc nomine animus animandus ad ardua.

Altissimum quid est divinissima & augustissima TRINITAS. Unde in altissimo illius sinu ardua omnia reponenda! vel ex altissimo illo corde omnia despicienda. S. August. *c.* 31. *Solil.* Soli tibi, Trinitas, integrè nota es, Trinitas Sancta, Trinitas supermirabilis, & superinenarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superinintelligibilis, supereressentialis, supereressentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum, &c. Plus itaque amoris, plus honoris meretur, quàm ulla res habet

habet difficultatis. Altissimum ergo pone refugium tuum, & in auxilio altissimi habita. Ita eris in arce, quam nulla, quantumvis maximè ardua, difficultas poterit expugnare.

Albericus Cardinalis apud Bollandum 22. Jan. ait à S. Dominico Abbate, vitæ c. 3. in cœlesti luce visas *tres columnas, fulgore similes, mensurâ pares, locis quoque continuas, quas dum stupens admiraretur, repentè se in earum summitatibus super nubes elevatum persensit, atque in ictu oculi orbem simul terra universum conspexit.* Despicit universa orbis difficilia, quisquis mente ad parium harum columnarum Trinitatem elevatâ res aspicit. Supra omnes Olympos est, supra omnia ardua, qui in alto hoc mysterio posuit nidum suum.

Arduum videri poterat, bono illi & piæ antiquæque simplicitatis potiùs, quàm doctæ dissertationis studioso Sacerdoti, disputare cum versuto quopiam, & verborum ampullis pleno; de quo Florim. Rem. *de ortu hæres lib. 4. c. 11.* ait, illum à non Catholico quopiam Podoliæ Palatino ad epulum invitatum, & unà etiam Acatholicum Ministrum, qui dicaci linguæ licentiâ, in Ecclesiam Catholicam liberalissimè debacchatus, omnium in tacentem Catholicum Sacerdotem cachinnos movit. Ajebat enim bonus ille, & simplex corde Sacerdos, ad comedendum se, non ad disceptandum vocatum. Responsurum post epulas. Interea triumphabat procax alterius loquendi licentia, séque ad tacentis, ut ipse rebatur, neque respondere scientis in Sacerdote illo ignorantiæ cotem acuebat, & verba dabat cæsim punctímque proscindentia bonas aures, & famam viri boni. At patientia sancta versa est in furorem sanctum. Sublatis bellarijs, silentium aliorum in occasionem loquendi vertit Sacerdos, & loqui incipiens, tanquam potestatem habens, dixit inter alia, sanctissimæ primùm Crucis signo munitus, invocatâ SSS. Trinitate, vadum ingressurus, & superaturus: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*, & authoritate Dei omnipotentis, cujus ego sum indignus Sacerdos, & servus, præcipio tibi immunde spiritus, ut mutus sis in ore hujus hominis; nec ampliùs loquaris. Ad hæc audita, disertum paulò ante Ministrum, & vocalem, vox deseruit. Ita pavitantem, & mutum allocutus Sacerdos, *Loquere*, inquit, *nunc ut homo, & respondebo tibi.* Nolui enim antea contestari contra spiritum malignum, qui per os tuum loquebatur, vomens injurias contra Ecclesiam Sponsam Christi. At ille nil verborum miser potuit eluctari. Perdiderat nimirùm spiritum illum, qui os & linguam in voces & verba impia animabat. Pudebat & ipsum attonitum Ministrum, & alios nigræ illius farinæ homines tanti silentij. Unde & Minister se à mensa, & Palatinus ab ea, cui innutritus fuerat, hæresi eripuit. En rem opinione suâ tam arduam, homo SSS. Trinitati devotus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, quantâ Dei cum gloriâ, quantâ muti dœmonij cum confusione, quantâ cum facilitate superavit!

Taceo Martyrum triumphos, quibus prunæ ardentes ad SSS. Trinitatis invocationem, sancto Crucis signo munitis, rosæ sunt visæ, tormenta convivia.

S. Barbara, illustrissima SSS. Trinitatis Partheromartyr, in ea, in qua Dioscorus Pater Ethnicus illam habitare vo-

re volebat, turri, tres in SSS. Trinitatis memoriam, & honorem feneſtras eſſe voluit; & alia addidit, quæ renovabant devotam memoriam SSS. Trinitatis. A Patre de ignotis illis ſignis rogata, quid ſibi vellent, quàm corpore fuit elegans, tam ſe animo nobilem oſtendit; quando deſideratam de SSS. Trinitate diſſerendi occaſionem nacta, doctiſſimâ & pijſſimâ diſſertatione, & fidei profeſſione, pro SSS. Trinitatis gloria pretioſam ſibi mortem emit, quando paterna illi manus carnifex facta eſt, & Barbaram SSS. Trinitatis victimam dedit gloriæ immortali. Sic ſuperabis!

Non abſimili cote ſuam ad ardua virtutem acuit S. Digna Virgo. (*Vide Eulogium, & Baron. A.C.* 853.) cui S. Agatha V. M. per quietem in munus roſam porrexerat ab horto SSS. Trinitatis. Fervebat perſecutio, & illi avidum pro SSS. Trinitatis gloria moriendi cor ardebat ad ardua perferenda. Vidit pendentes in horrendis tormentis Martyres, & proſiliens, rogavit; cur fratres illos ſuos trucidaſſet: *An quia*, inquit, *Sanctam fideliter colimus Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum & verum Deum fatentes, & omne, quod ab hac credulitate diſſentit, negamus, deteſtamur, maledicimus, ideircò confodimur?* Ita delicata Virgo teneris equuleum membris accepit, facta roſa generoſiſſima *SSS. Trinitatis*. O has à SSS. Trinitate nobis roſas! quàm generoſo pede per ſpinas ad ardua graſſaremur!

# Tertia Pars
# ANNI SSS. TRINITATIS.

## HEBDOMADA XXVII.

*Diſce à mortuis quàm ſit pretioſum, præcipuo in vivis SSS. Trinitatem ſtudio coluiſſe.*

IAm non ignotum apud SSS. Trinitati & Crucifixo Chriſto devotos, S. Claræ Falconiæ, de qua alibi etiam, cor, quod SSS. Trinitatis ſymbolum in tribus ejusdem prorſus ponderis globis, & SS. Crucifixi imaginem, omniáque patientis Chriſti inſtrumenta oſtendebat, è ſanctæ illius corpore exemptum,

emptum, velut precioſa officina Apellis Dei. Diſcite vivi, in Schola mortuorum. Diſcite à corde mortuæ, viva corda! Fuit illud, & eſt vitæ in meditandâ SSS. Trinitate, & Crucifixo actæ veſtigium, quod pro magna Claræ gloria, magno tuo exemplo, SSS. Trinitatis, Crucísque amantiſſimo illi cordi impreſſit Deus. Da cor pro diſcipulo illi Scholæ, illi lectioni, ubi magiſter eſt cor. Cor diſcat id quod cor docet. O ſepulchra! ô felices mortui! utinam à vobis vivi nos Deum TrinumVnúmque colere, ac JESVM pro vobis & nobis mortuum diſceremus! Vid. hebd. 33. de corde P. Franciſci Foliani S. I.

Menolog. Ciſterc. 5. April. B. Joanna Bellopratenſis, ſorori ſuæ Joannæ adfuit poſt mortem ſplendida, &, quali noſtra ingenia res explicare ſolent ſimilitudine, dixit, tantas eſſe Dei, & in Deo, cœli univerſi delicias, ut ſi firmamentum totum membrana eſſet, ſi aquæ atramentum, ſi herbæ & gramina eſſent calami, & ſcriptores eſſent omnes ab orbe condito creaturæ, nullam illorum gaudiorum poſſent particulam explicare. Tenebat verò admotam pectori manum, & cur adeò pectus tegeret rogata, reſpondit, pretioſum ſe in pectore geſtare lapidem, cujus ſplendorem humanus oculus ferre non poſſit. Ornatum verò lapidis illius gloriâ ſuum pectus, ob inſignem animi demiſſionem, & quòd maxime devota fuiſſet *SSS. Trinitati.* Ita videri deſijt illa tunc quidem; at nos etiamnum docere vivos mortua, imò viva, poſt mortem tamen, non definit, ſingularem quandam illis, qui peculiari erga SSS. *Trinitatem* ſtudio ſunt affecti, in æternitate gloriam præparari.

# HEBDOMADA XXVIII.

## *Lumina cœleſtia à Patre luminum deſcendentia, conſtanti SSS. Trinitatis cultu fove.*

SAnctus Dionyſius *de cæl. hier. c.* 4. Eſt hoc, inquit, omnium cauſæ, ſupremæque bonitati proprium, ut ad ſui communionem res vocet, prout cujusque captus, modúsque poſtulat. Idem *c.* 1. dixerat: Omnis à *Patre* motæ illuſtrationis emanatio in nos beneficè exundans, denuò, ceu vivifica vis, ad ſuperna nos revocando ſimplificat, & convertit ad congregantis *Patris* unitatem. Fovenda ergo illa lumina cultu illius, à qua funduntur in nos SSS. Trinitatis.

Agendæ pro id genus luminibus gratiæ fonti illi gratiarum, è cujus ſinu fluunt, id eſt, *SSS Trinitati.* S. Gregorio Naz. *orat.* 40. *SSS. Trinitas*, eſt trium infinitorum infinita conjunctio. Addit: Vix unum animo concepi, cùm tribus circumfulgeo: vix tria diſtinguere incipio, cùm ad unum ſtatim ſublimis feror. Et: Unum ſplendorem cerno, ut pote qui lumen unitum diſtinguere aut dimetiri nequeam. Ex hoc uno ſplendore veniunt multi illi tui ſplendores in cæcum cor. Aperi te! Erudire. S. Gertrudis Inſin. *lib.* 2. *c.* 18. Gratiarum, inquit, actiones tibi offero, amantiſſime Deus meus, amator hominum, per mutuam gratitudinem colendæ ſemper & adorandæ *Trinitatis*, pro iſto, (quod tunc acceperat) & multis alijs ſalutaribus documentis, quibus tu, magiſtrorum optime, inſipienti-

entiam meam pluries erudisti, &c. Omnes ij, qui cœlestia illa lumina, corde SSS. Trinitati devotissimo fovent, divinitatem ipsam (ut *c. 2. lib.* S. Dionysius loquitur) à luminibus speciosis concelebrant, quasi Solem justitiæ, quasi stellam matutinam menti sacratiùs oborientem, quasi lucem apertè & intelligibiliter radiantem. O radiet nobis bona illa lux! Ego quidem, nisi quid meliùs alij videatur, suaderem etiam scribi illa lumina: quæ nobis dat SSS. Trinitas, ne (ut ibid. loquitur S. Dion.) nos humi repentibus imaginum vilitatibus tenaciùs affigamur.

Ita B. Magdalena de Pazzis, *Vitæ p. 2. c. 18.* pulchra quædam ponit lumina ex ijs, quæ hausit è corde *SSS. Trinitatis*, de actibus amoris Dei.

Didicit ergo inde primò: Carum habere, gaudere, sibi complacere de divinis attributis, amore infinito, quo seipsum amat, & creaturas.

2. Velle Deo totum illud bonum, & gloriam, & honorem, quem ipse habet, & habebit in æternum.

3. Gaudere de illis communicationibus, quas habent inter se tres divinæ personæ.

4. Gaudere, quòd Deus sit tam grandis, & infinitus, ut non possit capi à creaturis.

5. Gaudere de illo amore infinito, quo Deus seipsum amat, amatur, & in æternum amabitur; & complacere sibi, quòd omnes res creatæ, & spiritus beati non sunt sufficientes ad illum amandum, quantum ipse dignus est: & agere gratias divinæ suæ majestati, quòd seipsam amet in infinitum.

6. Gaudere de thesauris Verbo incarnato datis.

7. Gaudere de Verbo nobis dato, &c.

8. Gaudere de illo amore, quo Verbum virginitatem prosequebatur.

9. Offerre Deo illum ipsum Deum, pro gratiarum actione totius gloriæ, honoris, & beatitudinis, quam ille possidet; & pro gratiarum actione pro omnibus donis, & gratijs communicatis omnibus creaturis.

10. Dicere Domino: Si ego in hoc puncto tibi possem dare totam illam gloriam; honorem & laudem, quam simul tibi dant nunc omnes spiritus beati, & omnes justi terræ, libenter id facerem. Sed quia non possum, accepta bonum animum, quem habeo erga divinam tuam majestatem.

11. Offerre se Deo, & velle, ut omnem illam perfectionem, in qua ipse sibi complacet, habeam, prout ille vult.

12. Inclinare voluntatem ad amandam creaturam, solùm quia illam Deus amat; gaudere de amore, quo amatur à Deo; desiderare illi perfectionem & gloriam Seraphinorum, prout DEVS vult.

Concludo cum S. Dionysio *de div. nom. c. 3.* Nos ipsos itaque orationibus ad sublimiorem divinorum benignorúmque radiorum contuitum comparemus: quemadmodum si lucidissimam catenam, è summo cœlo suspensam, & hucusque demissam, manibus alternis in anteriora protensis continenter arripperemus, trahere quidem ipsam videremur, re autem verâ, non illam ipsi deduceremus, ut quæ supernè & infernè præsens esset, sed ipsimet magis ad sublimiores radiorum illustrium fulgores eveheremur.

Evehere!

HEB-

# HEBDOMADA XXIX.

## *Assvesce in omni loco benedicere SSS. Trinitatem.*

SUspiria, sunt Zephyri amoris, hortum perflantes cordis. Theodoretus in hist. SS. PP. c: 26. Paralyticum ad SSS. Trinitatis fidem conversum, testis est à S. Simeone in nomine SSS. Trinitatis persanatum. O sanentur utinam paralyticæ nostræ cogitationes, & nihil robustè volentes semivolitiones! Resolve te tandem; & totum te, omnem locum tuum, omne tempus tuum, optimo quo potes modo, sacratissimæ huic occupationi constanter impende.

Geryon Sophysta, quia tres callebat linguas, tria habere corpora dicebatur & corda. Mithridatem ergo Ponti Regem, viginti & aliquot cordium hominem dixeris, ob totidem linguarum peritiam. Lauda uno tuo, sed toto corde & ore, & semper lauda, & ubique lauda divinam illam, & si vel omnibus omnium laudetur linguis, ametur cordibus, plùs ultrà laudari & amari dignam *Trinitatem*. Putásne non profundos tibi in æternitatis abyssо ignes accenderes, si ubique malediceres & semper *SSS. Trinitatem*? Quid ergo expectas boni ab eadem, si benedicas & ubique & semper? ab illa dico *Trinitate*, quæ, certissimo Theologiæ id semper affirmantis Proverbio, semper coronat supra condignum, semper verò citra condignum punit?

S. Margarita V. virgis cæsa, ferreis laminis concluſa, clavis affixa, fuscinis laniata, dæmonem in draconis specie circumcursantem, signo Crucis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti superavit: *ubique & semper laudans SSS. Trinitatem.* Unde & post lampades, è lebete salva extracta *cum ea, qua explicari non potest, exultatione laudans SSS. Trinitatem* (*ut habet* 13. *Iul. Brev. Pol.*) tandem capite plexa, martyrio coronata est.

Paulus Diaconus in Anastasio *lib.* 15. ait Olympium Pseudo Episcopum hæreticum Arrianum in balneo in *SSS. Trinitatem* blasphemum, vehementissimis correptum doloribus, statim animam egisse, tanquam triplici, id est ab irata *SSS. Trinitate* veniente, confossum telo, atque ita defluente ex ossibus carne, miserabiliter expirâsse. Expecta telum triplex, at felix, nec ab irata, sed propitiâ, & benedicentibus sibi benedicente *SSS. Trinitatis* manu. Neque puta plùs in infinito Dei thesauro esse fulminum, quàm gratiarum. Si citra condignum punivit blasphemantem Olympium, tibi semper benedicenti, quas non supra condignum asservat benedictiones? Maledicentes ei si disperibunt, an non benedicentes ei, non erunt tam felices, quàm infelices essent, si illi maledicerent semper? Nisi fortè Deum credas severiorem, quàm liberaliorem; magis pœnarum, quàm præmiorum; dolorum, quàm gaudiorum divitem. Benedic illi domi, benedic foris; benedic in tuis, benedic in alijs; in felicibus & infelicibus tuis, tuorúmque successibus. Ita S. Sophia cùm Fidem duodecim annos natam, Spem decem annorum parvulam, Charitatem novennem, filias suas, pro fide SSS. TRINITATIS capitis condemnatas videret,

exultabat in Deo, insultabat tyranno, gratias agebat SSS. Trinitati: O me beatam, ajebat, quæ tribus filiabus SSS. Trinitatem merui honorare! O summum Dei in me beneficium, qui eas hodie martyrij gloriâ coronatas, in suum transferre dignatur regnum! Ita tu te, tuósque illi benedicendæ offer. Ita dicere poteris vetus illud: *Hoc habeo, quodcunque dedi.*

# HEBDOMADA XXX.

## *Vide, ne te à cultu SSS. TRINITATIS occupationes ullæ avertant.*

COncitat negotiorum tempestates, nec malaciam ullam cordi Deo se dedere volenti concedit hostis devotionum nostrarum dæmon. Sed invocatâ Sanctissimâ Trinitate, componitur tempestas omnis; sicut autore Bedâ Anglic. *hist. lib. 1. c. 17.* Dæmones mare totum tempestatibus exasperârant, ut ne possent SS. Germanus & Lupus Episcopi in Britanniam penetrare ad proferendam SSS. Trinitatis gloriam: sed in nomine SSS. Trinitatis, jussum mare conticuit, & facta est tranquillitas magna. Vide, ne qui te fluctus abripiant ab hoc portu.

Sur. 26. Nov. S. Edmundo Cantuariensium, postea Episcopo Parisijs, Geometriæ intento, cùm totus esset in circulis, mater Mabilia, matrona morum sanctitate laudatissima, per quietem visa, quid illi, quibus adeò se, tempúsque totum impenderet, circuli sibi vellent, quæsivit. Edmundo verò id, quod erat respondenti, Mater manum prehendit, & tres in illa circulos depinxit, ad primum circulum *Patris*, ad secundum *Filij*, ad tertium *Spiritûs Sancti* nomen pronuncians, & his, non illis, quibus hactenus intentus fuisset, addictum, deditum, devotum esse circulis, maternè monuit. Valuit materna monitio. Ille enim abjectis his circulis, tergemino illi ac uni circulo, Deo uni ac trino, se, studiáque sua, Theologus factus, plenè transcripsit. Præsens nobis ubique adest SSS. Trinitas: at ne nos illi ubique adsimus, faciunt occupationes. Illæ ergo oratione condiendæ; ita nos non avocabunt à cultu hoc magno.

S. Dionysius *de div. nom. c. 3.* Oportet, inquit, nos primùm orationibus ad ipsam, ut ad boni principium, adduci, ac deinde magis ipsi propinquantes edoceri optima quæque munera, quæ penes ipsam sunt collocata. Nam ipsa quidem præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia, sed cùm eam sanctis precationibus, & mente tranquillâ, & ad divinam unionem accomodatâ deprecamur, tum demùm nos etiam ei præsentes sumus. Quare ne præsentia hæc te à præsentissimæ ubique Trinitatis cultu absentem faciant, adverte.

Quin & ipsa de Deo studia sobriè tractanda, ut ne sicca, ne succum spiritus, arido quodam pumice siccantia, ne intellectu volantia sint, & fractam, aridam, languidam, paralyticam relinquant voluntatem. Quod de Augustino Cantipratanus *lib. 2. apum, c. 48.* idem ferè de alio Card. Pazmany, *concione de Trinit. pag. 692. è Chron. Cister. lib.*

*lib.* 5. *c.* 3. refert. Meditabatur Alanus, quomodo altum SSS. Trinitatis arcanum, pro concione ad audientium captum explicaret, & ecce in littore parvulum, qui parvulis digitis fossulam fecit in arena, ajebátque se totam, quæ præterfluebat aquam, illâ fossulâ exhausturum. Roganti Alano, Ecquando id perfici à se posse speraret, respondit cœlestis parvulus; Tunc me illud effecturum spero, quando tu id, quod concioni tuæ promisisti, efficies. Et simul loqui desijt parvulus, ac videri. Augustini libros de Trinitate meditantis Angelus, ajebat se faciliùs cochleari parvulo, fossâ parvulâ mare immensum incluſurum, quàm uno volumine SSS. Trinitatis mysterium ab Augustino comprehendi possit. Quid tu siccis his cogitationibus, quid libris inflantibus, quid longis amicorum colloquijs, quid minimis his distentus, avocaris à maxima Trinitate? quid has beatitatis terrenæ guttas, cœlesti illi voluptatis fluvio, deliciarum Oceano præponis? Quiesce ab his in sinu Patris, in amplexu Filij, sub alis Spiritûs Sancti. Faciunt hoc Angeli. Disce id à familiari Custode tuo, qui semper videt faciem Patris, imò & Filij, & Spiritûs Sancti, qui in cœlis est, etiam tunc, cùm tibi ad tutelam adest, qui in terris es. Beatus est, inquit B. Ephrem *de beatit.* qui factus est sicut Cherubim & Seraphim, & in divino ac spirituali officio nunquam est segnis, sed semper glorificat Deum. Beatus, qui in cella sua, (sive conclavi suo) tanquam Angelus cœlestis, in Domino castas retinet cogitationes, suóque ore collaudat unum, qui omnium spirituum habet potestatem. Beatus, qui semper omni spirituali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit, coronabitur enim in gloria. Esto ergo beatus & tu, ita ut Ephrem suadet, ita ut Angeli exemplo suo te docent, ita ut labores tuos omnes coronatura SSS. Trinitas optat.

Xaverius Orient. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. ait in illa Orientis parte unicum Amidam invocari, cujus nomen è syllabis tribus unum est. A, significare omnes Sanctos; MI, Sanctas omnes; DA, Bibliothecas omnes: libros enim suæ legis habent pro re sancta. In uno denique Dei sui nomine concludunt sacra omnia, quæ venerantur, omnia quæ amant. Vide, ne plùs illi, trisyllabo illi Deo, quàm tu uni ac trino & vero DEO tuo, dent honoris, amoris. Vide, ut præ DEO negligas ea, quæ faciunt à te negligi DEUM. Vide, ut litterarias, & omnes alias occupationes tuas, in unico Dei trini & unius nomine concludas. Ita erunt benedictæ omnes occupationes tuæ in nomine Domini.

---

# HEBDOMADA XXXI.

## *Publicæ, privataq; calamitates SSS. TRINITATI commendandæ.*

CAlamitas videri poterat, quæ re vera erat felicitas, quæ quidem hîc haberi potest, apex, illa, quæ & universam Ecclesiam Christianam, & singulos ferè Christianos ad mortem usq; premebat, persecutio. Marinæus, tertio rerum Hisp. libro, trium Legionen-

sium puerorum meminit, qui Romano Præsidi, ni à fide SSS. Trinitatis discederent, minas mortémque fulminanti, *Habemus*, ajebant, *confidentiam in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui in Trinitate unum sunt; & in hac confidentes, Imperatores Vestros, & Vos, in agone constituti, vincimus.*

Semper in agone te constitutum, semper in certamine stantem cogita, quoties publica, quoties privata tua res affligitur. Tunc ad SSS. Trinitatem elevandus in cœlum, cum Constantinopolitano illo parvulo animus, & quicquid tremens terra fluctuet, plena cladibus & ruinis, canendum cordis & oris musicâ: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis!*

Baron. Anno 566. autor est, in horrida 40. dierum & noctium tempestate, in mari Sanctam Radegundem à periclitantibus invocatam. Tum navem ter columba circumvolavit, & invocato SSS. Trinitatis nomine, sedatum est mare. Si quæ ingruant procellæ, si quæ Patriam, vel te, tuósque involvant calamitates, huc cor ad SSS. Trinitatem adverte.

Plus tres in Trinitate Personæ tibi decumanos inter publicarum privatarúmque calamitatum fluctus trepidanti proderunt, quàm gemini Helenæ Germani, Castor & Pollux, nautis. Hoc tridente firmabis fortunam tuam: hac anchorâ spem tuam. Tria sunt omnia. Triarius esto miles. Triariorum virtus tunc eminet, cùm inclinata jam in aciem novaculæ res, non tironem poscit gladium, sed periculi magnitudine, magnam virtutem in suppetias vocat. Si omnia pulchra difficilia, nihil pulchrum est, nisi idem sit difficile. At certè pulchriùs quàm difficiliùs est, in difficultatibus animum non despondere, verùm ad invocandam supremam potestatem accendere.

In vita S. Adelgundis 30. Novemb. narrat Surius, Malbodiensem Monialem à dœmone in ignem conjectam, effuso super illam bullientis aquæ aheno toto. At illa, dum se in ignem proijci, dum aquam super se fundi cõterrita advertit, capto in arena consilio, inter cadendum, totâ perterriti cordis contentione, SSS. Trinitatis opem imploravit. Advolavére Sacræ Virgines, & quam toto jam corpore dissolutam existimabant, vi caloris tanti, per ignem & aquam salvam illæsámque recepére in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Assveverat illa nimirùm SSS. Trinitatem invocare, unde idem illi in casu illo consilium in cor & os venit. Igne & aquâ; publicum & privatum tuum bonum per clades, per ruinas persequitur dæmon. Tu triplex circa pectus habe scutum SSS. Trinitatis.

Corn. Kempensis *de orig. Frisiæ lib.* 3. *c.* 3. sub Lothario Imperatore, memorat Frisiam spectris fuisse obnoxiam. Sub colle specus erat illic, in quo albæ Nymphæ residebant, quæ iter illac facientes, pastores, & puerperas intrò abripiebant. Inde miserabiles parvulorum vagitus, & diversorum lamenta mortalium, & Musarum quandoque concentus auditi. Sabelliani & Arriani, SSS. Trinitatis hostes, tunc erant Frisiæ populi. Inde ad Catholicæ gremium Ecclesiæ conversâ Frisiâ, cùm scriptæ quædam à S. Odulpho de SSS. Trinitate laudes per Ecclesias legerentur, quiete, per SSS. Trinitatis invocationem & laudem, Frisijs relictâ, albæ illæ

Nym-

Nymphæ ad nigra tartara rediêre. Alba planè foris primo oculorum obtutu videtur Nympha, Machiavelliſtica amicitia, tot patriæ ruinarum mater. Vide, ne te trahat in nigram ſpecum, ubi Muſæ videntur canere, dum ſemidoctis politicorum ſophiſticationibus, pictiſque veritatis colore amiciſſimis mendacijs illudit tibi. Alba etiam Nympha eſt caro, animæ in nigram gehennam perdendæ avida; alba nympha eſt, foris quieta, intus mille procellis tumultuoſa, ſilere quædam loquenda juſſæ conſcientiæ pax non pax. Tu tamen, quicquid hoc è ſtygis gynæceo Nympharum eſt colore tantùm blandientium, calamitates verò, vel temporis vel æternitatis parantium, ſolidâ frequentíque SSS. TRINITATIS invocatione expellito; ut Friſij fecêre. TRINITATEM ama Sanctam, præ Nymphis non ſanctis! Et ipſæ te clades ad Deum ducant.

Bollandus 16. Jan. *c.* 5. ait S. Furſeum in ecſtaſi, ab Angelis tribus inter odores & cantus mirabiles portatum, cantum hunc audiſſe: *Ibunt Sancti de Virtute, in Virtutem: Videbitur DEUS Deorum in Sion.* Ipſe poſtea ſibi redditus Furſeus, per tenebras ſe ductum ajebat. Angelos illos tres, æquales fuiſſe, & in ijs *Sanctam & individuam Trinitatem* agnoſcebat, à qua per tenebrarum denſitatem, in tantis odorum ac ſymphoniæ delicijs portabatur. Ne itaque time caliginem, quam tibi offundit turbatus rerum ſtatus. Ipſa te Trinitas educet è tenebris his, ut gaudens eas de virtute in virtutem, uſque ad viſionem Dei, ubi nulla eſſe poteſt calamitas.

# HEBDOMADA XXXII.

*Si triſte quid occurrat, ubi conſilij, quid agendum ſit, ſis inops, ad SSS. Trinitatis opem, non verò ad SSS. Trinitatis nomine velata dæmonis artificia recurre.*

DEpontanorum id, è ſtrigum gynæceo, ſilicerniorum eſt. Tu anchoram in cœlum jaciendam ſcias, non in infernum. Fortunæ, fati, caſúsque omnis Domina eſt, imò ipſa fortuna tua eſt, SSS. TRINITAS.

Thomas Cantiprat. 2. *Apum. cap.* 53. ab ipſo, quocum factum eſt, ſe id, quod refero, habere teſtatur. Devotiſſimo ſibi, ſed longâ ægritudine feſſo, è S. Dominici Ordine Fratri, cùm ne ſomni quidem partem ullam capere poſſet, adfuit Beatiſſ. Virgo Mater in gloria. Ego ſum, ajebat illa, Patrona Ordinis, & veni ad te, ut præmuniam te contra dæmonem, qui in ſpecie habitúque Fratris religioſi tentare te vult, & decipere, ſed contra illum te ſignabis his verbis:

*Benedicat me DEUS Pater, qui cuncta creavit ex nihilo:*

*Benedicat me DEUS Filius, qui hominem perditum reparavit ſanguine proprio:*

*Benedicat me DEUS Spiritus Sanctus, cujus me ſalvet piæ conſolationis infuſio.*

Nec verò diu ſenties ægritudinis incommodum, ſed Fratribus in unum convenientibus, facies quod inſpirabo. Vidit

dit ergo Monachi veste indutum dæmonem, qui paulatim crescens, domûs fastigium attingebat: sed dehiscens terra illum è conspectu abstulit, quàm primùm ille se illâ, quam à Beatiss. Virg. didicerat, SSS. TRINITATIS benedictione signavit. Paucis pòst diebus, Fratres de prædicatione domum reduces convenêre; quibus dum sudores & pulveres abluuntur, æger hic, è Beatissimæ item Virginis consilio, sic precabatur: O DEUS omnipotens, piorum laborum misericors retributor, servorum tuorum sudores quàm gratis oculis intueris! Respice nunc me indignum famulum tuum, & participem digneris efficere eorum, quæ istis sudoribus & laboribus servi tui meruerunt. Dixit; & sordes lotionis Fratrum ægro capiti superfudit; ac integram capitis, totiúsque corporis recepit sanitatem, MARIÆ consilio, & SSS. TRINITATIS invocatione, auxilio.

MARIANO ergo, & in animi & in corporis afflictione, & in omni denique inopinato casu, consilio utere potiùs, quàm illo, quod tibi vel repens humi animus, vel infamia diaboli scorta obtrudunt. Considera, & probè maturéque pondera in inopinato illo, vel aliàs tristi casu, id, quod DEO loquens ait S. Gertrud. *lib.* 2 *c.* 11. Gratias fi-
" delitati tuæ, DEVS, inquit, gratias pro-
" tectioni tuæ, vera una divinitas, una &
" trina veritas, trina & una deitas: quæ
" non permittis nos tentari supra id, quod
" possumus, &c. Si nos videris fidenter
" tuo adjutorio innitentes, tu litem con-
" tra nos propositam, tuam facis, in tan-
" tum, ut ex copiosissima liberalitate tibi
" servans pugnam, nobis tribuas victori-
" am. Ita illa.

Tristis omninò, ac inopinatus planè casus is fuit, quem *6. disquis. c.* 2. *s.* 3. *q.* 3. *pag.* 1000. narrat Delrius. Ait ille, Bungi A. C. 1555. familiam fuisse à centum jam annis à dæmonibus infestatam. Quare triginta jam annos natum cujusdam ex illa familia filium, hæreditarius dæmon obsederat, adeóque turbârat, ut nec Patrem jam, nec Matrem agnosceret, totísque quindecim diebus in cibum nihil admitteret. Idolis placandis insumptæ jam ante opes, augebant potiùs, quàm minuebant malum. Tandem cujusdam è S. I. Patris consilio, *dum D. Michaëlem nominat, vehementi tremore cæpit concuti, & varios motus membrorum edere, ita ut circumstantibus terrori fuerit. Invocant e verò Patre, DEUM Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, subitò à dæmone liber extitit.*

Tametsi verò certa numeri observatio vana esse soleat, Delrius tamen ibid. *lib.* 3. *p.* 2. *q.* 4. *sect.* 4. quod magnus Cassiodorus scripsit, *multis efficax remedium in variis malis fuisse, trinam recitationem hujus versûs. Dirupisti vincula mea &c.* non ipsi ternæ repetitioni, sed ejus, qui versum illum in honorem SSS. TRINITATIS ter repetit, devotioni Deum id ait detulisse. Refert idem ibid. *sect.* 7. eos, qui pro quibusdam capitis doloribus, & similibus morbis curandis, ad porcorum lintrem, seu obbam, collum applicant, In nomine Patris &c. qui S. Lupi libum triangularem pinsunt in SSS. TRINITATIS honorem, & ei quinque foramina imprimunt, in memoriam vulnerum Christi: postea in B. Lupi honorem, libum dant in eleemosynam primo mendico fortuitò occurrenti, pro armentis contra

tra lupos. Plura ille ibi, & seqq. sect. Tu impiam illam, & SSS. TRINITATI inimicam pietatem detestare, ac Bungensis illius Patris, S. Gertrudis, imò ipsius Beatiss. Virginis ægro illi Religioso datum consilium in omnibus, quæ te sinè consilio trepidantem reperiunt, sequere. Et ne quam è sagarum *parlamento*, ne quem è dœmonum Repub. in consilium, vel advoces, vel admittas, vide. Et cœli & inferni consilia, unde veniunt, eò ducunt.

# HEBDOMADA XXXIII.

## *Devotione, pijs colloquijs, & crebrâ etiam in minimis mortificatione sanctè colitur SSS. Trinitas.*

SAnctus Frodobertus Abbas, ut est 8. Ian. in ejus vita, cùm Spiritu S. plenus, cum alio quodam hospite *fructuosum, ac spirituale colloquium sereret, audivit Angelorum choros, harmonicâ suavitate, ineffabilique concentu, cœlestes hymnos, ad S. & individua TRINITATIS gloriam concinentes.* Adeò his delectatur, ut SSS. TRINITATI gratias agant Angeli, pro tali colloquio. Nullum est spirituale colloquium, quod Angelis in gaudium, & SSS. TRINITATI in gloriam non redundet.

P. Francisci Foliani loculo Romæ inscriptum: *Pater Franciscus Folianus Societ. IESV, eximius SSS. TRINITATIS cultor.*

Breve, sed æternæ laudis plenum elogium. Utinam tuus, meúsque loculus eandem mereatur epigraphen sepulchralem! Alegambe in Biblioth. S. I. Recupitus, Beatillus, ac alij, singularia quædam de hoc SSS. TRINITATIS cliente. Plenus erat, imò totus, per sancta colloquia, in sacrosancto hoc, & omnibus omni commendatione suadendo SSS. TRINITATIS cultu, qui illum non ad spiritualia tantùm de SSS. TRINITATE, dum id liceret, colloquia, & ad orandum, sed ad singularem & perpetuam corporis afflictationem, (quæ bonæ orationis cos esse solet) stimulabat. Unde familiares illi, ad urendum, corpori admotæ gestatæq; urticæ; & hyeme tenuissima, æstate crassior vestis, ut ibi minùs, hîc plùs caleret. Pro magna quadam S. I. benefactrice, quid oblaturus DEO esset, interrogatus, candidè dixit, se triginta sex millia actuum mortificationis, ut vocamus, externæ, seu vexationis corporis oblaturum, idque intra trimestre absoluturum totum. Tria apud illum omnia, triangulum cubiculum, trium asserum lectus, in mensa, & ubique tria. In rebus etiam creatis libenter tria seligebat, quæ consideraret, ut in sole lucem, calorem, splendorem. Ajunt Angelos ab illo ante mortem cantare auditos. Post mortem verò *tres* in ejus corde subalbescentes *flammulæ* inventæ, quæ parte adversâ *in unam coalescebant*: testatúsque est Marsilius Cagnatus Medicus peritissimus, qui aderat, id planè extra naturæ leges evenisse.

Cùm verò liberalissima sit SSS. TRINITAS in præmijs decernendis, & cùm 1. *Reg:* 2. dicat: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*; eximiam quandam gloriam expectent felices illi, qui

eximio

eximio quodam honore, devotione, & amore prosequuntur omnibus omnium sanctis honoribus & amoribus, ab æterno in æternum dignam SSS. TRINITATEM. Stabunt illi in gratia, & sacra quadam caligine, in quali stetit S. Angela de Fulginio, ut est vitæ ejus *c.* 4. quæ videre se ajebat SSS. TRINITATEM in tenebris. Videtur mihi, inquit, quòd ego stem, & maneam in ejus medio: & illud trahit me plus, quàm aliud aliquod bonum, quod viderim; istius non est comparatio ad illa. Et postea: Inveni me totam intus in Deo, & videbatur mihi, quòd eram in medio TRINITATIS, eram plena lætitijs & delicijs, & delectamentis maximis & inenarrabilibus. Dixit mihi Deus: Filia divinæ Sapientiæ, templum dilecti, delicium dilecti, & filia pacis, in te quiescit tota TRINITAS, tota veritas. Tu tenes me, & ego teneo te. Stabunt illi in gloria, qualem S. Gertrudis *lib.* 4. *c.* 11. vidit in spiritu S. Benedictum glorioſum *in conſpectu fulgidæ ſempérque tranquillæ Trinitatis*, instar amœnissimi roseti totis vernantem membris, totum floridum, roseum totum. Efflorescentes illæ rosæ, odore admirabili fragrantes in conspectu SSS. TRINITATIS, omnísque curiæ cœlestis illi de gloria gratulantis, *notabant ſingula exercitia, quibus ipſe carnem ſuam domando ſpiritui ſubjugaverat.* Creverant denique rosæ illæ de spinis illis sublacensibus, inter quas cum nescio quibus, à nigra merula relictis, & certè nigris, cogitationibus, se volutaverat nudum. Armatæ preces! de DEO, cum DEO, ita loqui, ut etiam carnem affligas.

# HEBDOMADA XXXIV.

*Si quæ cordi tuo fœditas occurrat, animum ad præsentis tibi SSS. Trinitatis opem implorandam converte.*

IDque fac citò. *Non enim*, ut S. Ambrosius ait *lib.* 2. in Lucam, *novit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia.* Necesse est, ut tibi robur, & æs triplex circa pectus eat ad vincendum. Triplicis æris loco, erit SSS. TRINITAS. Ita de S. Martina 1. Ian. Bollandus, ait invocatum ab illa, inter tormenta Jesum, & consubstantialem cum illo Patrem, & Spiritum Sanctum; & lumine cœlesti amictam, hæc audisse: Tu autem, filia, confide, & noli timere; ego enim sum, quem adoras & invocas Deum, non te deseram, nec permittam tibi dominari inverecundum, impium, & rebellem dæmonem. Jam ergo scis, quò cor convertas, si quid inverecundus ille oculis, auribus, phantasiæ objiciat.

Ita in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, abstergendas id genus quisquilias didicit docuítque P. Bernardinus Realinus S. I. invocato simul Dei Matris auxilio.

Huic aliquando coronam Partheniam recitanti, spectabilis adfuit æterna illa Virgo, suavissimé que recreato, omnes in omnem reliquam vitam phantasiarum fœditates, colluviémque absterſit, ita, ut postea redierint nunquam. Unde Bernardinus, pro grandi alexipharmaco, è singulari erga SSS. TRINITATEM & Beatissimam Virginem devotio-

votione compositò, plures inter id genus obscænitatum tormenta trepidos, familiarem ut hanc haberent orationem, jussit, magno sequutis etiam postea annis emolumento multorum ab immundo spiritu vexatorum. Ergo jussit pectus Cruce signare, & dicere: *Per sanctam Virginitatem tuam, purissima Virgo, emunda carnem meam! In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.* Usurpavit ille, ac illius consilio postea alij. Successit semper è voto, annuente libenter ijs, quæ in suo nomine per MARIAM, æternam Virginum Reginam Virginem, petebantur, SSS. TRINITATE. Nam *Prima Trias Virgo*, ut S. Nazianz. *carm. de Virgin.* ait, SSS. indicans TRINITATEM.

Apud Ovid. 7. *Met. pervigil, & cristâ, linguisque tribus præsignis* draco, aureæ arboris custos, lethæi gramine succi aspersus, postquam verba ter dixit, placidos facientia somnos Medea, nunquam expertum oculis somnum accepit, & tunc Heros Æsonius auro potitus est. Vis aureum æternitatis Vellus? Vincendus est ille tribus linguis armatus dæmon. Loquitur unâ cordi, dum suggerit; alterâ ori, ut loquatur; tertiâ amicis, ut suggerant, loquantur, hortentur. Tribus his linguis oppone loquentem cordi tuo SSS. TRINITATEM. Juvabit ut vincas, coronabit ut triumphes. Quare si lubet, Boleslaum quartum Regem (apud Cromerum *lib.* 5.) imitare, qui eam, quam è collo pro filiali bulla gestabat, dulcissimi parentis sui Boleslai III. Regis imaginem, imminente quopiam seu discrimine, seu ancipiti consilio, exosculatus, ita suspirabat! O absit, mi Pater, ut à me unquam indignum aliquid Regio tuo nomine statuatur! Dic tu, si quæ ingrata occurrat cogitatio, ad æternum Patrem: *O absit æterne mi Pater! ut à me unquam indignum aliquid divino tuo nomine statuatur! Sanctificetur nomen tuum.*

Ita S. Catharina Senensis *t.* 2. *c.* 83. S. Paulum in fœdo illo stimulo tentationis *crevisse in gratia* didicit, & in humilitate, *eò quòd*, inquit æternus Pater, *gustaverat altitudinem Divinitatis, atq; Trinitatis.* Gusta hanc, & in illa altitudine videbis, quàm profunda sit ignium abyssus, parata turpitudinibus illis, quæ quibus, heu! toties despicitur summa omnium pulchritudo!

---

# HEBDOMADA XXXV.

## *Ab omni mortali peccato purum pectus serva SSS. TRINITATI; ut illam puro corde, oréque collaudes.*

VIctor Uticensis de pers. Vand. *Memento, fili mi, quia in nomine TRINITATIS baptisati sumus*, ajebat Dionysia filio suo in agone certanti. *Non perdamus nostræ salutis indumentum; ne veniens invitator, & non inveniens vestem nuptialem, dicat: Mittite eum in tenebras exteriores. Illa pœna timenda, quæ nunquam finitur.* Idem tu tibi in peccati periculo, & sæpè aliàs, occine: idem cordi inculca. Vide, ne in SSS. TRINITATIS nomine in Baptismate, & in absolutione datum tibi gratiæ indumentum, tibi detrahat mortale peccatum.

Quod de Simoniæ peccato è Baronij Anno 1055. subijcio, id tu de omni alio mortali peccato intellige. In Synodo, Simoniacus quidam Archiepiscopus, jussus ab Archidiacono Victoris II. Papæ Legato, dicere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, dixit: *Gloria Patri, & Filio*, nec ultrà potuit. Tandem simoniam suam confessus, ab officio depositus, integrè dixit, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Quo miraculo permoti alij septem & viginti diversi Prælati, & quadraginta quinque Episcopi, se Simoniæ peccato infectos esse, & Ecclesiasticas dignitates dato pretio emisse confessi, emptis illis, ideóque falsè possessis honoribus ultrò renunciavêre.

Vide, quàm manca sit in ore peccatoris gloria SSS. TRINITATIS! Serva cor tuum triangulum personis tribus, unum Deo uni triclinium. In nullo illius angulo lateat vipera.

Cujus cor occupat SSS. TRINITAS, totum tenet, & sanctum facit sibi. Ita Dominicus Anadomus Ord: Prædicat: quò ad omnem virtutis laudem tam feliciter profecerit, fontem fuisse, admirabilem quendam in beatissimam TRIADEM cultum ac venerationem, interpretatur Rhò *hist. Virt. lib. 3. cap. 12. n. 7.* semper illi *Triadis* honor in corde, semper nomen erat in ore. Si quid poscere in usum pauperũ, id illius majestate interpositâ petebat: adversa, sive secunda nunciarent, SSS. TRIADIS laude omnis claudebatur oratio: quoties per Ecclesiæ leges fas esset, illius honori litabat. Cùm Sanctam TRINITATEM invocarent, qui morienti aderant, discussâ receptæ jam propemodum mortis nebulâ, perquàm serenâ fronte arridens, illis se vocibus plurimùm delectari, atque ad eam, quam hîc coluisset, abire se lætissimè significavit. O quàm securum ab omni lethalis noxæ fœditate est tale cor! Nec Hercules contra duos. Contra tres autem has personas absolutè nullus. S. Hieronymus *de transfig:* Fac unum tabernaculum Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ut quorum est una divinitas, unum sit in tuo pectore tabernaculum.

Apud Franciscum Riberam S. I. vitæ S. Theres. *lib. 3. c. 4.* S. Theresia videbat animam suam esse imaginem TRINITATIS, & scripsit, vidisse se, quòd sicut spongia imbibit aquam illi incorporata; ita anima impleatur divinitate illâ. Sed audijt: *Ne te fatiges, ut me recluſum teneas in te: sed ut recludas te in me.* Reclude ergo te in sacrosancto illo triclinio, in triangulo personarum, posito in circulo divinitatis æternæ, & non erit quem timeas. Nemo te iade, nisi peccatum, evellere potest: nec illud evellet, nisi tu annuas. Vide, ut videri te ab illa TRINITATE videas, & cave, ut ne quid à te illis oculis indignum fiat. Ajebat ibid. Theresia in Dei lumine posita, in splendoribus cœlestium illustrationum; Divinitatem esse velut clarissimum adamantem, universo mundo majorem multò, & in illo adamante videri omne id, quod nos facimus; omnia enim continet: & non est res ulla, quæ exeat è magnitudine illius. Quàm sancta, quàm è profundo Theologiæ sinu petita verba! Ergo in illius magnitudine mane, in sinu immensitatis illius habita. Neminem enim sinus ille excutit, nisi sordidatum noxâ mortali. Ita in sinu Abrahæ requiescens, alijs à mortali peccato mortu-

mortuis, in inferno sepultis. Quid cordis, quid temporis nostri partem mundo, carni, dæmoni, partem SSS. TRINITATI damus? Quid amorem dividimus, cùm ne toti quidem satis amandæ illi sufficere possimus? Liberales simus erga liberalissimam in nos TRINITATEM. Quid illi horas, quid semihoras, clepsydrariâ parcitate sordidi, præscribimus, quadrantes appendimus, arenulas numeramus? quid tempori, quid corpori in cultu illius parcimus?

S. Bernardus *serm.* 2. de Pentec. *Pater, ut servum redimat, Filio non parcit; Filius seipsum libentissimè tradit; Spiritum Sanctum uterque mittit: & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* O utinam vel hæc te liberalitas moveat! utinam vel inenarrabiles hi gemitus gemitum tibi excitent, ac inenarrabiles tuas sordes eluant, narratione gemebundâ, confessione crebrâ & sanctâ!

*Est Trinitas, à qua homo cecidit, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus,* inquit S. Bernardus *serm. de Trinit.* Est trinitas, quæ cecidit: intellectus, memoria, voluntas. Est trinitas, in quam ista cecidit: impotentia, ignorantia, & concupiscentia. Est est trinitas, per quam trinitas cadens, resurgit ad TRINITATEM, de qua cecidit, scilicet Fides, Spes, Charitas. Ita Bern. *Vide ut ne trinitas tua à SSS. TRINITATE cadat, trahet illa te secum in abyssum.* Spiritus Sanctus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sinè intellectu, nec habitat in corpore subdito peccatis. Unde & ille, è cujus ore Spiritus Sanctus evolare visus est in specie columbæ, ob commissum quoddam mortale peccatum, ubi ad cor redijt, & Deum, fidémque sanctam carni, & illi, quam ambiebat, Sponsæ, præhabuit, scelus in Sacramento Pœnitentiæ fassus est, & in os illius, in specie columbæ Spiritus Sanctus visus est iterùm reverti, volatu sancto. Prati verò spiritualis *c.* 16. in fuliginosæ, & fœdo squalore sordidæ columbæ specie hæretici cujusdam, viri aliàs boni, fides ostensa est Theodoro Abbati. Si tuam tibi animam, vel conscientiam ostenderet, vide, in qualis illam columbæ specie tibi ostenderet Spiritus Sanctus. Vide ergo, ut semper conscientia tua sit speciosa, sicut columba ascendens semper ad SSS. TRINITATEM sursum, nunquam verò per ullum peccatum mortale descendens deorsum à SSS. Trinitate.

Ita SSS. Trinitati dabis gloriam, Angelis verò triumphum. S. Fursæus 16. Ian. *c.* 4. apud Bollandum, victis dæmonibus, Angelos habuit pro triumpho symphoniacos. *Tum sursum aspiciens, vidit immensa agmina eximiâ claritate fulgentia Angelorum, & Sanctorum, qui advolantes, quasi alis, immensâ coruscatione circumdederunt eum, omnem formidinem ignis ac dæmoniorum terrores, procul abigentes. Audiebantur quasi per quatuor choros cantantium multitudines Angelorum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.* Tunc illum Angelorum agmina circumfundunt, & Angelicâ eloquentiâ æternas explicant voluptates. Vince ergo, vince sordes has! Ita pro te sancto *Sanctus* cantabunt Angeli SSS. Trinitati. Sanctus esto, id est sinè noxa, quæ cor mordeat. *Sanctus* corde, *sanctus* ore, *sanctus* opere. Ita in te, & à te bene laudabitur *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

# HEBDOMADA XXXVI.

*Sanctum illum, & tot Sanctorum devotione celebrem versum, Gloria Patri, &c. sæpè, & præcipuo cum devotionis sensu, pronuncia.*

PRonunciavit Sanctissima Virgo Catharina Senensis, quando cum JESV orans dixit: *Gloria Patri, & Tibi,* (capite ad præsentem JESUM inclinato) *& Spiritui Sancto.* Pronunciant tot Sancti Sanctæ Ecclesiæ Filij, dum Psalmos singulos sancto illo epiphonemate coronant, & cor novâ quadam ad Deum elevatione instaurant. Pronunciant ij; quos dum ad iratos quospiam accensi circa cor sanguinis, & bilis motus excitat vel natura, vel dæmon, sive quid illis manu excidat, sive aliud accidat molestum, gratias aguntSSS. TRINITATI, & dicunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Idem in doloribus.

Hæc olim Catholicorum tessera fuit contra Arrianos, ut dicerent: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* teste Niceph. *lib 9. c. 24.*

Petrus Damascenus apud Barium *trid. die 3. pag. 214.* ait Religiosum quendam, qui religiosam ad *Gloria Patri &c.* inclinationem, vel neglexerat, vel frigidè usurpârat, à morte alteri apparuisse, & se ob illam irreverentiam gravissimas, quæ quidem cogitari à nobis possint, pœnas pati dixisse, mansurúmque inter purgatorij tormenta usq; ad supremum judicij diem, nisi piâ devotorum liberalitate inde liberetur. Si tantum tormentorum illi irreverentiæ infligitur, quid tibi reverentissimo SSS. TRINITATIS cultori præmiorum asservatur?

Quàm verò integrè pronunciari velit versum illum SSS. TRINITAS, habe è Surio 4. *Dec.* Refert ille Diaconum, qui cum S. Annone Episcopo divinum officium consveverat recitare, præcipiti & cordis & linguæ volubilitate ita dicere solitum: *Gloria Patri, & Spiritui Sancto.* Transiliebat nimirum, usque citiùs finiret versum, secundam in *Trinitate* personam, negligebat, *& Filio* gloriam non dabat, præceps distracti cordis interpres lingua. Ergo Episcopum monet Deus; dum *Gloria Patri, & Spiritui Sancto* pronunciantem quempiam audit per quietem Anno, & raptus in extasim, videt majestate divinâ gloriosum Dei Filium, advertítque se ab illo iratis ac scintillantibus quasi oculis aspici. Irascebatur, & extensis tribus sinistræ digitis, primum sinistræ digitum tangebat indice, dicebátque: *Ecce Pater.* Inde alterum tangens digitum, ajebat: *Ecce Filius.* Ad tertium verò; *Ecce Spiritus Sanctus.* Et paulò pòst: *Ecce tres,* inquit, *in una deitate similiter adorandæ personæ.* Medium, inter Patris, & Spiritûs Sancti personam, Filius habet. His ita Catholicâ veritate se habentibus, ut quid Clerici tui blasphemias sinè correptione præteris, qui communem, quam cum Patre, & Spiritu Sancto possideo gloriam, mihi subtrahit, in duarum vocabulis personarum, me, qui media *Trinitatis* personam sum, ad omnem *Gloriæ* decantationem transiliens? Exhorruit, & ea, quæ nos in minimis ponimus, æstimare & ipse didicit, ac præcipitem illam linguam, acri increpatione correxit Anno. Di-

Discе ergo integrè devotéque versum illum pronunciare. Pronunciabis ita, si ita dixeris prout Ven. Beda, apud Baronium A. C. 731. Bedæ enim ultima, moriendo canenti pijssimè, vox fuit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Utinam sicut Psalmorum omnium, ita & vitæ nostræ finis sit Gloria & Patris, & Filij, & Spiritùs Sancti, & ad illius gloriam sit nostræ etiam gloriæ æternæ initium eadem mors.

S. Franciscus Seraphicus ad singula Dei beneficia, gratias reddebat Deo, dicebátque: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Neque satiari poterat versu illo repetendo, & alijs commendando. Fratri cuidam Laico, sed ad litteras ediscendas tentari discenti, Addisce, inquit, versum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: & sacram omnem scripturam scies. Fecit, cessavítque tentatio.

Baron. Anno 325. ait doxologiam illam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* à temporibus Apostolorum cœpisse frequentari, cui Nicenum postea Concilium contra Arrianos dicentes: *Erat quando non erat Filius,* addidit: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Cassianus *c.* 8. *lib.* 1. ait ætate suâ in occidente post Psalmos, populum conclamare consveviſse: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Discе ergo versum illum à Sanctis, discе ab Ecclesia militante ac triumphante, discе à SSS. Trinitate æstimare; & illo, quo illum S. Franciscus, quo S. Anno, quo Beda moriens pronunciavit, illo, quo illum pronunciari à te vult SSS. Trinitas, pronunciare incipe, vel perge effectu. Ita tibi æterna erit gloria; & ipsa tua gloria erit gloriæ Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

# HEBDOMADA XXXVII.

## *Frequentes gratiarum actus offer SSS. Trinitati.*

Pater Didacus Martinez S. I. Limæ Anno 1626. 2. April. animam felicem egit, magnum solidæ erga SSS. Trinitatem devotionis & gratiarum actionis exemplar. De hoc P. Ioannes Sebastianus Pervanus Provincialis, mira conscripsit. Inter alia, quæ ad hujus hebdomadæ documentum faciunt: Aperuit, inquit, illi portas Deus ante annos 40. ad SSS. Trinitatem, ad Patrem æternum, ad Spiritum Sanctum, ad Jesum Christum, ad Apostolos, ad Martyres, ad Virgines ad Patriarchas, ad Prophetas, ad Angelos. Incepit exercitium gratias agendi Deo, repetens centies in die verbum illud: Deo Gratias: postea ducenties, tum trecentis, demum quadringentis, & si ad agrum exibat, etiam septingentis vicibus, numerans actus illos calculis rosarij. Formabat autem inflammatos illos suos actus hoc modo: *Gratias Deo, ob infinitum suum esse*: *gratias DEO, ob infinitam suam bonitatem*: *gratias DEO, ob infinitam suam sapientiam*: *gratias DEO, ob infinitam suam potentiam &c.* Videbat se velut circumdatum luce fulgente à SSS. Trinitate. Ipsam SSS. Trinitatem specie mirâ velatam sibi videre visus, eique colloqui, eâ quâ

cum

cum amico simul familiaritate simul & reverentiâ. Nihil sibi de veritatibus SSS. TRINITATIS variatum iri dicebat tantâ in luce, quam hauserat, licet omnia, quæ de ea scripta sunt, perirent. Crevit postea sanctum illud DEO GRATIAS, pro perfectionibus Dei agendi exercitium, ad mille, ad duo, tria, & cùm plùs vacabat, ad septem etiam actuum millia. Adjungebat actionibus gratiarum, amoris actus, actus gloriæ, & laudum. Inde illi tanta tot actuum seges. Tunc felices à Christo, & Virgine Matre consolationes, motus potentes, & collucentes affectus, velut pulchra altissimi amoris fulgura. Illud verò exercitium ajebat se à Deo didicisse: proprium esse Beatorum in cœlo; séque ubique in cœlo versari, ex quo illud exercere cœperit. Tanti verò momenti esse actus illos ajebat, ut nullum illis æquum respondeat præmium extra Deum, qui omnium præmium est, & merces magna nimis. In illis verbis: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, thesaurum illi immensum aperuit Deus, docuítque, ut Deo gratias ageret pro infinitis Dei bonis. Unde sæpè & præfationem totam Cánonis, & præcipua verba illa magno sensu repetebat: *Verè dignum, & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere!* Adeò verò divinis his ex toto se dederat, ut sub vitæ finem, quotannis bis térve prolixè obiret spiritualia S. P. Ignatij exercitia, inter cœlestia lumina: & quodam anno à Paschate illa produxit usque ad festum SSS. TRINITATIS. Præclara certè & pretiosa ad mortem pretiosam, ad pretiosum & æternum SSS. TRINITATIS in cœlo celebrandum festum præparatio! Aliquando dixit, se sub auroram quasi disputâsse cum Patre æterno, qui se vinci permisit argumentis: & ex hac una se multas misericordias hausisse. Postridiè confirmatam fuisse disputationem, & per eam affectam esse animam suam paradiso deliciarum divinarum. Magnum hoc, & magni omninò ponderis exercitium est: sed pro praxi suaviore & securiore cum docto quopiam spiritûs magistro conferendum, ut ne quid sequatur incommodi è re adeò sublimi & sancta. Solent incauti vino eò citiùs inebriari, quò illud melius est. Magnus hic thesaurus est, neque tam difficilis aditu, quàm videtur. Manuductore bono hìc opus, & salva res est, neque ullum impensæ in rem tantam operæ pœnitebit.

S. Franciscus *Reg. c.* 10. Rogo Fratrem infirmum, inquit, ut referat de omnibus gratias creatori: & qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret, sive sanum, sive infirmum.

S. Catharina Senensis *t.* 6. *cap. ult.* SSS. TRINITATEM pluribus allocuta, demum addit: Tu, Domine, pro me tibimet ipsi respondeas. Tu, qui dedisti, satisfacias, atque respondeas pro datis, infundendo videlicet in me lumen unum gratiæ, ut cum ipso lumine tibi gratias referam. Ita nimirùm sanctum illud verbum *DEO gratias*; & illius verbi res discenda est ab ipso DEO.

S. Gertrudis Insin. *lib.* 2. *c.* 11. pro salutari divinæ præsentiæ gustu, pro benedictionibus dulcedinis, pro sancta sanctissimi Sacramenti participatione, pro alijs beneficijs, cùm se unum pro mille respondere posse negaret, addidit: *Illi æternæ, immensæ, & incommutabili gratitudini committo, quâ tibi, ô fulgida, sem-*

*sempérque tranquilla Trinitas, ex te ipsa, & per te ipsam, & in te ipsa omne debitum plenè suppletur; & huic me quasi pulvis exiguus, ingerens, per eum, qui in substantia mea tibi assistit, offero tibi gratiarum actiones, quales dedisti posse per eundem in Spiritu Sancto pro universis beneficijs tuis.* Beneficium, alterius beneficij seminarium est, si pro illo frequentes, & sinceræ actæ sunt gratiæ.

# HEBDOMADA XXXVIII.

## *Oculos pudicos serva, ut cor tuum placeat SSS. Trinitati.*

QUàm placet hosti animarum nostrarum certus ille impudici cordis nuncius oculus impudicus, tam displicet animarum nostrarum, & salutis autori DEO, ejúsque Spiritui.

Prælongum serpentem narrat Nier. *hist. nat. lib.* 12. *c.* 30. cui & *à sagitta*, & *ab oculo* est nomen. Similis enim est sagittæ: cœnum amat; & sine spiris est. Hominem si videat, se in illius oculos vibrans, jaculatur; ita ille est virulentum jaculum oculorum. Ita excœcat veneno & impetu. Hoc agit mors, per apertas impudicorum oculorum fenestras usque ad cor sese vibrans, ut animam deprædetur. Quàm verò tali imbutus veneno, oculus displiceat SSS. TRINITATI, adverte.

S. Joannes Chrysostomus, ut est 26. Ian. in ejus vita, solebat super sacrosanctam Filij Dei hostiam, in altari sub elevatione, videre descendentem Spiritum Sanctum. Fuit, cùm aditantium ministrorum quispiam impudicos in fœminam quampiam torqueret oculos. Unde Joannes, quid ita Spiritum Sanctum à Patre super Filium Eucharisticis velatum speciebus descendere non videret, miratus; intellexit divinitus, Spiritui Sancto cum impudico ministri illius oculo non bene convenire. Illo ergo ministro procul facessere jusso, descendentis à Patre super Filij Eucharisticum corpus Spiritûs Sancti majestatem & gloriam iterùm, ut olim, vidit. O te aurei, non tam oris, quàm cordis hominem, si & oculos impudicos, & quicquid descensuri in te, tanquam super Filium DEI, ab æterno Patre Sancti Spiritûs adventum impedire potest, à te fugâris! Vide hìc hebd. 34.

# HEBDOMADA XXXIX.

## *Pauperes peregrinos recipe libenter in honorem SSS. TRINITATIS.*

NUllum finit esse peregrinum vera in Deo fundata charitas: omnes amplectitur ut domesticos Dei.

Gen. 18. Abraham cùm elevasset oculos, apparuerunt illi tres viri. Tres vidit, & unum allocutus est, & omnes tres liberaliter habuit. Ita tu in hospitibus recipe SSS TRINITATEM.

Apud Baronium Anno 325. tessera peregrinis inscripta, sinè qua nemo à Christianis recipiebatur, erant quatuor primæ litteræ græcè scriptæ, quæ latinè sic eandem rem charactere Latino exprimerent, P. F. S. S. *Pater, Filius, Spiri-*

*Spiritus Sanctus.* Hæc tibi esto cordi insculpta tessera, cum qua recipieris in æterna tabernacula, si tamen peregrinos in nomine SSS. TRINITATIS receperis in tua. Adverte, quomodo id tibi suadeat *Matth.* 10. Filius DEI: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*

Itaque dum in nomine SSS. TRINITATIS recipis peregrinum, recipis Christum; dum Christum recipis, recipis Patrem. Putásne ibi unum naturâ cum his Spiritum Sanctum non recipi, ubi recipiuntur isti duo? Item, Si is, *qui* (ut ibidem ait Christus) *recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: & quicunque potum dederit uni ex minimis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam:* Is qui minimum quempiam SSS. TRINITATIS cultorem receperit in nomine SSS. TRINITATIS, quomodo perdet mercedem suam apud SSS. TRINITATEM? Recipe nunc in illius nomine in domum tuam peregrinos; recipiet illa te è peregrino domesticum DEI in domum suam... *Expectat vos Pater*, inquit sanctus Bernardus serm. 2. in vig. Nat. *& desiderat, propter nimiam charitatem, quâ dilexit vos.* Joannes 15. *Pater amat vos.* Nam de FILIO quis nesciat, quantùm desideret fructum Nativitatis, & totius vitæ, quam gessit in carne; denique fructum Crucis, & mortis suæ, pretium sanguinis pretiosi? Expectat nos & SPIRITVS Sanctus. Est enim charitas, & benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium, quin prædestinationem suam velit expleri. Felix, qui recipit. Mercedem SSS. TRINITATIS accipiet, si recepit in nomine SSS. TRINITATIS. Nunc dum es in via, recipe peregrinos è via; ut dum discesseris ex hac vita & via, recipias mercedem in patria, ubi nullus est peregrinus.

QVAR-

# QVARTA PARS ANNI SSS. TRINITATIS.

## HEBDOMADA XL.

### *Pro animabus Purgatorij oranda SSS. Trinitas.*

PAtri Joanni Fernandio, viro religiosissimo, revelatum esse ait Nierenb. *de Adorat. l. 4. c. ult.* quendam è S. I. Religiosum diu in purgatorio detentum, quia non desiderabat videre ardenter SSS. TRINITATEM. Sicut verò tibi ipsi succurres, ut ne diu in purgatorio crucieris, si videre ardenter desideres SSS. TRINITATEM; ita potes, modò velis, apud eandem juvare illas animas, quæ in horrendis expiatorij illius ignis pœnis cruciantur, & tuum etiam præstolantur auxilium, ut citiùs videant desideratissimam sacratissimámq; TRINITATEM.

Ita Ludovicus Bertrandus è S. Dominici Ord. exemplis admirabilis instit, ut se mortuo, Fratres absq; ulla mora sexies Dominicam & Angelicam pro se orationem recitarent, & sexies item *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* Ita sperabat se SSS. TRINITATIS, & Jesu auxilio, MARIÆ verò intercessione, à probatica illa, igneáque piscina citiùs expediendum.

S. verò Onuphrius, ut est in ejus vita c. 13. apud Rosweidum in vitis PP. ubi post orationis horam mortuali pallore impalluit, inter alia dixit: Si quis pauper oblationem, aut eleemosynam &c. non habeat, surgat, & manus suas ad Dominum extendat, ter Dominicam orationem pro me cum intenta mente, & in nomine SSS. TRINITATIS psallat. Ego verò pro ipso ad Dominum intercedo, ut vitæ cœlestis mereatur particeps fieri cum omnibus Sanctis Dei. »

Felix, qui vel unam è dilectis illis SSS. TRINITATI animabus ex igne illo potest eximere! Non cessabit illa tam diu, pro throno SSS. TRINITATIS prostrata, pro illo eandem orare, dum æternas illi pro gratiarum actione misericordias impetret à Patre misericordiarum Deo.

Age, ut benedictæ, & cœlo jam ab æterno destinatæ illæ animæ citiùs admittantur ad conspectum Dei! ut citiùs incipiant, operâ tuâ, id quod nunquam finient in æternum. Valde te honorat SSS. TRINITAS, quòd clavem conclavis sui æterni dederit tibi, ut ores, animæ illæ citiùs ad *audientiam* ut a-

junt, imò ad æternam illic manſionem, admittantur, te id agente, quaſi cubiculario SSS. TRINITATIS. Quod enim de Apoſtolis cantat Eccleſia, id de omnibus beatis verum eſt:

*In his paterna gloria, in his triumphat Filius, in his Voluntas Spiritûs, cœlum repletur gaudio.* Fac ut SSS. TRINITAS triumphet in illis citiùs, & cœlum gaudio repleatur. Ita tibi cœlites demerebere.

S. Gertrudis Inſin. *lib.* 3. *c.* 24. Precum, quas ſingulari cordis præparatione ardoréque fundebat, verba ſingula *in modum lanceæ præacutæ de corde ſuo ad cor Ieſu* vidit *procedere, illúdque medullitùs penetrando, inæſtimabiliter ſuaviſſimâ delectatione commovere.* Ita ut preces tuæ de corde ad cor uſque penetrent, vide. Sint verba cordis, non linguæ tantùm. De verbis orantis Gertrudis, in lanceæ ſpeciem efformatis *videbantur ſpargi radij ad modum luciditſimè rutilantium ſtellarum. Ex inferiore verò latere ejuſdem lanceæ, videbatur etiam omnibus viventibus ſpecialis gratiæ augmentum, ac PURGANDIS REFRIGERII SUBSIDIUM, in modum guttularum profluentium largiſſimè miniſtrari.*

Delectatur SSS. TRINITAS, animam ſuâ imagine inſignitam ex illa fornace ignium liberari, & ad æternùm ſpectandam revelatam SSS. TRINITATEM aſcendere, ut imago aſpiciat illud, à quo, & ad cujus ſimilitudinem ficta & picta eſt, prototypum æternum.

Ibi illa ſuam imaginem pulchritudine ſuper omnes pulchritudines amabili adornabit, amabítque etiam te, qui te DEO inſtrumentum dediſti ad animam electam, citiùs è carcere educendam ad libertatem filiorum Dei.

Leſſius Vir exactè doctus, & communi opinione ſanctus, de ſummo bono *lib.* 2. *c.* 16 *n.* 37. ait animæ beatæ pulchritudinem potiſſimùm in tribus conſiſtere, *per quæ enim*, inquit, *expreſſa imago* SSS. TRINITATIS *in anima relucet?* nimirum in lumine gloriæ, in viſione, in amore. Intellectus enim lumine gloriæ illuſtratus, & ad ſtatum divinum elevatus, ſimilis eſt Patri æterno, &c. Sicut enim Pater æternus vi luminis, quo divinam eſſentiam intelligit, producit Verbum: ita intellectus creatus vi luminis gloriæ (quod divini luminis eſt ſuprema participatio) producit viſionem, quæ verè & propriè eſt verbum mentis beatæ. Sicut enim verbum divinum repræſentat eſſentiam divinam, & tres perſonas: ita viſio beatorum eſſentiam divinam & tres perſonas clarè repræſentat. Rurſus ſicut verbum divinum producit Spiritum Sanctum, qui eſt amor divinitatis: ita viſio beatifica in Beatis excitat amorem divinitatis. Itaque per lumen gloriæ anima eſt ſimilis Patri; per viſionem Filio, ſive Verbo; per amorem, Spiritui Sancto. Anima ergo beata, per hæc tria eſt ſumma & perfectiſſima SSS. TRINITATIS imago: ac proinde habet ſummam pulchritudinem, cujus natura creata eſt capax.

O felices, ô ſolidas, ô æterno in adamante fundatas immortalitatis delicias! in anima immortali, in anima lumine beatifico perfuſa, vidente, amante æternùm! Ad has delicias vel ad unam horulam admitti, illis frui, meretur dolores & ſudores omnes. Tu ergo SSS. TRINITATI rem facies acceptiſſimam, ſi ad illam in revelata ſua majeſtate honorandam, honoraturas illam pulcherrimas

rimas animas extrahas è tormentis, ad illam, quam nunquam amittent, gloriam, tuâ operâ citiùs possidendam. Ibi dotem suam à SSS. TRINITATE accipient.

Felicem te, si multis dotem hanc acceleraveris animabus! Certè felices illæ, necdum tamen plenè beatæ animæ, desiderant valde à nobis ardenter coli SSS. TRINITATEM.

Apud Nieremb. de amore B. Virg. *c.* 23. cuidam è Cistercienſi Ord: Religioſo ægro, adfuêre plures è piacularibus flammis animæ de ſuperſtitum fratrum tepore, tarditate, atque in orando negligentia, modicâque erga SSS. TRINITATEM reverentia conqueſtæ. Hoc autem, inquiebat animarum una, iram Dei maximè provocat, quòd in illa hora, in qua fratres ob reverentiam TRINITATIS inclinant, aliqui cachinnant, & de otioſis occultè ſignificant. Alij corpore, & corde rigidi, vix poſtquam *Gloria Patri* dictum eſt, inclinant, ſed necdum *Spiritui Sancto* dicto, erecti, curioſi per parietes vagantur. Ita candore ac ſtylo antiquo res nobis narratur. Inſtus verò hæc omnia corrigere Abbas, hunc etiam ſtimulum habuit, quòd idem poſtea Religioſus Beatiſſimam Deiparam in templo viderit orans. *Ego ſum*, inquiebat illa, MARIA *Mater Ieſu, quæ veni ut conſoler gemitus tuos. Vidi enim lacrymas tuas, & orationes tuas.* Et factum eſt, cùm hæc diceret, Fratribus in choro ad *Gloria Patri*, more ſuo ſe incurvantibus, ipſa cancellatis manibus reverenter & profunde, uſque dum diceretur *Sicut erat in principio*. incurvavit ſe, & poſtea erexit. Incipe ergo, & tibi felicem pro purgatorio opem parare ſancto hoc cultu, & illarum animarum eſſe amicus, uſque ad ipſum thronum SSS. TRINITATIS.

# HEBDOMADA XLI.

## *Manè SSS. Trinitas devotiſſimè invocanda.*

OMnium principium ſumendum ab auſpicijs SSS. TRINITATIS, ut illa dies noſtros & omnia, quæ agimus, lumine ſuo impleat, ut Sol diem. S. Dionyſius de div. nom. *c.* 3. Invocatâ, inquit, TRINITATE, quæ boni principium eſt, & bonum ſuperat! Oportet enim nos primùm orationibus ad ipſam, ut ad boni principium, adduci; ac deinde magis ipſi propinquantes, edoceri optima quæque munera, quæ penes ipſam ſunt collata, &c. Nos ipſos itaque orationibus ad ſublimiorem divinorum benignorúmque radiorum contuitum comparemus. Rabbi Heccados, tetragrammaton, & ineffabile illud JEHOVA DEI nomen, interdum 24. litteris Hebraicis ait expoſitum, in hunc modum: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus: Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate. Totas 24. diei horas hoc Dei nomen tibi impleat, ut ſint & horæ ſacroſanctæ, & ea, quæ in illis per te fiunt, omnia SSS. TRINITATI.

Unde P. Carolus Spinola S. I. felix SSS. TRINITATIS nomini dicatum holocauſtum in Japonia, manè ita precari conſvevit.

Adoro te SSS. TRINITAS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus meus, &o-

» & Omnia. Gratias ago tibi pro creatione, redemptione, conservatione, (vocatione ad hanc Societatem,) & pro omnibus innumerisque beneficijs, mihi, & toti mundo concessis. En, Domine mi, me totum, & quicquid intra me, & extra me est; cogitationes, verba, opera hujus diei, ac totius vitæ meæ, in Sacratissimi Filij tui sanguine involutum, in tui amorem & gloriam ac proximorum salutem, tibi offero & dedico. Auser à me, quicquid tibi displicet in me; & da mihi quicquid tibi placet. Dirige, & posside me jugiter secundùm beneplacitum tuum. Da mihi per viscera Beatissimæ Virginis, ut nunquam te offendam, sed semper faciam tuam voluntatem. Perfectionem in spiritu (Societatis Jesv) tribue, ut gaudium meum sit plenum. Perfunde me spirituali lætitiâ, ut te in omnibus, & ubiq; inveniam: ac tandem (per martyrij palmam) ad te pervenire merear, Amen.

Primò studendum, ut cor, quod est agendorum omnium fundamentum, & quasi terra, è qua totius diei arbor creseit & fructus, sit mundum. S. Catharina Senensis *orat.* 10. SSS. Trinitatem vocat *arborem vitæ*. Animam verò nostram alloquens: *O arbor*, inquit, *posita in tanta puritate à plasmatore tuo!* Sed hæc arbor, Deus æterne, quia abscidit se ab innocentia, per inobedientiam cecidit, & de arbore vitæ effecta est arbor mortis: unde non nisi mortales fructus postmodum producebat. Propter quod tu alta & æterna Trinitas, videndo hanc arborem nullum fructum posse producere nisi mortis, quia erat separata à te vitâ, dedisti remedium, inserendo Deitatem tuam in arborem mortis nostræ humanitatis. O dulce & suave insertum!

Vide ergo primùm & ante omnia, ut ne mortale quodpiam peccatum in te latens, omnia hodiernæ diei opera faciat esse fructus mortis, id est mortua, & ad æternam vitam inutilia. Confitere. Insere deinde Christi merita, & uni cum tuis. Ita placebunt.

S. Agnes de monte Politiano tres à Beatissima Virgine porrectos sibi lapillos pulcherrimos, & simul hoc monitum, accepit: Scito, filia, te sacras mihi ædes excitaturam; quocirca hos tres lapillos cape, & effice, ut quævis tua ædificatio constantissimæ fidei individuæ Trinitatis fundamento nitatur.

Lipelloo 20. Apr. Dies tibi totus templum esto Deo sanctum, in quo 24. horæ, veluti 24. altaria. Dedica illud SSS. Trinitati per Beatissimæ Virginis Matris manus.

Tunc animanda totius diei acta, intentione purissimâ. Quò erit illa purior, eò ad ipsum SSS. Trinitatis thronum altiùs evolabit. Simul ergo agendorum omnium scopum ac finem sanctum tibi constituas gloriam SSS. Trinitatis, & simul ejusdem pro diei ac vitæ totius agendis negotijs implores auxilium. Ita Ecclesia *jam lucis orto sidere* manè ter quotidie ingeminat: *Deus in adjutorium meum intende*; *Domine ad adjuvandum me festina*. Idémque iterùm, ac tertiò repetit, ut ostendat, quàm id seriò manè quotidiè peti debeat à SSS. Trinitate. In illius nomine inchoanda omnia: ipsa etiam æternitas. Et si quid bonarum cogitationum sub corde verses, si jam illæ

illæ bene sint examinatæ, invoca SSS. TRINITATEM pro executione matura. Ita S. Joannes Calybita, alter ille Catholicæ Vrbis Alexius, ut voto sancto potiri, & veste cænobicâ indui citiùs posset, id apud Archimandritam 40. adhuc dies pro more expectandos esse dicentem, potentissimâ hac obtestatione pervicit: *Obtestor te per purissimam Trinitatem, ut hodie me tondeas.* Hoc age, obtestor te per purissimam Trinitatem, ut donec *hodie* nominatur, *hodie*, non cras incipias; *hodie* si vocem ejus audieris, noli obdurare cor tuum. Attende manè & interdiu sæpiùs, ne justitiam tuam, id quod etiam *Matt. 6.* monet Christus, facias coram hominibus, ut videaris ab eis: alioquin mercedem non habebis apud Patrem nostrum, qui in cœlis est. Sic tamen luceat lux tua coram hominibus, per bona lucis exempla, ut videant opera tua bona, & glorificent Patrem tuum, qui in cœlis est. Vide, ut ne sint cadavera, sed animata à Spiritu Sancto, ut agaris à Spiritu, dum illa agis. A charitate, quâ erga SSS. TRINITATIS gloriam fertur cor tuum, imperentur ea, quæ facis omnia. Eccli. 35. *Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa Deus.*

S. Catharina Senensis *l. 6. cap. ult.* O *Trinitas* æterna, in tuo lumine, quod mihi dedisti, cognovi per multas & admirabiles declarationes viam magnæ perfectionis; ut cum lumine, non cum tenebris amodò tibi serviam, atque sim speculum vitæ sanctæ: & ita resurgam à miserabili vita mea, quâ semper in tenebris hucusque tibi servivi.

Dissolvisti lumine tuo tenebras meas! Ita tu manè lumen pete, quod in totum illum diem, vitámque omnem sufficiat, ut cum lumine servias hodie, ac semper. In honorem SSS. TRINITATIS dedicatum sis speculum, & exemplum vitæ sanctæ, quale hactenus forsitan haud fuisti. Dissolve crassas tenebras tuas æterno lumine SSS. TRINITATIS.

Neque magna tantùm, sed & minima quæque offeras Deo, Ita cilicia, & pili caprarum, & æra minuta duo, placent maximo Deo, si ad maximam illius gloriam offerantur. Scimus lucente in pectore splendore singulari à SSS. TRINITATE donatos eos, qui hac purissimæ intentionis praxi, séque suáque cogitata, dicta, facta diei, hebdomadæ, mensis, anni, vitæ, ac totius denique æternitatis secuturæ, ad majorem SSS. TRINITATIS gloriam obtulêre. Totum autem cor offer, opus totum. Philosophus, gloriæ animal, inquit *in consol. ad Iulianum* S. Hieron. & popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit; & tu te putas virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? Teipsum vult Dominus, *hostiam vivam placentem DEO:* id, quod manè fit optimè.

S. Augustinus *sol. cap.* 18. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis! Adde: Totus dies, totæ horæ, omnia momenta, totæ hebdomadæ, toti menses, toti anni mei vivant tibi, æternitas mea dulcis!

HEB-

# HEBDOMADA XLII.

*Vide dum oras, ut ores integrè. Nec verba, nec orandi tempus decurtandum.*

MEretur longiora noſtris temporibus orationis tempora ſancta æternitas, & SSS. TRINITAS, æternus temporum autor & Dominus, DEUS. Nec verba omnia dixit, & ea, quæ dixit verba ſicco tantùm, & excorde ore dixit ille dæmon, qui verba tempúſque inter orandum truncantibus perſimilis eſt. De illo *prærum ſpirit. c. 119.* ait, illum in veſte monachi ad ſenem Monachum abijſſe, pulſáſſe. Orare juſſum, & dicere *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, non aliud, nec aliter orare voluiſſe, quàm *Et nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* Iterùm alia etiam de SSS. TRINITATE orare juſſus, eadem dixit, & ſemper eadem. Tandem ſenex: Sic ora, inquit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* Diſparere in fœtores maluit dæmon, quàm integrè orare. Ita orant ij, qui præcipiti ore verba elidunt integra. Implent illi ſaccum illius dæmonis, cujus munus fuit jam olim colligere ſyllabas, & verba in oratione præcipiti in terram, imò in purgatorium cadentia. Ideò reprehenſus à ſecunda in Trinitate perſona S. Anno Epiſcopus, quòd ita *Gloria Patri, &c.* truncantem præcipitis linguæ cordiſque Clericum, non corripuerit. Simoniacum Archiepiſcopum *Gloria Patri* integrè pronunciare non potuiſſe ſupra retulimus. O miſera temporis, verborúmque compendia! Deus præteriti, Deus præſentis, & futuri temporis Deus, imò æternitatis Deus! Pudet! è tempore à te dato tam tibi à nobis parcè ſerviri! Unde S. Chryſologus *ſ. 140.* Ah! quando tantum Deo, quantum mundo? quando tantum cœlo, quantum terræ? quando tantum virtuti, quantum vitijs fragilitas humana famulatur? Ita ille.

Quid, ſancte Deus, quid piget linguam, quid tædet tempus illi impendere, à quo illa habemus, in cujus obſequium illa omnium optimè collocantur?

Impende tempus non tempori, ſed illi, quam tibi SSS. TRINITAS liberaliſſimè præparat, aureæ æternitati, quæ erit pretium temporum tuorum, horarum tuarum diligenti SSS. TRINITATIS obſequio impenſarum. Ne te hujus temporis tædeat: dulcis tibi erit ſinè tædio ſancta æternitas. Ibi videbimus, amabimus, & laudabimus, inquit *c. 36. ſolil.* S. Auguſtinus, & pergit: Hoc eſt cognoſcere faciem tuam, cognoſcere Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritûs Sancti clementiam, ipſius ſummæ TRINITATIS unam & individuam eſſentiam. Ibi poſtea gloriam, coronam, bravium, beatitudinis plenitudinem, gaudium æternitatis latè proſequitur. Tu ſi æternitatem vis lætam apud SSS. TRINITATEM; vide ut lætus, & abſque tædio impendas tempora tua honori honoraturæ te in æternum TRINITATIS.

Apud Humbertum *lib. de 7. donis*, damnatorum quidam alta inter & plena miſerabilium ejulatuum ſuſpiria: *Nihil*

*hil nos omnes damnati acerbiùs deflemus*, inquit, *quàm inter seculi breves illecebras dilapidati temporis jacturam!* Quàm sanctum est, ne syllabam quidem, ne momentum quidem ex ijs, quæ altissimo SSS. TRINITATIS honori destinata sunt, perdidisse.

Insuspicabilis secreti cognitio est, Deum non nosse nisi Deum, inquit S. Zeno *ser. 2. de Nat.* O qui Deum novit Deum, non autem novit illum ut dormientem quendam, & non nisi per suos omnia dormiendo administrantem Monarcham, non illum piget integra Deo verba & tempora, corde ac ore integro inter orandum dare.

Quantum in vanas vanitatum vanitates dilapidâsti temporis! quod utinam totum in integerrimis SSS. TRINITATIS obsequijs exactissimè ad syllabam, ad litteram, ad momentum ultimum posuisses; & tamen nunc piget tantum fræni cordi, & linguæ oranti adhibere, ut longioris temporis & orationis tædium præcipiti linguæ volubilitate, dispendij pleno temporis Deo dati compendio, non decurtes? Memini ejus, quod Guil. Lamormain S. J. spectatissimæ prudentiæ fideique vir, ex ipso quocum res contigit, habuit. Religiosus quispiam toto triennio acutissimos podagræ semper cruciantis dolores intimis medullis imbiberat, neque priùs morbo, quam vitâ functus, alteri cuidam socio se dedit spectabilem, dixitq; si tantillum adhuc sibi temporis superfuisset in vita, æternitati curandæ, quod salutationi Angelicæ vel semel pronunciandæ sufficeret, se libentissimè altero iterum triennio acutissimum quodvis podagræ genus ultrò perpessurum, modò tantillum temporis tantis doloribus emere liceret. Quomodo orares inde redux!

S. Franciscam Romanam ad Angeli sui coruscantis lumen aliquando orâsse legi: Tu ad purgatorij ignis, vel si mavis, ad SSS. TRINITATIS lumen ea, quæ oras, ora, & nec orandi tempus, nec verba decurtabis. Quantum syllabarum temporisve orationi detrahitur, tantum SSS. TRINITATIS gloriæ detrahitur, tantum Purgatorio tuo additur.

---

# HEBDOMADA XLIII.

*Non integrè tantùm tempus orationi dandum, & verba integrè pronuncianda; verùm & SSS. coram qua oratur, Trinitas, & verborum quæ pronunciantur res, attento corde volvenda.*

NEcessaria est horum trium in orando unio, Dei, cordis, oris. S. Bernardus 5. *consid.* Inter omnia, quæ unum dicuntur, arcem tenet unitas TRINITATIS. Hæc unitas uniat illa tria, Deum, cor, & os orantis.

Nescio quid pretiosius hac re habeat vallis hæc lacrymarum. Anno 1431. ut refert 21. Feb. Kal. Marian. P. Balinghen. Treviris, è S. Brunonis asceterio sancto, religiosissimus, & Litaniarum, Psalmorum, Rosarij attentè orandi avidissimus quidam, ecquid demum sancto huic orandi modo in cœlis præmij respon-

ponderet, cum Deo conferebat & secum. Ergo elevatis ad altiora videnda Spiritûs oculis, vidit Custodem Angelum singulari planè lætitiæ intimæ significatione, ad plenum immensæ sacratissimæque majestatis, in quo SSS. TRINITAS considebat, thronum, Litanias, Rosaria, Psalmos cum triumpho afferentem, offerentémque tanquam è terris missa munera SSS. TRINITATI. Beatissima etiam Sanctorum omnium Regina, & Sancti omnes ad excelsum gloriosissimæ super omnia Trinitatis thronum unà inclinati, omnia illi Rosaria offerebant, & Litanias, ac Psalmos; & pro eorum, qui preces illas fuderant, necessitatibus, opem ab illa supplices implorabant. Corollas etiam cœlesti artificio & splendore nobiles vidit, sed alias alijs pulchriores; illorum capita coronaturas, qui preces illas honori SSS. Trinitatis majore cordis attentione ac puritate fudissent, aliósque ita orandi artem edocuissent. Ita *Solil. c.* 37. totus orat Augustinus non verbis tantùm, sed corde lachrymante, *Unus Deus*, inquit, *tres personæ! Pulsant ad ostium tuum desideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lachrymarum oculorum meorum, &c. Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam adjutricem!* Tales clamores audit SSS. Trinitas. Talibus parantur coronæ illæ, ad thronum SSS. Trinitatis. Unde, ut attenta oraret S. Gertrudis, *lib.* 4. *c.* 4. *Domine, labia mea aperies*, ter cantabat cum alijs, oratura, *immensam Dei Patris omnipotentiam, ac inscrutabilem Filij Dei sapientiam, dulcissimamque Spiritus Sancti benevolentiam salutando toto corde, totâ animâ, totisque viribus, unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate supplex adorabat.*

S. Franciscus Seraphicus, ut cor omne in SSS. Trinitatis sinum colligeret, quam ipse eum in usum conscripserat SSS. Trinitatis doxologiam, horis canonicis præmittebat, ut habet VVadingus *t.* 1. *op.* S. Francisci *pag.* 103.

*Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noster omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est:*

*Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

*Dignus es, Domine Deus noster, accipere laudem, gloriam, & honorem, & benedictionem:*

*Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

*Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem:*

*Laudemus, & superexaltemus eum in secula.*

*Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu:*

*Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

*Laudem dicite Deo omnes servi ejus, & qui timetis Deum pusilli, & magni:*

*Laudate, & superexaltate eum in secula:*

*Laudent eum gloriosum cœli & terra:*

*Et superexaltent, & laudent eum in secula.*

*Et omnis creatura quæ in cœlo est, & super terram, & subtus terram; terra & mare, & quæ in eis sunt:*

*Laudent & superexaltent eum in secula.*

*Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Lau-

*Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

*Sicut erat in principio, & nunc, & semper.*

*Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

Faciunt hæc, & sine temporis orandive tædio faciunt animæ, quæ altè se se penetrant usque ad thronum SSS. Trinitatis. Nulla illas fatigat, imò omnis illas acuit, magisque Dei avidas reddit in oratione attentio: id, quod Seraphicæ Virgini Catharinæ Senensi contigit, quando illa *dial. tract. 6. cap. 167.* ita suspirabat: Tu Trinitas æterna, es quoddam mare profundum, in quo quantò plus quæro, plùs invenio: & quantò plus invenio, plus quæro te. Tu quodammodo insatiabiliter animam satias: quoniam in abysso tua ita satias animam, ut semper remaneat esuriens atque famelica. Ita tu ora, ut avidus & famelicus. Cum fame orandi avidè ad orationem accede: semper aliquid lucrabere à SSS. Trinitate.

# HEBDOMADA XLIV.

*Vt nullum te officium, actionem nullam aggredi patiatur talem, quæ in damnationem tuam vergeret, si à te susciperetur, intimis precibus roga SSS. Trinitatem.*

GRatias agit etiam hoc nomine SSS. Trinitati, *solil. cap. 16.* veri perspicientissimus Augustinus; & ait: Tentator defuit, & ut deesset, tu fecisti; locus & tempus defuit; & ut hæc deessent, tu fecisti. Adfuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus: sed ut non consentirem, tu me tenuisti.

Magna omninò miserentis Dei providentia est, officium, tempus, locum non concedere, in quo prævidet nos liberè quidem, sed certò consensuros in scelus.

B. Gaufredus Claræ vallis Prior, Tornacensem insulam, tametsi diu multúmque id & Eugenius Pontifex, & S. Bernardus Abbas hortator urgeret, non accepit. Timebat, ne à pretioso illo pondere deprimeretur in chaos æternitatis tartareæ. Neque illum pœnituit consilij sancti, quod vel ex eo à SSS. Trinitate illum obtinuisse certum videri potest, quòd post mortem apparens, clarè dixerit: *Ecce salvus sum. Si autem fuissem de numero Episcoporum, de numero fuissem damnatorum. Ita mihi SSS. Trinitas revelavit.* Ita post alios autor est Marcant. tubæ Sacer. *tract. 1. lect. 5.* Ita sortes omnes, omnis fortunæ urna à Domino temperatur. Plerumque, si non semper, periculosè petuntur officia, & neglecta in postremis habetur æternitas: cui an officium tuum serviat, seriò & sine assentatione vide. Æternos honores, ignominiam æternam, cum his honorum momentis, punctis, instantibus collatos, pondera. Indè est, quòd tot Eminentissimi, imò & Serenissimi pilei jaceant ad pedes Sanctorum, Thomæ, Borgiæ, aliorum. Sunt plures, quos in alijs officijs melior maneret æternitas! Ergo examina statum tuum.

O Trinitas æterna, inquit S. Catharina

na Senensis *orat.* 10. nos sumus arbores mortis, & tu arbor vitæ. Tu Trinitas æterna, dedisti ramos huic arbori. Quem fructum producit memoria? Fructum retinendi. In intellectu posuisti fructus discernendi, & in voluntate fructus amoris. Ita officia sæpe sunt vitæ, sæpe sunt mortis arbores. Unde fructus æternæ mortis ex officijs, & honoribus. Fructus SSS. Trinitatis sunt fructus honoris & honestatis. Vide, ut fructus tui honoris, seu officij sint fructus grati SSS. Trinitati, sint fructus bonæ voluntatis, fructus amoris æterni. Præfer honores æternos his, qui tibi erunt in ignominiam sempiternam.

Sidonius Apollinaris, ait, à Sapientibus Thraciæ, Solem cum tribus radijs pictum quorum primo attingebat mortuum, & revocabat ad vitam: alterum projciebat in petram, eámque minutissimè confringebat: Tertium in plenum nivibus montem mittebat, & liquefaciebat. Epigraphe hujus SSS. Trinitatis symboli fuit: OCVLI DEI AD NOS. Quocunque in officio sis, cogita esse super te videntes omnia oculos SSS. Trinitatis. Alij sunt montes, alij tantùm nives, alij petræ, alij ferè cadavera: alij aliud sumus; & denique OCVLI DEI AD NOS. Illos oculos officio tuo præficito!

## HEBDOMADA XLV.

*Contra respectus humanos sancto SSS. Trinitatis respectu te munias.*

MAgnæ omninò tenebræ, videre meliora probaréque, & tamen ob humanos quosdam, imò inhumanos planè respectus, deteriora sequi. S. Catharina Senensis *orat.* 1. O anima mea misera, inquit, non amplexatrix lucis, sed tenebrarum. Surge, surge à tenebris. Excita te ipsam, aperi oculum intellectûs, & respice in abyssum charitatis divinæ. Lucem Dei præ tenebris humanorum respectuum in nomine SSS. Trinitatis amplexa est S. Richtrudis Vidua, ut Surius Anno 687. meminit ex Hunbaldo, quæ cùm secundas sibi à Clotario Rege nuptias à longè tacita quadam molitione parari è signis quibusdam adverteret, vocato ad lautum convivium Rege, præclaris plena cogitationibus, in medio epularum, Regem rogat: num sibi in domo sua liceat facere id quod lubet? Rex, pro temporis locíque genio, jocum parari ratus, toto capite annuit, & licere dixit, quicquid vellet. Tum Richtrudis benedictum jam ante à S. Amando, quod in sinu absconditum habebat, velum profert, atque ut ne vel ipsa à præclaro facinore, authoritate Regiâ deterreretur, & alios divinæ majestatis nomine à prohibendo id, quod agebat, deterreret, *cum invocatione SSS. Trinitatis*, Sponsi JESV, & Deiparæ Virginis, velum illud capiti suo palàm imposuit, sacra jam SSS. Trinitati Monialis. Inexpectatâ Richtrudis inventione, & sacratissimi nominis commemoratione, attonito Rege stupent Proceres. Richtrudis verò nil cunctandum rata, Rege Proceribúsque in convivio relictis, tres (quas sancto MARIÆ nomine singulas insigniverat, & SSS. Trinitati dedicaverat, purissimum holocaustum) unà secum

cum filias abduxit, & veſte præclaris illis & ſupra omnem humanum reſpectum erectis cogitationibus conveniente amicta, ſua omnia, ſuas, & ſe dedit Cœnobio: ubi cilicio perpetuo corpus atterens, ad ſeptuageſimum uſque ætatis annum incluſa, tandem felici morte abijt ad contemplandam ſinè velo illam, in cujus invocatione, contempto humano reſpectu omni, velum ſacrum induerat SSS. Trinitatem.

Ita obfirmandus eſt contra ineptias vanorum reſpectuum animus, & agendum quod vult DEUS. Reſpectus humani divinis reſpectibus retundendi.

S. Hilarius *Epiſt. in Matth. can.* 10. Omnis ſermo Domini carnalibus tenebræ ſunt, & verbum ejus infidelibus nox eſt.

Volunt humani reſpectus tenebras luciloquentis tibi in cor SSS. Trinitatis offundere. Tu tamen igne & lumine Dei illas pelle, & generosè exurge. Si amas SSS. Trinitatem ſupra omnia, annues illi etiam, ſi contra te ſint alia, quæ Deus non ſunt, omnia.

In Philoſophico Athenarum comitio, teſte Laërtio *in Vit. Phil.* agitatâ diu multúmque quæſtione, quod tandem, rem ipſam explicans, pro Amoris dignitate, Amori ſit dandum nomen, concluſum eſt, *ut Amor pro nomine Annuens vocetur.* Si verè amas SSS. Trinitatem, quicquid illa vult, quicquid ſuggerit, *hoc age*, annue, quicquid alij renuant; tuus erga SSS. Trinitatem amor, illis *Renuens*, ipſius verò SSS. Trinitatis voluntati *Annuens*, & vocetur, & ſit.

# HEBDOMADA XLVI.

## *Frequens SSS. Trinitatis recordatio, & fervens ejusdem cultus etiam alys perſvadendus.*

FEcit id S. Edmundi Angli Hebd. 30. laudata Mater Mabilia. Fecit id cœlum, quando (ut 28. Jan. habet Bollandus) S. Thyrſo horrenda paſſo, dixit: *Thyrſe, conſtans eſto. Confide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum;* & oſtenſa eſt ei militia cœlorum. Age tu idem, dum alios ſeu ſecundâ uti fortunâ, ſeu adverſâ premi vides. Sancti ſunt cultus alij; iſto ſanctior nullus. Quicquid alibi eſt boni, hinc manat. Macte ingenio, macte ſanctâ induſtriâ, & ora, ut te ſingulare faciat SSS. Trinitas inſtrumentum ſui cultûs longè ac latè proferendi. Vide quid poſſis, vide quid velis.

Fecit id, laudato, & felici æternitatis laureâ coronato exemplo B. Simon Garcia, *ut è Chron. Min. habet Kal. Mar. 27. Feb.* Hic ut teneram SSS. Trinitatis, & ſimul Beatiſſimæ Matris memoriam Ordini ſuo imprimeret, Viſitator factus, ſingulis cubiculorum portis, quò præ oculis manibúſque ſemper omnibus in ipſo cubiculi ingreſſu egreſſúq; SSS. Trinitatis & Deiparæ Matris recordationi refricandæ extaret aliquid, affigi orationem hanc juſſit:

*Ave Filia DEI Patris;*
*Ave Mater DEI Filij;*
*Ave Sponſa Spiritûs Sancti;*
*Ave templum totius Trinitatis.*

Hanc ille memoriam in omnium cor-

de sedere volebat: hac suas preces omnes claudebat oratione: hac quasi dedicatoriâ utebatur, cùm textas è floribus varijs corollas beatæ illi SSS. Trinitatis Basilicæ offerret: hac denique devotione obtinuisse fertur, ut nullâ mortalis noxæ turpitudine unquam fuerit sordidatus. Inter expirandum verò cogitatione totâ, spe totâ SSS. Trinitati, & virgineo SSS. Trinitatis templo affixus, Crucémque complexus, manu alterâ Rosarium, alterâ disciplinam apprehendit, ne periret de via justa. Ita deductus est à SSS. Trinitate, per vias æternitatis rectas in domum æternitatis suæ, & ostensum est illi, & etiamnum ostenditur regnum trini & unius, ad cujus cultum omnes, arte omni, quâ poterat, advocabat, Dei.

S. Franciscum, cuidam ut versiculum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ediscceret, pro addiscendo Scripturæ sanctæ pleno compendio, svadentem, retuli, hebd. 36.

Utere ingenio calidi & ingenioſi cordis tui, & si quid in thesauris tuis invenire artium potes, quibus alios ad colendam super omnia SSS. Trinitatem trahas, exprome. De Deo agitur, pro Deo agitur. Da omnes Deo; da Deum omnibus. S. Catharina Senensis » *orat.* 22. Deitas æterna, inquit, ô alta, » & æterna Deitas, ô summe & æterne » Pater! O ignis, qui semper ardes. Alta, & æterna Trinitas! tu es ignis inæ» stimabilis charitatis. Donum dedisti » homini, totum te Deum, immensam » & æternam Trinitatem. Ita est! Inæstimabilis thesaurus est in corde illius, cui SSS. Trinitas facta est donum. Illi verò facta est donum, in cujus corde præcipuus, & super omnia alia eximius & constans SSS. Trinitatis amor, honor, cultus triumphat!

# HEBDOMADA XLVII.

## *Pro animarum conversione, ad SSS. Trinitatem curâ peculiari recurrendum.*

DIviniſſimum enim omnium divinorum opus hoc cùm sit, ad quem pro illo feliciter exequendo potiùs recurrendum, quàm ad diviniſſimam Trinitatem? Primò tu in cœlum rapere à SSS. Trinitate, & te divino zelo involve: tum alios in cœlum rape ad SSS. Trinitatem. S. Catharinæ Senensi *tract.* 2. *c.* 83. Paulum ad tertium cœlum attraxi, inquit Deus *ad altitudinem Trinitatis*, ubi plenè recepit sancti Spiritûs abundantiam, atque didicit incarnati Verbi mei doctrinam; & tunc induit anima ejus me Patrem æternum. Indue sic; & sic è cœlo indutus in terras prodi, ad lucra æternitatis. Primò SSS. Trinitati, de animabus, postea ad animas loquere de SSS. Trinitate. Ita ad æternum Patrem pro ijs, apud quas in Evangelio desudabat animabus, flebat quotidie supplex Franciscus Indorum Apostolus Xaverius: *Æterne rerum omnium Conditor & effector Deus, memento abs te animas infidelium procreatas, easq; ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Iesum dilectissimum Filium tuum, pro illarum salute atrocissimam*

*mam subesse necem. Noli, quaso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus Sanctorum tuorum, & Ecclesiæ sanctissimæ Filij tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus Idololatriæ, infidelitatis, malitiæ, & contumaciæ eorum, effice, ut ipsi quoq; agnoscant ac diligant, quem misisti, Dominum Iesum Christum, qui est Salus & Resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus: cui sit gloria per infinita sæculorum sæcula, Amen.*

S. Dionysius de cœlesti hier. *cap.* 3. » Etenim cujuslibet eorum, qui sacrum » Ordinem sortiti sunt, in hoc sita perfe- » ctio est, ut ad divinam, pro captu quisq; » suo, promoveatur imitationem, quódque divinius est omnium, ipsius etiam » Dei (ut eloquia loquuntur) cooperator existat.

Felices illi æterni Patris imitatores, & quasi animarum Patres! Imitatores Filij, dum toti fiunt Verbum & Vox clamantis per illos, tanquam Apostolos Filij Dei, qui 1. *Pet.* 2 est pastor & Episcopus animarum nostrarum! Imitatores Spiritûs Sancti, qui est *Parochus gratiarum*, ut S. Cyrill. Ierosol. *Catech.* 17. loquitur, quasi tibi, & mihi loquens: Respice magnum hunc Præsulem & gratiarum Parochum. Ama animas. Amant se invicem Pater & Filius, & hic amor est tertia in Trinitate persona. Ama animas. Non erit sterilis amor ille, dabit illi seipsum Spiritus Sanctus Deus amor.

Servi omnibus pauperum, divitum, doctorum, rudium, omnium gentium animabus. In Trinitate, in maxima personarum oppositione, est suprema unitas, amor.

Juvabit te Pater, animarum adeò amans parens, ut Filium suum pro illis dederit; juvabit Filius, animarum adeò amans Sponsus sanguinum, ut seipsum dederit; juvabit Spiritus Sanctus, animarum adeò amans Præsul, ut seipsum illis dederit pro Parocho curatore omnium gratiarum.

Hanc ergo pro illis, quas jam Dei esse vides animabus, cœlo plùs ultra eruditendis perficiendísque, & pro obstinatis etiam animabus, Trinitatem deprecare. Ita fecit is, de quo *hebd.* 18. hic dixi, Stephanus, Vir SSS. TRINITATI ex asse devotus totus. Scelestus quidam, & in fædo carnis lupanari prostitutæ jam pridem animæ corporísque miles, & minis & precibus ut pro se ne oraret, Stephanum prohibebat. Negabat enim se ab assvetis illis sordibus, ullâ ullius arte vel posse vel velle emergere. Orat pro illo unà cum suis omnibus Sanctis, & eece ille amantissimarum lachrymarum plenus, in terram corruit, novum pœnitentiæ ac sanctitatis exemplum. *Vid. Kal. Marian.*

Ita ad SSS. TRINITATEM recurrisse videtur *Ephes.* 3. Paulus pro Ephesijs suis orans; Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad *Patrem* Domini nostri IESV » *Christi*, ex quo omnis paternitas in cœ- » lis & in terra nominatur; ut det vobis » secundùm divitias gloriæ suæ, virtute » corroborari per *Spiritum* ejus in interiorem hominem. Et certè qui animas seriò sitit, seriò SSS. TRINITATIS opem implorare non cessat. Nam, ut Augustinus ait *tract.* 80. in Joannem: Deus incrementum dedit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam sublimitatem: nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem.

HEB-

# HEBDOMADA XLVIII.

## *Quod à te factum fuisse velles moriens in honorem SSS. Trinitatis, id nunc fac.*

NUnc sub velo sumus. Mors quando nobis oculos clausura adveniet, velum pandet. Ægyptiorum templorum Epigraphe erat: Ego sum quod fuit, quod est, quódque futurum est, velum meum nemo unquam revelavit. Revelabit velum suum tibi SSS. TRINITAS; verùm ante quàm revelet, reducet tibi cortinam totius vitæ. Vide nunc, quid tunc voles, ad cortinam ultimam.

P. Joannes Falco S. I. animarum zelo, & magnis alijs cœlo charus, magnis amoris æstibus ardebat ultimùm æger, questúsque se ita jam tunc per morbum ut vellet, orare non posse, ita precabatur: *Tuscis, SSS. Trinitas, quomodo nil aliud in vita mea quæsiverim, quàm ut amorem tuum omnibus hominibus imprimerem; quæ hunc in finem excogitárim media, quos labores subierim, tu nosti optimè. Quando igitur id agere per infirmitatem jam non licet, suscipe voluntatem meam, &c.* Hic septenos sibi montes mente signabat, in quibus animo versabatur. 1. Montem SSS. TRINITATIS. 2. Magnæ Deiparæ. 3. SS. Angelorum. 4. Apostolorum ac Martyrum. 5. Episcoporum & Doctorum. 6. Confessorum & Monachorum, ac Sacerdotum. 7. Virginum, Viduarum. Cui hæc placebunt, montem SSS. Trinitatis Dominico diei, alios diebus alijs applicabit. Ita cœlestem habebit hebdomadam.

Age, & tecum verba compone, factâ priùs cum æternitate & cum corde tuo consultatione, quibus ultimùm in hac vita è lectulo mortuali supremis SSS. TRINITATEM alloqui velles verbis, & quod tunc te in honorem altissimæ super omnia Trinitatis fecisse velles, hoc fac. In ijs verò, quæ agenda suscipis, è sancto magni Ignatij Loyolæ consilio, tam seriò manum ad agendum admove; atque si re totâ tuæ industriæ relictâ, te nihil omninò juvaret Deus; & tamen SSS. TRINITATIS opem, æquè, atque si ipse nihil faceres, implora. Ita fecit S. idem Ignatius, quando vires omnes, & ad id, quod ordiebatur agendum, & ad implorandam SSS. Trinitatis opem adhibuit; unde à Patre, Filio Crucis bajulo commendatus est; & à Filio, *Ego vobis Romæ propitius ero*, audivit, & Spiritus Sanctus illi in linguarum ignearum specie Romæ postea (ut in tabella in illius conclavi Romæ appensâ scriptum) apparuit, illum accendit, & quasi Ignatianum Pentecostes diem celebravit. S. Augustinus in *Psal.* 86. *Ab omnibus*, inquit, *quatuor gentis vocatur Ecclesia.* Quomodo vocatur? Undique in Trinitate vocatur. Ita de militante Ecclesia ille; idem de triumphante intellige. Morientes fideles ex Ecclesia militante, in triumphantem vocantur in Trinitate. Age nunc illa, ad quæ te vivum & sanum, vel ægrum vocat SSS. TRINITAS; & illa te postea morientem vocabit ad se, dicente Christo: *Venite benedicti.* Vocat te & voce, & manu, id est, juvat. Si jam moribundus jaceres, vellésne obedivisse vocanti? Velles omninò. Fac ergo velis. Juvabit ille, qui vocat.

Ideò se in quadam quasi manûs simi-

litu-

litudine oſtendit SSS. Trinitas, ut ſe eſſe manum manus noſtras adjuvantem oſtenderet. Sigebertus *cap.* 18. in vita S. Annonis refert id, quod hebd. 36. relatum ſuprà, in trium unius manûs digitorum, analogâ quâdam ſignificatione Patrem illi, Filium, & Spiritum Sanctum, eorúmque in Trinitate unitatem oſtenſam, quæ appendit tribus digitis orbem terræ. Vide Tertullia. praxis *cap.* 3. & S. Ambroſium de Spiritu Sancto *lib.* 3. *c.* 6. ubi SSS. Trinitati applicantur manus ſic: A brachio manus eſt, & digiti; à Patre eſt Filius & Spiritus Sanctus: manus, à qua digiti ſunt, eſt Filius; digiti, qui à brachio ſunt & manu, Spiritus Sanctus, qui dicitur *dextera Dei digitus*. Ita in manibus ſuis, in ſeipſo deſcripſit nos, & opera manuum noſtrarum, Deus. Tu pedibus & manibus, & corde toto illi ſervi, ita prout te ſervîſſe velles, ſi jaceres depoſitus à ſpe vitæ. Illa tibi ſit cor, & mánus, & omnia, Deus noſter & omnia SSS. TRINITAS, unus Deus.

# HEBDOMADA XLIX.

*Examen generale, & particulare ut ſolidè facias, facies illud præfectâ illi ſingulari erga SSS. Trinitatem devotione, & ejuſdem ope imploratâ.*

SAnctus Auguſtinus 1. *lib de Trinit. cap.* 2. Trinitas divinarum perſonarum eſt ſummum bonum, quod purgatiſſimis mentibus cernitur. Mentem autem ut quàm purgatiſſimam reddas, examine utere, tanquam pleno ſingularis præcipuæque induſtriæ ad purgandam animam, & cernendam SSS. Trinitatem inſtrumento.

Rodriquez de perfect. *p.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *è Chron. Min.* refert, Fratrem Juniperum, integrum ſex menſium ſilentium à ſe hoc artificio impetrâſſe. Primo die propoſuit non loqui, idque in honorem æterni Patris; altero, in reverentiam Filij; tertio, in reverentiam Spiritûs Sancti; quarto in amorem Beatiſſimæ Virginis; & ſic per Sanctos reliquos diſcurrendo, diebus ſingulis novo ſilentium fervore obſervabat. Eâdem SSS. Trinitatis veneratione, perſoníſque ſingulis in dies ſingulos diſtributis, fædo cuidam vitio immerſum hominem liberavit S. Bernardus. Plutarchus *lib. An ſint graviores animi morbi quàm corporis?* Si te ipſum, inquit, intus aperueris, varium quoddam, & multis refertum malis penum reperies, ac mundum quendam miſeriarum reconditum, ut ait Democritus, non quidem foris incidentium, ſed ipſo in ſolo, ipſáque in terra ſuos habentium fontes, unde ſcaturiant.

Coram conditore itaque mundi Deo, vide illum in te latentem miſeriarum mundum: vide fontes, unde mala tua ſcaturiant domi tuæ. Vide capita; & ſtudio ſingulari illis incumbe ſiccandis fontibus, unde ſcaturiunt & fluunt, velut aqua, peccata tua. Radicem explora, & pone ſecurim ad radicem, ne inde folia & fructus veniant pœnitendi.

Imitare æternum Patrem, qui ſeipſum contemplatur ab omni æternitate, contemplare teipſum. Ita ille in ſe

vivam

vivam sui formavit imaginem, contemplando se: ita *imago ejus invisibilis*, Coloss. 1. Christus, formabitur in te. S. Bernardus 2. *de consid. cap.* 3. A te tua » consideratio incipiat: tu primus, tu ultimus tibi. Sume exemplum de summo omnium Patre. Cognoscendo se » ipsum gignit ab æterno Verbum Pater. » Tu te cognoscendo, eructabis corde » tuo verbum bonum, & dices opera tua » Regi cordis & operum tuorum Deo.

Præclara planè, & majori quàm putetur æstimatione digna hæc ars est. Illi nimirùm, ad quod inclinatum te vel maximè sentis, vitio curâ principali attendere, curæ illi SSS TRINITATEM pro singulari ope præficere, duellum quasi cum singulari illo hoste inire in nomine Patris primo die, altero in nomine Filij, tertio in nomine Spiritûs Sancti; atque ita per dies & hebdomadas, usque dum semper abstineas, abstinere ab illo vitio, contra quod suscepisti singulare certamen.

S. Joannes Chrysostomus *h.* 73. *ad pop.* Quemque vestrum rogo, & si non antea, deinde saltem, quem se plùs alijs vexare defectum noverit, hunc ex anima præcidere studeat. Et *h.* 82. *in Joan.* Hoc mense unum, alio aliud corrigamus; & ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus quosdam ascendentes, per scalam Jacob ad cœlum perveniemus. Illi verò scalæ innititur SSS. TRINITAS unus Deus, cui tria particularis hujus examinis tempora dicanda sunt; Matutinum, quo ab hesterno examine ad matutinum usque tempus quid intervenerit illo in vitio, nos discutimus, & diligentem cordis pro die toto, præcipuè circa unum illud vitium, custodiam proponimus, Patri; meridianum, quo quid hac in parte à nobis boni vel mali horis antemeridianis actum dispicimus, Filio; Spiritui verò Sancto vespertinum, quo postmeridiani temporis circa singulare illud vitium errata virtutésque numeramus, & posteriorem diei partem cum priore, diem hodiernum cum hesterno conferimus, & de victorijs gloriam Patri, & Filio, & Spiritui Sancto dicimus, de lapsibus verò ab eodem veniam petimus, pœnam infligimus, & solidiora fortioráque proponimus, atque ut proposita exequamur, pro illis robur âSSS. TRINITATE petimus, tandémque à miserta nostri, & laborum bonorúmque conatuum nostrorum æstimatrice SSS. Trinitate etiam impetramus.

S. Augustinus solil. *cap.* 15. Quando cecidi, nunquam surrexissem, inquit, » nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam me etiam erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses. Sæpiùs perissem, nisi me gubernâsses. »

Ibidem gratias agit, quòd illum ab occasionibus servârit Deus, *præcidens*, inquit, *etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas: quia nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio, Domine, quòd nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit, à quo factus est homo. Sed quòd non facerem, tu fecisti.* Ora & tu, ut faciat SSS. Trinitas, ut non facias id, ad quod non faciendum peculiari attentione stu lióque advigilas; *Tu Domine, regebas me tibi, & mihi.*

P. Petrus Faber, ut Orland. vitæ ejus *lib.* 2. *cap.* 11. habet, studiosè tenebat, quod initio didicerat ab Ignatio, ut se iden-

identidem obſervaret, & in mores ſuos & ſuas noxas inquireret, & progreſſiones recognoſceret, uniúsque temporis fructus cum alijs temporibus compararet. Quod præcipuè curandum cenſebat ſub diviniſſimæ Trinitatis ſolennia. Ad eam enim referri omnes myſteriorum Chriſti celebritates, & in ea concludi. Initium igitur annui profectûs inde ſumendum: ibidem reponendos evoluti anni fructus: præſertim quòd labores Dei ſervorum eò tendant, ut ſe ipſos ædificent in habitaculum ac templum ſanctum, ubi SSS. TRINITAS ipſa æternam faciat manſionem. Ædificabis te, ſi primò deſtruas Babylonis muros, ſi examine diligentiſſimo omnia, quæ te perturbant, & unum præcipuum inter omnia, diſpicias, deprehendas, emendes.

Et par eſt omninò, ut maximo ſtimulo ſit omnibus ad virtutem, peculiaris SSS. TRINITATIS cultus. Tali ſtimulo fuit Didaco Sauræ S. I. *apud Rho. hiſt. Virt. lib. 3. c. 12. n. 10.* qui voti religione deſignavit, accuraturum ſe dictis factíſque in omnibus abſolutiſſimam perfectionem, id verò ſe amore in SSS. TRIADEM, JESVM, ac MARIAM facturum: nihil omninò ſe præter Deum affectu teneriori amaturum: ſuperiorum imperia, quantâ maximâ poſſet, reverentiâ facturum: regulis, legibúſque omnibus penitùs pariturum: Deum, quantum hîc fas ſiet, ut præſentem ſemper, ſe amaturum: gentium omnium ſaluti, quàm poſſet operam diligentiſſimè daturum, illíque quotidie honorem, ſtudia, ſanguinem, ac vitam devoturum: demùm virtutis cujuscunque apices, & ſummas laudes ſecuturum. Ita ille. Ecce ad quàm glorioſa elevat mentes devotas Numini ſuo SSS. TRINITAS. Ita age gratias, ita lumen pete à Patre luminum, ita ſinum cordis examina, ita de erratis dole, ita demùm meliora propone, ita ſingulares cum ſingulari quopiam vitio, pro ſingulari quapiam virtute inimicitias ſuſcipe amore in SSS. TRIADEM, JESVM & MARIAM.

---

# HEBDOMADA L.

*Felicem tuum ex hac vita exitum, vitæ ac mortis arbitrio uni trinóque Deo frequenter commenda.*

ANachoreta ille ſanctus totam ſuam Bibliothecam, ſeu librum, è tribus tantùm folijs conſtantem, legebat quotidie. In nigro folio mortem, in rubro judicium, in candido beatam legebat Æternitatem. Tu tria illa folia, & foliorum colores ac res, nobile trifolium, commenda SSS. Trinitati.

Ita ad JESVM, & per hunc ad æternos Beatiſſimæ Trinitatis amplexus ſuſpirat, de morte ſua ſollicita S. Gertrudis. *Inſin. l. 2. c. 3.* ut extremam, inquit, mei expirationem ſtrictis amplexibus, & efficaciſſimo oſculo tu ita excipias, quòd ſine dilatione ſe anima mea ibi inveniat, ubi tu illocalis & indiviſus in florida æternitate cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

Ita Grimaldo authore in ſanctuario Genuæ, Baptiſta Genuenſis verba ignea

moriens loquebatur, ab æterno Patre divini Verbi oſculum petens. Oſculetur me oſculo divini oris ſui. Ubi eſt amor meus? Tum ſubridens, Jam, inquit, domum perveni. Amavit me Dominus, & ornavit me; ſtolam gloriæ induit me; & ad portas paradiſi coronavit me. Tum ad Moniales hæc ſinceri & verè non concupiſcentiæ, ſed amicitiæ nomine digni amoris verba ſæpiùs repetebat: Etiamſi ſcirem, pœnas me ſubiturum inferni, Deo meo nihilominus omni conatu ſervire volo. Singulis deinde Crucifixi vulneribus oſcula, Monialibus verò ſupremum vale dans, elevatâ in SSS. TRINITATEM cogitatione, *Exivi*, inquit, *à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et eò, quò ajebat, diſceſſit.

Leander *lib.* 8. plenam cœleſtium deliciarum Henrici mortem refert, qui tandem ad orantes circum ſe converſus, animam in hiſce verbis reliquerit: Adſunt dæmones, & meam fidem ſubvertere conantur: ſed ego *Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.*

S. Idæ Virgini, ut 15. Ian. habet *Bollandus cap.* 3. S. Comganus Abbas, En moriar, inquiebat, & rogo te in Chriſti nomine, ut ponas manus tuas ſuper labia mea, & claudas os meum in hora dormitionis meæ. Scio enim ab Angelo Dei, ſuper quemcunque morientem impoſueris manus tuas, quòd Angeli Domini illicò animam ejus deducent in regnum. O imponat nobis morientibus manus ſancta hæc Virgo! Sed unde iſta mira S. Idæ? Audi. Religioſa quædam Virgo S. Idæ ita loquebatur: Indica nobis in nomine Dei, cur tu diligeris plùs à Domino, quàm aliæ Virgines, quas ſcimus in mundo eſſe? Tibi enim prandium de cœlo à Deo datur, omnes languores tuâ oratione ſanas, prophetizas de præteritis & futuris, dæmonia ubique fugas, Angeli Domini tecum quotidie loquuntur, ſemper in meditatione & oratione SSS. TRINITATIS ſine impedimento perſiſtis. Tum S. Ida: Sine impedimento in meditatione & oratione SSS. TRINITATIS perſiſto. Si quis ita fuerit, Dominus cum eo ſemper erit. Hæc ergo cauſa mirorum, hæc ratio cur Angelis familiaris, cur morientibus adeò fuerit ſalutaris, cur cœleſtibus prandijs recreata. Vis tu moriens ad cœnam vitæ æternæ vocari? ſemper ſine impedimento in cultu SSS. TRINITATIS perſiſte, Erit illa tecum. Non ſinet eſſe infelicem agonem illum tuum. Ita non ſivit Baſſianum orare fruſtra: de quo idem *Bollandus* 19. Jan. *cap.* 1. *n.* 6. S. Baſſianus auditus eſt in ſopore, Sanctæ Trinitatis invocare nomen, ut ad gloriam diligentibus ſe repromiſſam dignaretur ſe quoque dirigere. Cui vox ſuperna ſubjecit: *Gaude & lætare, fidelissime fatelles Chriſti Baſſiane, quoniam deprecatio tua admiſſa eſt coram Domino, & ſedes gratiſſima in cœlo tibi parata.* Malè mori non permittit ſuos clientes SSS. Trinitas. Ita ibid. 16. Jan. *c.* 3. moriente S. Henrico Anglo, harmoniâ cœleſti *Te Deum laudamus* canentes Angeli ad SSS. TRINITATIS honorem auditi ſunt.

Ita P. Antonius Madridius, vir lachrymarum è corde ſemper orante fluentium, ut de illo *hiſt. Soc. p.* 2. *à n.* 81. narratur, ignitus, & accendens, accenſiſque Dei carbo dictus, interdiu & noctu,

ctu, mortis jam certus, dicebat: *Adsum Domine! ut placet, facito.* Sine sensu factus repentè & absorptus in SSS. Trinitate, singulas SSS. TRINITATIS personas, verbis tempori illi, cordi illi, illi, ad cujus fores jacebat, æternitati, accòmodatissimis, alloquebatur; dein ad Societatis Patres, fratrésque: *Valete, Fratres! ego eo;* Et ad Crucifixum: *O quàm vellem nunquam te, mi bone Jesu, offendissem! quàm vellem vita mihi omnis in solo amore tui consumpta esset! dolet mihi, Domine, quòd offenderim te! Sed habes ubi divitias tuæ bonitatis ostendas! Tu, agnus Dei qui tollis peccata mundi, & hujus scelerati peccata tolle! Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, &c.*

S. Catharina Senensis *tract. 6. c. 167.* » O quàm diu erit facies tua abscondita » ab oculis meis! O Trinitas æterna, i- » gnis, atque charitatis abyssus, amodo » dissolve nubem hujus mei corporis, quia » cognitio, quam dedisti mihi de te, ar- » ctat, & valde me cogit optare depositionem gravedinis hujus corporeæ, &c. » quia gustavi & vidi in lumine tuo abys- » sum tuam æternæ Trinitas! Vide ibi reliqua, digna corde avido videndi SSS. TRINITATEM.

» S. Augustinus *cap. 37. solil.* à tribus SSS. TRINITATIS personis petit: Ut » videam divitias regni tui! Domine, qui » cor meum lætum facis memoriâ tui, qui » illuminas juventutem meam, ne despi- » cias senectutem meam; sed jubilare fa- » cias ossa mea, & revivisscere facias, ut a- » quilæ, canos meos.

S. verò Petrus Martyr, ut Sur. 29. April. refert, adeò memor fuit in ipsis propè mortis faucibus, SSS. TRINITATIS, ut lethalibus jam pro fide à sicario acceptis vulneribus, ferè exanimi conatu spiritum ultimum in pronunciandum Symbolum Apostolorum impenderit, digitum sanguine suo tinxerit, eóque *Credo in Deum Patrem* scribere sit aggressus, verùm id agentem pretiosa martyrio mors oppressit.

S. Cyrillus Catechesi 15. Abraham » tres vidit euntes ad judicium Sodomo- » rum, & unum adoravit. Ita in judicio » orbis, præerit SSS. TRINITAS; at uni » JESV delegabitur potestas judicandi. Il- » lam ergo, ut te illi judicio paret, téque talem, qualem illic te vult reperire, faciat, SSS. Trinitatem, illius tribunalis præsidem, roga. O felicem in æternæ vitæ autore SSS. TRINITATE fundatam beatæ mortis gloriam, & fortunam!

---

# HEBDOMADA LI.

*In fine diei, & cujusvis operis, illud præsenta & commenda intimâ quadam cordis effusione SSS. Trinitati.*

OEcumenicum Chalcedonense Concilium primam suam consultationem divino illo Trisagio concluſit, apud Raderum Aulæ Sanctæ *cap* 14. Multos annos Senatui. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, mi- » serere nobis, &c. Deus omnium est fi- » nis. »

Amandi SSS. Trinitatem non erit finis. Serviant ergo fines nostri omnes illi uni fini infinito. Pausan. 2: *Corinth.* Alcyoniam in Græcia paludem ait esse

profunditatis immensæ. Integrorum, eorúmque multorum, stadiorum funes connexos, appenso plumbo demissos exploratores, neque tamen repertum fundum. Placida est intrantibus aqua illa, & tranquilla. Ingressos profundè ad tranandum, attrahit arcanâ vi, & vorticibus haurit. Ita nos nostræ hauriunt sinè fundo, sinè fine profundæ occupationes. At nos fundum illarum & finem consecremus infinito Deo. Immensa est sinè illo intelligibilitatis & amabilitatis fundo profunditas TRINITATIS. Immitte bolidem. Ingredere, ibi tuas sepeli cogitationes, ibi verborum & factorum corollaria depone, & arcanâ vi hauriri pete, ne tuæ te infinitæ occupationes glutiant in infernum. Ita tibi rerum principium ac finis erit & coronamentum Deus. In fine diei cujusvis ut SSS. TRINITATI te des, disce ab Angelo S. Idæ Virginis Hibernæ, de qua *Bollandus* 15. Ian. *c.* 1. *n.* 3. *ex Vet. M. s.* Cùm dormisset S. Ida, vidit Angelum Domini ad se venire, & dare ei tres pretiosos lapides. Tum vigili, Tres lapides pretiosi, inquit, quos vidisti tibi dari, significant SSS. Trinitatem visitatione ad te venire, & te visitare; Est visitatio Patris, Filij, & Spiritûs Sancti: & semper in somnis & vigilijs Angeli Dei & sanctæ visiones ad te venient: tu enim Deitatis es corpore & animâ.

B. Magdalena de Pazzis vitæ *p.* 2. *c.* 6. Anno 1585. in vig. S. Catharinæ Senensis vidit IESVM totum annulis adornatum: & per illius sanguinem omnia sua offerens SSS. Trinitati, tibi documentum dedit exemplo suo, quomodo re quapiam peractâ, aut vesperi ut minimùm, omnia offeras SSS. Trinitati per IESVM, & MARIAM: *Offero tibi sanguinem humanitatis tuæ Verbi. Præsento illum tibi, ô æterne Pater; offero illum tibi, ô Verbum; offero illum tibi, ô Spiritus Sancte, & si res aliqua deest, offero illam tibi, ô* MARIA! *ut tu præsentes illam* SSS. TRINITATI *pro supplemento omnium defectuum, qui essent in anima mea, & satisfactione omnium culparum, quæ essent in corpore meo.* Hæc S. Catharinâ Senensi, & S. Augustino præsentibus facta. Plenus coronarum, & annulorum est IESVS. Per illum, & per Matrem illius Virginem oblata SSS. Trinitati opera coronabit, & animam desponsabit sibi. O quàm exactè nostra omnia faceremus, si sanctos cœlites Patronos nostros, si plenum annulorum Sponsum animarum nostrarum, si Beatissimam Virginem Matrem, si denique SSS. TRINITATEM videremus! Ita ergo aggredere omnia, quasi coram illis, ita perge, quasi juvantibus illis; ita absolve & offer, quasi coronaturis illis. Opus sinè intentione, inquit Rich. de S. Vict. *de stat. hom. int.* ad instar est corporis inanimis, vitáque destituti. Et alicubi Augustinus: Scitote, Fratres mei, salvationis nostræ summam non tam consistere in operibus, quàm in fine ad quem illa facimus.

SSS. TRINITAS pretiosissima quædam catena est. S. Basilius *ep.* 43. ad Gregorium Nissen. Sicut, inquit, qui unius annuli summitatem (in catena) apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertum trahit: ita & hîc, qui Spiritum trahit, per ipsum & Filium, & Patrem unà simul attraxerit. Hic enim novè & insolitè est conjuncta discretio, & discreta conjunctio.

In hanc ergo catenam totam annorum

rum, mensium, dierum, horarum tuarum seriem & catenam conjunge; & illam illi uni unias, in operum, dierum, mensium, annorum initio & fine. Catenam S. Petri Jerosolymis allatam Romæ cum eâ, quâ idem Apostolus sub Nerone constrictus fuerat conferens Romanus Pontifex (*vid. Brev. 1. Augus.*) alteram, quâ Herodes, cum altera, quâ Nero Petrum vinxerat contemplatus est, & ecce, *factum est, ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ, sed una catena esse videretur.* O utinam SSS. TRINITATIS catena ita ad se rapiat catenatam seriem vitæ tuæ! Quidni ergo in fine operis opus tuum, diem tuum, hebdomadam, mensem, annum, vitam offeras SSS. TRINITATI, quæ est finis eorum omnium quæ agis, & quidem finis sine fine? Hoc est prudenter agere & finem respicere. Ita Psalmos singulos ubi recitâsti, addis *Gloria Patri, &c.*

*Deus est, qui principium, medium, & finem rerum omnium continet,* canit Pindarus Pythiorum hymno 2.

» S. Augustinus in *Ps.* 101. Æternitas,
» est Dei substantia. Ibi nihil est præte-
» ritum, quasi jam non sit; nihil est futu-
» rum, quasi nondum sit: quia non est i-
» bi, nisi EST. Tu ergo, & initia & fines omnium quæ agis, egisti, ages, in illo æterno ESSE reconde. Hoc est agere Æternitati.

S. Gertrudis *lib. 4. c. 9.* die Purificationis Beatissimæ Virginis divinitus intellexit *omnia bona opera, quæ à quoquam homine peraguntur*, in Christo prius *purificata, & nobilitata* ab ipso Christo, *offerri semper veneranda Trinitati in laudem æternam. Opera, quæ fiunt cum intentione ad laudem Dei, illa intrahit sibi cor divinum, miro quodam & ineffabili modo, ea in se nobilitando, & perficiendo.* Quæ opera à corde deifico ita nobilitata & perfecta, seu exculta in unione meritorum Christi tantum præstare dixit alijs, tametsi bonis, tali tamen intentione non animatis operibus, *quanto homo mortuo cadavere dignior & acceptior æstimatur.* Sunt, qui instar sacrificij, sua omnia tempora & negotia offerant SSS. TRINITATI, ijs, quibus Sacrum Missæ sacrificium eidem offertur verbis: *Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, & præsta, ut Sacrificium* (sive hoc opus) *quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi fiat acceptabile.* Leo Papa X. defectus & culpas in divino officio persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit ijs, qui SSS. TRINITATIS honori officij divini recitationem, illo absoluto, præsentant, offerúntque his verbis:

*Sacrosanctæ & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri Iesu Christi, humanitati, Beatissimæ & gloriosissimæ semper Virginis* MARIÆ *fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum, Amen.*

*Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Pater noster. Ave Maria, &c.*

S. Catharina Senensis *t. 6. c. 167.* SSS. TRINITATEM alloquitur, &, Hæc fides, inquit, est speculum secundùm
» quod, tu TRINITAS æterna, me cogno-
» scere facis, quod dum amoris manu te-
» netur coràm oculis animæ meæ, repræ-

sentat

» sentat me in te! In hujus lumine spe-
» culi cognosco te summum bonum, bo-
» num super omne bonum, bonum felix,
» bonum incomprehensibile, bonum in-
» æstimabile: Pulchritudinem, super o-
» mnem pulchritudinem; sapientiam su-
» per omnem sapientiam; &c. Utinam felix erga SSS. TRINITATEM amor mihi & tibi nunc, & in supremo agone speculum istud præ cordis oculis teneat ita, ut clausis felici morte oculis, æternus amor illam nobis ostendat jam non in speculo Trinitatem!

In fine vitæ, in æternitate, ad thronum gloriæ SSS. TRINITATIS & JESV, ac MARIÆ, in beata Sanctorum omnium Angelorum, & universorum cœli Procerum corona, tuæ te cogitationes sanctæ, verba, & opera bona omnia coronabunt. Utinam & ego de te, & tu de me, & uterque nostrum de SSS. TRINITATE, ac illius gloria, in æternitate gloriæ gaudeamus.

S. Dionysius *div. nom. cap.* 1. Quando incorruptibiles, inquit, & immortales evaserimus, Christiformem, beatissimámque sortem adepti, tum semper cum Domino erimus, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni, cujus lucidissimis splendoribus, non secus ac discipuli in diviniss imâ transfiguratione, irradiabimur; intelligibilis verò ejus illustrationis participes secundùm mentem passionibus materiáque carentem, radiorum lucidissimorum incognitis beatissimisque coruscationibus ad diviniorem supercœlestium intelligentiarum imitationem unione quadam intelligentiam superante ipsi conjungemur.

Sæpè itaque, ubi aliquid ad finem deductum, gratia & perseverantia finalis nobis à SSS. TRINITATE totâ cordis contentione poscenda est. Vera enim æternitas, & vera immutabilitas, non est nisi in deitate TRINITATIS, inquit §. 3. D. Prosper in sent. S. Augustini: Ora, ut ambulatoria tua voluntas nunquam è melioribus ad deteriora, verùm à deterioribus ad meliora ambulet semper, neque fatigetur unquam. Ita S. Augustinus in fine libri 15. de Trinitate, orat: *Domine Deus meus, una spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, sed quæram faciem tuam semper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inveniri te fecisti, & magis magisque inveniendi te spem dedisti, &c. Ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti.* Tum quasi à singulis personis aliquid petens, tria petit ab omnibus: *Meminerim tui! Intelligam te! Diligam te! Auge in me ista, donec me reformes ad integrum.*

Et concludit: Domine Deus unus, » Deus TRINITAS, quæcunque dixi de » tuo, agnoscant & tui; si qua de meo, & » tu ignosce, & tui, Amen.

---

# HEBDOMADA LII.

## *Tenera, solidáque erga SSS. Trinitatem devotio, est virtutum thesaurus.*

HUic enim vectigales ac stipendiariæ sunt virtutes. *Matt.* 5. Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. *Ioan.* 17. Hæc est vita æter-

æterna. S. Hilarius *lib. 2. de Trinitat.* mysterium SSS. TRINITATIS, vocat *Evangelicum Sacramentum.* & *lib. 5.* Est inquit, hoc Sacramentum cœleste, quia in cœlis aperiendum nobis est, & demonstrandum facie ad faciem. Ita ille. En SSS. TRINITATEM, *Evangelicum, cœleste Sacramentum*! quod certè, ut nos ad altissimum virtutis apicem invitaret incitarétque, nobis in Evangelio Christus aperuit. *Iohan. 1.* Unigenitus ipse enarravit; in quæ verba Ven. Beda, Homo, inquit factus, enarravit, quid de veritate TRINITATIS sentiendum, qualiter ad ejus contemplationem properandum, quibus actibus perveniendum sit. Hæc devotio Sauræ, apud Rho *cit. lib. 3. c. 11. n. 10.* pro cote virtutis omnigenæ fuit, quando *Voti suscepta religione designavit, accuraturum se dictis factisque in omnibus absolutissimam perfectionem, id verò se amore in sanctissimam* TRIADEM, JESVM ac MARIAM *facturum, &c.* En virtutum fons primus. Dominicum Anadonum ex eodem jam retuli, ex admirabili Beatissimæ TRINITATIS veneratione virtutem omnem suxisse, usque ad lætam mortem. Idem *ibid. cap. 12. n. 24.* Joanni à S. Cruce Triadem Beatissimam effusissimo cultu semper cordi ait fuisse, causámque scisitantibus respondisse: *majorem se Triade Sanctum cœlo toto nusquam reperisse* Et hic sanctus est, qui clamat, & incipientibus, & proficientibus, & perfectis: Levit. 19. 2. *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus Vester.* Rosa Hierichuntina videtur esse quædam quasi adumbratio Trinitatis. Ab una radice rosa hæc una in tres caudices distinguitur, singulíque caudices eunt in ramos tres, ramíque item singuli rursus in tres alios fæcundi sunt, alijque alios complectuntur ac tegunt. O floreat fæcunda virtutum SSS. TRINITATIS rosa in corde amante SSS. TRINITATEM! semper hæc devotio fuit virtutum Universitas, expulsis vitijs. Trifolium etiam SSS. TRINITATIS symbolum esse ajunt. *Trifolium scio credi prævalere contra serpentium ictus, & scorpionum*, inquit Plin. lib. 21. c. 21. *serpentesque nunquam in trifolio aspici.* Vis bene purgatam mentem reddere? Hoc trifolio id perfeceris: capitalis enim id genus serpentium & scorpionum hostis est Trinitas. Redi ad Patrem à filiquis, prodige Fili: habebis Patris amplexum; neque indignabitur is, qui semper apud Patrem est, frater tuus JESVS; verùm lætabitur, & ipse tibi epulum instruet. Ingredere floridam, & pluribus virtutibus illustrem, quàm via lactea stellis colluceat, cœli viam, comite, ac duce Deo Filio, virtutum omnium vivo æternóque prototypo; ad te unà cum Patre & Spiritu Sancto veniet, & mansionem apud te faciet, & implebit te cœlo. S. Ambrosius c. 5. in Lucam. *Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.* Ita viam mandatorum unius ac trini Dei curres, cùm ille dilataverit cor tuum. Dilatabit cùm & ipse Christus intraverit, & totam secum ad te introduxerit TRINITATEM, juxta illud Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ibi demum benedictionibus æternis te implebunt, ibi ascensiones in corde tuo disponent, ut eas incipiens, curras, proficiens voles perfectus de virtute in virtutem. Consvetudo est apud fideles,

inquit

inquit S. Joannes Bonaventura *ser. 4. de Trinit.* quòd transitum faciente Pontifice, petit populus benedictionem. Sed ecce Pontifex Matris Ecclesiæ Paradisi, præbendarum cœlestium dispensator DEVS TRINITAS, qui æternam habet in cœlo mansionem, quasi transitum facit per terram nostram, dum ante oculos mentis nostræ transitoriæ reducitur per temporalem recordationem, quam beati Spiritus in cœlo jugiter contemplantur per beatam visionem. Hæc ille. Ecce in corde tuo est SSS. TRINITAS, dum de illa cogitas, tunc illa transit. Apud illam est omnis virtutum omnium comitatus: Unde si tenero illam corde complecti studeas, non transit per te, sed mansionem facit apud te, & parat tibi mansionem apud se. Proficies hac arte, imò etiam perficies cor tuum, Spiritu Sancto obumbrante spiritum tuum, elevante cor tuum, accendente universum pectus tuum. In opalo lapide pretioso apud Plin. *lib.* 37. 2. igneum, purpureum, smaragdinúmque quidpiam relucet, ideóque lapis hic ab aliquibus dicitur *lapis* SSS. TRINITATIS. Eris illius lapis, & quidem ignitus. Faciet enim solida hæc omniúmque virtutum architecta devotio, ut & amœnissimâ spei in Deo, velut lapide triangulari, fundatæ, viriditate sis pretiosè smaragdinus, & ab accenso virtutis astro purpureus, & à primo illo igne igneus: omnésque qui te videbunt, lætentur, delectentur, veluti cœlesti quodam trigono viso, in quo tot colores vivant, quot virtutes.

Hoc igne ad pectus ampliùs accendendum usus est etiam Vincentius Caraffa S. I. septimus Generalis, nec in itineribus immemor SSS. TRINITATIS. Consveverat ille coronam his ad SSS. TRINITATEM, & Deiparam Virginem implere aspirationibus:

*Sanctus, Sanctus, Sanctus. Soli Deo honor, & gloria. Sancta, Sancta Dei Genitrix MARIA. MARIÆ semper honor & gloria.*

Missio Paraquariensis ab Anno 1633. ad 1643. in Collegio Cordubensi senem à nativitate centenarium, à baptismo octogenarium refert, cui ad integerrimam vitæ innocentiam baptismus, & frequens ad unum & trinum Deum aspiratio suffecit. A susceptо enim baptismo cum omni penitus Magistro, à quo institueretur careret, ubi unum è Societate Sacerdotem nactus est, coram illo animum ab octoginta vitæ Christianæ annis nullo lethali peccato saucium expiavit. Rogatus à Patre, de Deo quid sentiret, unum se omnium rectorem ajebat agnoscere, & verò venerari. Qui verò illum ipsum Deum adoraret, interrogatus, ajebat, *Se non aliud orandi argumentum, quàm ipsum Dei, quem coleret, nomen habere: quod proinde junctis ad cœlum manibus precatus, per diem sæpius ingeminaret:* DEUS! DEUS! DEUS!

En isti ad omnem vitæ intaminatæ innocentiam in tanta barbaræ colluvionis fæditate, unicum Dei nomen ter repetitum suffecit pro panoplia virtutis.

Ibidem Collegium Portuense SSS. TRINITATIS Collegium dici ait Schirmbeckius, & esse *emporium quoddam cœlesti mercaturæ ideneum*: in cujus portu (velut in SSS. TRINITATIS sinu) receptæ ex toto occidente merces, lucra faciunt animarum.

Ita nimirum qui se totum dedicat nomini

mini SSS. Trinitaris, & zeli animarum, & virtutum omnium nobiliſſimum opulentiſſimúmque ſit emporium. Unde Auguſtinus 1. *de Trinit.* de hac loquens, *Ne fructuoſius*, inquit, *aliquid inveniatur.* Hæc eſt auri obryzi vena dives, quæ ſe ultrò aperit quærentibus. Hæc nos Deo & proximo arctiſſimè adnectit. Hæc eſt, quæ duo illa, Deum & proximum diligendi præcepta poſuit, & illis, veluti polis geminis, cœlum noſtrum, ſeu cœleſtem beatitatem appendit.

Unde *Amor eſt omnis virtus.* Deus charitas eſt. SSS. Trinitas Deus eſt, ideò charitas eſt. Amat charitatem, amat ignem amoris, qui amat Trinitatem. Amat ergo virtutem omnem. Hinc etiam naſcitur magna inter nos invicem concordia, & miri cordium amplexus in viſceribus charitatis. Hoc nos docet ipſum SSS. Trinitatis exemplum; hoc Chriſtus deſiderans, ut in charitate unum ſimus, ſicut ipſe cum Patre unum eſt. Ea propter S. Auguſtinus *lib. de doct. Chriſt. c.* 5. *In Patre*, inquit, *unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, (quia ſcilicet Filius primum eſt æquale Patri) connexa omnia propter Spiritum Sanctum: quia ſcilicet Spiritus Sanctus procedit ut nexus & amor ac concordia Patris & Filij.* Hactenus ille. Ita mutua noſtra inter nos unitas, æqualitas, concordia, eſt diſcipula unitatis Patris, æqualitatis Filij, concordiæ Spiritûs Sancti. Ita è chara cordi noſtro una æquali concordiſſimáque inter ſe Trinitate, ſolidum quendam, & erga tres illas perſonas unúmque Deum, & erga nos invicem haurimus amorem, velut è fonte ignis optimi. Unde omnis longè latéque exundat virtus. Collige ergo cogitationes tuas, & grande Pantheon virtutum ingredere. In hac devotione, velut in larario, deprehendes virtutes vivas, non earum ſtatuas; in hac, velut Pandora invenies virtutum omnium decora. Solus eſto paululum, & ipſe tecum perpende, omninóne iſta ita ſe habeant. Origenes *h.* 4. *in Exod. Inſolitudine*, inquit, *aër eſt purior, cœlum apertius, familiarior Deus.* Sede ergo, tace ut loquaris tecum, & leva te ſupra te ad unum ac trinum Deum tuum. Da illi cor holocauſtum plenum: ita illud virtutum omnium cornucopiâ implebis, hac arte. *Nier. h. nat. lib.* 8. *cap.* 13. ait. Peruanorum ſententiâ Deum eſſe *Pachatamac*, id eſt, *animam mundi.* Iidem Dei nomen pronunciare non auſi, ſi tamen id facere neceſſarium eſſet, *ſummâ reverentiâ, oſculato ſapiùs aëre, & ferè tremuli id faciebant. Tangatanga Idolum, Deum dicebant unum in tribus eſſe, & tres in uno. Viſibili ritu Sol ab ijs adorabatur; cui victima agnus, cujus cor holocauſtum.* Hoc holocauſto dato, dabis omnia, erítque tibi cordi præcipuus quidam & eximius SSS. Trinitatis cultus, in quo theſaurum virtutum reperit quisquis bene intravit. Supera verò generosè, ſi quid in pulchro adeo exercitio ſeſe difficultatis obtrudat, & victorias tuas omnes latenti in Evchariſtia Chriſto in SSS. Trinitatis honorem offer, illóque cibo hanc in te devotionem educa, ut adoleſcat. Prudentius præfatione Pſychomachiæ, de Euchariſtia ſic loquitur:

Mox ipſe Chriſtus, qui Sacerdos verus eſt, »
Parente inenarrabili atq; uno ſatus. »

» Cibum beatis offerens victoribus.
» Parvam pudici cordis intrabit casam.
» Monstrans honorem Trinitatis hospitæ.

Ita hac hospite Trinitate dives erumpes ad illam semper majoribus obsequijs exactiùs colendam, & ad animum tuum hac devotione majoribus virtutum divitijs indies excolendum.

Unde die SSS. TRINITATIS, id est, Dominico, panem Trinitatis ut sumas svadet D. Augustinus *t. 3. lib. de dogm. Eccles. c. 53. Omnibus*, inquit, *Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor.*

Hoc enim pane alitur virtus omnis, aliàs jejuna extinguitur fame.

Si quid verò in alijs ad idem studium excitandis potes impendere operæ vel opellæ, libenter id fac, ita enim hac velut acu reliquarum in alios virtutum filum pretiosum induces. Quid quòd apud Nierem: *cit. lib. 3. c. 20.* bos quidam ignarum & negligentem rusticum, religionis nostræ Sacramenta edocuit, illius Catechista factus, intonando seu immugiendo potiùs, articulatâ voce *Credo in Deum Patrem*? Ita vel à bruto bove loquente potiùs, quàm cognoscente possessorem suum, ediscendum est, ut pro nostro quivis modulo veram in SSS. TRINITATEM fidem ac devotionem etiam alijs inculcemus.

Neque sat est amorem corde claudere. Nam si amor ille verus est, foras erumpet, ostendétque verum esse, quod dicimus, virtutis nimirum omnis theatrum esse devotionem istam. Reductio S. Ignatij in Messe Paraquarienſi de P. Michaële de Sandoval, SSS. in- " quit, Triadi penitùs addictus, ejus festo " die tres Indorum miserrimos lauto epu- lo exceptos, veste donavit, perpetuò » animum ad eam, ut ad suam originem » interdiu revocare solitus. Ardore ani- » mi quo flagrabat ipse, omnes auditores accendit. Ita sua cujusque seu in ege- » nos miseratio, seu animarum zelus, seu alia quæ alibi retulimus, virtutum documenta, luculenta sunt cordis SSS. Triadi seriò solidéque devoti argumenta. *Ps. 72. Deus cordis mei*, inquit David, id est, ut propriè colligitur ex Hebræo, *Petra cordis mei.* In hac Petra fundandæ virtutes cordis. Ille est Pater virtutum. Sixtus Pythagoræus sent. 52. *quòd Deum Patrem vocas*, inquit, *hujus in actionibus tuis memor esto.* id est, actiones tuas cum virtute, conjunge: & sic verum te SSS. TRINITATIS clientem & Filium ostende factis loquentibus.

Omnes Porphyrogeniti sumus, quia ad purpuram, id est, ad vitam nati. Nam & S. Gregorius Nissenus *de opif. hom. c. 4.* dixit, *propurpura datam esse hominibus virtutem*; ut proinde virtutes omnes sint meritò cardinales. Ita purpuratus coram Deo comparebis, si profundam in te radicem egerit sancta hæc erga SSS. TRINITATEM piæ voluntatis propensio. Ita indutus non erubescs, neque te pœnitebit operæ huic studio impensæ. Hoc est novum hominem induere, juxta illud *ad Coloss. 3.* exspoliantes vos veterem hominem, » cum actibus suis, & induentes novum » eum, qui renovatur in agnitionem se- » cundùm imaginem ejus, qui creavit il- » lum. Ergo secundùm imaginem SSS. TRINITATIS; hæc enim tota creavit nos. Induite vos ergo, inquit ibidem, sicut electi Dei, Sancti, & dilecti, & longum illic virtutum Catalogum texit,

nit, pro quarum assecutione teneram hanc erga SSS. TRINITATEM solidæ voluntatis propensionem devotionémque svasi & svadeo. Ita enim novum indues hominem, imò ipsam quasi indues SSS. TRINITATEM.

Spiritum quidem Sanctum indues, nam de illo expectando loquitur Lucæ 24. 49. Christus, dum ait: Et ego mitto *promissum Patris mei* in vos; vos autem sedete in Civitate, quoadusque *induamini virtute* ex alto. Ecce Spiritus Sanctus, ecce virtus, ecce indumentum. Induere virtute, & induere Spiritu Sancto. De Christo autem Paulus Rom. 13. 14. *Induimini Dominum Iesum Christum.* & ad Galathas 3. 27. *Christum induistis.* En & alteram in Trinitate personam, quæ nobis præciosæ vestis instar est. De Patre verò è S. Catharina Senensi hebd 47. *pag.* 68. retuli, ubi Sanctæ illi ait Deus: *Paulum ad tertium cœlum attraxi, ad altitudinem Trinitatis, &c. & tunc induit anima ejus me Patrem æternum.* Timore & amore (quem erga SSS. Trinitatem svadet S. Joannes Bonaventura *de Trinit. serm. 3. f.* 287. *b. in fine, & fol.* 238. *b. ante med.*) assurge ad altitudinem Trinitatis per cumulum virtutum, & tunc induet anima tua Patrem æternum, & Christum, & Spiritum Sanctum. Hæc tibi erit vestis nuptialis, pro nuptijs lætæ semper æternitatis. Felici enim parandæ morti, quid hoc SSS. TRINITATIS, utpote quæ vitæ ac mortis Domina est, cultu præstantius aut securius esse potest? S. Gertrudi, magnæ, ut sæpè in hebd. pluribus retulimus, SSS. Trinitatis cultrici, quàm pretiosam, quàm plenam deliciarum cœlestium mortem promiserit Christus, *Insin. div. piet. lib. 1. c. 4.* Tunc, die mortis suæ, inquit de Gertrude loquens Christus, *tres operationes* in se sentiet admirabiles, quarum primâ est quâ sentiet tunc quantâ eam gloriâ *Deus Pater ad se vocabit.* Deinde sentiet quo *ego illam gaudio suscipiam.* Tertiò, sentiet, quàm igneo, quàm suavi, quámque nulli mortalium perceptibili amore *Spiritus Sanctus* mihi ipsam uniat. Utinam ità SSS. TRINITATI devoti simus, ut tres illas operationes, etiam nos experiamur in vita, morte, post mortem. Certè virtutum ac deliciarum omnium Oceanus infinitus est SSS. TRINITAS. Omnium gratiarum plena res est, singularis hæc, tenera, constans, exaggerata, & ipso è corde profundè hausta erga SSS. TRINITATEM devotio. Utinam ad exorbendam faciliùs quales quales quæ in hoc sancto exercitio fortè occurrunt difficultates, cœlestes nobis dulcedines interdum infundat SSS. TRINITAS, dulcedo illa æterna, & viva! S. certè Hieronymus, admirandas, & omnium difficultatum triumphatrices in hac inveniebat suavitates rapto in Deum corde. Unde *lib. de Virg.* Post multas, inquit, lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus canebam: *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus, &c.* Ego homunculus sic abjectus, sic vilis in domo Domini sæpè Angelorum choris interfui, per hebdomadas de corporeis nutrimentis nihil sentiens, divinæ visionis intuitu. Post multorum fortè dierum spacia, præscius futurorum, redditus corpori, flebam! Quid verò ibi felicitatis, quid delectationis habebam, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam,

nebam. Hanc cernere finis! Certum est autem, illi planè plenéque devotos à visione illius beata non repellendos. Sancti, per illam, & apud illam protegunt clientes suos; illa deserat suos? Imò & ipsa Beatissima Dei Mater, & Angelici Ordines omnes, & omnis Beatorum universitas illos omnes peculiari & protectione, & amore, & honore complectitur prosequitúrque, ac in æternum suo in numero hoc cum primis titulo glorioſos laudabit, quicunque sacrosancto huic exercitio se dediderint, veri verè clientes, servi, alumni, filij diviniſſimæ, atque omnium se amantium amantiſſimæ Trinitatis; quo in beato numero, nos qui hæc scribimus, aut legimus, utinam æternùm scribamur legamúrque ab illa, cujus nomini peculiari cordis & virium omnium contentione colendo nomina dedimus, amabiliſſima TRINITATE!

ERGO.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Gloria Patri non majori Filio, Gloria Filio æquali Patri, Gloria Spiritui Sancto æquè sicut Patri & Filio.

Gloria tali Patri, qualis est Filius, Gloria tali Filio qualis est Pater, Gloria tali Spiritui Sancto, qualis est Pater & Filius.

Gloria increato Patri, increato Filio, increato Spiritui Sancto.

Gloria immenso Patri, immenso Filio, immenso Spiritui Sancto.

Gloria æterno Patri, æterno Filio, æterno Spiritui Sancto.

Gloria non tribus increatis, immensis, æternis, sed uni increato, immenso, æterno.

Gloria omnipotenti Patri, omnipotenti Filio, omnipotenti Spiritui Sancto. Gloria non tribus omnipotentibus, sed uni omnipotenti.

Gloria Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto. Gloria uni Deo, non tribus Dijs.

Gloria Domino Patri, Domino Filio, Domino Spiritui Sancto, Gloria non tribus Dominis, sed uni Domino.

Gloria Patri à nullo facto, nec creato, nec genito; Gloria Filio, qui à Patre solo est: non facto, non creato, sed genito;

Gloria Spiritui Sancto, qui est à Patre & Filio: non facto, non creato, nec genito, sed procedenti.

Gloria uni Patri, non tribus Patribus; gloria uni Filio, non tribus Filijs; gloria uni Spiritui Sancto, non tribus Spiritibus Sanctis.

Gloria SSS. Trinitati, in qua nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Gloria SSS. in Trinitate unitati, gloria SSS. in unitate Trinitati, gloria Deo uni & trino.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Nobis autem gratia, & misericordia, in æternum, Amen.

AD MAIOREM SSS. TRINITATIS, DEIPARÆ MARIÆ, OMNIVM ELECTORVM GLORIAM.

Et ultimi agonis nostri solatium sanctum.

FERIA

# FERIA II.

SIVE

# ANNUS MORIENTIVM

ET

# MORTVORVM,

SOLATIO ET AUXILIO SACER,

Per

*SINGVLAS ANNI TOTIVS*

FERIAS SECVNDAS

Brevibus utrosq; juvandi officijs
& exemplis

EXPLICATUS.

# MARIA,

## Fidelis Mater morientium, & mortuorum.



*Tenella parvula, sed emendatissimæ pulchritudinis Heroina erat MORS olim Aegyptijs, cui gemmeus in manu arcus, & missa inde argentea vel aureola sagittula pretiosè hauriebat vitam. Nullibi pretiosior est Mors, quàm in Tui IESV, ac Tuo sinu, ô vita contra mortem, ô* dulcedo *contra illam amaritudinem, ô* Spes nostra *contra desperationem, & præsumptionem! Negotium omnium nostrorum seculorum per Te apud Filium agimus, dum agimus negotium puncti illius tanti, ô MARIA,* negotium seculorum! *Scis quanta in me effuderis! Adde illis omnibus* porrò unum *illud* necessarium. *Ideò tenuem hanc symbolam meam, velut sinceras grati cordis hecatombas, offero in templo, in gazophylacio Tuo Tibi: ut* Visitatio tua custodiat spiritum meum, *seu in agone illo, seu in igne expiatorio patientem: & quæ me in periculis & angustijs hactenus nunquam deseruisti, in ultimis illis & maximis ne deseras; neq; Te à me deseri sinas: verùm ut & ego vivam & moriar inter Sodales Filios tuos, Deo ac Tibi, ô semper fidelis Mater, æternùm fidelis. Fove interea, fove illam in Sodalibus Tuis erga morientes, & mortuos devotionem, ut ita cum suo in menses singulos è Divis Advocato, Sacris, & Sacrâ synaxi felicem suam, & agonizantium omnium mortem, & animas in Purgatorio gementes juvare studeant constanter; ut æternum constantiæ & eleemosynæ illius sanctæ pretium ferant: & simus tecum in Congregatione tua triumphante, in Oratorio æternitatis, inscripti in Albo Beatorum, in Matricula Sodalitatis, cum ijs, quas in agone, aut è Purgatorio juvimus animabus, cum ijs, quos hic coluimus Sanctis, in communione perpetua. Tyrnaviæ 2. Iulij, Anno M. DC. L.*

ANNI

# ANNI MORIENTIVM, ET MORTVORVM.

## PARS I.

## HEBDOMADA I.

*Secundam cujusvis hebdomadæ feriam Deo dedica pro liberandis è Purgatorio animabus.*

I.

ECce *quomodo moritur Iustus, & nemo recogitat*, ajebat è sacris literis S. Menengor Comes post mortem, filiæ suæ Monialium Præsidi visus. (*in ejus Vita 16. Decembris.*) Hoc est, quod desiderant justæ in lustrali illo igne Animæ, ut recogitemus, quomodo moriatur Justus, & ne illum æternæ oblivionis sepulturæ tradamus. *Quis mihi hoc tribuat*, inquit Job. c. 14. *ut in inferno* (non damnatorum, qui non est ad tempus, sed in æternum *protegas me, donec pertranseat furor tuus; & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Hoc tuus à te amicus illic adhuc formidandis illis pœnis immersus petit; & *quis* illi *hoc tribuat, ut* (volente ita Deo, ut per te juvetur) *in inferno* Purgatorij *protegas* illum precibus tuis ad Deum fusis: & quasi *abscondas* illum à pœnis, sicut coram irato Patre filij abscondi solent ab alijs: & quia totâ hebdomadâ occupatus es multis ac varijs, tandem aliquando *constituas* illi certum *tempus*, v. g. diem

diem Lunæ, qui dies est Animarum, *in quo recorderis* illius?

2. Clerici Regulares, quorum *Rho* meminit *Virtut. l.* 1. *c.* 4. *n.* 1. sacrum montem pietatis, quasi ærarium mortuorum reperêre, ubi sibi quivis post hanc vitam mendico futuro in flammis purgantibus eleemosynam largitur, & *levissimâ stipe, quam pro se quisque destinatò confert, ea sacrificiorum procuratur multitudo, ut morientibus infinita propemodum suffragia comparentur.* Qui sanctissimæ erga mortuos Pietatis mons *secundas quasque ferias* (velut constitutum tempus, in quo recordemur illorum) Pontificijs etiam ditatas Indulgentijs habuit sacras: quibus stante in omnium oculis propalàm sanctissimo Eucharistiæ Ferculo, quasi ad propitiatorium stans illic Christus vocat omnes, publicam, ut ajunt, audientiam datus.

3. Ludovicus XI. Galliarum Rex pretiosos planè habuit ultimos vitæ dies; nam ut *Barrius Hagiophila die* 4. refert, singulis diebus ultimæ suæ ægritudinis, quingentos aureos Medico suo numerabat, ut ope medicamentorum tempus vitæ sibi prorogaret. Dies vitæ æternæ aliter longior nobis esse non potest, quàm si illum uno vel pluribus diebus citiùs inchoëmus. O felicem Lunæ diem huic rei destinatum, ut in pretiosissima vitæ æternitate, Reginæ illæ animæ, diebus, imò annis pluribus, citiùs vivere incipiant! quot illæ, putas, pro uno nunquam morituræ illius vitæ die aureos darent?

4. Habet quidem id in more Ecclesia Catholica, ut fideles illos manes anniversariâ recordatione altero Novembris die juvet, ac illum diem veluti felix Pascha faciat Animarvm, ad canendum Deo æternum *Alleluja*, è sepulchro quasi igneo resurgentium; verùm eadem hac erga pias illas ænimas pietate minimè contenta, in *Rubricis generalibus n.* 5. de Missis defunctorum, *primâ die cujusque Mensis, &c. non impeditâ* vult, ut dicatur *Missa principalis generaliter pro defunctis, &c* Neque satis illis menstruâ hac pietate provisum credidit, nisi secundam nostram feriam adderet illis devotam. *Præterea*, inquit, *feriâ secundâ cujusque hebdomadæ, &c. Missa principalis dici potest pro defunctis.* Plus ultra pergit pia Mater, dum adjungit: *Missæ privatæ pro defunctis quocunque die dici possunt*, non impedito scilicet.

5. Judæi apud *S. Hieron. in Sophon. c.* 1. anniversariâ comploratione deflent templi Hierosolymitani ruinas. Sed ut intrare ac flere liceat, pretium deponendum est, ut scilicet dolores suos emptis lachrymis fleant. *Nos etiam sumus Ierusalem*, inquit *homilia* 38. *in Lucam* Origenes. Etiam Fratres nostri piaculares inter ignes sunt Jerusalem. Deplorat pretiosa illa Dei templa anniversarijs, menstruis, hebdomadarijs lachrymis Ecclesia. Nos autem quid? Hoc ipsum secunda quævis feria, quasi mnemosynon memoriale defunctorum, à nobis petit. Quot lachrymas dabis, tot uniones fundes, illarum pretium, ut inde liberæ abeant. Tum verè secundam illis feriam procurabis, quando illis tuâ operâ licebit à pœnis absolutis in cœlo secundissimè feriari.

6. Hæc est amicitia illa fidelis, quæ verè est medicamentum vitæ, & immortalitatis. Sit verum, quæso, de tua, & illo-

& illorum, qui in purgante igne sunt, amicitia id, quod de glorioſis terræ Principibus canit Eccleſia: *Quomodo in vita ſua dilexerunt ſe; ita & in morte non ſunt ſeparati.* Deſcende ad illos piâ cogitatione hodie, id eſt ſemel in hebdomada, ſi ſæpiùs non vacat. Amor S. Auguſtino eſt manus: *Putate*, inquit, *amorem hominis quaſi manum animæ.* Hac manu, hoc eſt, Amore illas indè eripe. Dextra manus ſit tibi, *amor Dei*, cui illas dare vis citò laudatores videntes illum; ſiniſtra manus, *amor* illius *Proximi*, pro quo oras, ut illum inde eruas.

7. Helena Paduana, referente *Toſunnano lib. 1. Anno 1230. & Mariano Kalendario 4 Novembris*, die quodam Lunæ, in quem commodùm dies Animarum inciderat, vidit triumphantes in Purgatorio animas, quomodo liberatori Deo & hominibus agant gratias. Alias verò vidit mæſtiſſimas, quæ vel nullos habebant, à quibus juvarentur; vel ſi quos, illi erant in peccato mortali. O utinam de nobis animæ illæ triumphent, & gratias referant Deo, quòd per hæc ſuæ ſalutis inſtrumenta ſint liberæ à tormentis! Abſit, ut tali quopiam facinore ligati ſimus, ut illis abſolvendis noſtra ſervire non poſſit induſtria.

8. Apud *Galatinum lib. 3. c. 13.* Rabbi Bava rationem reddit, cur non fuerit dictum in ſecunda Sabbathi, ſeu feriâ ſecundâ: *Vidit Deus, quòd eſſet bonum*; neque benedixerit feriæ ſecundæ: propterea, inquit, quòd in ea creatus eſt ignis gehennæ, de quo Rabbi Joſes: non extinguitur in æternum. Noſtra verò ſecunda feria benedicta eſt, quia extinguendo Purgatorij igni deſtinata, & benedictis illis animabus juvandis ſacrâ. Verè ſecunda, verè felix, verè feria! facit felices ferias feliciſſimis animabus in quiete æternitatis. Ita felicem inchoabis hebdomadam, eritque caput ejus aureum ab auro Charitatis.

# HEBDOMADA II.

## *Sacrificio Miſſæ dicto, & audito valde juvantur illæ animæ benedictæ.*

1.

SAnctus Ignatius Loyola S. I. Patriarcha glorioſus, ut eſt in ejus vita Romæ æri inciſa, *imag. 55.* in ipſo Miſſæ ingreſſu, ad ea verba *& omnibus Sanctis*, Hoſij animam in illuſtri Sanctorum choro agnoſcit.

2. S. Ambroſius *oratione ante Miſſam*, quæ feriæ VI. eſt aſſignata, orat; *pro ſpiritibus fidelium defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum.* O te felicem, qui Sacra audiendo, celebrando, curando, potes eſſe refrigerium æſtuantium, ardentium in camino illo ignis purgantis, gaudium afflictarum Filiarum Dei, denique Medicus ad æternam & nullo unquàm morbo tentandam ſanitatem convaleſcentium in illo Noſocomio Animarum.

3. Ribadeneira *in flore SS. p. 2. 3. Novemb.* refert S. Malachiam Epiſcopum Hibernorum quandoque ſecundùm nocturnam quietem monitum, audiſſe, mortuam Sororem foris in atrio

Ecclesiæ consistere, totis quadraginta diebus jejunam. Recordatus postea, se totis illis quadraginta diebus nunquam pro Sorore divinissimam hostiam in sacris Missarum solennijs feciſſe, divinissimi Sacrificij suffragia, quibus eam juvare cœperat, sed tantisper omiserat, repetijt, donec ei visa est in veste candida, (quæ antea in pulla veste apparuerat) aggregari cætui candidatorum. Ita ille. Advertis, opinor, felicem illarum Animarum cibum esse Sacrosanctum Altaris Sacrificium. Disertè idem ait citatus D. Ambrosius Deo loquens, & nostra confirmans ibidem: *Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum convivium de Te, pane vivo, &c. de tua carne sancta & benedicta, quæ de sancto & glorioso Beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, & de Spiritu Sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo Sacrosanctissimo latere emanavit; ut exinde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude ac gloria tua.*

4. Jacobus Archi-Episcopus Genuensis in festo omnium Sanctorum refert, Animas, pro quibus ab Amicis multa curabantur suffragia, visas lautis mensis lætas accumbere: alias verò inopes visas. Esuriunt in carcere illo, in illo ergastulo tenebrarum. Instrue illis convivium de pane vitæ, de carne Jesv, de fonte pietatis.

5. Ita Sororem suam S. Thomas Aquinas liberavit, ut est in ejus vita. Ita notus ille ex *Vigliega exemplo 7.* Episcopus nepoti suo, 1998 annos in Purgatorio luendos, eleemosynis, &c. sed Sacris potissimum, delevit, & splendidum, gratiásque agentem, ac dicentem: *Ego eo ad gaudendum Deo*, spectavit. Adde Altaria privilegiata, quorum privilegium est, ut quavis Missâ in illis factâ una è Purgatorio anima liberetur.

6. Apud *Cantipratanum lib. 2. c. 53.* vidit Episcopus in aëre manus, quo signo Animæ pro devoto sibi Sacerdote vades fiebant. Ita ad mille illarum manuum spondentium fidejussionem dimissus est.

7. Sacra ergo & audire, & curare, & fortasse ipse etiam celebrare cùm possis, potes tam certo suffragio è pane Angelorum opiparum facere convivium animabus illis, cum quibus comedes olim cænam Nuptiarum Agni.

8 Hinc illa Angeli ad hominis defuncti animam apud *V. Bedam lib. 1. hist. Angl. c. 13.* vox: multos preces viventium, & eleemosynæ, & jejunia, & maximè Missarum celebratio, ut ante diem Judicij è Purgatorio liberentur, juvant. Joanne de Alvernia è S. Francisci familia, ardentissimè ac dulcissimè celebrante, & hostiam elevante, scintillarum instar velut ex ignita fornace ascendebant in cœlum infinitæ è Purgatorio Animæ, id quod ipse vidit. *Antonin. 3. p. t. 24. c. 8.*

9. *Lib. de Vitis Prædicatorum p. 5. c. 4.* Ivoni religioso viro apparuit è Purgatorio quidam è Fratribus, & se ad 15 annorum pœnas justè à Deo projectum dicens obtestatus est, ut sibi subveniret. Ivo lachrymarum plenus in eo, quod pro illo offerebat, Missæ sacrificio sibi pro suis multorum annorum obsequijs captivum illum è Purgatorio dari petijt & impetravit. Unde qui sordidatus antea apparuerat, jam præclarè candidatus adfuit; & rogatus, qui haberet, dixit: Bene per gratiam Dei. Petijsti me enim à Domino, & dedit me tibi,

„ tibi. Et jam liberatus à Purgatorio, „ vado ad Societatem Spirituum beato- „ rum. En uno Sacro deletos quindecim annos pœnarum! Tu si Sacro uno vel unum deleas, an non crudelis eris, si annum unum in tormentis animam quampiam relinques potiùs, quàm uno illi Sacro succurras?

10. Si necdum flecteris, pondera, quid *Vitæ FF. Eremitarum lib. 2. c. 18.* referant de S. Nicolao Tolentinate. Huic noctu anima quædam ejulatu miserabili; Frater Nicolae, inquit, vir „ Dei, respice in me. Rogata, quæ esset: „ Ego sum, inquit, anima Fratris Peregri- „ ni, quem viventem servum tuum nôsti; „ nunc autem crucior in hac flamma! Et „ post plura, illum vocans, rogabat: Ve- „ ni, venerande Pater, veni, & respice, „ utrum te deceat acquiescere tantæ mul- „ titudini miserrimæ, quæ me misit tuam „ misericordiam flagitare. Et ad locum „ illum duxit, ubi erat innumera misera- „ bilium omnis Ordinis hominum multi- „ tudo. Miserere, inquit, Pater, misere- „ re turbæ tam miseræ, utile tuum auxili- „ um expectantis. Nam si pro nobis di- „ gnatus fueris celebrare, maxima pars ab „ his atrocissimis pœnis eruetur. Narrat historia, illum, re cum Superiore communicatâ, totâ hebdomadâ pro mortuis celebrâsse, & die ac nocte pro ottensa sibi multitudine *cum præcordialibus lachrymis*, exorâsse. Adfuit evolutâ hebdomadâ iterum illa anima, & gratias agens, dixit: jam se cum magna illius multitudinis parte à pœnis atrocissimis per illius Sacrificia liberatam. Liberâsti, inquit, nos!

11. Cogita, idem à te morientes omnes flagitare, quod pijssima S. Augustini Mater Monica petivit, dum diceret, nihil de corpore, multùm de animæ salute solicita: Ponite ubicunque hoc „ corpus: nihil vos ejus cura conturbet. „ Tantùm illud vos rogo, ut ad Domini „ altare memineritis mei, ubi fueritis. „

12. Differendum autem non esse Sacrum docet illa Anima, quæ certè procrastinatoribus omnibus ad celeritatem stimulo esse debet. *Vigliegas in fructibus Sanctorum exempl. 18. p. 332.* Religiosum in agone certum divinitùs redditum, ait, in Purgatorio non diutiùs detinendum, quàm una pro illo Missa celebretur. Ille amicissimo amantissimóque sui Religioso rem refert, & Missam illam rogat, ac moritur. Alter promissi retinens, quàm primùm licuit, sacris pro illo est operatus. Liberatus è Purgatorio amicus adest superstiti, & oblivioſæ crudelitatis procrastinatorem vocat, utpote qui Sacrum statim se facturum promiserit, & tamen se in Purgatorij flammis per annos viginti circiter torreri procrastinatione suâ permiserit. Alter se Sacrum statim inchoâsse & corpore necdum sepulto siniviſſe dixit. Ergo, inquit, mortuus, propter horribilitatem tormentorum visa ex mihi pœna tam longa: & gratijs actis, ad superos se recepit.

---

# HEBDOMADA III.

## *In refectione corporis ne obliviscere Animarum.*

1.

PSalmi *De profundis* pro benefactoribus, vel amicis defunctis, dicendi

post Mensam, laudabilis consvetudo est apud quosdam, ut *Barrius* innuit, 1. *die medit*, 2. Ubi etiam in quodam secretissimarum devotionum libello eximij cujusdam Dei servi se, ait, reperisse nomina amicorum defunctorum, quos sperabat in cœlum admissos, ut eos invocaret; aut esse in Purgatorio, ut eos juvaret suffragijs suis. Certè Societas Jesv antiquissimo juxta sanctissimóque instituto eorum nomina, qui per universum terrarum orbem diem ultimum obiere, unà cum loco ac tempore mortis adscripto, per publicum in triclinio anagnosten legi ad finem prandij vel cœnæ curat, ac deinde illum Catalogum in publico loco domi, & alium in Sacristia affigit, memoriæ adminiculum certum. Recordare etiam Ecclesiam ita suos filios instruxisse, ut eam, quam à refectione agunt, gratiarum actionem facta pro animabus illis felici quietis ac pacis appreçatione concludant: *Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Quod etiam quibusdam motivum est, ut preces illas non è frigida tantùm consvetudine usurpent per transennam, sed vero cordis calore atque attentione perficiant.

2. Ajunt, frequenter locum quendam, unam è Purgatorio animam sub refectionis tempora frequentâsse: ac tandem dicente quopiam cum devotione: *Requiescat in pace!* cum actione gratiarum videri statim desijsse. O quot tui amici, quibuscum dulces capiebas cibos, jam illic sunt, & oblitam sui tuam charitatem expectant! quot sunt, quos jam scis obijsse; quot, quibus fortè literas paras, negotia expedis, in quorum sanitatem propinas, & te largè proluis, & illi fortè ob liberalia tecum hausta pocula in Purgatorio cruciantur!

3. Dum in triclinio mensæ assides, recordare aliquando illius triclinij, & mensæ, de qua *Senense Chronicum Prædicatorum Anno* 1218. meminit. Apparuit in triclinio sedenti, juxta mutuum initum olim pactum, amico è S Dominici familia Religioso Viro defunctus amicus ex Ordine Minorum, & quibusdam de illius vitæ statu narratis, ad aliquod ignium Purgatorij signum quoquo modo ad captum nostrum ostendendum, igneam manum suam mensæ impressit. Mansit in mensa igneum manûs vestigium. O si singulæ in triclinijs mensæ tali ornatæ vestigio essent, quàm seriam nobis animarum illarum etiam ibi memoriam refricarent!

4. Sancta Cœnobiorum quorundam consvetudo est, mortualem calvam in mensa deponere, dum se Religiosi reficiunt. Calva jam tunc erit bene agendi occasio, quando talis eris, & in Purgatorio ardebis. Satis patiendum erit satisfactionis omissæ loco. Vide, ut etiam absque eo, quòd calvariam imponas mensæ, (si tamen per te stat, etiam id per me licet) sis tamen eorum memor, quorum cadavera in sepulchris, animæ in Purgatorio sunt, & à te misericordiam præstolantur.

5. Disce id etiam circa refectionis locum, & tempus non omittere ex ijs, quæ in Henrici Susonis vita scribuntur, & habet *Carolus Stengel. de nomine JESU cap.* 31. Apud quem ille in horologio æternæ Sapientiæ discipulos in hæc verba docet: In mensa, post benedictionem, antequam incipiant comedere, dicant unum *Pater noster* pro eleemosyna spirituali his animabus, quæ maximè sunt indigentes in Purgatorio, attendentes, quàm periculosum sit, gratis

tis eleemosynam comedere, & per continua suffragia fideliter eam non restarcire: & quàm pium sit, in nullo se juvare valentes juvare: & cum quanta gratitudine gaudeant, se in tanta miseria vel minimam guttam, aut micam unam, quæ cadit de mensa Dominorum suorum, percipere pro refrigerio qualicunque. Et ut hoc quoque exercitium pietatis magis gratum ac persvasibile devotis mentibus fiat, sciendum; quòd, dum devota quædam approbatæ Religionis persona, simul cum cæteris quibusdam has orationes faciendas de novo suscepisset, & præcipuè magnâ devotione erga Psalmum *De profundis*, pro desolatis animabus dicendum flagraret, apparuerunt ei in quadam visione animæ multæ locis purgabilibus deputatæ, quæ ei vili habitu, & gestu miserabili, quem præ se ferebant, suffragiorum se indigere beneficio deflebant. Inter quas tamen singulariter una ad ipsam accessit, & flebiliter ab ea petijt, ut se permitteret esse hunc mendicum, cui quotidie in mensa *De profundis* prædictum, pro eleemosyna erat largitura. Ex qua visione postmodum ferventiùs erga hanc agebat eleemosynam spiritualem. Ita ibi B. Henricus Suso. Laudanda planè, & non impossibilis, imò volenti nec difficilis & illa, constanter exercenti simul, & animabus utilis cum primis devotio.

# HEBDOMADA IV.

## *Communio frequens est unus ex excellentissimis illas animas adjuvandi modis.*

I.

IBi in viva carne accipis sanguinem testamenti, quo abluas peccatorum pœnas, in quibus purgantur animæ. *Zachar. 9. 11. In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* O verè è profundo ignium lacu sic emittuntur vincti Dei absoluti à vinculis!

2. Apud Abbatem Blosium *c. 6. Monilis.* defunctus amico superstiti videndum se præbuit, & se ideo in expiatorijs cruciatibus ardere dixit, quòd in frequentando sacræ Synaxis Sacramento fuisset negligentior. Eximi se inde posse, sanctissimi illius Sacramenti sumptione devotâ. Communicavit (quanto verò ardore, sic monitus?) amicus pro amico, & postridiè illum gratias pro beneficio agentem vidit. Si S. Nicolai Tolentini pane, vel agnis Dei, vel reliquijs ignes extinguuntur, id quod seculorum monumenta loquuntur, quid non poterit panis iste, qui Deus est?

3. *Tobiæ 4.* Senior Tobias moriens, inter verba filio suo dicta, quæ volebat in corde illius quasi fundamentum construi, dixit etiam: *Panem tuum super sepulturam Justi constitue.* Super Justi sepulturam verè panem Angelorum constituit, qui Communione sanctâ Justorum in Purgatorio veluti sepultorum animas pascit. Dives *sepultus est in inferno.* Non est Justi sepultura infernus. Neque sepeliuntur tales, ut resurgant. Purgatorium autem est quasi cœmeterium dormientium; est sepultura Justorum: Nemo enim illic est, qui non dormiat ut resurgat. Sepulti sunt; sed resurgent.

4. *Danielis 14.* Dixit Angelus Domini ad Habacuc: *Fer prandium, quod habes*

*habes* ( panis erat & pulmentum) *in Babylonem Danielis, qui est in lacu leonum.* Et ab Angelo ad lacum delatus ad Danielem, clamavit Habacuc: *Daniel, serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* O quæso panem hunc cœlestem in lacum ignis, in carcerem plùs quàm Babylonicum, ad illas Dei ancillas animas ferre, id est offerre, ne differas. Prandium illud illis erit, quod per te misit illis Deus, ut citiùs pervenire possint *ad cœnam nuptiarum Agni.* Libera eas *de profundo lacu*, ne diutiùs absorptas illas teneat profundum illud ignium chaos.

5. Bonifacius *epistola* 21. *ad Eadburgam Abbatissam*, ait, à redivivo quodam narratum, quòd viderit in Purgatorio animas, velut in lacu sulphureo ardere mersas, alias usque ad humeros, alias plùs, alias minùs, quasdam tantùm usque ad talos: ac tandem evolantes vidit, ubi puræ jam evasissent. En lacum horridiorem Danielis lacu!

6. Hinc menstrua Communio tot Indulgentijs dives, præclara de Purgatorio refert spolia animarum. De hac enim ita Innocentius X. *Plenariam* (omnibus nimirum Communicantibus, & ad solitas Ecclesiæ intentiones orantibus) *omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, quam animabus fidelium Defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.*

7. Dionysius Carthusianus *de 4. Novissimis*, *propè fin:* narrat, sanctam quandam animam, quæ jam migrârat è corpore, in hortum amœnissimum deductam à Christo: in quo horto multitudo animarum videbatur mensæ assidentium: quibus apponebantur *ferculæ Suffragiorum*, quæ à viventibus offerebantur. Mensam tu illis instruis, dum panem Angelorum manducas, & addis preces. Hæc tu fercula coque in cordis foco, igne amoris Dei, & proximi, quo vis Deum ab illis citiùs videri, amari. Non dedignabuntur ijdem, qui Christo in deserto post jejunium ministrabant, Angeli, missa per te animabus illis *suffragiorum fercula* ministrare. O mitte illis plurima & optima!

8. Templum Hebræis est *domus desiderij nostri*: item *domus electionis.* Certè electæ illæ Dei ancillæ animæ desiderant, ut in templo, in domo electionis & desiderij, desideratam illis opem feras. Templum hebræâ phrasi etiam dicitur: *Domus vitæ.* In hac vitæ domo per panem vitæ illas ex umbra mortis educere ad æternæ vitæ domum potes, si ferventer, & frequenter communices.

---

# HEBDOMADA V.

## *MARIAM Deiparam tibi pro auxilio adscisce ad illas animas adjuvandas.*

1.

*Choquetius* de Henrico de Calstris Ordinis Prædicatorum, ait, illum à Deipara audisse: fore, ut sinè Purgatorio cœlum petat cum grandi animarum plurium inde tunc liberatarum comitatu.

2. Notus jam ex *Annuis Soc:* IESU Michaël à Fontibus, qui *Anno* 1606. felicem vitæ laboriosæ sortitus est exitum,

lætus,

lætus, quia post viginti omnino annorum Apostolicos in India labores ab ipsa Dei Matre intellexit, se sinè ullis remoris felici morte æternitati gloriosæ inserendum. Et à duobus è S. Francisci Familia Religiosis visus est Michaël inscriptus libro viventium.

3. Philippus Doultreman *Anno* 1604. Hieronymo Claravallio Societ: Jesv, amantissimo Divæ Virginis Clienti, cùm profundiore cogitatione horrendũ Purgatorij ignem altiùs versaret animo, totúsque trepidaret, ait adfuisse sanctum illud *Solatium afflictorum*, & timorem ponere jussisse: se enim, ajebat illa, peccatoribus non hìc solùm, verùm & in purgatorio igne auxiliarem manum porrigere. Neque se pati posse, eum, cui adeò cordi fuisset semper, illis pœnis diu torqueri. Et nobilem illi ad brevius per Purgatorium ad cœlum iter semitam ostendit, quando, ut se eò pararet ardentiùs, toto quindecim annorum spatio mortem illi, & illius tempus prædixit.

4. Dionysius Carthusianus *lib: 3. de laudibus Beatissimæ Virginis*, Qui, inquit, in Purgatorio sunt, gaudent nomine Mariæ audito; quemadmodum æger in lecto, cùm audit verbum solatij. Da ergo ægris illis in lecto igneo jacentibus hoc solatij verbum. Ora Mariam pro illis, & unà cum Maria Deum, ut æternâ citiùs sanitate donentur in vita illa, ubi nullus est æger, nec erit.

5. Expertus est hoc solatium miles ille, qui *Revelat: S. Brigittæ lib: 6.* eò quòd in Beatissimæ Virginis pervigilijs ejusdem orare officium consveviſſet, Mariæ precibus à tribus Purgatorij pœnis grandibus evasit immunis. Vides adeo propensam illam ad juvandum. Juvabit te in ijs animabus citò è Purgatorio eruendis, quas juvare quocunque demum titulo teneris. Quis scit, quot tibi illic animas sanctâ tuâ fidelique operâ inde liberandas assignavit illarum ac tui amantissima bonitas benignissimi Dei! Cum illa autem omnia poteris dextrè planè.

6. Menologium Cisterciensium 27. *Augusti*, ait, pro Alexandri III. Pontificis anima Beatissimam Virginem & Sanctos supplicâsse, ut à Purgatorio libera peteret cœlum, quidquid invidi Dæmones contrà vellent, & auditam è cœlo vocem: *Fiat voluntas Matris, & Sanctorum meorum, & Alexander cœlestibus continuò adjungatur.* Sancti omnes pro gratiarum actione cecinêre *Alleluja*! Parata est Sanctorum Regina, & omnis illa beatorum universitas juvare te, *ut ædificentur muri Ierusalem* cœlestis: quot enim animas è Purgatorio, velut è lateritia fornace, liberas, tot vivos muro illi ædificando lapides addis.

7. Robaldo pro Lanfranchini, Ordinis S. Dominici Religiosi, animâ, Mediolani sacris operanti, ut 15. *Februarij* refert *in Mariano Kalendario Balinghen*, in ipsa, quæ post elevatum Christi corpus & sanguinem fieri consvevit, memoria fidelium Defunctorum, augustissimis coruscа splendoribus Beatissima Deipara se ostendit, & plenè delicias geminavit, quando illi splendidam Solis instar Lanfranchini animam sinu materno complexa, ostendit ibi quiescere, ubi olim quiescere solebat dilectus parvulus Deus Jesvs. Neque semel monstrâsse contenta, tertiò idem fecit; ac dixit: *Ecce aspice hæc est anima, pro qua sacri-*

*sacrificat.* O si felices illas animas, quas juvisti, ostenderet tibi in gloria DEUS! Quid ageres? hoc age nunc.

8. Quare impeditâ *fortassè casu aliquo* secundâ feriâ, animabus juvandis Sabbathum assigna. Apud Josephum *lib. 5. de bello Iudaico cap. 9.* Sacerdos è turri tubâ signum dabat Sabbathi inchoandi. Hæc illis tuba vox ad quietem est. Insta & tu tubam quietis Sabbatho animabus, quibus requiem æternam precari, est parare illis Sabbathum quietis, ad quam etiam corpora excitabuntur, *tubâ mirum* spargente *sonum per sepulchra regionum.* Mariano hoc die auxiliarem tibi opem ferente Præside illius diei MARIA, facilè id ac utiliter, & ex voto facies. Ità referente *Vasæo Anno 940.* pro Sanctio I. Legionis, &c. Rege, quem Comes quidam porrectâ in pomo toxicato morte necârat, orabat Guda Regina Conjunx *Sabbathis omnibus*, id quod eo fructu fecit, ut ante aram prostrata, duabus catenis vinctum viderit maritum quondam sutum, hortantem, *ut perseveraret orare: rectè enim facere.* Post 40. deinde lachrymarum, jejuniorum, ac eleemosynarum dies, rursus Sabbatho die oranti ante altare visus est candidatus, & pelle, quam pro Sanctij anima Sacerdoti in eleemosynam ipsa dederat, tectus; & nonnulla de paradiso atque inferno locutus, disparuit. Illa Sanctium complecti abeuntem dum vellet, nec posset, partem pellis tulit, quæ pars in Sacerdotis illius veste defuit: id quod oculati testati ajunt. *Vide Annum Marianum*, potissimum verò *Sabbathum 7. & 36.*

9. O quàm difficile fuit Adamo è Paradiso exulare, & à Cherubino flammeum gladium atque versatilem *Gen. 3.* versante, ne posset ingredi, prohiberi! Quantò difficiliùs esse putas animabus illis ab æternæ voluptatis paradiso tantisper suspendi, & sub flammeo vindicis in Purgatorio ignis gladio gemere? Resolve te: & si quid hac totâ hebdomadâ neglexisti, vide, ut die Sabbathi cumulatè compenses. Id ut ne differas, perpende, quid de illis pœnis gravissimè affirmet S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 10 in Iob. cap. 10. Mallet quilibet viventium usque ad finem mundi omnibus simul excruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque tulerunt, quàm uno die in Purgatorio morari.* In Sabbatho, velut in rationario totius hebdomadæ, vide quid pro illis in illo Dei hospitali pauperibus feceris.

10. S. Augustinus *tom. 1. serm. 41. de anim. Purg. Minutis peccatis*, inquit, *licet occidi animam non credamus, tamen eam velut quibusdam pustulis & quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt*, &c. *Quidquid de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus* 1. Corinth. 3. *Quia in igne revelabitur.* Ità ille. Sabbathum est dies purgationis, lotionis, munditiæ. Munda illas animas, illas mundando mundâbis & te.

11. Catharina Riccia, ut est vitæ illius *lib. cap. 37.* nocte Dominicæ animas vidit familiarium suarum, & aliorum in Purgatorio: inter alias unam vidit, quæ suam in minimis quibusdam Monasterij rebus temporalibus custodiendis admissam luebat negligentiam. Nox illa vel fuit à Sabbatho in Dominicam, vel à Dominica in diem Lunæ vergens, uterque dies est animarum illarum sacer auxilio apud quosdam: quia

verò

verò communi Marianorum pullorum praxi dies Sabbathi jejunijs, confessionibus, litanijs, & alijs pietatis adinventionibus est refertissimus, est etiam ad illas animas juvandas; imò te etiam à Purgatorio (longo saltem) asservandum opportunus.

12. In Menologio Cistercienſium 30. *Octobris*, devotissimus Beatissimæ Matri B. Raiderius, illam Christo de se
» ita loquentem audivit: Mi fili dilecte,
» Monachum istum diligentissimum fa-
» mulum nostrum, timentem Deum, qui
» suo servitio, & lachrymis peroptimè la-
» vit atque purgavit peccata sua; rogo,
» ut post hanc temporalem vitam possit
» sinè aliqua pœna Purgatorij huc venire,
» & possidere vitam æternam. Tum
» Christus: Beata Mater, atque puris-
» sima Virgo, quoniam non me decet tibi
» aliquid denegare, quidquid petis, volo.

# HEBDOMADA VI.

## *Recitato devotè Rosario animas liberabis.*

1.

HI sunt funiculi Marianæ Charitatis, felices ad cœlum trochleæ. Alphonsus Rodriquez Soc: Iesu Coadjutor, ut est in ejus vita, pro Virginibus duabus sororibus suis orans, intellexit utramque sinè Purgatorio iturам in cælum: tertiam verò Conjugatam nunc è Purgatorio ad beatitatem proficiſci. Pro fratre verò quodam Didaco Ruiz, qui per totos 33. annos in Coci officio semper diligens totam ferè illic ætatem Christi exegit, orando, si quid unquam illi otij culina concederet, Rosario mirè constantérq; addictus: pro hoc, inquam, vitâ functo dum Rosarium Virginis oraret, jámq; duas Rosarij partes absolvisset Alphonsus; piè sublatis in cœlum oculis vidit fratrem illum felicem ad latus augustissimæ Dei Matris: & ne pro illo orare porrò pergeret, utpote pro jam non indigente, monitus, jussus etiam est ire, & defuncti Fratris gloriam omnibus palàm facere, posse jam alios ab illo juvari. Volebat nimirum per Matrem suam fidelissimus Deus, præclaram, quam ille frater in corona Beatissimæ Virginis oranda adhibebat, pietatem & devotissimos illos labores, & sacrorum tot, quot illi per culinæ ocium licebat, auditionem sanctam, & illam, quâ totis 30. annis in campos nunquam ad auram vel solatium captandum progressus, domi se continuerat, mortificationem, ac religiosissimam paupertatem non solùm coronare, sed & ad aliorum incitandam æmulationem illum è cœlo ostendere gloriosum. Utinam tibi pro me, vel alio Rosarium oranti, idem contingat, quod Alphonso contigit oranti pro Coco isto! His æterni Veris rosis coronat chara capita Virgo Mater.

2. Franciscus Ficarra Societ: Jesu 15. *Augusti Anno* 1637. beatâ morte assumptus est ad Mariam, ut magna spes est. Hic etiamnum parvulus singulis noctibus Matrem excitabat, rogabátq; ut unà secum ter Coronam Partheniam decurreret: primam quidem pro defunctis omnibus: alteram pro defunctis è suo sanguine: tertiam pro se ipso, & addebat Officium Defunctorum. Bene, ô bene sit illis, qui ad ista stimulant, & filios & parentes! Benè illis, &

parentibus, & filijs, qui fideles in hoc pietatis officio manus jungunt mutuâ conspiratione.

3. Ideo tales plurimùm vivere desiderant benedictæ illæ animæ, ut & ipsi Purgatorium exhauriant, & alios incitent, modósque doceant illud exhauriendi. *Thesaurus* pulchrum horrendi carceris nomen fuit olim. Verè Purgatorium & carcer, & Dei thesaurus est, in quo animæ thesaurus, & pretium divitiarum sanguinis Jesu est reconditus. Tu porrecto illis Rosario, velut funes, illas ex illo carcere educas, & ad cœlum trahas in auream libertatem filiorum Dei.

4. Coronâ illos tuâ eduxis ad coronam regni æterni. Coronas illos rosis, quæ nunquam marcescunt. Quid cum Coronis aut nummis factis ex ossibus mortuorum? His certè coronis mortuos coronas in vitam. Magnæ sunt Orationis Dominicæ, magnæ Salutationis Angelicæ vires, ad illas animas in libertatem asserendas. Rosarium & Patrem Deum, & Matrem Dei complectitur pro fidelibus animabus, quæ quia filiæ sunt Dei & Deiparæ, audiet nos pro illis supplices Mater, audiet Matrem Pater noster.

---

# HEBDOMADA VII.

*Pro ingenij & statûs tui ratione adinventis rationibus enitere, ut stabile quid vel invenias, vel inventum stabilias pro animabus illis constanter tuâ etiam operâ, etiam te mortuo, adjuvandis.*

1.

THomas Morus Angliæ Cancellarius, & Maria Longa Matrona Hispana hoc in genere ita enituêre, ut narrante Rho *Virtutum lib. 1. cap. 4. num. 6. & 12.* Morus quidem supplicem pro illis animabus libellum docto ea de re edito commentario scripserit, quo illarum causam ingeniosâ piáque industriâ naviter agebat; Longæ verò debeatur ea, quæ in magnam Catholicæ Orbis partem latè manavit, consvetudo, pulsandi scilicet sub primas noctis tenebras ad comprecandum pro ijs, quæ igne illo (ut sic dicere liceat) probatico torquentur, animabus: quod ipsum & nolâ & voce per Malacenses vicos sub noctem circumiens faciebat Xaverius: quæ eò facta, ut sanctam pro egentissimis Manibus stipem Morus libello supplici; Longa pulsu campano; Xaverius verò & circuitione, & pulsu, & voce corrogarent.

2. Eapropter Spondanus ex Baronio *Anno Christi 984. num. 2.* meminit, erecti Romæ Sodalitij plurimorum Sacerdotum, inter quos & Episcopi nonnulli sunt adscripti ad hoc, ut post obitum singuli Consodalium superstitum sacrificijs juvarentur. Conspirandum nimirum est communibus omnium votis, ut alterum alter è profundo ignium lacu quantocyùs eripiat.

3. S. Augustinus *in Psalm. 35.* loquens de illo Pauli *1. Cor. 3.* ignem purgatorium memorantis dicto: *Salvus erit, &c. quasi per ignem: quia,* inquit, *dici-*

*dicitur salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamvis per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in vita.* Quidni ergo conjuratis omnium voluntatibus, & illorum nos tangat miseratio, qui nos illuc præcesserunt; & illos nostri, quos illuc similiter præcedemus, ut & nos juvemus illos, qui illic sunt, & nos juvemur ab illis, quos superstites reliquerimus in hac vita.

4. S. Franciscus Xaverius *lib. 2. ep. 6.* Malacæ Civitas, inquit, certum hominem constituit, qui quotidie noctu alterâ manu laternam, alterâ tintinnabulum tenens obiret urbem: & in compitis ac vijs identidem magnâ voce carmen hujusmodi decantaret: *Orate pro animis fidelium Christianorum, qui in Purgatorio torquentur. Orate pro illis quoque, qui lethali peccato oppressi, relevari non laborant.* Ecce pretiosum in divinis inventionibus Xaverium! devotionem hanc Civitati uni adeo opportunè, & ad mortuorum ac mortalium utilitatem æternam accommodè persvasisse, res est laude imitationéque longè dignissima.

5. Si illæ ad te animæ advenirent, juvarique supplicabundæ peterent, id, quod tunc faceres, fac modò. Ita 19. *Novembris* Surius è Montano narrat, S. Elisabethæ Reginæ Ungariæ, extinctæ Matris umbram noctu dormienti visam obversari, lugubríque vultu ac flexis poplitibus orare, sui quàm primùm misereretur: ob vitam enim negligentiùs actam igne se pœnas luere. Oravit infusa lachrymis, & gratias agentem, & ad alias etiam juvandas animas hortantem læta vidit. Cogita, tibi sic omnes & singulas supplicare.

6. Brixiani Anno 1191. de hoste victores, ut Sigonius refert *lib. 15. Italiæ*, campanam inter trophæa Victoriæ reportárunt, & illam in præcelsam turrim extulerunt, ut antecineralibus, ut ajunt, carnis privij, seu quibus carnis esui valedicitur, diebus campana illa in signum lætitiæ publicum pulsaretur, tanquam campana victoriæ, ideóque lætitiæ. Dominica Quinquagesimæ Anno 1650. Tyrnaviæ campana lætitiæ appensa est in turri templi Elzterhasiani Soc. Jesu, quâ post vespertinum ad Deiparam salutandam signum pulsus pro fidelibus defunctis adderetur.

7. Novam & admirabilem Ramiri Regis campanam narrat Hispania, in qua rotundo circùm gyro appendi curavit optimates, totidem veluti trophæos, seu malleos Rex; & ad visendam inspectatam, novam, ac mirabilem campanam Proceres alios invitavit. Hæsêre illi attoniti; dum inaudito spectaculo præstantissimos quosque è Procerum ordine viros in ferali illo & inusitato patibularis campanæ suspendio spectarent Amici. Sonabat nimirum, Ramiro pulsante, illa campana in Procerum animis, ut ne quis impunè se contra Regem audere posse aliquid cogitaret. At hæ pro defunctis campanæ, sunt campanæ ad electos cœli Proceres ad vitam è Purgatorio evocandos. Refricat nobis sono suo illa illorum memoriam; ut illorum in supplicio nunc delicta sua expiantium recordemur. Invitat nos Deus non ad spectandam illorum mortem, sed ad ferendas illis pro vita æterna citiùs acquirenda suppetias.

8. Vespertina Vespasiani, si fortè illo die nulli benefeciſſet, vox fuit: *Amici,*

*ci, diem perdidimus?* Tu vesperi à campanæ sono admonitus, si fortè eo die mortua apud te jacuit memoria mortuorum, dic ejulantibus in Purgatorio, Dei, tuisque amicis: *Amici, diem perdidi!* Sed ecce reddo vesperi cumulatè, quod neglexi interdiu. Ita vespertino lucro oblivioſam diei negligentiam compensabis.

9. Eccli. 44. 10. *cinxit illum* (Deus Sacerdotem) *tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo: auditum facere sonitum in templo, in memoriam filijs gentis suæ.* Origenes *homiliâ* 9. ait, ideo Sacerdotem in extrema vestimenti orâ tintinnabula habuisse, *ut extrema vita seu novissima nunquam fileat Sacerdos.* Clemens verò Alexandrinus *lib.* 5. *Stromat. p.* 570. *Trecenta*, inquit, *& sexaginta sex tintinnabula, quæ pendent à veste talari, est tempus annuum, annus, inquam, Domini.* Ecce annum totum implet, extremorúmque nos admonet quotidianus iste per annum Campanæ illius pulsus: *auditum facit sonitum in templo, in memoriam filijs gentis nostræ.* Tuæ gentis, tuæ parentelæ, clientelæ, amicitiæ hominum defunctorum memoriam tibi refricat. Ora pro ijs, quos amâsti. An, si tu illic arderes, nolles omnes Orbis campanas pro te ubique tam diu pulsari, dum omnes probæ vitæ mortales ab illis excitati, tam diu Deo pro te supplicarent, usque dum ab illis adeo tremendis, adeo cruciantibus, adeo penetrantibus flammis liberarere? Nam superest, ut dum illum pulsum audis, totâ miserentis cordis compositione te proijcias supplicem ante thronum misericordiæ Dei pro illis: & idem, atque alia his similia etiam alijs persvadeas.

10. Sæpe mente versanda sunt illa, quæ fortè aliàs legisti, & sæpe audisti ex Dionysio Garthusiano *de* 4. *Novissimis*, *art. ult. p.* 573. ubi sanctâ Birgittâ audiente Angelus dixit: (id quod utinam tibi, lector mi, ac mihi plenè conveniat) *Benedictus sit ille in mundo, qui juvat animas orationibus, & bonis operibus, atque labore corporis sui.* Audiamus etiam illas animarum tunc auditas è Purgatorio voces: O Domine Jesu Christe, justè Judex, mitte charitatem tuam Spiritualibus, Ecclesiasticísque personis, quia tunc magis, quàm nunc adjuvari poterimus eorum cantu, lectione, oblatione ac precibus. Audiamus & illam ibidem auditam è domo altiore animarum exclamationem: *Merces sit illis, qui mittunt nobis auxilium.* Illam denique ex aurora consurgente & nube supplicem gratiarum actionem: O Domine Deus, da de tua incomprehensibili potestate unicuique centesimam remunerationem in mundo his, qui suis suffragijs nos juvant, ac elevant in lucem tuæ Deitatis, & in visionem divini vultûs.

11. Fac ergo adinventiones misericordissimæ pietatis quas potes. In sepulchro Porsennæ Regis, Varrone teste, minores campanæ erant, quas concutiens ventus, sonum concentúmque edebat. Una hæc campana tuo, meo, & omnium nostrûm sepulchro appenditur; verè campana misericordiæ, ut ab illa moniti ij, qui nobis mortuis vivent superstites, ne sinant nos apud se crudeli oblivione emortuos sepelíri. Vilillensem, *ex Vario libro* 2. *ca.* 14. *Miraculorum* campanam calamitatum Vatem audivimus, quæ imminente Reipublicæ clade quapiam, aliquot ante cladem mensi-

mensibus personabat. Mirabilis & illa Bodkensis Virginum cœnobij campana in S. Meinulphi vita narratur. Hac sponte suâ sonante jam omnes illæ Virgines vasa colligunt pro itineribus æternitatis: & certum est unam vitâ discedere brevi. Hæc verò nec mortis nec cladis nuncia est campana, sed verè campana est miraculorum, utpote quâ mortuis celerior ad vitam æternam transitus aperitur, ad videndum Deum. Rhotomagensis in Gallia campana mirabilis est, quia 40. millia librarum habet: mirabilior Erfordiensis Thuringiæ, quæ 45. librarum millia continet. Procul auditur illarum sonus: & contra tempestates quid non possunt? Iam campanarum nostrarum nuntium in Purgatorium Angeli attulêre. Magis procul penetrat vis campanæ pro animabus illis appensæ; ad Purgatorij usque tempestates penetrat, & ne animas illas demergat tempestas ignis, ignes illos lenit, postea extinguit. Campana ergo quæ Viennæ, quæ Græcij, quæ Tyrnaviæ, quæ in Muran, & alijs locis pro defunctis sonat, est memoriale cordis, ut eam, quam nobis à vivis impendi vellemus misericordiam mortui, vivi mortuis impendamus.

---

# HEBDOMADA VIII.

*In persolvendis pro Defunctorum liberatione Sacris, precibus, &c. & ipse diligens esto, & alios ad idem cohortare.*

1.

FUit hoc punctum quibusdum solatio in agone: quibusdam verò id neglexisse tormento fuit in Purgatorij pœnis. Fuêre, qui se quietè mori posse non putarent, nisi ea, quæ pro Defunctis necdum exolverant, in Amicos partirentur suo nomine exolvenda. Gonzaga *parte* 4. in Provincia Canariæ in Conventu Conceptionis Beatæ Virginis, Joannis de Via meminit, qui sub Annum 1541. excessit. Is Ascensio Novitio, suo dum ægrotaret ministro, tertiò adfuit, & quis esset, roganti respondit: Frater Joannes de Via ego sum, qui ex maxima Dei misericordia cœlicolis adnumeratus existo. Verumtamen ne id statim assequar, impedimento sunt quædam Defunctorum officia, à me oblivioni tradita. Quamobrem à te obnixè peto, ut ea quàm primùm ex charitate persolvenda cures. Dixit visa, & audita loci Præfecto Novitius; & curata sunt omnia diligenter. Tum Ascensio Novitio SS. Francisco & Bernardino comitatus Joannes de Via iterum adfuit cœlesti lumine copiosè illustratus, & actis tenerrimis pro præstita opera gratijs, videri desijt, quia ad Patriam transijt ad videndum æternùm Deum. Ecquid videtur? quàm liquida in tenero Novitij corde voluptas sedit? Accinge te, & sicut magnificum est, magnum æs alienum ejus, qui solvendo non est, suo ære dissolvere: ita inter palmaria sanctissimæ liberalitatis facinora est, ea, quæ bonæ illæ animæ, cùm nobiscum essent, pro Purgatorij animabus non exolvêre suffragia, liberali pietate ultrò, illarum nomine exolvere.

2. Ille etiam in *in Chronico Fratrum Mino-*

*Minorum*, qui fratri cuidam ejusdem Ordinis ab obitu apparuit, dixit, quàm horrenda pateretur in illo igne, sed ad miserarum cumulum illud illi accessit auctarium, quòd, ut ipse referebat, fusas pro se preces, facta sacrificia, & varia pietatis officia, quæ liberalissima Fratrum pietas pro illo peragebat, non illi, sed alijs animabus applicuerit Deus, in pœnam, quòd vivus in orando pro mortuis fuisset negligentior. Unde nec vivorum pro illo mortuo sunt preces auditæ, sed alijs datæ.

3. Scias verò, si quid liberaliter pro vivis vel defunctis pollicearis, standum esse promissis. Non steterat religiosus ille vir apud Petrum Damianum *epistolâ 6.* & necdum exolutis, quarum partem sibi exolvendam assumpserat, precibus, extinctus, è Purgatorio non priùs excessit, quàm communi omnium devotione fuit liberatus. Iterum inculco tibi, ut tu inculces alijs harum rerum rudibus illud S. Augustini *de Sanctis, serm. 41. Ille purgatorius ignis durior est, quàm quidquid potest in hoc seculo pœnarum videri aut cogitari, aut sentiri.* Citò ergo age pro ijs, quod agendum est. Quoties id ipsæ supplices petiêre! Difficillima est in illis damni & sensûs pœnis mora; & *Spes, quæ differtur, affligit animam*, accenso Dei visionem desiderio expectantem.

4. Esdræ 4. *Vade, pondera mihi pondus ignis.* Ah vade quæso ad Purgatorium! seriâ mentis lance pondera mihi pondus illius ignis. B. Laurentius Justinianus *in fasciculo amoris cap. 1. Stateram quandam spiritualem divini amoris, proximi voluit esse dilectionem Deus.* Verè proximi dilectio est statera, quâ ponderas ignem divini amoris. In hac dilectionis statera pondus ignis purgatorij si ponderes, tantum animas illas juvabis, quantum Deum amas. Ignem amoris divini ignem illum extinguet. Adde ergo, ne ardeant.

5. Sicut verò meritum habet apud Deum tempestivitas ista sancta; ita lenta & oblivioſa dilatio habebit supplicium. Apud Vigliegam *citato exemplo 22.* dixit avunculus, se quidem jam è Dei Judicis sententia cœlesti libertate donatum, sed ob socordem nepotis in ijs, quæ juxta testamenti vim curanda erant, suffragijs oblivionem multa passum. Tu verò, inquit ad nepotem, in pœnam oblivionis tuæ alterum tantùm patieris, supra omne id quod passus sum ego, præter ea, quæ pro tuis culpis pati aliàs debes. Discessit ille, & pœnitens facti nepos, ritè confessus etiam illam negligentiam suam, in lectum decidit æger, inde in mortem.

---

# HEBDOMADA IX.

## *Religiosos viros ad subveniendum illis animabus hortare, roga.*

1.

Sunt illi in sacrosancto quodam Purgatorio, in quod ipsi se conjecêre. Æstimat illos, amat, fovet, & libenter exaudit Deus. Hæc verè est selecta portio gregis Christi in Ecclesia Dei. O quot sunt in Ecclesia triumphante, quorum vel salutem æternam, vel celeriorem è Purgatorio salutis consecutionem

tionem operatus est per Religiosos Deus! Antiqua passim dedi. E recentioribus videri potest id, quod Imago Societatis Jesu *lib. 5. cap. 8. à pag. 638.* narrat è relatione Grisoëlli *Anno Domini 1616. 13. Januarij.* S Theresia Virgo, Cordubæ à communione suspensa in Deum, mente vidit è purgantibus incendijs animas frequentissimo cœtu, & gratulatione euntes ac receptas in cœlum. Ducebat reliquas una formosior: & hanc etiam Jesus Christus, inter Angelicarum mentium Ordines factus obviam animabus, divino suo dignabatur amplexu, in signum benevolentiæ singularis, & amicitiæ sempiternæ. Hærebat admirationem inter & exundantes gratulantis cordis delicias suspensa Virgo Theresia: ausáque interpellare animam de postremis unam, & petere omnia singuláque, responsum accepit in hæc verba: Dux noster est è Societate Jesu Frater unus: » nos Duci gratulamur, cujus virtuti ac » precibus debemus, quòd hodie liberemur. De Omnipotentis adventu nil » mirum, nil novum. Scilicet hoc est ho» minum Societatis Jesu privilegium, ut » mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat. Obierat eo temporis puncto quidam è Societate Coadjutor, Cordubensis templi ædituus, qui religiosè tricenos plùs minùs annos in Societate vixit, modestiâ, puritate, & cautâ cum fœminis conversatione laudatissimus. Quare de voce novit plurimas, de facie nullam.

2. Est aliquid, est in Religione singulare, quòd afflictis illis faveat animabus. Multùm possunt armatæ illorum cilicijs, jejunijs, flagellis, & domesticâ disciplinâ animatæ preces. Religiosi sunt paranymphi multarum millium animarum sponsarum Jesu, ut ad felicitatis beatæ nuptias citò perveniant. Religio, & ab inferno, ne ingrederentur, & à Purgatorio, ut citiùs egrederentur, plurimos juvit. Inde illi tanta apud pios & sapientes tam Ecclesiasticos quàm Seculares æstimatio. Nemo illam odit, nisi apertè vel occultè impius, aut rudis rerum Dei. Religiosæ ædes sunt illæ, quæ magna ex parte exhaurient Purgatorium. Illos ergo, tanquam electos ad illam occupationem à Deo Dei servos, ut te in erudiendis illis captivis juvent, roga. Bonum est pro re tanti momenti conquirere auxilia & in cœlo & in terra. Omnes Religiosi Ordines habent in hoc genere aliquid singulare.

3. Societati Jesu & P. Laynez & B. Borgia Generales *historia parte 2. lib. 2. num. 89.* maximopere commendabant, ut quotidie, quámque frequentissimè animarum, quæ in purgatorio igne cruciantur, studiosè meminisset: ut Societas quos tantis impensis vivos ad felici- » tatem æternam conatur manuducere, » eundem persequens charitatis spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur: ne justa » sit illis causa, Societatis charitatem quasi imperfectam & mancam accusandi; & meritò liceat conqueri, se in medio itinere eóque loco destitutos, ubi » nullam omnino sibi ipsis opem queant » afferre. »

4. Quantum verò intersit, ut & summa, & immediata Religionum capita, imò membra singula, devotionem hanc inter nobiliores & æstimatione digniores habeant, facilè id cogitando assequetur, qui ponderabit, quantum è communi

muni loci unius religiosi conspiratione fructûs redundare possit in Purgatorium universum, quasi in exulum civitatem: cujus, ut ita dicam, vicos & plateas circumcursant religiosi, seu Angeli illorum nuncij, & alias inde animas eruunt, alias verò spe auxilij & libertatis consolantur. Est in Dionysij Carthusiani vita hujus rei aliquod paradigma. Huic religiosissimo viro quietâ nocte ardentiùs precanti ignea quædam è Purgatorio species apparuit, vehementer conquesta, preces, quæ defunctis deberentur, quorundam socordiâ differri. Gravissimè id olim sensuros; idem illis futurum, quod nunc sibi. Percelluit ea res à Dionysio narrata publicè ascetarium totum, & pœnitentiâ tacti alij, alij verò tenerâ miserabilium illarum animarum miseratione commoti, juncto studio in sanctum, illas animas non segni ope & operâ juvandi, exercitium exarsêre.

5. *Sap.* 18. 24. de Sacerdote: *In veste poderis*, inquit, *quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Faciunt id Sacerdotes ac Religiosi ferè omnes, qvibus æternitas cordi est, ut dum pro ijs, qui lethali noxâ saucij vivunt in morte horrenda, qui item jam in supremo vitæ discrimine luctantur, & pro ijs denique, quos horrenda purgantium ignium pœna exercet, preces fundunt ad aras & alibi, in sacerdotalis seu religiosi poderis veste, quam habent, totum habeant orbem terrarum, unà cum corde terræ, seu illis, ubi ignis illic aureas animas purgat locis.

# HEBDOMADA X.

## *Tuum, & omnium Purgatorij animarum Custodes Angelos peculiari cultu reverere: atque illorum in illis juvandis charitatem imitare.*

1.

ADsunt illi nobis vigilantibus & dormientibus, agonizantibus, morientibus, mortuis, ad judicium, ad Purgatorium, ad Cœlum euntibus. Quàm verò gratum credis tibi futurum, si amicorum tuorum amicissimus quispiam, aliquem curæ tuæ singulari commissum à Rege, & tibi unicè dilectum, in periculo quopiam omni ope & operâ tueatur, & in tutum reponat! Hanc apud animarum illarum tutelares Angelos habebis gratiam, qui Custodi tuo de tam insigni cliente gratulabuntur, gratias agent, quòd ista tibi suggerat.

2. S. Oswaldo Episcopo, teste Surio 15. *Octobris*, nocte oranti defunctus ille, pro quo orabat, apparuit, & quomodo hactenus habuisset, rogatus: Hactenus, inquit, valde malè (repentè ex alto templi, ubi laborabat, ruens, absque ulla proxima ad mortem præparatione decesserat) at nunc valde bene; „ tuis enim meritis & precibus, pœnis, „ quibus cruciabar, per Angelum suum „ me Dominus hesterno die liberavit. „

3. Apud Blosium *Monili cap.* 13. §. 2. S. Birgitta vidit Regis cujusdam animam vehementer afflictam oculos in An-

in Angelum, qui pœnas temperabat, obvertisse, & ipsis quasi loquentibus oculis significâsse, se solatij plurimùm à suo illo Angelo percipere. Vigliegas *fruct. SS.* de Purgatorio, ait, animæ cujusdam defuncti magnum planè à Custode Angelo allatum solatium, quòd Angelus diceret; Uxorem illius masculum filium posthumum peperisse, cujus primo sacrificio esset à pœnis Purgatorij liberandus.

4. Præcipuo tamen studio S. Michaël pro illis est invocandus. Wilhelmus è nobilissima stirpe tenerum etiamnum nomen Cœnobio dedit, in quo impleto probationis anno, vitam etiam complevit innocens adolescens. A morte adfuit Monachorum cuipiam, ut narrat *lib.* 21. *cap.* 37. Cæsarius, & se in pœnis esse dixit. Lachrymanti illo, quòd integerrimæ innocentiæ adolescens ita cruciaretur, dixit: Noli flere, quia nullam aliam patior pœnam, nisi quòd nondum vidi Deum. Ergo preces pro se ab Abbate in Capitulo indici, & Collectam de S. Michaële dici petijt. Abbas Missam de S. Michaële Archangelo dixit, & omnibus in Capitulo Psalmum *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, &c.* per septem dies singulis pro illo dicendos indixit. Conradus, postea Prior, ad illa verba: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, &c.* nonnihil obdormiscens sæpe vidit Wilhelmum adolescentem, qui sub Beatissimæ Virginis pallio stabat lætus, dicebátque cum plurima gratulatione: septem se diebus in illo carentiæ visionis Dei Purgatorio fuisse. Nunc, inquit, omnibus liberatus sum. Ecce *Signifer S. Michaël* repræsentavit hunc *in lucem sanctam*, qui illis, per quas Deum illi videre necdum licebat, tenebris absterfis, Wilhelmum in bono lumine viventium collocavit videntem.

5. Excedit ille ignis, sancto Augustino teste, *cap.* 8. *de cura pro mortuis*, omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est. Plùs alibi à Cyrillo audimus, omnes mundi pœnas cum illo conferri non posse dicente. Accersi ergo magnum Angelicæ militiæ Principem, Præpositum animarum citò inducendarum; id quod dæmonibus summo dolori est.

6. S. Petrus Damian. *in Vita Abbatis Odilonis*, ait, ab Eremita quodam narratum, in Insula Vulcania & sulphureis & ignitis illis cavernis, quas *ollas Vulcanias* ajunt, visos dæmones, lætos alios, alios tristes prodire. Causam interrogatos, respondisse, lætos se esse, si animam quampiam, quam ad mortiferum facinus pertrahere nequeant, pertrahant tamen ad veniale peccatum: quam enim ad æternos inferni ignes allicere non poterant, magno totius operæ pretio ad horrendas Purgatorij pœnas pertrahi per has culpas. Tristes verò se tum demum fieri, cùm vident, quòd plures animæ in igne illo non totum à justo Dei judicio assignatum pœnæ tempus exactè impleant, quando importunis vivorum sacrificijs, precibus, jejunijs, eleemosynis, & sexcentis corporis animique afflictationibus eximuntur. Potissimùm verò malè sibi cum Cluniacensi Cœnobio convenire, ob ea, quæ illic & plurima & semper pro animabus illis fiunt, suffragia. *Vide & Majorem exemplo 6. Defunctorum.* O utinam de singulis nobis, & de singulis Cœnobijs, Collegijs, Congregationibus,

nibus, tale mæroris thema sumant invidi illi, & cruciatuum nostrorum appetentissimi Spiritus? Tu pro parte tua, quidquid potes, age.

7. Adeo verò læti promptíque sunt, ad illas animas juvandas Angeli, ut planè putem, pluribus ad id argumentis inductus, Angelos erga illos peculiari quadam benevolentissimæ voluntatis inclinatione propendere, qui animas illas propensiùs juvant. Certè S. Joannes Chrysostomus apud Roa *medit.* 5. ait, toto tempore, quo durat Sacrificium, prostratos circumsistere Angelorum exercitus, eóque momento, quo finitur, ad Purgatorium evolare, & educere eas, pro quibus est impetratum.

8. Quàm verò id inviti videant fœdi & invidi ex inferno Spiritus, ut pro animabus illis suffragia fiant, adverte ex eo, quod Genuensis Archiepiscopus Jacobus apud Majorem *exemplo* 3. *Purgatorij* refert. Sanctus quidam Episcopus triginta Missas ab anima quadam rogatus, ut absolvere ne posset, semel Urbem totam ad seditionem commovit dæmon: cui sedandæ Episcopus, sacro se accingens, relicto sacro se dedit. Alio die, obsidente Urbem exercitu à sacro est avocatus. Trigesimum jam sacrum pro defuncto illo dicenti, tota villa & domus accensa est. Sed avocari non potuit. Ajebat se malle & villam & domum, quàm Sacrum perdere. Sacro peracto, illa, è qua illi anima locuta fuerat, glacies resoluta fignum fuit animæ liberatæ. Domus verò & villa nullo penitus igne correpta fuisse deprehenta est: verùm fraude veteratoris dæmonis id actum esse. Cùm enim ille pias illas animas in inferno cruciandas æternùm non esse sciat; vellet saltem illas à Dei conspectu abesse, & in Purgatorio quàm diutissimè & quàm durissimè cruciari. Ita nos amat invidus ille. Nos verò, quò ille illas odit magis, juvemus illas magis.

# HEBDOMADA XI.

## *Eæ, quæ pro illis animabus dicuntur, preces, è profunda cordis radice proficisci debent.*

1.

DEvotus quidam Deiparæ Virginis cliens, auctore Collectore speculi *apud Patrem Ioannem Majorem citato exemplo* 22. cùm in infirmorum conclavi morbo afflictus quiesceret, orans ardenter, Abbatem suum, & ferè quindecim è cœnobio suo Monachos, qui paulò antè omnes decesserant, unà cum frequentissimo aliorum Monachorum numero, quasi per infirmariam, ut vocant, transiret, vidit in extasi. Eorum unus ante ægri lectum substitit, & ait: Pater charissime, nos qui hìc transimus, in Monasterio, dum in hoc corpore viveremus, conversati sumus: omnes quidem gloriamur in spe, sed differemur adhuc à regni introitu, propter quorundam Fratrum negligentiam, quorum alij tardè, alij tepidè, vel omnes ingratè solvunt Psalmos & orationes, quas debent pro animabus nostris. Nec solummodò rei sunt apud nos; sed ipse Christus multa habet adversus eos.

Ipsum

Ipsum enim provocant, & excitant ad vomitum. Ibi post accusatam illorum in corde vanitatem & animæ nauseantis teporem addit, quòd corde rigidi essent ad devotionem. Unde vade, inquit, & dic Abbati ex parte nostra, ut corrigere satagat has negligentias, &c. Tum in templo à Beatissima Virgine à morbo suo sanatus est; & rem omnem Abbati percensuit. Si tuarum, id est, tibi à Deo ad liberandum assignatarum, vel familiarium tibi olim animarum de te querelas, aut laudes audires, quàm ex intimo cordis fundo pro illis preces deponeres!

2. Sancta Coleta Virgo religiosissima, adeo ex ipsa cordis quasi radice illis animabus afficiebatur, ut diceret, se pro illis animabus, si liceret, etiam Purgatorium perpessuram. Sæpe pro illis orabat; & ultimo hebdomadæ sanctæ triduo, quo tempore à recenti è vulneribus Christi sanguine bullire sciebat calore sancto corda mortalium, unà cum sui Cœnobij sororibus omnibus quotidie pro defunctis orabat Officium Defunctorum. *Vide Surium 6. Martij.*

3. Sicut lapis lydius est quasi Magister novitiorum probans aurum; ita 1. *Corinth. 3. ignis revelabitur. & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, &c ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Adverte! pro illis orandum est, qui sic probantur. Itaque ad ignem illum extinguendum, non stramen aut paleæ sunt afferendæ, sed solida & è cordis profundo petita devotio. Oratio est inter nobilissima amoris Dei exercitia. Sicut enim Deum diligere vis; ita ad liberandas è carcere illas animas, ut Deum plenè coràm citiùs honorent & diligant, dilige, & ora ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis, ex tota virtute tua, ex tota fortitudine tua, &, ut sanctus Ignatius loquitur, cum omni diligentia in Domino.

4. Ita precabatur B. Magdalena de Pazzis *vitæ parte 2. cap. 13.* cùm atrocitatem pœnarum videret, & suum illis involutum fratrem. *Pietas*, ajebat, *Pietas! Misericordia! ô sanguis descende, & libera has animas!* Et ad illas loquendo conversa: *O pauperculæ, tantum patimini! & tam latæ! omnes omnino Martyrum omnium pœnæ ac tormenta sunt instar amœni horti, ad ea, quæ in Purgatorio tolerantur!* Et religiosis illic visis: *O Deus bone!* inquit, *& Religiosi in his pœnis?* Et tu descende illuc corde; tum pro illis orabis ex corde.

---

# HEBDOMADA XII.

*Intensi, ardentésque, atque heroici quidam actus eximio quodam modo, & nostro & aliarum animarum Purgatorio tollendo conducunt.*

1.

Solet, in heroum talium gratiam, Captivos suos manumittere clementissimus Imperator noster Deus. Heroicæ Matris, & alterius fratris actu, quòd ijs, qui occiderant, generosè

rosè ignoviſſent, & filius & frater è Purgatorio eſt exemptus, ut hìc alicubi narro. Ita fratri fervore ſingulari ſe illi, quam ajebat, occupationi impendenti; cœlum ſine alio Purgatorio polliceri auſus eſt ſanctus Bernardus *in Vita.*

2. Ita Ribadeneira 5. *Aprilis*, quendam S. Vincentio ſingulari cum ardore confeſſum narrat, cui cùm ſeptenne jejunium pro pœna dediſſet Sanctus ob atrocitatem culpæ cujuspiam, dixit Pœnitens: O mi Pater! credísne me re tam parvâ ſalvandum? Animadvertit ardorem hominis vir Dei, &: Eja fili, inquit, tantummodò triduum frigidâ & pane contentus jejuna. Effuſus in peccatorum deteſtationem ac lachrymas Pœnitens, non capiebat, quo modo tantillum pœnæ, culpæ tantæ eluendæ ſufficeret. Quare Vincentius tantam contriti cordis pœnitudinem arbitratus: Abi, inquit, & recitatâ tertiùm precatiunculâ Dominicâ & Salutatione Angelicâ quieſce. Vir ille, inquit Autor, precatiunculam præceptam ſemel finivit, cùm ſubitò ad pedes illius collapſus, nimiáque pœnitudinis vi ſuffocatus expiravit, qui poſtea viro ſancto apparuit, & quemadmodum cœleſti gloriâ, ſinè piacularis ignis pœna potitus eſſet, enarravit.

3. Actiones heroicæ ſunt, ſicut illæ in ſancti Ludovici Regis vita Matrona, quæ manu alterâ ignem, aquam alterâ gerens, ajebat, ſe illo cœlum combuſturam; hac ignes inferni extincturam: ut purè ac merè unicéque propter ſe amari Deus, non præmij amore, vel pœnæ timore ametur. Hæ actiones adeo generoſo impetu ſe libbrant in corde Dei, qui actiones tales maximis in amoribus, & pretio habet, ut & ſui Purgatorij totum ignem extinguant, & uno quaſi ſaltu in cœlum inſiliant.

# HEBDOMADA XIII.

*Veſperi poſt Examen Conſcientiæ, de minimis quibusque dole peccatis; & ut illa opere charitatis operias, pro Defunctis devotè aliquid pro pœnitentia ora.*

1.

ITa Charitas operiet multitudinem eorum, quæ in examine reperiſti, peccatorum. Nam certè eæ, quas nos in minimis ponimus, culpæ magno ſæpe cruciatui ſunt gementibus in peccatorum Purgatorio animabus. Magnis in Oeconomia, cui præfectus fuerat, occupationibus diſtentus, Valentiæ ad S. Rufi Religioſus, non Pſalmum *Miſerere*, (id quod tamen illi Ordini in more erat) ſed ejus loco breviorem Pſalmum *Laudate* volebat orare in gratiarum actione poſt Menſam: at non in lucro, verùm in damno illi tantillum illud brevioris Pſalmi tempus fuit. Integri enim anni ſpatio cruciantibus Purgatorij flammis expertus eſt non eſſe mini-

minimum, vel minimam temporis particulam è dicatis Deo obsequijs sufsurari. Heu! quot horæ partium, quot horarum, quot dierum furti reos nos repetundarum aget igneus ille carcer, tepidarum ardens ergastulum animarum.

2. Ultimo ergo illo tuarum per diem occupationum quadrante, qui horarum omnium ab hesterno examine usque ad hodiernum hunc quadrantem Judex est, quidquid id genus palearum repereris, amoris erga DEUM igne concepto combure. Adde ignem Charitatis erga proximos; & in pœnam culparum ejus diei afflictionem corporis, vel preces aliquas, terræ oscula, &c. tibi impone. Sic paleas purgatorio igne combures. Ita discres DEI & Purgatorij memor cavere tam acerbis supplicijs eluenda.

3. Pater Joannes Major *exemplo 2. cit. Defuncti*, narrat, Cistercienscm quendam cætera probum Religiosum, ob eam tamen, quâ Diaconatum cupiebat, ambitionem pœnas in Purgatorio dedisse. Adverte verò ad id, quod ille Fratri Sacristæ, cui apparuit, dixit: Quodque adhuc gravius, absque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Quidquid ergo in Examine reperisti, id omne per dolorem pro confessione proxima præpara. Ne contemne unum de pusillis illis, quæ tibi veluti nani seu pygmæi videntur, peccatis. Non tanti ponderis hæc esse putas, quanti post mortem reperies. Ille ergo per JESU pietatem preces expetijt. Neglexit Sacrista rem interim, dum deliberaret, quid rei esset. Sed non rectè agis, inquit Defunctus, erga me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manum incidere quàm sit horrendum, utinam & tu non experiaris. O si scire posses, quàm gravis est etiam minima pœna animæ à carne solutæ, profectò non tam negligenter ageres; sed totis viribus succurrere satageres! Hæc ille etiam obtestatus, preces tandem ab omni fratrum corona, & expectatam diu beatitatis coronam purgatus obtinuit. O verè & tu totis viribus succurreres, si, quid patiantur, scires! Et modica videntur, ob quæ patiuntur; sed quanta fuerint, ostendit granditas tormentorum.

4. Modica res videbatur Joanni Pico Mirandulano Comiti, negligere talentum ingenij: & tamen apud Delrium *lib. 2. disquisitionum, quæst. 26. sect. 5.* à morte apparuit, & dixit, torqueri se pœnis expiatorijs, quòd non satis diligenter & fœcundè talentum sibi à Deo creditum, eruditionis & ingenij multiplicâsset: & quia non quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationésq; &c. Adverte!

5. Cæsarius *libro 12. cap. 36.* ait, se è Benignæ Abbatissæ ore accepisse, quæ narro. Gertrudis novem circiter annorum parvula in Religioso Conventu educata, post mortem comparebat in choro, séque humi sternebat. Rogata ab illa, cui apparebat, quid vellet: Ad satisfactionem, inquit,

inquit, huc veni: quia libenter tecum in choro susurravi semiplenè verba proferens. Idcirco in eodem loco jussa sum satisfacere, ubi contigit me peccare. Et nisi tibi de eodem vitio caveas, eandem pœnam moriens sustinebis. Satisfactione completâ, tendebat versus cæmeterium mirabili virtute murum transcendens. Tum in extasim abrepta illa, quæ hæc viderat, vidit Spirituali Cœnobij Patri Stepponi destinatam coronam in Beatissimæ Virginis manibus, & quasdam ejusdem Cœnobij Sacrimoniales vidit. *Vide Paradisi Berlaymont. partis* 3. *caput* 17. §. 9. *& hic Hebdomadam* 19.

6. Modica res videbatur illa sui negligentia, *Prat: spirit: capite* 44. & tamen negligens ille, à Magistro suo sene septuagenario, visus est in fluvio ignis post mortem ad collum usque demersus. Examina itaque examen tuum: & peccata ibi reperta eleemosynâ spirituali redime.

ANNI

# ANNI MORIENTIVM, ET MORTVORVM.

## PARS II.

## HEBDOMADA XIV.

*Sanctæ erga illas animas misericordiæ fructus, est felix mors.*

1.

JTa nos Magistra nostra MARIA Virgo docuit, quando, ut 2. *Aprilis* Balinghen è Sodale Parthenio refert, ad Nolanum quendam Sodalem nobilem, qui pro Sodalium Defunctorum quiete æternâ diu quotidie solebat ardentérque precari, instituta est à Beatissima Deipara sanctissima legatio, cùm pulcherrimam ad electum illum Sodalem suum animam nunciam ablegavit, quæ Sodali diceret: Citò te præpara: paulò post morte subitâ moriêre. Ille ad quendam è Soc. JESU Patrem accurrit, & expositò cœlesti nuncio, generali de universæ vitæ peccatis expiatione factâ, sanctissimo Sacramento (quo verò sensu, quanto calore cordis!) ultimùm reficitur, & post Communionem valens felix emoritur. Semper omnino, semper operæ pretium fuit bene illis facere, pro quibus vadem gratiarum actionis facit ipsa, & illarum animarum inde ope nostrâ eruendarum, & nostri amantissima, Dei Mater.

2. S. Christina verè mirabilis animarum illarum per admirabiles corporis afflictationes, in virtute sanguinis Christi, inde quasi redemptrix, quanta non egit, quanta passa non est, de quibus

bus latè *in Vita* Surius, & Cantipratanus, oculatus admirandorum testis. Duos & quadraginta vitæ annos ideo tantùm vixit, ut illis prodesset. Ferè supra fidem, certè citra imitationem sunt furni illi ignei, duratæ hiberno gelu aquæ, molares rotæ, ossium comminutio, sanitas toties inter mortes vel integra, vel statim restituta, &c. & hæc omnia pro desertis illis à crudeli multorum corde animabus Deo oblata, cum avida, plura semper ac plura pro Deo, ut illi s id prodesset, patiendi siti. Tam nobiles vitæ præmissas, optima secutâ conclusio est, quando Christina diem à Christo didicit, quo quietura erat à laboribus suis; & pro quiete suos ipse amplexus morienti, & in cœlum ascendenti dedit: pro beati verò itineris comitatu omnes illi animas, quas diris tenero corpori inflictis tormentis, veluti lytro dato, è Purgatorij squalore eduxit. Nunc verò admirabilis illius exempli gloria quot non accendit, ad aliquid pro suo modulo pro illis animabus attentandi! O felix, & digna felicissimæ mortis præmio occupatio, animabus illis juvandis totum se penitus penitúsque toto ex asse impendere, ideo quia Deo id perplacet, & illis prodest!

3. S. Nicolaus Tolentinas, de quo refero alibi, quantam animarum multitudinem, auditâ earum legatione ad se missâ, è Purgatorio liberârit, adeo felici morte decessit, ut, veluti de illo 10. *Septembris* refert *Breviarium Romanum* sex ante obitum mensibus, singulis noctibus, Angelicum concentum audiverit. Ita qui missam nocte unâ à Purgatorij Spiritibus legationem benignus audivit, séque illis juvandis Spiritibus diligenter impendit, per singulas per semestre unum noctes à beatis cœli Spiritibus recreatus, spiritum dedit.

4. In Martyrologio Franciscanorum 20. *Augusti* B. Angelica Virgo, celeberrimæ mortificationis, in mortis agone, pro dulci migrantis animæ solatio, obvias habuit plures in Purgatorio animas, quæ illi gratias ajebant de tot tantisque bonis operibus, quibus illas juverat apud Deum. Ibidem 26. *Augusti* de B. Achatia ita scribitur ad rem nostram: Fidelium animas commendatissimas habuit, perpetuò pro eis orabat: quare cùm ad cæmeterium tumulanda deferretur, auditum fuit à Sororibus murmur tanquam persolventium Officium defunctorum. »

5. Quare pro felicissima morte à Deo impetranda sanctis sæpe experientijs testatissima res est, hoc medium esse inter palmaria & planè exquisita. Unde fuêre, qui generosâ quadam atq; heroicâ animi munificentiâ & sacrosanctâ quasi prodigalitate bona sua opera omnia pretiosis Jesu, Mariæ, ac totius triumphantis militantísque Ecclesiæ meritis unita, & exornata, pro illarum animarum redemptione obtulerint; quasi & ipsi fuerint è novo ordine de Redemptione Captivorum.

6. Hernandum Monsojum Societatis Jesu omnia, quæ pro se per universam Societatem offerenda erant, suffragia Purgatorij animabus donâsse, alibi narro. S. Gertrudis, referente id Dionysio Carthusiano, omnem piorum suorum operum satisfactionem illis animabus generosè impenderat, & molestâ sub mortem, quòd nihil sibi reliquisset, dæmonis invidi suggestione angebatur, timebátque ne debita sua omnia ignis ille purgans longissimis gravissimisque

mísque doloribus exureret. At suavissimè illam solatus Christus: Filia, Gertrudis, inquit, ut videas, quàm mihi grata fuerit grandis tua charitas, quam habuisti erga illas animas; in compensationem condono tibi omnes pœnas, quas debes. Præterea qui olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo, præmians te in cœlesti beatitudine gloriâ multò excellentiore. Efficiam denique, ut omnes animæ, quas ex Purgatorio liberâsti, tibi morienti assistant, & post mortem in cœlum cum triumpho deducant. Hoc nimirum eleemosynæ genus tale est, ut & qui illud accipit, & qui dat ditior fiat: Hic sponte occurrit vetus illud dictum: *Hoc habeo, quodcunque dedi.*

# HEBDOMADA XV.

*Teneram erga illas animas devotionem tibi, & alijs, à Deo per Beatissimam Virginem, & omnes Sanctos pete.*

1. Ludovicus de Ponte *Vitæ Patris Balthasaris Alvarez capite* 45. §. 2. meminit Joannis Ximeni Soc: Jesu rerum temporalium adjutoris; quem, ait, juvandarum illarum animarum studio fuisse valde addictum, præcipuè per crebram sanctæ Synaxeos sumptionem. Sed maxima sumpsisse dicit incrementa ex eo, quòd die omnium Sanctorum existenti in templo Collegij, coram imagine Conceptæ Virginis, incidisset illi scrupulus ob exiguam compassionem animarum, quæ erant in Purgatorio, quæ dum cogitat, audivit vocem apertè dicentem: *Ximene, memor esto animarum Purgatorij.* Cui ille: *Faciam Domine.* Et tum demum octo ijs, qui illi adhuc supererant, annis, toto se ardentis cordis torrente ad illas animas in libertatem cœlestem citiùs asserendas effudit; & quidquid internorum externorúmque bonorum operum pro thesauro potuit cumulare, totum illud animarum illarum suffragium fuit. Cogita id tibi Deiparam & Sanctos omnes cœlites acclamare: *Memor esto animarum Purgatorij!* Ut verò ardentiùs veriúsque respondeas, *Faciam Domina; faciam Domina;* Dominam ipsam & omnes Cœlites pro auxiliaribus copijs voca, ut cordi tuo, & omnibus selectis cordibus sanctam illam misericordiæ dulcedinem, teneritatémque impetrent. Habet illic Maria charas filias, habent charas clientes sancti.

2. Et commodâ planè successione, universali Sanctorum omnium solennitati, animarum illarum commemoratio solet adjungi postero die; ut & hæ addantur Sanctis illis. Tum studia instaurantur in Academijs passim, atque Gymnasijs, ut priusquàm se ad litteras accingat, cœlitum ac cœli, mortis ac mortuorum memor juventus, animum suum illâ priùs Philosophiâ erudiat, quæ mortis meditatio est. Ita apud Nicephorum Leonicum *Variarum historiarum libro* 1. *capite* 16. In Helicone Bœotiæ monte prope Agannippes fontem, parentabatur, antequam sacra fierent Musis.

3. Tangit Sanctos miseratio illorum suorum civium, quorum nomina jam

legunt in libro Civitatis Dei: & fortè etiam nomen tuum. Audi è B. Petri Damiani *epist.* 7. S. Benedictum Rainerio cuidam Purgatorium, & sulphureum piceúmque illic fluvium ostendentem. Videbantur, inquit, in illo fluvio innumerabiles volucres, quasi columbæ (ô verè gementes!) variâ plumarum diversitate conspersæ, ut hinc albi, illinc nigri discolor species videretur: omnésque velut mæstæ ac lugubres, quasi præ dolore rostra extorquebant ad pennulas. Interpres Angelus dixit, illas necdum plenè à reatu omni candidas animas esse. O benedictæ animæ! quis vobis dabit purgatas pennas ut columbæ, & volabitis, & requiescetis in sinu Dei, velut in nido vestro? Ideo certè vos Rainerio, & in illo nobis ostendit S. Benedictus, ut eas, quæ nigro interfusæ colore furvæ sunt, pennas deargentemus castissimis precibus, & illas pallore auri pretiosas reddamus, & splendidas aureâ charitate, quæ vobis bene velit, & summum bonum velit quantocyùs adipiscendum.

4. Fuit è Turcis quidam, qui virides quinque aviculas libertate donans, aliquid in singularum dimissione submurmurabat. Rogatus, quid illic mysterij voluisset, ajebat, se id facere pro animabus propinquorum suorum defunctorum; ut illæ meritò pij hujus operis subleventur. Quod isti superstitio, id nobis pia dictabit religio, ut volucres quidem illas & Dei gratiâ alatas ad gloriam animas, verùm adhuc impeditas, juvemus. Videmus eas, quæ fortè è cavea evasêre, philomelas, ad eas, quæ in cavea sunt, advolare, & illas quasi ad egressum, ad libertatem cum desiderio invitare cantando. Nolo Sanctos his involvere similitudinibus. Certum tamen est, illos (quantum plena cum Dei voluntate conformitas patitur) efflictim desiderare nostram è vana mundi & postea ex ignea Purgatorij cavea liberationem; ut unà Deo laudes absque ullo unquam vel fastidio, vel fatigatione, vel cessatione cantemus.

5. S. Anselmus *in elucidat: de animabus* in rem nostram, sic habet: *Apparent eis Angeli, vel alij Sancti, in quorum honore aliquid egerunt in hac vita; & splamen eis impendunt: usque dum liberata introibunt in illam aulam, quæ non recipit ullam maculam.*

6. Sunt, qui sancto instituto, ad anni principium unum pro toto anno Sanctum Patronum vel sorte accipiunt, vel electione. Hunc honorant per annum totum, sicut menstruum per mensem, hebdomadarium per hebdomadam, diurnum per diem. Omnibus his Sanctis gratiosissimum est, ut Cliens sibi devotus à pœnis expiatorijs quantocyùs absolvatur. B Magdalena Florentina, ut est *Vitæ parte* 1. *cap.* 33. Anno 1588. 3. *Februarij*, vidit cujusdam ex eo, in quo ipsa erat, Cœnobio, Monialis animam post 6. purgatorij dies cum gloria cœlum ascendere. Ibat verò inter Angelum custodem, & S. Miniatum ejus anni electum Patronum Martyrem media: triumphabat nimirum cum Angelo illius Custode hic Sanctus annuus, Clientem suam ad annum ascendere immortalem. O quâ cœlestis gloriæ pompâ cum Sancto Mensis cujuslibet, in cujus festo & octava, pro felici morte, pro agonizantibus, & pro defunctis communicant, ascendent Sodales! Eadem Virgo *ibidem capite* 43. in sacratissimo mentis raptu vidit animam Matris suæ

ante

ante 15. dies defunctæ cinctam gloriâ cœlum ascendere in Sanctorum, quibus devota fuerat, comitatu.

7. Raysius *in Hiero-Gazophylacio Belgij*, ait, ad Leodicense S. Laurentij templum sextâ feriâ frequentissimum esse conventum, & quòd sancto cuidam Abbati facta sit visio, in qua ille sanctum Laurentium, & Angelum vidit, audivítque dicentem: Abba, iste quem cernis, Levita Laurentius est, qui Martyrium & ignem pro Christi nomine passus, tanto hoc privilegio insigniri meruit, ut qualibet hebdomadâ animam unam Purgatorij ignibus possit eximere. Par ergo est, Deo per S. Laurentij merita supplicem fieri, ut eum, pro quo precari instituisti, amicum tuum è flammis illis eximat, & sacris Laurentij flammis expiatorios illos ignes extinguas.

8. Vasæus *Chron: Anno* 920. refert, quod narro. Pro Comite Gundesindo Episcopo Compostellano mortuo ad S. Jacobi aram supplex lachrymánsque orabat Mater solicita, & eleemosynam addebat, ac divi Jacobi Patrocinium; id quod illa totis etiam noctibus faciebat, usque dum nocte quadam vox illi è cœlo accidit: Scias, filium tuum hac nocte ad Electorum Societatem admissum.

9. S. Odiloni Abbati, à quo multa pro defunctis præclara sunt instituta, Benedictus Pontifex à Purgatorio liber, positis humi genibus gratias agere visus est. Vincentius *Speculi lib:* 24. *capite* 195. Putatur consvetudo defunctorum suffragijs dedicatæ secundæ Novembris diei ab isto fluxisse.

10. S. Joannes Apostolus & Evangelista pro devoto quodam suo sic beatissimam Virginem alloqui est auditus: Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis. Venias, obsecro, & liberes eam. Descendit cum Joanne ad Purgatorium pia Virgo, & illam inde animam eduxêre. Cognovimus hæc per illum, inquit Thomas Cantipratanus *libro* 2. *apum. cap.* 35. qui hoc vidit, & testimonium perhibuit: & scimus quia verum est testimonium ejus. Ita tu eos, quibus devotus es, Sanctos, ut pro te olim in Purgatorio torquendo, & pro ijs, quæ ibi jam torrentur, animabus, apud Sanctorum omnium Reginam intercedant, roga.

11. Idem ibidem narrat, Bruxellis quandam Religiosam seu à morte, seu à longa extasi revixisse, & Sororibus convocatis dixisse: Virginalem exercitum Colonien sem (S. Ursulam & Socias) vivens quotidie venerata sum, & earum precibus nunc à Purgatorio liberata, & ad hoc ad vitam redire compulsa sum, ut omnibus earum dignè memoriam habentibus adfutura in morte harum suffragia nunciarem: dummodo de vita tales exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio nunc iterum Spiritum reddo. & expiravit.

12. S. Petrus, *apud Viglregam*, pro devota quadam sua Cliente oranti cuidam dixit, illam ob nimium corporis cultum grandia pati tormenta in expiatorijs flammis. Se tamen à Deo illi, (utpote à qua pro Patrono cultus fuerat) de peccatis dolorem impetrâsse dum viveret; & brevi, ut suffragantibus curatis pro illa missis, liberetur effecturum. Sanctæ Ludgardi apud Surium 16. *Junij* pro chara quadam sibi anima calidissimis lachrymis oranti, absolutam ab undecim annis, qui illi adhuc in Purgatorio exantlandi erant,

animam ostendit DEUS, & dixit: *En habes animam, pro qua precaris.*

# HEBDOMADA XVI.

## *Iejunijs, & alijs voluntarijs corporis afflictationibus luendas tibi vel alijs Purgatorij flammas mitiga, extingue.*

1.

SAnctus Rembertus Episcopus Bremensis, *apud Ribadeneiram 2. Novembris.* Arnolphum Clericum à gravissimis Purgatorij pœnis 40. dierum jejunio liberavit. Nam post esurialem Remberti quadragesimam felix actutùm Pascha habuit Arnolphus, & Remberto se se gratias pro beneficio tanto agens stitit. Iejunia nostra sunt sympolia animarum. Romæ, ait Plinius *Naturalis historiæ libro 8. cap. 40.* cùm animadverteretur in Titum Sabinum & servitia ejus, unius ex his canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse abjecto in gradibus gemonijs mœstos edentem ululatus, magnâ populi Romani coronâ circumstante; ex qua cùm quidam ei cibum objecisset, ad os Defuncti tulisse. Ibidem, Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxêre, prælati contra resistentes. Canis Iasone Lycio interfecto cibum capere noluit, inediáque consumptus est. O Amici! fida olim pectora, nunc fere vix æque fidi, ac erga exules vel defunctos Dominos suos fuerunt canes. Quoties, Deus bone, illum tuum amicum, si viveret charum illud nomen & caput, ad amicum convivium invitares! Age, hoc age nunc pro mortuo. Convivium illi toties instruxisti, quoties pro illo cum devotione jejunâsti; ut citò satietur, cùm apparuerit gloria ejus, quem esurit, & sitit, Dei! Arcanis te epulis pascet pro animabus jejunantem is, qui ipse cordium lautum epulum est, amor Deus. Iejunant nunc illæ animæ à Mensa Dei, ad quam invitatæ quidem sunt, & vocatæ, & electæ, sed ob tenues quasdam maculas, ob vestem nuptialem necdum per omnia expeditam, necdum admissæ, jam, sicut Indica quædam tela, abluuntur igne, Felices buccellæ, felices lances, & potionis calices, quibus, ut illis succurras, te spoliâsti unquam! Omnia hæc in rationario temporum tuorum in numerato habet, paratus tibi solvere, quidquid animarum illarum exolvendis debitis seu mutui nomine dedisti, seu concepisti, seu liberaliter donâsti, DEUS, Gloriatus est extremâ vestis laciniâ Christus, quâ se privavit Martinus & texit pauperem; *Martinus Catechumenus*, ajebat, *hac me veste contexit.* Gloriabitur coram omnibus & Purgatorij animabus & cœli de te, ac dicet: N, hoc me cibo, hoc me vini cyatho pavit, dum ijs hodie, in dilectæ mihi illius animæ gratiam se privavit. Non sinet se liberalitatis magnificentiâ vinci unquam. Quidquid minimis illius (nam & animæ illæ illius sunt) feciſti, ipsi feciſti. Quantum alimenti corpori detraxisti, tantum pascendo tuo in illis animabus animo addidisti. Esuris nunc pro illis, supplicabunt pro te, ut satieris gratiâ hìc, illic gloriâ cum illis. Unde si quam liberâsti, jam illam invoca Advocatam.

2. In

2. In historia Anglicana S. Edeltrudis Virgo Conjunx Regia, sacro Monialium flammeo postea velata, Beatissimæ Virgini supplex facta impetravit, ut quidquid in Purgatorio luendum sibi esset, id nunc omne suo in corpore inflictis doloribus exhauriret. Ergo totum illi collum & pectus (quòd illas olim partes auro ad vanitatem & pœnitendam complacentiam exornâsset) fædi tumores, ad summum & doloris & fœtoris sensum implevêre. Historia Anglicana sub annum 685. sanctè extinctam refert integram etiam à morte mansisse.

3. Nota jam est S. Christina inde mirabilis dicta, quòd pro animabus illis gelu, ignem, rotas, & miranda vexando corpori tormenta ultrò quæsiverit. *Vide librum 2. apum. cap. 53.* ubi mediam exolvendarum à Comite quodam in Purgatorio pœnarum partem ipsa luit, & illum gratias agentem ac expeditum vidit. A S. Lydvina Virgine 14. *Aprilis*, ait *Ribadeneira*, multos è Purgatorio captivos per cruciatus corporis liberatas. *Vide & Surium ibidem.*

4. S. Catharina Senensis parentem suum conjunctis cum corporis dolore infigoi precibus à Purgatorio absolvit, receptâ in se illius pœnâ. Plura hìc similia leges. Certè Purgatorium est instar vasti cujusdam deserti & exilij animarum à Deo tantisper absentium. Anima verò tua, quæ preces, quas pro illis fusas cum ferventi carnis afflictatione conjungit, aurum in charitate, in oratione thus, in mortificatione myrrham, illis dans meretur ab omnibus Purgatorij animabus illud *Cant. 3.* cum admiratione dictum elogium: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* O quàm bene olent illa tua è thure & myrrha aromata, recreandis illis animabus! Ita lucrabere id quod mortuis apprecamur, ut nimirum odore cœlesti pascat animam tuam Deus. Sicut enim armatus magnes est fortior ad trahendum; ita si tuas pro Defunctis preces mortificatione armes, facilius cor Dei trahes, ut annuat & misereatur.

5. Ottho ille Imperator, de quo Cantipratanus 3. *apum. c. 53. parte 19.* ait se ab ijs audisse, qui illi & ægro & morienti adfuêre, quòd se quotidie Sacerdotum manibus curaverit flagellari, cordis contritione tantâ, ut Conradus Episcopus diceret, vix se posse credere, quòd Ottho Imperator, post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem Purgatorium sustineret; tamen ille Ottho Imperator materteræ suæ, Virginum in Cœnobio Præsidi, summo manè ad locutorij fenestras pulsans apparuit, & maximam precum, & flagellationum vim postulavit, Do ipsa verba: Defunctus ego sum: & in » Purgatorij pœnis excrucior. Dirigas » ergo nuncios ad diversa & devota Cœ- » nobia; & decies mille psalteria pro me » legi facias: ita ut ad singulos Psalmos » accipiatur decem ictuum disciplina: & » ad unum quemque versum addatur Sa- » lutatio Angelica, & oratio Dominica. » Psalmus verò *De profundis*, quando » accipitur disciplina, dicatur. Atque hoc post flagellationes tantas, post eleemosynas tantas. Anno enim vitæ penultimo, liberali planè munificentiâ plurimam annonæ vim in Monasteria & egenos effuderat. Fecit illa diligenter omnia; & in aurora eodem loco illum

tantâ

tantâ claritate vestitum adesse advertit, ut videre illum præ cœlesti illo splendore mortalibus oculis haud posset. Audiebat tamen exeuntem è splendore illo Otthonis glorioſi vocem: Gratias reddo tibi, & pro me misericordissimo Deo gratias age: quia jam à pœnis ereptus sum, & ad gloriam transeo sempiternam. Multa ex uno hoc deduci corollaria possunt. Tu in hujus, de quo agimus, puncti rem adverte, & quot disciplinæ ictus ille tot disciplinarum flagellatione mirabilis Imperator expetierit, in cordis calculos refer. Psalterium (quod illo versu finitur totum: *Omnis Spiritus laudet Dominum*) centum & quinquaginta habet Psalmos. Psalmi singuli, decem ictus disciplinæ. Computa tot Psalteria, & Psalmi quot requirebant ictus?

6. S. Catharina Senensis in thermis ferventissimâ aquâ se afflixit, inflammatis ad Deum suspirijs, Inferni & Purgatorij memor. Ubique invenies, quo vexes corpus, modò velis; quantò major te illarum animarum tanget miseratio, tantò minore tui miseratione tangeris, ut te maceres, vellices, vexes. Quid pro te, vel illis faceres è Purgatorio ad aliquot dies redux? Id age. Ita apud Vigliegam *exemplo* 2. *Purgatorij*, *pag.* 323. tres è Purgatorio ad vitam reduces, inconsolabilibus lachrymis, & horrendis coporis carnificinis per dies viginti admirabiliter vixêre, pòst iterùm mortui.

## HEBDOMADA XVII.

*Quò à peccatis fueris mundior, quò sanctior, eò tua pro animabus erit oratio apud Deum potentior.*

I.

Libera te primò ab inferno; tum animas à Purgatorio. Murum ponit peccatum tuum inter Deum & te; illum destrue, ut audiaris. Sacerdotis quidem Sacrum ex opere operato, seu vi suâ, quam habet ex meritis Christi, semper prodest: ex opere operantis verò, si Sacerdos sit in mortali peccato, non prodest. Denique mundi cordis os & linguam audit Deus. P. Joannes Major *titulo* Confessio, *exemplo* 28. ait, filium pro parente defuncto per totos triginta duos annos orâsse quotidie singillatim, neque tamen è flammis illis exemptus est Pater. Ergo filio adfuit, & miranti, cur tantis pro illo precibus effecisset nihil, respondit Parens: Quia semper per illud tempus in peccato mortali fuisti. Confessum ille se quotannis ajebat. Reponebat anima: Indignè illum & ex mera consvetudine Sacramenta usurpâsse sine proposito emendationis. In signum cujus, inquit, confessionem distulisti, usque ad ultimam septimanam Quadragesimæ. Denique dixit, nullum illi à Deo dimissum esse peccatum. Tum demum filius è cordis profundo compunctus, abjectis mundi larvis, omni se exuens vanitate, vestem, mentem, vitam mutavit, confessione è dolentissimo contriti cordis sinu progressâ: atque tum demum brevi Parentis animam è Purgatorio liberavit. Fortè ad hoc ipsum, quòd vel

pòst

post 32. annos sit conversus, illas illius tam constantes preces pro Parente fusas respiciens, *de congruo*, ut ajunt, & sponte liberali donavit illi potentem hanc gratiam Deus. Cæterùm hinc prudens adverte, quanto mærori sit desertissimis illis animabus, quando immortali scelere hæret quispiam. A tali enim peccato tantum & illæ damni accipiunt, quantum ab eo, qui peccati talis reus est, possent auxilij accipere. *Miserere* ergo *animæ* & *tuæ*, & illarum animarum, *placens Deo*. Sic enim positus in gratia Dei, poteris illas in Dei gloria collocare. Cogita illud *Genesis* 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain verò* (quia nequam) *& ad munera illius non respexit.*

2. Illud ipsum magno ad virtutem teneriore ac solidiore studio quærendam tibi stimulo sit, sanctum esse, ut fusæ ac fundendæ pro illis animabus tuæ preces plus apud Deum possint. Ex Astolphi Anno 1492. 14. *Octobris*, narrant Ephemerides Beatæ Virginis: Veronicæ Mediolanensi religiosissimæ Virgini, Monialis anima è Purgatorio miserabili voce opem ejus ac aliarum implorans adfuit: & graviter conquesta est, ob nævos quosdam, quos laxiores conscientiæ, utpote non lethales, negligant, frigidas esse Monialium illius loci pro animabus Purgatorij fusas preces. Cessarent à detractiunculis æmulatiunculisque: temperarent linguæ à murmure, & præfervidis quibusdam à bile ebulliente punctiunculis. Acerba enim nimiùm his in igne illo tormenta servari.

3. Certè ille apud Jacobum Archi-Episcopum Genuensem in festo omnium Sanctorum, dum alteri è Purgatorio veniens apparet, rogatus; num à noto sibi certo Sacerdote suffragia pro se fieri postularet, eò quòd ille non satis probatæ vitæ esset? non magnam se in illius precibus reponere spem ostendit. Num autem ab alio quodam vitæ integerrimæ Eremita preces exposceret, interroganti: utinam ille pro me oraret! inquit se id curaturum promittenti, præmij loco mortis tempus, ut se parare posset, vivo prædixit mortuus: Et ego dico tibi, ait, quòd ab hac die usque ad duos annos tu etiam morieris; quod ille biennium totum, felicis, quam expectabat, & verò memorato tempore consecutus est, mortis apparatui transcripsit.

4. S. Catharina Senensis & corporis doloribus, & ardenti precum contentione parentis animam è Purgatorio liberavit. Sensit postea semper sibi adesse pias parentis preces pia filia, & magnos per illum in virtute progressus fecit, quando ab illo jam inter immortales agente sæpiùs visitata, instructa de Dæmonis insidijs, de arcanis vitæ alterius edocta, magno ad vitam & mortem sanctam emolumento id sibi fuisse experta est.

5. Calefaciunt Purgatorij ignes, & à torpido tepore purgant corda nostra, dum videmus tepore nostro fieri, ut etiam illæ animæ magnum è remissa nostra vivendi ratione damnum accipiant. Quantum enim illis accederet solatij, & auxilij, si omnes in spiritu ita ferverent, sicut quidam? ita illas adjutum irent, sicut quidam? Et certè sicut ajunt, faciliùs è divite fieri hominem ditiorem, quàm è paupere divitem; ita faciliùs est, divitibus his in Dei ob-

sequio,

sequio, Dei servis ad magnas sanctitatis opes aßurgere, quàm tepidis vel mediocriter caput erigere.

## HEBDOMADA XVIII.

### *A tuis, & aliorum ægrorum doloribus disce, majoribus animarum illarum doloribus succurrere.*

1.

BEatus Franciscus Borgia, notum & sacræ & profanæ politiæ fastis nomen, *hist. Societ. part.* 3. *lib.* 8. *n.* 60. in æstu febris, flammarum infernarum acerbitatem, & ignis purgatorij cruciatum æstimans, non modo æternas damnatorum pœnas exhorruit, sed etiam animas, quæ purgarentur, ita misereri cœpit, ut inde sit orta illa, quam deinceps semper obtinuit, eas juvandi sedulitas.

2. In Britannia, Socium S. Vincentij Ferrerij biennio toto magnis caloribus coxit febris, ut est in ejus vita *apud Petrum Ranzonum, & Surium.* Petijt imponi sibi a Sancto manus, tollendo morbo. Imposuit ille quidem Socio manus, verùm post octo dies, Dominicæ horâ primâ expiraturum prædixit. Ille se ad mortem, tot jam doloribus eruditus, majore apparatu composuit. Et tamen Vincentius eos, qui ad mortui Socij exequias frequentes confluxerant, Sacerdotes omnes enixè rogavit, ut tria singuli pro defuncto suo Sacra facerent. Divinitus enim se didicisse, illum pœnas Purgatorij triduo perpessurum. Litatum est: & Vincentius actis gratijs, dixit animam illam in cœlum jam feliciter evolâsse. Sciebat Fratri illi suo majores jam dolores in Purgatorio patienti compati Vincentius, cùm videret adeo illum manuum impositionem optâsse, ut ab æstu febrium liberaretur. Sciebat illud Purgatorij triduum illo febrium biennio longè difficilius esse. Quare & suas & Sacerdotum aliorum manus illi imposuit, ab illo febrilium paroxysmorum biennio ad horrendum illud triduum argumentatus; quòd si inter illos febris dolores adeo æstuavit, adeo recipiendæ pristinæ valetudinis avidus fuit; quid in illo horrendo super omnes omnium febrium dolores ac æstus Purgatorij paroxysmo, in lecto igneo passus non est! Si ergo merebatur compassionem, dum arderet febri in lecto: majorem mereri, dum arderet in majoribus, quàm unquam mundus viderit, ignibus, in fornace illa præ omnibus & laterum, & calcis, & metallorum omnium fornacibus plùs tremenda. Dentium, podagræ, intestini denique omnes, quos legimus, dolores, illis collati doloribus, doloris nomen amittunt; sicut ingentibus sonantibus campanis minor quæpiam vix auditur. Si ergo totis te visceribus commoveri sentis, si quem inter dolores acerbissimos videas fatisceatem: erga illas, quæ majora his patiuntur, amicas Deo animas, ut cor ne obdures, vide. Nam certè si optio daretur doloris, mallet is, qui nunc in Purgatorio cruciatur, centum annis hic in quocunque igne ardere, quàm ibi anno uno. Atrocissimi tormenti plenares est, in illa & damni & sensûs pœna, & ab-

& abesse à Dei visione, & cruciari tormentis, & ita pedibus, manibus, ita omnibus se juvandi instrumentis captum esse, ut æger ille est, qui absque ope alterius nec caput, nec digitum, vix linguam movet; nec id potest.

3. Ergo dolores, quos etiam tu ipse in morbo fers, pro tuorum in Purgatorio ferendorum dolorum compendio fer, vel pro alijs animabus offer. O quàm labat in morbo multis, aliàs magnis, animus! Et religiosus erat, & in se non parcè severus notus ille, de quo Cantipratanus *lib. 2. apum cap. 51. part. 11.* & ex illo alij; & tamen enixè planè effusis inenarrabilibus gemitibus petebat à Deo, ut morbi doloribus modum, id est, mortem tandem optatam statueret. Adfuit importuno Angelus, & Dei nomine optionem, ut eligeret, dedit, ut nimirum, qui jam anno uno cum illis fuerat doloribus conflictatus, unum adhuc anno illi dolorum annum adderet, atque à piaculari omni flamma liberiret è lecto ad cœlum; vel moreretur confestim, & pœnas tridui lueret in illis ignibus, tum cœlum peteret. Ille præ anno dolorum triduum elegit. Visus demum alijs ipse est mori, imò & sibi, ac inter electos illos præ morbo ignes die uno arsit. Adfuit Angelus; & contra tridui pactum annos jam, imò lustra plura præterfluxisse queritanti, tertiam tantùm tridui partem, id est, diem unum illic exactum retulit; rescindique contractum si vellet, posse affirmavit, si mallet anno uno æger dolores morbi, quàm ignes illos adhuc biduo pati. Elegit redire alter, paratus hìc dolores illos usque ad mundi occasum lubens perpeti, quàm illic biduo adhuc uri. Restitutus sibi, vivere se ostendit, cùm jam corpori exequiæ pararentur. Et id quod erat ubi narravit, annum adhuc integrum cum doloribus lecto affixus lubens jacuit, ac tandem anno evoluto diem cum doloribus finivit. Nobis curandis ægrotavit ille: dolores illius dolorum nostrorum magistri sunt.

4. 4. *Maij* nobile infirmorum exemplum est *in Martyrologio Franciscano*, ubi humillima Casildis supplex à Deo petijt, ut pœnas pro excessibus in Purgatorio dandas, sibi in hac vita infligere dignaretur. Igne sacro, qui à pedibus ad humeros usque serpens eam omnino consumpsit, tacta, nunquam vel subtristis visa est, nec aliquid aliud svaviùs aut jucundiùs unquam tulit. Præstat nunc delere è dica, & exolvere quidquid debes. Quò hìc plùs tuleris, eò illic feres minùs. Adde, quòd hìc dolores tuos multis cumulare meritis possis, in Purgatorio steriles futuros ad augendum cumulum meritorum. Adde item, quòd excitatissimo charitatis actu possis illos pro ijs, quæ illic torquentur, animabus offerre, tuisque his minoribus majores illos illarum animarum dolores redimere, nullo tuo damno, magno illarum luero, maximâ tuorum accessione præmiorum. Fortior est quàm mors ista dilectio, quia plùs ultra mortem progressa.

5. Ad te autem quod attinet, id quod *epistolâ 7.* Francisco Mansillæ olim scripsit Xaverius, tibi ægro lege. Finge te esse, inquit, in Purgatorio, tuorum delictorum luentem pœnas. Feliciter planè tecum actum putabis, cui Deus purgatorij ignis cruciatum cum istius vitæ molestijs commutârit. Lege quod *tom. 10. de Sanctis, serm. 41.* scripsit

pſit Auguſtinus: *Si Deo, tanquam boni filij, gratias agamus, & minùs nos pati, quàm mereamur, cum vera humilitate proferamus, ita peccata ipſa in hoc ſeculo purgantur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut non veniat, aut certè parum inveniat, quod exurat.* Vide ibi ad longum plura de illo igne præclarè docentem.

6. *In Seraphica Toſſimenſi hiſtoria lib. 1. & Chronici parte 2. lib. 2. cap: 25.* Joannes de penna S. Joannis, Ordinis Minorum, mortis diem ſuæ didicit ab Angelo; elegítque ſeptem potiùs diebus hìc, quàm uno die in Purgatorio purgari. Purgatorium illi morbus, & dæmon fuit. Nam vexatus morbis, & graviſſimâ dæmonis per oſtenſa illi in charta deſcripta peccata ad deſperationem propè illum redigentis tentatione, ſeptimo demum die à tentatione atque doloribus in Chriſti manibus pulcherrimè moriens requievit.

7. Potes tibi, potes animabus illis prodeſſe doloribus tuis, qui magna tibi, ſi non negligas, accumulare poſſunt augmenta gratiarum. Neque per hoc creſcet morbus vel dolores, quòd illos libenter, gratias agens, pro illis animabus, vel pro tui olim Purgatorij compendio toleres. Imò ſic illos ſolabere, & clavum minorem majore dolorum cogitatorum clavo obtundes. Patiendum eſt, elige; num ex agro doloris velis nobilem illis animabus & tibi gloriæ meſſem legere; an verò illos tibi dolores eſſe ſteriles ſinè fructu: imò ſteriles illos dolores eſſe tibi, ob impatientiam, Purgatorij titiones novos, quibus Purgatorium accendas tuum, quod ijsdem extinguere poteras, ſi doloribus uti ſciviſſes, & voluiſſes.

8. Inde eſt, quòd ad ferendos libenter morbi cruciatus ægris aliquando appareant animæ. Sic *Hiſt. Societ. part. 2. lib. 1.* Julius Cabedus Mutinæ æger, Gregorium filium ſuum in Societate Jesu defunctum in cœlum ferri gaudens vidit.

9. Moguntiæ *Anno 1626. 14. Septembris* P. Joannes Falco Societatis Jesu morti conceſſit. Hunc Aſchaffenburgi ægrum graviter quædam anima inviſit, & tametſi plura pro ſe facta ſacra eſſent, tamen certam ſibi eſſe liberationem, ſi ipſe vel ſemel incruentum illud ſacrificium pro ſe offerret, dixit. Nam licet ipſa incruenti illius Sacrificij nobilitas pretium habeat, quod falli non poſſit, plùs tamen vim ſuam exerit, ſi miniſter ſacrificij ſanctitate ſit præſtans. Facturum ſe recepit Joannes, ſi id ægro per Superiorem liceret. Facilè licuit, & Joannes alienis nixus brachijs, velut Moyſes, propitiatorium ſacrum abſolvit: & animam liberati patris vidit agentem gratias, & dicentem: *Non morieris hoc morbo, ſed plurimas adhuc animas Deo paries, ac deinde in cœlum evocabere.* En ſancta importunitas animarum, etiam ab ægro id poſtulat, quod æger ægrè poteſt. Documento tibi eſt, ſancte mi æger, ne omnem erga illas animas miſerationis affectum in te tua extinguat ægritudo. Age pro tuo modulo tum etiam, quidquid potes; aliud non potes? id, quod pateris, illis dona. Millies millenis myriadibus plures illæ dolores habent, quàm tu.

10. *In Menologio Ciſtercienſium 11. Junij.* B. Aleydis Virgo leprâ incurabili toto corpore percuſſa, ſcabie, vermibúsque horrida, quotidie ter vel qua-

ter

ter exquisitissimis excruciata doloribus, ajebat, se à Christo didicisse, ut illa omnia pro animabus Purgatorij peterentur. Morientis animæ obvius fuit Christus, MARIA, Cœlites; & suo illam amplexu involvens Christus, magnum illi dolorum pro animabus perpessorum præmium dedit, ac dixit: *Bonum certamen certâsti: cursum consummâsti: fidem servâsti: propter hoc nunc venio, ut coronâ Martyris & Virginis decorata in æternam requiem introducaris.* Hanc illa *requiem* per suos dolores petiverat animabus; & impetravit etiam pro se.

# HEBDOMADA XIX.

## *Silentio, modestiâ, & curâ minimorum etiam liberantur animæ è Purgatorio.*

1.

RODriquez *part. 2. tract. 2. cap. 12.* Duranum Archiepiscopum Tolosanum, refert è Surio, monitum à S. Hugone, ut ne adeo se salsis quibusdam facetijs daret: Purgatorio id expiandum. Expertus id est brevi Archiepiscopus, & cuidam post mortem apparuit, ore portentosum in modum extuberante, labiisque fædè concisis, & exulceratis; neque jam ridens, verùm lachrymabili voce, nugis & facetijs suis accensos ignes, ut Hugo unà cum suis per sacrificia, & preces extingueret, rogavit. Hugo, septem Monachis per hebdomadam unam, severum, pro eluendis hac virtute Antistitis facetijs, imperat silentium. Tacuêre sex alij, sed unus silentium fregit. Ergo mæsta cum querela adest iterum Duranus, & illius unius garrulâ levitate, heu! incolatum suum in Purgatorio prolongatum conqueritur. Hugo redintegrari sanctam silentij jubet hebdomadam, & uni illi alium sufficit, qui prurientem linguæ intemperiem scivit melius coërcere. Ita septem illi toto septem dierum spatio fideliter & piè tacuêre: & Duranus Pontificio insignis paludamento hilares agens gratias adfuit, & discessit ad cœlum. Ecce in suffragiorum numero etiam silentium! Idem de aliarum virtutum exercitio cum proportione licet conijcere. Interea dum taces, Deo loquere, jam pro illis animabus, jam pro te. v. g. cum S. Augustino *in Psalmum 37. In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non sit opus!*

2. Linguæ, & minimorum custodia incredibile est, quantum habeat momenti ad Purgatorij flammas sopiendas. Quare & silentio, & attentâ minimorum curâ linguam & cor custodi. Redime te nunc: tunc enim redimes pretio cariore. Apud Gregorium *de gloria Confessorum cap. 5.* Vitalina Virgo religiosissima S. Martino dixit, se in Purgatorio detineri, quòd feriâ sextâ, quâ Christus passus est, caput abluere solita fuerit. Modicum id videbatur vivæ; sed ad ignem Purgatorij vidit mortua plus esse, quàm existimârit. Apud Vigliegam *in fructibus Sanctorum de Purgatorio pag. 332.* pia quædam anima Purgatorium passa est, quòd biberit vinum sinè aqua, seu non dilutum, cum gustu nimis inordinato. Ibidem, alia totos septem dies purgari debuit, quòd

facetis quibusdam verborum levium salibus ac nugis fuerit plùs æquo delectata.

3. Audivi è viro, cujus ætas, doctrina, & religiosa virtus facilem apud me fidem invenit, nostrâ ætate virum nobilitate ac virtute præstantem, die Beatæ Virginis festo confessum (ipse illi à conscientiæ arcanis erat) & communione munitum, domi frugali refectum prandio, ad visitandum Patrem Confessarium suum adijsse; ibi oblatum sibi urbanæ humanitatis causâ vini vitrum exiguum semel ebibisse: domum reducem, noctu repentino nescio quo morbo decessisse; Patri ipsi, præmisso in faciem calidissimo anhelitu adfuisse, ac se mortuum, & in Purgatorij supplicijs pœnas dare dixisse. Rogavit hominem *is*, qui mihi hæc retulit, Pater: quid ita in Purgatorio esset, cùm heri confessus & indulgentiam plenariam fuerit consecutus? Causam dedit defunctus: se quidem indulgentias consecutum, sed post prandium pauxillum illud vini ex illo vitrello bibisse supra sitim: ideo se pœnas dare, & daturum, donec pro se sacrum fiat. Rogavit ergo, ut id quàm primùm liceret, facere ne omitteret. Signum liberationis fore, si non rediret. Fecit, ut primùm per tempus licuit, summo manè sacrum. Pater, & anima non redijt.

4. Modica res videbatur matutina jusculi sumptio. Religioso illi valetudine non satis firmâ utenti; & tamen ajunt etiamnum superstites, illum in fimeto sedere visum post mortem, & quidem usque ad os: & causam illam fassum, quam dixi.

5. Ad hæc autem in Examine quàm maximè advertendum. Æstimare modica qui nescit, Examen facere bene nescit. Ad hoc ergo, ut Examen facere scias, descende ad Purgatorium ante & post Examen, id quod aliàs monui *hebdomadâ* 13. *Ante*; ad lumen accipiendum pro linguæ custodia, & æstimatione minimorum. *Post*; ad orandum pro animabus illis, quæ ob talia illic gemunt. Ita tui animabus illis miserti, faciliùs miserebitur Deus, non tantùm ut ea expies, quæ in te reperisti, verùm etiam ut illis profuturam invenias medicinam; & in silentio, aut cùm loquendum est, sinè scurrilibus jocis, præstoleris salutare Dei. Silentium Amyclas perdidit: tuum verò silentium te & illas, quas amas, animas è Purgatorio liberabit. *Iacob.* 3. *& lingua ignis est.* Credo hoc igne magnam Purgatorij partem ardere. Extingue illum ignem pio silentio.

---

# HEBDOMADA XX.

*Nisi evidenter tibi constét, aliquem esse salvatum, quantumvis fuerit sanctissimus, tamen pro illo suffragia ne neglige.*

1.

*Chronicon S. Francisci part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 7. ait, Angelicæ vitæ Fratrem Lectori apparuisse post mortem, petijsséque tres Missas pro se dici, quas Lector pro illo, tanquam eo, qui suffragijs non egeret, omiserat. Tum quàm horren-

horrenda pateretur commemorans, ita concluſit: *Nemo facilè credit, quàm ſtrictum ſit Dei judicium, quantóque rigore peccata caſtiget!*

2. Jordan. à Saxon. *lib. 3. de communione ſpirituali cap. 30.* ait notum ſibi quendam in Ordine ſuo magnum, à morte pio cuidam Viro apparuiſſe, & ſe integerrimo anni unius ſpatio in atrociſſimis ignis purgantis tormentis fuiſſe; jam tamen Dei miſeratione cœleſti familiæ adſcribendum dixiſſe. Rogatus, quid ita vir in tanta ſanctitatis æſtimatione habitus tanto tempore, tantis fuiſſet pœnis excruciatus reſpondit: *Ob cogitationes pravas*, quibus, ajebat, cor ſuum ſæpè vexatum, à divina tamen protectione cuſtoditum, ne prorueret. Omni nimirum cuſtodiâ ſervandum eſt cor, cùm ſemper, tum in his vel maximè, ut ne quid nævi adhæreat. Tranſeunt illæ quidem per cor, at adeo lutulento pede, ut vehementer advertendum ſit, ne quod luti fruſtum, ne quod impuri pedis veſtigium poſt ſe relinquant. Supremâ hìc diligentiâ eſt opus. Nam ſi ullibi, hìc planè, *qui ſpernit modica*, ſi quæ tamen hìc modica dici poſſunt, *paulatim decidet.*

3. S. Gregorius Pontifex *lib. 4. dialogorum à cap. 39. uſque ad 42.* agit de Purgatorio. *Ibidem cap. 40.* Paſchaſius Apoſtolicæ ſedis Diaconus *mira ſanctitatis vir, eleemoſynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui; hic cùm eſſet defunctus, ejus dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt: tamen poſt multum temporis Germano Capuano Epiſcopo ſe in pœnis eſſe dixit, & addidit: Quæſo te, pro me Dominum deprecare.* Fecit viri tanti Purgatorium obſtupeſcens Epiſcopus, & Paſchaſium liberavit. En Sanctus iſte à S. Gregorio dictus ut ſui contemptor, & luculento ad cadaver miraculo à Deo honoratus tamen dixit: *Sed quæſo te, pro me Dominum deprecare.* Ne itaque boni cujuspiam, quem novimus, viri ſanctitatem in illius injuriam trahas poſt mortem. Age tu, quod illi faceres, ſi certò illum egere ſuffragijs ſcires; cùm neſcias non egere, proderit alijs, ſi ille non egeat.

3. Apud Barrium *die 4. ſolitud: conſideratione 6.* refertur divinitus manifeſtatum, quòd è Societate quidam quatuor annos in Purgatorio detentus fuerit, etſi in magna virturis opinione vitam traduxiſſet; & nobilem quandam puellam totis quingentis annis, ob aliquam vanitatem, quâ juvenum animos offenderat. Quis pro religioſiſſimo illo viro poſt unum annum ſibi orandum exiſtimavit? Quis illum tam diu illic hærere ſuſpicatus eſt? O quàm felice nos quosdam à Purgatorio cogitatione abſolvimus! mallent illi aliam à nobis indulgentiam! Si puellam illam nobilem eſſe in Purgatorio, fuiſſet ſtatim poſt mortem alicui revelatum, quis crediſſet illam tam diu precibus opus habituram? Credo ego amicorum noſtrorum non paucos, quos jam nos veluti cœlo additos quaſi certò exiſtimamus, adhuc, adhuc acerba quæque pati: & plùs deſiderare à nobis, ut illis preces; at vellem illas inſtructas eſſe ſuffragijs. Ama, quem laudas: id eſt, velis illi bene; voles optimè, ſi voles & procuraveris illi celeriorem ſummi boni conſecutionem.

5. Bloſius *Conſolat. cap. 13.* ait, S. Brigit.

Brigittæ pro anima præclaræ virtutis Viri oranti dictum à Beatissima Virgine: „ Filia, hujus Eremitæ amici mei anima „ de corpore egressa, mox perveniſſet in „ cœlum, ſi in morte perfectum habuiſſet „ desiderium pertingendi ad præsentiam „ Dei, ejúsque visionem: quòd quia non „ habuit, detinetur nunc in Purgatorio „ desiderij, ubi nulla pœna est, niſi solum „ desiderium perveniendi ad Deum. Scito tamen ipsam, traducendam in cœleſtem gloriam, antequam corpus ejus recondatur in terra. Quis ergo ſecurus, „ quis ab igne illo tam citò, ac putamus evadet inter mortuos liber?

# HEBDOMADA XXI.

## *Dimitte tuo, & illarum nomine, injurias tibi, & illis factas.*

1.

ADvertit id P. Roa *de Purgatorio cap. 16.* aitque, ad citiùs liberandas animas è Purgatorio prodeſſe plurimùm, condonare earum nomine omnes injurias, quas dum viverent, ab alijs ſuſtinuerunt. Hæreret hìc dubia ad credendum fides; verùm id ab ipsis è Purgatorio animabus didicimus. Nam, ut *ibidem è Manuſcripto Bibliothecæ Florentinæ* refertur, cuidam, qui in Christi gratiam die Veneris fratris ſui homicidæ ignoverat, quaſi gratias agentem Christum adfuiſſe per quietem, & dixiſſe: *Quia heri mei cauſâ veniam dediſti inimico tuo, ſcito me eodem articulo temporis eripuiſſe ex Purgatorio animas tui fratris & patris: quæ jam in cœlo mecum fruuntur beatitudine. Te quoque ad eandem poſt octiduum invito.* Lobbetius *de fortitudine lib. 2. cap. 3. §. 3.* Viduæ unicæ dilectum filium ait occiſum, & ab occiſi Matre piâ induſtriâ, homicidam illum, ne ad ſupplicium traheretur, clàm detentum, pecuniâ, filij occiſi equo, conſilióque ad fugam adjutum. Hoc perfunctam officio, & pro filio orantem bis ſalutatam ait à filio glorioſo, dulciſſimas illi ut bis Matri gratias agente, quòd parricidæ ignoviſſet, quòd beneficio ornâſſet. Uno hoc actu ſe ab annorum plurium pœnis abſolvi. Audijt promiſſam ſibi in cœlo coronam, & Filium in cœlum cum gloria aſcendentem vidit. *Vide & Oſorium feriâ 6. poſt Cineres.* Præclara Matrona hæc obſecuta eſt illi conſilio *Proverb. 25. 22.* de inimico: *Prunas congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Tot annorum in Purgatorio prunas à filio avertit, dum illas hoc beneficio inimici parricidæ ſceleſto capite congregavit. Dominus illi reddidit: nam & filium libertate donavit, & Matri per filium, gloriæ coronam promiſit.

2. Tu verò in hoc opere pietatis perge, & ſi quos à tuis illis, pro quibus oras, animabus, cùm adhuc nobiſcum verſarentur, offenſos nôſti, illos illorum nomine, ut ignoſcant, & pro illis orent, ora. Certè ſi redire poſſent, demiſſiſſimè deprecarentur, plenis cordi intimi ſenſu verbis: ſicut S. Vincentius Ferrerius *Dominica in albis*, ait, cuidam dilatum in cœlum ingreſſum, cui tamen nihil deerat, niſi quòd non fuerit deprecatus illi, cui detraxerat. *Et ego ſcio*, inquit, *iſtud eſſe verum, quòd anima*

*vedjt*,

*redijt, quia ego ipse fui per ipsum diffamatus; & à me veniam petivit.* O possent! quàm vellent! Fac tu illarum loco. Accende offensos, ut ignoscant, ut orent.

3. Ita offensi olim, vincent *in bono* præsenti *malum* præteritum: & credo, quòd illos ob excellentem illum charitatis actum, quo pro ijs, à quibus passi sunt, orant, citiùs exaudiet, & eximiè honorabit Deus. *Annales Capuccinorum Anno* 1608. in Vigilia Nativitatis Christi, mortui fratris Sylvij meminére. Hic magnus B. Virginis cliens, cum socio, *O gloriosa Domina* in B. Virginis Officio orabat, & integro horæ quadrante vi spiritûs in aëre tam altè pependit, ut socij caput pedibus æquaret. Sæpe inter delicias ajebat: *O Domina satis est, satis est! mea enim indignitas non capit tantarum redundantiam voluptatum.* Auditus etiam est cum B. Virgine, & S. Michaële colloqui. Sed & cum animabus, quarum quædam ob nescio quam consvetudinem à se inductam, aliæ ob verba otiosa, & tempus facetijs combustum se ardere ajebant. Una in templo ante SS. Sacramenti aram sic locuta est, ut ita dicam, lachrymabilissimè: Ah! mihi! Ah! mihi! quid non debeo pœnarum pati? O justè hominum Judex, quando illis finem impones? O Fratres! ô! ô Fratres! si vos sciretis, quàm hæ graves sint pœnæ, quid non terroris ac tremoris conciperetis? O Sylvi, ego sum anima Fratris N. quæ horribilibus in Purgatorio tormentis excrucior! Causa horum, sunt peccata linguæ meæ: ob quam ego tanta patior, quanta eloqui planè non possum. Ajebat serixas interdum inter Fratres excitâsse. Hoc verò uri maximè videbatur, quòd contra Franciscum ejus loci Superiorem seu Guardianum deliquisset, illum accusando non zelo, sed alio affectu. Quare demisse rogare se, ut sui loco Sylvius veniam, simúlque triginta Sacrificia Missæ peteret à Superiore offenso à se. Superior libentissimè omnibus annuens, tres proximos dies omnibus Sacerdotibus, ut pro Fratre illo sacrificarent, destinavit. Tertio die adfuit ad agendas Guardiano gratias purgata jam anima, dixítque se jam ad cœlum proficisci; ibi se illum præstolaturam. Primùm offensas remitti sibi voluit: tum demum offerri Sacrificia; & quidem illius operâ, quem à se sciebat offensum. Age, si ab aliqua vel te vel alium scis offensum, & ipse culpam remitte, & ut alius remittat adlabora: tum junctis unà cum illo viribus illam è lacu igneo extrahere stude. Idem age cum illis in Purgatorio, tibi olim notis, quos tu fortasse aliquando, cùm unà essetis, offendisti. Abunde satisfeceris, si illis optimo, quo potes, modo fueris opitulatus.

# HEBDOMADA XXII.

## *Ora pro defunctis Rosarium mortuorum, & Psalmum* Miserere.

1.

ALij illud aliter orant. Res in devotionis tuæ arbitrio est, & in manu propensi erga illas animas cordis.

Sive

Sive totum è meris orationibus Dominicis constet, sive ad grana majuscula Dominicam precationem, & Angelicam Salutationem, & ad minora *Requiem* dicas, sive id aliter formes, licet. De Salutatione Angelica certum est illis illam valde prodesse, cùm sciamus Rosaria prodesse. *Requiem* ad illas propriè spectat. Nunc de oratione Dominica notabile est, quod *lib. 1. conformitatum S. Francisci cap. 23. refert Pisanus.* Conradus de Offida, religiosus planè vir, juvenculum quendam, sed ad levitates nimiùm projectum, ejusdem Ordinis Fratrem ad religiosam frugem, ab alijs ad id rogatus, potentissimâ quadam dicendi suavitate ad omnium admirationem usque deduxerat. At Juvenem illum brevì sibi vendicavit Deus. Permisit tamen, ut Conrado è Purgatorio appareret. Adfuit ergo ille Conrado nocte ad Altare oranti, & *Ego sum*, inquit, *anima juvenis nuper defuncti. O fili charissime, quid est de te?* inquit Conradus. Respondet juvenis, esse se in Purgatorij pœnis, & rogare, ut sicut vivum juvit, ita non desereret mortuum; & aliquot pro se *Pater noster* oraret. Dixit *Pater noster*, & *Requiem* Conradus semel. *O Pater sancte*, inquit Juvenis, *quantùm profuit mihi!* *Rogo iterum dicas!* Iterum orante illo, explicuit anima mirificè se juvari! Tum Conradus precationem eandem centies repetivit. Anima verò, *Ex parte*, inquit, *Domini nostri gratias tibi ago: ut ipse tibi de hac charitate mercedem æternam tribuat, quia per orationem tuam sum à pœnis omnibus liberata, & pergam nunc ad gloriam Paradisi.* Rosarium complet *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*. Hæc orantis, lachrymas cœlo illatas dicam hebdomadâ sequenti.

2. Psalmus etiam 50. *Miserere* pro defunctis utiliter recitatur, adjunctâ oratione Dominicâ. P. Joannes Major *citato exemplo* 23. Episcopum pietati apprimè deditum narrat, cui per quietem visus est puer hamo aureo funiculóque argenteo fœminam formæ præcipuæ è puteo educere. Somnium explicavit res ipsa, quando in Cæmeterium puerum Matris suæ sepulchro insistentem, quid illic ageret interrogavit, & responsum tulit: illic Matrem suam sepultam esse, pro illa se Psalmum *Miserere* & orationem Dominicam recitare. Ita tu aureo hamo, argenteóque funiculo illam, pro qua orabis, animam è puteo abyssi purgatorij extrahes ad lucem argenteam, ad auream libertatem. Nunc illæ animæ clamant ad te, *Miserere*; ad omnes, *Miseremini!* Ad Sacerdotem quemvis clamant, *Pater!* Plùs est illi vitæ, quam nulla mors excipit, aliquem gignere, quàm isti, quæ periculis scatet, & sæpe desinit in mortem in inferno æternam.

---

# HEBDOMADA XXIII.

## *Non Sacerdotes tantùm, sed & alij magno cum fructu animas illas juvant.*

1.

MAtronæ in verbo *Defuncti. exemplo* 24. meminit P. Joannes Major, *è libro de 7. donis*, quæ in Cathedrali

drali æde in angulo ardenti cordis in Deum effusi æstu orare visa est ab Episcopo. Rudis verò aliarum precum dicebat *Pater noster, Ave Maria, Credo*; at cordis & lachrymarum teneritudine singulari, quibus felix templi pavimentum aspergebat, penetrantibus usque ad Purgatorij profunda devotis lachrymis. Vidit interea sanctus Episcopus columbam è cœlo venientem, & lachrymas illas colligentem, & deferentem in cœlum. Neque semel tantùm, verùm sæpiùs ista vidit. Quare fœminam, quid demum oraret, rogatam, & id quod erat respondentem, monuit, ut Psalterium oraret. Fecit illa: sed Episcopus cùm columbam consveto more descendere non videret, ablato ab illâ Psalterio, in antiqua devotionis simplicitate manere jussam, iterúmque more suo precantem, & columbam ad preces ejus lachrymas colligentem ac cœlo inferentem vidit. Narrandum hoc est, pro solatio, & pro stimulo animas adjuvandi, ijs, qui amusi planè & literarum rudes sunt, at sunt docibiles Dei. O eloquentes illi lachrymarum characteres, corde typographo, in maxillis, velut in paginis, impressi! Scit illos legere, & illis ad misericordiam flecti cor Dei.

2. *Menologium Cistercienſe 9. Novembris.* Nicolaum Conversum, pusillum Zachæolum, oves devotione mirâ pascentem, & pro cervicali trunco usum, sempérque cilicio cinctum, totos 50. annos adeo sanctè serviviſſe in simplicitate cœlesti narrat, ut in ejus transitu, multas animas ab ignibus purgatorijs liberatas ipsius meritis, quidam vir sanctæ vitæ Domino revelante cognoverit.

3. In religionibus nonnunquam etiam Sacerdotes adfuêre, & se visendos non-Sacerdotibus ostendere. Multi à non-Sacerdotibus adjuti, ut hìc passim patet. Pro mortuo certè religioso etiam non-Sacerdotes orant. Felices religiosi, qui quàm pauperes sunt dum vivunt, tam sunt opulenti post mortem, quando divites hujus mundi egent. S. Petrus Damianus *opusculo* 14. *Cùm*, inquit, *Frater quispiam ex nostris obierit, unusquisque pro eo septem dies jejunat; septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipit; septingentas metanœas* (pœnitentiæ quodpiam genus id fuit) *facit; triginta insuper Psalteria ex more decantat; continuis quoque triginta pro illo diebus Missarum solemnia celebrantur. Hac hujus loci regula nullâ voti varietate postponitur: hac consvetudo circa defunctos, districtâ prorsus & inviolabili semper observatione tenetur. Si quis autem fortasse Novitius, vel quolibet modo morte prævenitus injunctam pœnitentiam consummare non potuit, mox ut ad Fratrum notitiam res patefacta pervenerit, cum magno fervore tota pœnitentia, parili factâ inter eos divisione, suscipitur: & quantalibet sit, brevi spatio per diversos afflictionum modos ovanter expletur. Felices nimirum divitiæ charitatis: quæ gratis se non modò viventibus ingerunt, sed & mortuos prosequuntur.*

Ita ille.

# HEBDOMADA XXIV.

## *Pro felici tui Purgatorij compendio, opera misericordiæ spiritualia circa pauperes exerce libenter.*

1.

IN *Actis Ordinis S. Augustini* Concionatoris expirantis cor dolore, & amore contrivit Deus, eò quòd devotus fuisset, & diligens circa confessiones pauperum audiendas. Fusæ ad illius sepulchrum pauperum lachrymæ maximo gravissimarum (quas non ob satis religiosos mores pati debuisset) longissimarúmque pœnarum compendio. Visus in sacro, sub *Memento*, ut vocant, à Purgatorio liberari, obviam illi pro illo è cœlo descendentibus, & illum plurimâ intimæ lætitiæ significatione ad cœlum usque comitantibus pauperibus, quos in spiritu juverat. *Roa. c.* 13.

2. Prope Lovanium, ut Cantipratanus *lib.* 2. *cap.* 53. §. 21. affirmat, mortuus dissolutus Juvenis, Matri, quæ per totos quinque annos charo filio lachrymis, jejuniisque parentabat, „ apparuit è Purgatorio liber. Ecce, in- „ quit, nunc Mater charissima, adjutorio „ tuo ad requiem transeo de gravissimis „ pœnis, quas pertuli pro peccatis; & „ mecum Dominus Lambertus Presby- „ ter, qui me ad cognitionem & confessi- „ onem peccatorum meorum salubriter „ provocavit: pro quo, cum alijs multis, quos ad pœnitentiam adduxit, multâ mercede cumulabitur præmiorum. Hic leprosorum Confessarius fuit, vir zeli plenus: cujus etiam operâ pia Mater ad convertendum dissolutum hunc suum filium usa fuerat. Optimum est sic alios ad cœlum ducere, ut & tu intres. Sicut honor antiquâ reciprocatione ab honorato redit in honorantem; ita pia erga animas miseratio, & illas, & illum, qui miseretur, juvat.

3. Joannes de Nivella, quem nec ægritudo, nec vicina jam mors a spiritualibus, pauperum præcipuè, obsequijs poterat avocare, teste Cantipratano *apum lib.* 2. *cap.* 31. visus est post mortem ante Purgatorium deferri ab Angelis, & cùm ibi plures, quos in spiritu olim juverat, agnosceret, illis à Deo libertatem obtinuit, ac unà in cœlos ascendit. Sanctus Zelus! qui non contentus ipsum, in quo erat, à Purgatorio eximium reddere, fecit etiam, ut in illius gratiam inde alij solverentur.

# HEBDOMADA XXV.

## *Pro parentibus, & peculiaribus amicis, peculiari contentione adnitendum, ut liberentur.*

1.

IN *Vita Dionysij Carthusiani*, Dionysio solicito de salute parentis, & orante, nocte quadam parens lachrymabili specie captivus apparuit, & altâ voce dixit: *Fili mi amantissime, juva tuis orationibus Patrem tuum, quia patitur ignem, & percussiones Virgis ferreis* Ita tui ad te Cognati, amici è Purgatorio clamant: & fortè adhuc etiam parentes.

2. Hæc

2. Hæc est sancta usque ad aras, & ultra tumbam, ultra ferreas mortis leges consanguinitas, & amicitia; velle bonum parentibus, cognatis, amicis, & illud bonum, quod est bonorum optimum, & bonum à se, & bonum omnium, idq; bonum quantocyùs possidendum, cùm vel momentum visionis Dei sit infiniti pretij, & ut sic dicam, infinitissimæ voluptatis. Jam non miror illud lumen ingressos quosdam tantis conatibus operam illis animabus penitus impendisse. Gratia Valentina Ordinis Minimorum, & Benincasia Neapolitana, Virgines, ut Rho *num. 16. & 4.* meminit, in hoc admirabiles extitêre. Gratia etiamnum adolescentula tanto eximendæ ab illis doloribus animæ flagravit desiderio, ut in sacro suo conclavi triduum integrum ex asse toto validissimis precibus impenderet, & nil cibo nil potioni temporis concederet. Luctabatur velut Jacob usque ad gemitus foris auditos. Et evicit. Anima enim illa, felici illucescentis sibi beatitatis luce circumdata, Gratiæ Virgini gratias referre spectata est ab ijs, qui hæc omnia per rimas arbitrabantur: quæ demum, ubi non ingratam accepti memoriam beneficij pollicita est, unà cum duce suo Angelo ad superos abscessit.

3. Quantum, Deus bone! Dei erga nos, quantáque dignum æstimatione beneficium est, bene posse facere optimam è cœlo gratiam relaturis, & ijs, quæ certò æternitatis candidatæ sunt, animabus! Intellexit id Ursula Benincasia Neapolitanarum Virginum flos, quæ Bernardinam sororem exigneis illis quasi thermis ut eximeret, sese ipsa obtulit ad dolores, quos acerbissimos decennio toto, Bernardinâ interim cœlis additâ, sustinuit lubens. Catharinæ verò sorori ex ijsdem tormentis eximendæ ergò interim Deo supplex, etiam illius dolores sibi transcribi impetravit, quibus etiam tandem immortua immortalitatem illam adijt, quæ est verè & finis, & patria charitatis. Quo sensu existimabimus hæc Ursulæ tormenta spectata è cœlo à Bernardina & Catharina beatis? O nunquam ingratæ animæ! quibus quidquid obsequiorum impenditur, veræ ac æternæ amicitiæ impenditur! Felices amici, qui amicorum, quos manus Domini tetigit, misereri sciunt & volunt!

---

# HEBDOMADA XXVI.

## *In cæmeterio, dum transis, breviter & ardenter pro animabus ora.*

1.

SAcerdoti religioso, Vamanio, animarum illarum adjuvandarum cupidissimo, in cæmeterio, *Requiescant in pace*, peractâ pro illis oratione dicenti, vox accidit multorum *Amen, Amen* dicentium. Major Verbo *Defuncti exemplo* 5.

2. Vallisoletanus Civis per cœmeterium iter nocte intempestâ habens, pro more attentione devotissimâ Dominicam & Angelicam precationem dicebat pro animabus illis. Strictis gladijs adfuêre hostes, qui illum facilè confecissent, nisi repentè armatorum exercitus ad opem precanti ferendam nescio unde advolâsset, ac hostes tremore percussos in fugam conjecisset.

3. Militem persequentes se fugientem & flexis in cœmeterio genibus pro defunctis precantem repentè mille cataphracti defendêre: neque sciebat se defensum, nisi postquam id ab amicis postea ijsdem hostibus intellexit. *Vide* Roa *cap.* 21.

4. O si cadaverum illorum illic conditorum animas per aliquam portæ rimam videre in Purgatorio posses! O si cum illis ita colloqui, sicut cum sacris Deo Virginibus voluntario se carcere sponte claudentibus, aut sicut cum ijs, qui in Magistratûs carcere detinentur, colloquimur, quid dicerent? non audisti in platea vel foro clamores captivorum in carcere inclusorum? non vidisti exporrectum ad stipem vasculum? non advertisti plura ad ferreas crates capita foras prospicientia & misericordiam implorantia? Miserere miseris! Divino amori divinas illas, quia vitæ dilectas, à morte animas redde. Si enim brevis animæ à corpore separatio mors est; anima animæ cùm sit Deus, tam longa mors est Purgatorium, quàm longo tempore animas à Deo, à vita sua, ut ne illi jungantur, prohibet. Da illis auxiliares manus, amica suspiria: hoc totum à te petit cœmeterium, hoc omnes templi, in quo oras, sepulti flagitant.

5. P. Joannes Major *Speculi* V. *Defuncti, exemplo* 3. mortuo quodam, ait, auditam à Clerico in cœmeterio vocem: *Surgite fideles universi quantocyùs, & exite de tumulis vestris, quotquot in cœmeterio estis; ut convenientes in Ecclesia commendemus animam hujus* Defuncti *charissimi nostri, & rependamus ei vicem beneficij sui: Quoties enim per hoc cœmeterium transire solebat, toties pro nobis orationem specialem facere consueverat.* Exsurrexêre, & factâ in templo luminaribus pleno comprecatione pro mortuo, ad tumulos redière. En quantam ex eo agro, in quo cadavera seminantur ad immortalitatem resurrectura, messem tulit istius pietas! Is verò, qui hæc vidit, postea religiosus vixit.

6. Cœmeterium, *Dei agrum* dixêre Germani veteres. Ibi, ibi non jam mortis falcem expectat messis, sed horreum Domini sui.

ANNI

# ANNI MORIENTIVM, ET MORTVORVM.

## PARS III.

## HEBDOMADA XXVII.

*Indulgentijs juvanda illæ animæ.*

1.

FEcit id diligenter S. Franciſcus Xaverius, qui illis merita Indulgentiarum applicabat teſte Barrio *Solitudinis die* 3.

2. Infinitus meritorum Chriſti theſaurus, cum omnibus beatiſſimæ Virginis Matris, & Sanctorum omnium meritis, Indulgentiarum Gazophylacium eſt; in Chriſti & Deiparæ manu concludenda, & ſic SSS. Trinitati offerenda ſunt noſtra omnia, ut pretium habeant & ſplendorem. Veriore enim acroamate nos de Chriſto acclamabimus, quàm de Theodoſio Themiſtius *oratione* 5. acclamârit: *fieri non poteſt, ut calculus niger in manum Regis*, Chriſti, *veniat, quin colorem mutet.* Cruenta Chriſti & nivea MARIÆ manus purpureum & candidum operibus noſtris colorem dabunt: *tornatiles* ſunt, & *plenæ hyacinthis*, quidquid per illas manus offeremus, hyacinthino colore perfundent.

3. Romæ *M. S.* in S. Praxedis templo codex refert, à Paſchale I. Pontifice Maximo, qui ante annos abhinc circiter ſeptingentos ſediſſe perhibetur, conceſſam Indulgentiam, ut dictis in S. Praxede ad Chriſti flagellati columnam quinque ſacris, una è Purgatorio anima liberetur. Celebravit ibidem pro ſui nepotis anima quinque Miſſas idem Ponti-

Pontifex, & ijs finitis animam illam à beatissima Virgine in cœlum ferri vidit.

4. S. Birgittæ Christus *Revelat. lib. 6. cap.* 102. Hi, inquit, qui habitis Indulgentijs cum charitate perfecta & contritione verâ decedunt de hoc mundo, solvuntur non solùm à peccatis, sed etiam à pœnis: quia ego Deus, non solùm dabo sanctis & electis meis, quæ petunt, sed & duplicabo, & centuplicabo propter charitatem. Hæc piæ cuidam infirmæ nunciavit Christus; cujus postea mortuæ animam vidit S. Birgitta ascendentem sicut igneam, quam contra occurrantes Æthiopes Deipara Virgo defendit. A tribunali autem Judicis, ubi S. Jacobum etiam habuit advocatum, exultans discessit, & quasi stella splendens.

5. Ita ad indulgentias S. Mariæ de Angelis peregrina, & Assisij mortua fœmina, demum navigantibus peregrinationis suæ socijs apparuit, & se à beatissima Deipara ad illos missam asseruit, ad testandum, quòd per illarum Indulgentiarum vim, beato aspectu Dei indulgentiarum Domini frueretur. Cujus ingenium occupavit Amor amati Dei, & amatarum à Deo & Dei causâ nobilium animarum, viam inveniet juvandi. Quare, quod Ecclesia die anniversario; id tu vel singulis ferijs secundis, vel quotidie suspirans pete: *Deus indulgentiarum Domine! da animabus illu refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem.*

## HEBDOMADA XXVIII.

### *Eleemosynis cumprimis juvantur illæ animæ.*

1.

HOc fecit 2. *Machab.* 12. Machabæus ille Judas, quando *duodecim millia drachmas misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium;* Alia verò eleemosyna datur pauperibus: aliâ sacra curantur: utraque defunctis valde est utilis.

2. *Annuæ Collegij Vinociburgensis in Flandria Anno* 1612. ajunt, pium è scholastica Soc: Jesu disciplina adolescentem, datâ certâ eleemosynâ, & sancto Missæ sacrificio suppetias tulisse avunculi animæ, sua in igne illo emendatorio debita per satispassionem, ut ajunt, exolventi, quæ per satisfactionem non plenè exolverat vivus. Ergo pio nepoti adfuit liber ab illis incendijs avunculus post sacrum, &, *gratias,* ajebat, *ago tibi fili mi, polliceórque æternam beneficij abs te accepti memoriam.* Felix pecunia, quæ Christi conjuncta sanguini est illarum redemptio animarum.

3. *Vita Fratrum Prædicatorum parte* 5. *cap.* 7. ajunt, cuidam se ad funebrem sequentis diei concionem paranti, & nescio quas ad cadaver levitates exerceri dolenti, è Purgatorio animam adfuisse. Legatione, ajebat, fungor animarum in Purgatorio: hæc enim mandant suis in derelictis possessionibus constitutis: *Miseremini nostri, miseremini nostri, saltem vos amici nostri, quia manus Domini tetigit nos!* Ex his verbis cras tibi sermonis thema accipies, & repelles ludos execrabiles, quos vidisti; & induces homines, ut defunctorum amicorum

piè

piè subveniant animabus. Exposuit legationem cum insigni collachrymantis & omnia meliora spondentis concionis universæ sensu. O talem nobis legatum, qui hæredes, qui Cognatos ad vestienda altaria, ad curanda sacrificia, ad erogandas largas eleemosynas excitaret! O ablegandos funebrium epularum mortuales, imò funestos ebrietatis haustus! O pecuniam non inanibus & brevibus pomparum bullis, verùm profuturis animæ eleemosynis impendendam! O quàm erga vos parci sunt vestri, quàm in sua commoda liberales è vestro sudore quæsitis opibus bonæ animæ! Bene illi sit, quicunque in illas non ex alieno, verùm etiam è suo est liberalis! Nulla Paulini, nulla Joannis, sancti illius Eleemosynarij liberalitas te superet! qualis ille erga vivos egenos fuit: talis tu erga mortuos esto. Experiêre liberales animas, liberalissimum Deum!

4. Benedictus Papa VIII. narrante id Petro Damiano, *epist. ad Dominic. cap.* 4. è Purgatorio adfuit Episcopo; & Joanni Pontifici Summo nunciavit, ut certam, quæ in theca condebatur, pecuniæ summam in pauperes pro Benedicti salute distribueret; ita se redimendum. Nam illas, quæ de rapinis & malè acquisitis in egenos erogatæ essent, sibi nihil penitus profuisse. Legatione à mortuo ad vivum Papam peractâ Episcopus mitram posuit, & in aliena calamitate ut salutem inveniret, religiosus privatus vixit. Hinc verò, quàm prosint defunctis eleemosynæ, & quales, adverte, & alios doce.

# HEBDOMADA XXIX.

*Appetentibus festis, illa festorum & devotionis pompa, vide, ut te valde memorem inveniat animarum.*

1.

FEsta, ob magnam devotionum frequentiam, sunt quasi nundinæ animarum. Communiones, eleemosynæ, indulgentiæ, conciones, (fortè interdum etiam de illis factæ) vigiliarum jejunia, & plura, quæ his occasionibus fiunt, sancta, multas inde animas transcribunt cœlo. Turcæ in festorum suorum vigilijs, cibum, aliásque eleemosynas in egenos in cæmeterijs erogant, orantes. Umbram illi retinent antiquæ, quam ab Ecclesia olim primores illorum audierunt, sanctitatis. Habet Ecclesiasticus annus dies quosdam, quos expectant avidæ animæ, ut ad æternum transeant festum. Dixit Aristoteles alicubi, *æquius esse mortuis opem ferre, quàm vivis.* Certè emendatorius ille ignis facilè id à quovis impetraret, si semel videretur. Soles aliàs festo die magis explicatâ in egenos manu esse liberalis: O quæso, etiam illis, quæ per me à te stipem petunt, mendicis, plùs quàm quotidianam eleemosynam elargire! Et Christo & Virgini, & omnibus, quorum festa colis, Sanctis hoc scias fore gratissimum, ut universale illud ac æternum cœlorum festum facias unius Sancti accessione solennius, id est, frequentius. *Festinate*, inquit S. Augustinus *serm.* 44. ad Fra-

Fratres in eremo, *festinate orare pro defuncta Ecclesia: ut & ipsi festinent procurare, ut ipsis in gloria conjungamur.* Solent in festis majoribus festivi ignes accendi arte pyrobolariâ. Optimum festum feceris, si devotione tuâ ignem istum extinxeris. In festis grandibus, captivis pœna solet remitti apud quosdam, teste V. Bedâ *in Psal:* 37. Pœna Purgatorij gravior est, quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid homo gravius potest excogitare. I ergo, labora ex occasione diei solemnis, ut illas redimas. Ita te ipsæ docent & rogant.

2. P. Baëza *historia Evangelica lib.* 18. *cap.* 1. §. 16. ait, se incidisse in membranam vitæ S. Martini Canonici Regularis in Legionensi S. Isidori Cœnobio. Ibi refert S. Martinus, se è defuncti cujusdam Sacerdotis animæ relatione didicisse, hoc concedi animabus in Purgatorio igne existentibus, quòd diebus Dominicis & alijs Christi Domini festis, à carcere exeant.

3. Spinellus *cap.* 16. *ex Dionysio Carthusiano* ait, amicum pro mortuo amico unicè dilecto lachrymarum vim magnam, precum vix ullam fudisse. Adfuit flenti mortuus: &, Nihil, ajebat, » mihi tuæ lachrymæ commodi attulerunt. Adfuit nobis nocte Christi nati » Virgo puerpera MARIA, & plures è purgante igne animas abduxit secum: eandem sortem expectabam ego tuis precibus fretus; sed longiora me illic manent supplicia. Aderit nobis iterum ipsâ Resurgentis, & secum Patres è limbo educentis Christi nocte. Age, quæso, & pro me lachrymas precibus misce; ut me secum abducat. Vide, quàm sciant animæ se in festis solennibus juvari à nobis posse, & quàm sperent. Vide, ne spes illas fallat de te concepta. Vide, ut plùs à te, quàm sperârint, accipiant. fac illis festum.

# HEBDOMADA XXX.

## *Ipsæ è Purgatorio animæ docent nos, quomodo inde à nobis debeant liberari.*

1.

CAntipratanus 2. *Apum.* (cujus etiam Razius meminit) refert se Matris narratione didicisse, quod narro. Ait ille, Aviam suam unicè dilecti filij sui mortem inconsolabilibus lachrymis deplorâsse. Videre postea sibi visam juvenes magno cum gaudio pergentes in via. Secutum lento gradu tardè filium interrogatum à Matre, dixisse, ad iter prosequendum se illis lachrymis non juvari. Imò sinuosâ in veste magnam aquarum vim ostendens Matri, se illis impediri ajebat. Et verò impediebatur, in quantum absorpta lachrymis Mater sterilibus, tantùm lachrymis parentabat charo primogenito, neque ut sacrificia, preces, eleemosynas pro anima filij curaret, illi veniebat in mentem turbatam lachrymarum ac doloris vi. Unde, *ad Deum ergo lachrymas commutabis*, inquiebat flenti Matri docens illam filius: *& in præsentia sacrificij Corporis Christi, cum eleemosynis pauperum pro me cor pium, & devotum effundas.*

2. *In Trithem. Chronic. Anno* 1078. igni-

igniti equites, olim milites, num juvari possent, petenti, dixêre: *Jejunijs, & orationibus, maximè verò oblatione corporis & sanguinis Christi adjuvari possumus, & rogamus.*

3. Apud Vigliegam *exemplo* 15. Verbis amico olim datis stare permissus post mortem Hugo, adfuit religioso, cui id se facturum promiserat, & unde adesset, & quomodo haberet, rogatus, *Nunc*, inquit, *bene mihi est: sum bono loco: sed quia fui negligens in disciplinis nostri Ordinis post Completorium, innumerabiles in Purgatorio ictus accepi.* Alia plura hìc sparsa, huc possunt etiam revocari.

## HEBDOMADA XXXI.

### *Animas illas parvulo in sinu MARIAE IESVLO commenda.*

1.

SPectante B. Magdalenâ de Pazzis, *parte* 1. *vita. cap.* 64. liberatæ cuidam è Purgatorio Moniali, Jesulus nectar cœleste ex ore suo, purissimâ quadam divini oris communicatione, in os porrexit.

2. P. Petrum Justinellum Soc. Jesu Castilione 31. *Julij Anno* 1630. è mortalitate exemptum & additum immortalitati, constat, cùm se aliquando pridie Natalis Domini parvuli Jesu flagellaret, in suffragium animarum piacularibus ignibus eximendarum, gratam nascenti parvulo & orationem fudisse, & verbera addidisse. visa enim est flamma lucidissima, quæ ferebatur à terra sublimis ad cœlum, pulchrum pignus precum verberibus armatarum, exauditarum pro animabus illis, à nascente parvulo Deo Jesu.

3. Catharina Riccia Florentina, ut in ejus vita Guidus *lib.* 1. *cap.* 21. testatur, Anno 1545. die Purificationis B. Virginis, ad suum conclave redux reperit illic Deiparam Virginem cum parvulo suo filio Deo Jesu, & cum S. Vincentio Confessore. Ibi sub pallio vidit quarundam ejusdem Cœnobij Monialium animas, & Sororis suæ, quæ omnes erant Catharinæ precibus è Purgatorio liberatæ. Horam integram tenuit cœleste spectaculum. Dedit B. Virgo Catharinæ in sinum felicem, parvulum suum, qui illam monuit, ut primò certæ quædam è Cœnobio labeculæ tollerentur: Secundò, ut omnibus diceretur, ut de ope certæ ad Jesuli Matrem recurrerent: tertiò, ut Cœnobij Mater, non tantùm adverteret ad errores, verùm cum plurima charitate etiam pœnitentijs animadverteret; ne ipsa postea in Purgatorio pateretur, quæ neglexisset.

4. Facies delicias Jesu, si captivas illas, quas inde redemisti, animas quasi sub pallio tuo, ad Mariæ pallium, ad Jesuli pedes stiteris. Gratum habent Magni, si captivos illis donet quispiam. Tu donabis jam è captivitate eductas, ut respirent in luce miserationum Jesu. Ita *in Martyrologio Franciscano* 25. *Julij* felicissimus ille Jacobus inter Angelos apparuit gloriosus & lætus, & Joanni pro se oranti Jesulum ostendens dixit:

*Cum illo puero nunc vado ad regnum.*

# HEBDOMADA XXXII.

## *Testamento pijs illis animabus aliquid lega.*

1.

SI nil habes, age & patere, pro illis vivus, quæ potes. Ita non ab intestato morière. Invenit tamen religiosa, & pijssimè ingeniosa, & dives Hernandi Monsoy Soc. Jesu paupertas in cordis penu industriam, quâ egentissimis illis animabus aliquid daret. Nam ut Rho *Virtutum lib. 1. cap. 4. num: 3.* notat, cùm videret à se jam extincto pias illas animas juvari non posse, morti vicinus, quidquid sibi vitâ functo, sive in precibus, sive in sacrificijs, sive in quocunque genere, piamentorum obventurum erat, proprio chirographo, in pœnarum socios, eorum nominibus solvendis, ut illis bene esset, sui planè incuriosus, totum ex asse transtulit. Ita hæredes ex asse toto fecit bonas illas animas animus liberalis. O quo illo plausu, quâ suavissimæ charitatis inclinatione à bonis illis animabus exceptus illic est hospes, si tamen viâ expeditâ ad beatitatem non statim concessit! Sese flammis illis acerbissimis ultrò ad longiora tormenta addicere, ut alios inde citiùs ad immortalitatis felicitatem assumat Deus, quàm sanctè crudelis in se, quámque in alios liberalis animi fuit, tam altè à Deo æstimatus, & amatus est.

2. Ad omnes, & morientes quasi cum libello supplici vellent adesse pij illi manes, si possent. Tu id quod putas, quòd à te peterent, illis da, seu sis viribus integer, seu jam fatiscas. Miserere autem etiam desertarum ab aliorum testamentis, & suffragijs animarum, ut sunt animæ pauperum, aut eorum, qui divites quidem fuêre, & de suffragijs liberaliter disposuêre, sed hæredum impietate, vel fisco omnia referente, non juvantur ab ullo. Vigliegas *in fructibus Sanctorum citat.* meminit animæ cujusdam sic desertæ, quæ maximis excruciabatur doloribus, quòd nullum, penitus nullum haberet, qui pro se in particulari sacrum faceret; quare in extrema illa paupertate misella anima, se tantùm communibus omnium suffragijs solabatur. Sunt, quibus in Catalogo animarum, dum pro illis orant, illæ omni solatio & auxilio destitutæ, quæ in omnium oblivione jacent, animæ sunt, cordi quàm maximè. Ita semper quidem placet Deo eleemosyna, tunc tamen, cæteris paribus, videtur placere maximè, quando datur maximè indigenti. Sunt, qui pro illis supplicent, quæ egent maximè, quibus aliunde vix tenuis alicujus solatij affulget radius. Tu vide, ut ne illas etiam tu obstinatâ duri cordis oblivione sepelias. O quo te misellæ affectu complectentur, cùm tale te testamentum intellexerint condidisse!

# HEBDOMADA XXXIII.

## *Noctu si evigiles, illas juva.*

1.

SAnctus Ignatius Soc. Jesu Patriarcha, Venetijs, ut Romæ cum iconibus

bus impressa illius vita refert, *imagine* 24. dum noctu sub sancti Marci porticu jacet, M. Antonius Trevisanus nobilis Senator, hisce verbis excitatus: *Tu delicatè quidem cubas; sed famulus interim meus humi sub dio est.* quæsitus ab illo, repertus, & perhumaniter habitus est. Potuit ferire illa vox virum illum: an te ista non feriet, si illam noctu in cor bene admiseris? *Tu delicatè quidem cubas: sed famuli interim mei, amici mei, filij mei dilecti, animæ ad æternam prædestinatorum patriam electæ, in Purgatorio, sinè ulla quietis respiratione sunt in cruciatibus, à quibus eripi per te possunt.* Inde est illud Xaverij tintinnabulum. Hinc nocturnæ tot Sanctorum, quos hìc narro, preces, & animarum apparitiones. Sunt illæ in tenebris, expectant desideratissimam auroram, & plenum lumen visionis Dei, quod illis æternum faciat diem.

2. Ecce jam tota, in qua fortè decumbis, Civitas jacet sopore alto mersa, & illarum oblita, non audit miserabile illud: *Miseremini mei!* Audi tu, & miserere. Non peto, ut somnum accidas, ne quid detrimenti accipiat valetudo tua, & sanctum hoc exercitium infame ac exosum apud alios reddas. Suggero tantùm, ut suspirio uno, unâ precatione Dominicâ vel Angelicâ salutatione, vel *Requiem* illis precatus, vel alio, quem spiritûs fervor cordi dabit, auxilio illas juves. Importunus ille amicus in Purgatorio à te noctu panes petit. Das illi panes, dum oras, dum aliud agis, quod illi prodest.

3. Hinc S. Dominicus, teste Petro Ribadeneirâ 4. *Augusti*, singulis noctibus, ter ferreis tergus flagris exarabat, quæ cupreis filis distinguebantur. Sic autem se flagellabat, ut suomet sanguine totus purpurasceret. Primam flagellationem pro suis, alteram pro proximorum peccatis, tertiam pro redimendis è lustrico igne animabus offerebat. Præclara hæc sunt. Sed incendia sunt ad scintillas nostras. Omnia hæc facere dum non potes, ne nihil facias, cave.

# HEBDOMADA XXXIV.

*Iuva illum mortuum, pro quo oras, ad dissolvenda, si quæ habuit, seu spiritualia seu alia debita.*

1.

VUlgata res est, mortuos id postulâsse non rarò. Berlaymont *paradisi parte* 3. *cap.* 17. §. 4. ex alijs, novennis parvuli meminit, qui Matri è Purgatorio spectabilis, dixit adeo acerbis se doloribus cruciari, ut si multis annorum millibus comportarentur carbones, tantum facere non possent incendium. Maternum cor ad hæc illachrymari, & inculpati parvuli pœnas obstupescere cœpit. At parvulus incurium se in exolvendis minimis quibusdam debitis fuisse dixit, quæ fortè pro reculis, quas ad pueriles usus emerat, contraxerat. Satis ergo creditoribus fieri, ac preces pro se fundi jussit. Et verò liberaliter id ac perlibenter fecit Mater optima, cui gratias jucundas retulit in libertatem filiorum Dei asser-

tus novennis puer, dicens: *O Mater dilecta, gratias tibi ago! ex quo debita mea persolvisti, me à Purgatorio liberâsti: ideo cœlos introibo, & pro te, ac fratribus meis, Deo supplicabo.*

2. Collector speculi apud Majorem V. *defuncti exempl.* 25. ait suis temporibus accidisse, quod narrabat. Ajebat, Eusebium Sardiniæ Ducem, cùm summum ei studium esset circa defunctos, unam è melioribus suis Urbibus destinâsse in eleemosynas pro sacris, & alijs suffragijs animarum. Urbem illam Urbem Dei vocabat. Hanc vi ereptam Urbem Dei. Pareret imperatis Ostorgius, ni vindictam sentire vellet. Dedit ille Eusebio & Urbem, & se. Exercitus verò interroganti Eusebio, qui essent, » dixit: Esse de familia Dei. Nos sumus defunctorum animæ, quas tuis beneficijs & eleemosynis larga Domini » donavit indulgentia: quibus jam liberatis à captivitate, lucidas mansiones » tribuit in æterna requie. Unde, hoc » non pigeat pro nobis feciſſe, quia gratiam Dei, & omnium fidelium defuncto. » rum pro tanto habes beneficio. Et » nunc scito, quia nos omnes, quos vides, » eripueris, & adhuc multos eripies, si ab » hac tua intentione non desistas. Age » ergo, & quod priùs benefaciebas ex bona voluntate, jam nostrâ admonitus o- » ratione & fidelitate, meliùs de reliquo » satage; ut captivos, quos apud justum » judicem liberas, apud eum intercesso- » res eos habeas; qui enim per te liberati, longam tibi vitam & salutem propterea orant, ut & alij multi per te redimendi adhuc, in pace requiescant, qui » tibi indulgentiam & gratiam ipsius Judicis æterni exposcant. Hæc verò Abbas ille retulit, qui in illa inter Principes lite fuerat in captivitatem abductus. Scias verò per hoc de tua re domestica nihil decessurum. Unde illæ animæ ibidem Eusebio Duci dixêre: Quod Deo dederis, vel dare disposueris, quicunque casus surripuerit, tibi » non peribit, sed centuplicatum in cœlo semper manebit. At non pecuniaria tantùm debita, verùm & spiritualia pro ijs exolvenda sunt, quam in rem est id quod sequitur:

3. Delrio *lib.* 4. ait, Anno 1610. apparuisse fratri suo quendam è Purgatorio, & petijsse, ut ipse perficeret votum quoddam à se, dum viveret, conceptum quidem, sed non perfectum. Paruit libenter fratri supplici frater superstes, & liberatum à pœnis gloriosum vidit.

## HEBDOMADA XXXV.

*Labore tuo, & sudore illum animarum ignem extingue.*

1.

SI *sudaveris corpore*, inquit, *hemil.* 4. in illa verba Isaiæ, *Vidi Dominum*, S. Joannes Chrysostomus, *inunges animam tuam.* Potes verò etiam illas, quæ purgantur, animas isto sudore inungere, potes illarum etiam ignem fluenti-

entibus è fronte, manantibus è toto corpore pretiosis illis tuis guttis aspergere, temperare, extinguere. Hæc sunt laboriosæ virtutis opobalsama, hic est ros lucidus, quo quia velut cœlesti rore irroras illas animas, cœlesti etiam rore olim recreabit animam tuam Deus. Majalis hic ros est, quo bene aspersas bonas illas animas sursum ad se attrahet ille roris illius amicus Sol, DEUS. Si ergo aut flectendi aut precandi molestiâ pertæsum queritur corpus, doce illud animæ misereri. Quidquid precando, vel aliter, operæ impenderis animabus illis, coronabit liberalissimus Deus.

2. Caroli S. Catharinæ Svecicæ fratris uxor Eidka in Svecia extincta, ut Balinghen 22. *Martij* meminit, Romæ Catharinæ, mæstæ specie fœminæ, spectabilis & supplex adfuit, ac illud identidem suspirans: *O Catharina, ora pro me! Ego sum in magnis tormentis. Ora pro anima unius è Svecia, quæ tibi coronam auream testamento legavit.* Paulò pòst adfuit cum corona nuncius, & Catharina, quo potuit pectoris accensi ardore Deum, ut ad miserendum flecteret, MARIAM misericordiæ Matrem auxiliarem adhibuit: impetravit. Certè aureas tibi coronas per illas ipsas, quas inde erues, animas mittet, dignúmque coronari tuum caput coronâ plus quàm civicâ coronabit Deus, utpote qui unum æternæ Civitati Civem, æternâ Urbe ut citiùs donaretur, adjuveris.

3. Ita apud Balinghen 22. *Aprilis.* P. Michaëli à Fontibus Soc JESU Beatissima Virgo post exantlatos viginti annorum in India labores adfuit, & cœlum absque Purgatorio petiturum dixit. Et certè à duobus è S. Francisci familia religiosis visus est liber vitæ inscriptus. Obvia morienti fuit ipsa Virgo Mater, & cum SS Petro ac Joanne S Ignatius Pater. Tum demum à MARIA pretiosâ ex auro coronâ coronatus, vitæ coronidem attigit.

# HEBDOMADA XXXVI.

## *Solatium conscientiæ, misericordia erga illas animas.*

1.

*IN impresso Anno 1632. Hispanico Virorum in Peru illustrium Catalogo 17. Novembris Anni 1626.* P. Alphonsus Cortes Soc: JESU Virgini Matri Deiparæ totus plenè devotissimus, ac familiaris, ad illam in omnibus spiritûs afflictionibus fidentissimè recurrebat, semper levamine apud illam reperto, & desiderij sui quiete plenâ. Fuit, cùm molestis religiosissimæ conscientiæ mæroribus inquietum sentiret cor, & ad quasdam peccatorum umbras pávidum, atque omnia tuta timens. His ergo conscientiæ scrupulis plenâ confidentissimi amoris querelâ, Dei Matri aliquando conquestus, efficacem huic malo petijt medicinam. Audivit pias clientis querelas magna spiritûs Magistra Virgo, & pro pharmaco sacrosancto dixit: *ut esset magis devotus erga animas Purgatorij.* Successit consilium, adeo ut postea bene se in spiritu pergere à Beatissima Virgine intellexerit: pergeret modò majorem semper ad perfectionem

sua

ſuâ omnia erudire. Denique ſe & Virgini, & Virginis Filio benedicto placere, didicit ab eadem: quâ etiam admirabilia migranti animæ ſolatia infundente, in beatum illius ſinum, ſpiritum cœleſtibus divitijs opulentum depoſuit. In *Italica Siculorum notitia* impreſſa nuper lego de S. Xaverio: » Memor erat defunctorum fratrum ſuo-
» rum; & in neceſſitatibus, ijs ſe com-
» mendabat. *Vide lib. 2. epiſt. 6.*

2. Multos religioni, & per hanc cœlo adſcripſit Purgatorium Religioſos etiam plures è veterno excitavit, & calefecit corda torpida. Recordare illius *apud Ioannem Heroldum* Abbatis, & candelabro è metallo conflati in eum, in quo avunculus illius patiebatur, Purgatorij locum injecti, ac ceræ inſtar diffluentis, vi terribilis illius ignis. Erat in illo igne Abbas avunculus, quòd aptum licet, tamen è conſanguinitatis affectu, nepotem ad Abbatis dignitatem evexerit. Ergo Nepos totam ſui ſpiritûs politiam aliter compoſuit, Abbatiam abdicavit, religioſiſſimâ morum compoſitione, mores ſuos ad hauſtam è Purgatorio lucem & calorem ſanctiſſimè caſtigavit. O quando in Urbe incendium oritur, qualis hominum concurſatio! quis æris campani clangor? Juvant omnes; & domi ſua componunt, ne incendio involvantur. Ardent animæ! compone tua, juva illas, & te!

## HEBDOMADA XXXVII.

### *Si quid à DEO impetrare vis, offer DEO aliquid pro illis animabus,*

1.

EXperiuntur etiamnum id plures, Et hoc ipſum diximus ſuggeſſiſſe Deiparam Virginem ſuo Alphonſo Corteſio Societatis Jesu, quem Rho *lib. 1. Virtutum cap. 4. num. 6.* Beatiſſimæ Virgini conqueſtum, ait, quòd adeo moleſtis animi inter mille ſcrupulorum ſpinas anguſtijs exagitaretur: ac reſponſum ab illa luculentum tuliſſe, ut ſi ſalvus, ac liber eſſe vellet, animis è purgatorio carcere redimendis, operæ plurimum impenderet. Placet id, quod *cap. 21.* notat *Roa*, & ſæpe in pijs ſuper hac re colloquijs teſtantur, alienâ & ſuâ etiam edocti experientiâ viri erga illas animas pij. Quis ab illis, inquit ille, quidquam » petijt, & non obtinuit? Quis ne » ſcit, quæ beneficia penè quotidie ex- » periantur illi, qui ubi aliquid perdi- » derint, nec per humanam induſtriam » recuperandi ſpem habent, animarum » causâ aliquod pium opus faciunt, & » mox rerum ſuarum potiuntur? Ad- » dit, ſe audiviſſe homines prudentes, & virtutis amantes non rarò dicentes, quòd nunquam viderint animabus devotos in ulla tribulatione, in qua non fuerint per ſingularia & extraordinaria quædam beneficia recreati.

2. P. Dominicus Aſſenſius, qui Bilbili in Hiſpania 1638. 12. *Auguſti* obijt, rem quandam difficultates habituram coram Magiſtratu acturus, quindecim ſacrificia obtulit pro animabus Purgatorij:

torij: & hac industriâ pietatis, adeo glaciem perfregit, ut rem planè conficeret. Nam in Senatu ubi comparuit, mirâ quindecim pro animabus oblatorum sacrificiorum, & calculorum correspondentiâ, quindecim in Senatu suffragijs pro ipso pronunciatum est. Ita quot suffragia dedit, tot accepit. Hæ nimirum sunt artes filiorum Dei, loco sophisticationum politico-Machiavellisticarum. Hic vir 75. ætatis, 54. Societatis initæ anno moriturus, biduo ante supremum morbum valedixit quibusdam, & pro se suffragia petivit.

# HEBDOMADA XXXVIII.

## *Nullum diem sine aliqua hujus pietatis linea patere abire.*

1.

ITa Sol occidet semper super pijssimam misericordiam tuam, & aliquod ultimo diei tuo munusculum feret, quod olim reperies in cumulo. Fecit id prolixâ planè pietate Christophorus Refrigerius, Joannes Abarca, & Joannes Allartus: hi è Minimorum Ordine, ille Clericus Regularis, ut adnotat *Rho Virtutum lib. 1. cap. 4. num. 7. & 13.* Christophorus nullam sinè linea diem abire passus est, quâ, Cæmeterio pro oratorio usus, collectis totius animi viribus pro animarum illarum quiete acceleranda non precaretur. Hi verò duo Joannes, liberales planè erga egentissimos manes Eleemosynarij, ita se sanctæ huic misericordiæ impenderunt, ut unam sibi quotidie horam solidam decerperet Abarca, quâ pro illis attentissimo studio precaretur: Allartus verò illam diei partem, quæ familiari inter socios collocutioni concessa est, cum fratribus æternitati transcriptis colloquebatur, imò pro illis: nam quidquid intra templi Cænobiique mænia erat sepulchrorum, veluti domesticos manes adibat, singulísque insistens sepulchris, de profundis miseratione sanctâ tacti cordis visceribus *Psalmum* 129. concinebat: simúlque piacularem aquam aspergens singulis, versâ in omnes pietate; *pœnitentiales Psalmos* pro omnibus perorabat.

2. O tempora horarum in nugas prodiga! Alia omnia possumus; his vacare non vacat! Pretiosas facit horas suas, qui illas Deo dedicat, pro pretio redimendarum è flammeo illo carcere filiarum Dei. Et verò & horarum & operæ pretium æternum feret. *Ora pro defunctis*, inquit *sermone 44. ad Fratres de Eremo*, S. Augustinus, *ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, ut juventur per nos. Clamant quotidie, qui jacent in tormentis.* Attende! *quotidie.* Amice, diem perdes, quem sine tam nobili animarum illarum & tuo lucro abire permiseris. *Unum ex sanctioribus exercitijs, & una ex magis pijs curis, quibus homo se exercere potest in hac vita*, inquit idem *homiliâ 16.* inter 50. *est offerre sacrificia & eleemosynas, & ora-*

*& orare pro defunctis, qui sunt in Purgatorio, quorum Fratres sumus.* De suis in igne purgante Fratribus, *Synagogæ cap.* 1. Judæorum fabula est, solos Israëlitas resurrecturos, bonos ad vitam æternam, malos ad æternam gehennam; mediocres duodecim mensibus in gehenna detinendos, tum salvandos. Aliquam illi veritatis umbram vidêre Ita & nostri fratres eunt. Cœlum, gehenna, Purgatorium tenet, felices primos, infeliciſſimos secundos, tertios necdum plenè felices. Deus autem novit, an non duodecades annorum illic debeant commorari, ut purgentur. Tu illis annos in menses, imò in horas & momenta verte. Et fac velis.

---

# HEBDOMADA XXXIX.

*In ijs, quæ semel prudenter pro illis animabus inchoâsti, tene constantiam, & alios ad id permove.*

1.

D. *Assignies in conclavi notabilium Ordinis Cistercienſis cap.* 16. S. Bernardum Novitium quotidie pro anima defunctæ Matris septem Pœnitentiales Psalmos piè recitare consveviſſe affirmat: id quod quia semel neglexerat, Stephanum Abbatem monuit Deus, & Stephanus Bernardum; imò, ut ajunt, ipsa etiam è Purgatorio Mater.

2. Sancta Ludgardis Virgo, ut est in ejus vita *apud Surium*, orans pro quadam anima Purgatorij, negabat se à lachrymis ceſſaturam, niſi illa liberaretur; nec ceſſavit, usque dum adductâ secum illâ animâ apparens Ludgardi Christus dixit: *Æquo animo esto dilectæ! ecce hæc est anima pro qua postulas.* Adfuit etiam aliàs Ludgardi Simonis illius (ita vocabatur) anima, & undecim se annis in ignibus illis manſuram fuiſſe dixit, niſi per illam sanctâ constantiâ fuiſſet extracta.

3. Tenuit constantiam, & arcano Dei consilio tandem utiliter se orâsse agnovit divinitus *in Martyrologio Franciſcano* 1. *Januarij* beatæ memoriæ Laurentius Laicus, qui sui Præceptoris animam, postquam duodecim annos pro ea Dominum obsecrâſſet, è Purgatorij pœnis in cœlum evolantem vidit.

4. Constanter age: agent tibi gratias. *Hiſt. Societ. part.* 3. *lib.* 8. *numero* 170. Beatus Franciſcus Borgia narratur præcipuam curam impendiſſe juvandis animis, quæ noxarum residua igne purgarent: & ingenuè aperuiſſe dicitur Hieronymo Natali, non paucas earum sibi viſas; cùm exolutæ pœnis evolarent ad gaudia, agerentque gratias, & relaturas pollicerentur è cœlo.

5. *Exodi* 23. 5. *Si videris aſinum odientis te jacere sub onere, non pertranſibis, sed subleVabis cum eo.* O quanto sub onere culparum & ignium jacent illæ animæ Dei! Bovem aut

aut equum vel asinum, si videas in foveam cecidisse, alios advocas, ut unà illum extrahant omnes; & per hoc non ingratum amico, cujus bos ille, asinus, vel equus est, arbitraris obsequium te facturum: Quid in fossa illa igneâ, quid in illâ flammarum abyssò jacens anima Dei filia, & paulò pòst futura hæres, non te ad pietatis viscera commovebit? Et dubitabis Deo id non singulari quadam inclinati erga illas animas paterni cordis propensione placere? An non quâ pietatis mensurâ illis animabus te impenderis, eâ majorem longè, quia bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem divinæ suæ pietatis mensuram dabit in sinum tuum DEUS? Quod tibi in illâ fossa carbonum ardentium fieri velles, quàm seriò & constanter ab alijs id fieri, & alios atque alios ad id persvadendum induci tunc optares; tam seriò id nunc age. Mendicum ægrum, qui tamen sese juvare quoquo modo potest, absque eleemosyna non negligis: negliges illas animas, quæ ligatis ad satisfaciendum pedibus manibúsque juvare se planè non possunt, neque ex cruciabili illo ergastulo, priùs quàm per satispassionem satisfaciant, liberabuntur? Si illæ inde prodirent, quomodo coram te ac orbe universo pro se ac alijs perorarent? Sis illarum Orator, advocatus. Nam ut S. Augustinus in Psal. 37. *Gravior erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita*; Hic verò tu omnes & sensus, & damni illius dolores cogita, & illachrymare.

6. Apud Ælianum *de animalibus l.* 10. *cap.* 50. ara est, quæ die toto, nocte totâ semper ardet, rore semper est plena. Sub ara bonæ illæ animæ ardent semper, ardent dum tu quietus dormis, ardent dum surgis, dum oras, dum occupationes tuas tractas, dum comedis, dum hæc legis ardent semper. O ergo affunde illis aliquid de rore lachrymarum, quo recreentur misellæ paulò pòst beatæ futuræ, si valde velis. Selige unam ex omnibus, illam scilicet, quæ inter illas, pro quibus orare maximè te convenit, & pro quibus orare est maximè ad gloriam & placitum Dei: quæ jam cœlo vicina est, cui jam parùm deest: & pro illâ adjuvandâ, & ad alios ad tuam intentionem ut orent adducendos, idonea conquiras argumenta, donec tandem vos duo & tres, qui ad illam inde eximendam convenistis, existentem in medio vestrî Deum, cui verè vestra placet conspiratio, junctis cordibus, ut animam illam inde liberet, exoretis. Certè enim, si Deo placet, ut accersitis qui te juvent socijs pro Dei hoste quopiam in mortali peccato existente ores; placebit eidem, ut pro chara illius sponsa supplex fias. Hoc opus est supra omnia corporalis misericordiæ opera. Discurre de singulis: habes argumentorum campum.

7. Miraculis mortuos à tumbâ, ægros à lecto, captivos à carcere, ad vitam, ad sanitatem, ad libertatem evocare non potes: illas à sepulchro igneo, ubi in carbonibus ardentibus sepultæ cruciantur, ad vitam æternam; à doloribus omni morborum omnium vi majoribus, ad incolumitatem æternam; à carcere ac vinculis, pedicis, manicis igneis (quales apparuére non semel) ad liber-

tatem æternam, ad pileum, id est, ad coronas gloriæ, sanctissimus Deum inter & illas fœcialis, juvare, sinè miraculo, modò velis, potes.

8. Plinius *lib. 8. natur. hist. cap. 40.* refert, pugnâsse canem adversus latrones pro Domino; confectúmque plagis, à corpore non recessisse, volucres & feras abigentem. Alij mortuis piscibus; alij equis, canibus sunt illachrymati. Tu, mortuum tuum amicum deseris?

9. Ergo, ô boni Christiani! Miseremini amicorum vestrorum illic in igne ardentium, & vestri. Vos ab ijs, ob quæ illi patiuntur, servate; *illos verò* (epist. B. Judæ Apostoli v. 25.) *salvate, de igne rapientes.* S. Theresia *vitæ suæ cap. 31.* (ut Novarinus habet *Aquarum Nuptialium num. 1296.*) ait, sibi pro defunctis oranti factum, ut dæmones libro viderit insidentes, ne orationem absolveret; quare lustrali aquâ librum asperfit, in oratione constans permansit: & *statim vidit animas ex purgatorio lacu exilire.* En quàm odit constantiam tuam dæmon. Tu librum aperi & ora.

ANNI

# ANNI MORIENTIVM, ET MORTVORVM.

## PARS IV.

## HEBDOMADA XL.

*Agonizantes & præsentes & absentes per orbem universum, omni ope juvare, prima occupatio bene morituri.*

1.

*Sancta* verè *& salubrè est* vel ipsa *cogitatio*, multò verò magis ipsum etiam opus, pios defunctorum manes juvandi, qui horrendis plùs quàm nos dicendo scribendóve assequi possimus, in emendatorio igne flammis torquentur. Sancta etiam & valde necessaria est eas adjuvandi cogitatio, qui vel jam corruêre in mortale quodpiam peccatum, vel in proximo ruendi periculo versantur: & apud Deum conari evincere, ut ne corruant, vel ut jam lapsi quantocyùs, & quàm generosissimè resurgant; ne morte occupati abeant in locum tormentorum æternorum. Accedit ad has æquè sancta, & magis necessaria cogitatio, totis viribus adjuvare illos, qui jam propè littus æternitatis aspiciunt, qui in ipso mortis ac vitæ quasi horizonte jacent in agone, in magno naufragij æterni periculo.

2. B Aloysio ægro (*Vita lib. 2. cap. 32.*) in agone constitutus P. Ludovicus

Corbinellus apparuit vehementi dolore æstuans, ac dicens: *Tempus est, mi Frater, jam me Deo enixè commendare, eúmque adorare, ut hanc acerbitatem gravis & periculosi doloris, quo discrucior, patienti fortique animo ferre possim; quando, nisi singulari ope confirmer, eum prout par est, me ferre posse diffidam.* Paulò post iterum se illi ostendit, vehementiùs etiam quàm priùs obtestans, ut ardentibus precibus subsidio veniret. Denique tertiùm Aloysium sic compellat: *Iam jam mi frater hujus miseræ vitæ calcem propè contingo. Ora Deum, ut hanc migrationem feliciter evenire, próque sua benignitate me immortali gloriâ beare velit. Ibi me pro te vicissim precari non fugiet.* Et illâ ipsâ nocte mortuus est P. Corbinellus, de quo B. Aloysius P. Bellarmino dixit: *absque morâ Purgatorium transisse.* O quibus à te juvari verbis peterent omnes, qui nunc in ultimo puncto sudant, si illis opem à te petere esset concessum!

3. Animæ in Purgatorio jam sunt extra omnem damnationis æternæ aleam securissimæ: mortales in mortali peccato velut sues in volutabro sese proluentes, sunt quidem filij iræ ac damnationis, & juvari debent, ut ex infelicissima illa sorte exurgant quàm primùm; at illi se juvare possunt, conciones, Confessarios adire, libros ad id peridoneos volvere possunt: sed quos jam morti propè admotos ille virium flos, & apta rebus considerandis & agendis valetudo deseruit, ò quàm vix se juvant! ô quàm difficilis tunc est turbatus animus ad exequendum munus suum! ô quàm in arduo, quàm in lubrico versatur illorum salus in acie novaculæ, redacta vix non ad ineitas desperationis! Juvandi ergo & hi, vel æquè ac illi, vel præ quàm illi. Et primò ne ad infernum descendat per mortem infelicem anima, tum ut ex Purgatorio citiùs liberetur, quantis quantis possum, viribus adnitendum. Nolo ego esse impius in sanctissimas Purgatorij animas; verùm ajo, ipsas etiam, si illarum super hac re sententia in calculum vocaretur, dicturas: se quidem relinqui sine auxilio non debere, attamen ijs, qui de sua æternitate adhuc periclitantur, in agone, omninò liberaliter succurrendum. Nam & se magis tunc auxilij fuisse indigas, dum cœlestem inter gloriam, & inferni tormenta suspenso agone trepidarent de æterna sua post mortem statione incertæ, quàm nunc dum acerbissimis quidem exquisitorum tormentorum doloribus cruciantur, sed sunt jam de sua beatitate securæ.

4. *Verè, verè terribile est mortis mysterium*, ajebat plenus arduorum suspiriorum vir S. Nilus ad Agathium, *Bibloth. SS. PP. tom.* 1. ibi referens terrores dæmonum, figurásque terribiles, funesta conscientiæ spectra, & amarissimas exprobrationes, & supplicij æterni expectationes, & loca terrifica. Hos ergo opis adeo indigos juva. Hæc præcipua, & ad omne vivæ charitatis ectypon elaborata est indoles beneficentiæ sanctioris. Hìc maxima & extrema rei maximè necessariæ est indigentia. Hìc explicandus animus liberalis, qui in se munificentiam divinam vult prodigâ quasi effusione effundere. *Divitiæ ut impedimenta improbis; ita bonis sunt adjumenta virtutis*, inquit *lib.* 8. *in Lucam* S. Am-

S. Ambrosius. Fortunata planè felicis fortunæ bona sunt illa, quibus æterna mala avertuntur ab ijs, qui inter ultimos mortis ac æternitatis fluctus jacent, paulò pòst vel æterno naufragio hauriendi, vel in portum beatorum recipiendi.

5. Paulinus pro Viduæ filio venditus; Nicolaus pecuniæ ad tuendam trium egentium Virginum integritatem prodigus, fundata pro mendicis prochotrophia, pro peregrinis Xenodochia, & Collegia pietatis, & omnes denique adinventiones exquisitæ virtutis, laudem, gloriam, & imitationem omnino merentur, si cui tanta domi virtus sedeat: sed non negligendæ migrantium animæ, ubi majoris, quia æternæ, majoris, quia diabolicæ, non Turcicæ captivitatis periculum est certum, incerta verò securitas: ubi non tres puellæ, verùm aliquot millia animarum periclitantur singulis horis.

6. Trepidant ibi Hilariones, & migrare timentem animam hac apostrophe alloquuntur: *Egredere, anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times?* Quibus in verbis spiritum exhalavit, inquit 21. *Octobris* de S. Hilarione *Breviarium Romanum.* Tremunt tunc Arsenij, & præ timore ac extremis angustijs in amarissimas lachrymas resolvuntur. Tremunt, sudant, & horrendùm infremunt Elzearij, & Bernardi. Tu autem quid? Quid miselli alij, quorum sanctitas longè minor, & longè majus tremendi argumentum? O si ex alta quapiam specula omnes, quàquà longè ac latè patet orbis, in agone luctantes, omnis ætatis, nationis, dignitatis, sexûs mortales conspicareris! ô si pericula videres, & exquisita dæmonum studia, & apertum rictu immani atque hiatu, tartari, animas nunc hac horâ migrantes glutientis os! quanta nobile tuum, ac generosis & præcelsis filiorum Dei cogitationibus fætum cor tangeret miseratio! quàm totus provolares ad illas totis ingenij, totis fortunarum tuarum viribus, sanctissimâ totius mentis contentione juvandas; & miserabile illud spectaculum alijs ostendendum.

7. Dom. Joannes de Vilela majorum in Aragonia S. Jacobi Equitum Commendator, post plurima & maxima munificæ pietatis officia, hoc etiam perfusus lumine, ut morientes præcipuo juvaret studio, in lectulo mortuali statuit, ut pro Biscaja patria sua tota, suis impensis quasi pro testamento morientibus omnibus à se moriente relicto, imprimeretur praxis quædam juvandi ægros ad bene moriendum, & per omnem Biscajam ad suas rationes distraheretur, ut omnibus ad manum esset. At videamus, qui adeo solicitus de moribundis fuit, qualis ipse fuerit in agone, quale pretium tulerit operæ adeo pretiosæ. Primùm generali vitam omnem exomologesi ad exemplum S. Dominici expiavit: & quod illa praxis de illo testatur, & nos ipsius praxis verbis latiùs referemus, frequentissimâ se confessione parabat ultimo tribunali Dei. Deinde cœlesti quadam exundantis lætitiæ suavitate delibutus, in illa conscientiæ serenitate, quasi sudo cœlo in aprico exultabat, quòd per dolores venientem mortem persentisceret. Absorptus est in illis mille lætitijs dolorum sensus: neque sapiebat audire quidquam, quod

cœlum

cœlum non saperet. In sacrosancto viatico, & suprema sacri ceromatis unctione spem ultimam reponebat: ideóque non expectato ultimo illo & conclamato animæ se è mundo jam propientis articulo, maturè particeps esse voluit utriusque: hoc tantùm, sed brevi tunc mærore nonnihil subveritus, ne quia meliùs sibi & in corpore & in animo esse susceptis illis Sacramentis manifestè sentiebat, iterum convalesceret, & invitus desereretur in vita. Evidentibus æternæ salutis pignoribus cumulatum ajunt, qui morienti adfuêre. Quò à morte propiùs aberat, eò magis liquidâ mortem exoptantis animi dulcedine ibat in jubilum. Ultimum illi vitæ triduum totum in exquisitè altis & sanctis mori desiderantium Sanctorum suspirijs atque lætitijs fluxit. Haustâ è Christo fiducia non timere se, ajebat, agonem mortis: imò ex omnium jucundissimarum, quas unquam habuisset, horarum cumulo sibi esse unam, eámque jucundissimam eam, quæ ultima esset vitæ, seu mortis, horarum. Regio Confessario & alteri cuidam, è Primoribus viro, interrogantibus, quî valeret; *expecto*, inquit, *alacer, donec veniat immutatio mea.* Vitæ spem oggerentibus respondit, se mortem electurum, tametsi anni adhuc sibi offerentur, & à publicis officiorum, & à privatis morborum perturbationibus liberi, & omnibus, quæ quidem excogitari possent, deliciarum ac recreationum commoditatibus affluentes. Solebat dicere; nunc demum se penetrâsse ad suavem fundum cœlestis illius dicti: *Melior est misericordia tua super vitas!* Quotquot vitas haberet mundus, meliorem esse plenam vitæ æternitate misericordiam Dei super omnes, omnes vitas. His effusæ in Deum mentis affectibus intermicabant selecta quædam ad Cœlitum Reginam, & omnem beatorum regiam, Angelósque suspiria, pretiosa cordis contriti & Deo plenè immolati sacrificia, & holocausta; indulgentiarum usus diligens; & quidquid demum utile esse videret ad optimè moriendum. id quod optimè consecutus est Anno 1630. 3. Januarij magno spei præcipuæ argumento, illos demum felicissimè emori, qui morientium auxilio, sese omni, quâ possunt, ope operáque impendunt.

8. Probri plena res est hæc nolle intelligere, vel intellecta negligere. Etiam nobis semel occidet brevis lux ista, quæ quotidie nocti immoritur. O quàm velles tunc alios in agone à te adjutos! Audi omnes per orbem universum cum agone amarissimo colluctantes, & frigido illo mortualíque pallore ac sudore, ultimis istis pandiculationibus, profundissiméque haustis è fracto pectore suspirijs opem à te, sacrásque suppetias implorantes. Alloquuntur te ultimi illi luctus, illi impediti anhelitus, cornea illa oculorum facies, illa anima vasa jam colligens, ac se accingens itineribus æternitatis, illud denique ultimùm jam palpitans corpus; & dicunt tibi illud Eccli: 38. *Memento novissimorum. Memor esto judicij mei: sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. In requie mortui* (imò & morientis) *requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu spiritûs sui.*

9. Laudatissimum Alexandri facinus fuit, cùm ægrè jam frigidam animam tra-

rahentem militem suum propè enectum, illis, quibus Darij opes afflixerat, manibus in suo solio collocavit: tu verò plùs facies, quando ægrum Dei servum tuo studio in cœlesti gloriæ solio collocabis. Svetonius *in Tiberio*, ait illum in disponendo die manè prædixisse, quidquid ægrorum in civitate esset, visitare se velle. Fecit. Tu manè, dum disponis diem, propone visitare omnes, qui per orbem universum cum mortis periculo colluctantur, ægros. O quàm id illorum custodibus acceptum, quàm invisum dæmonibus, quàm cœlo, cui Cives novos procurare intendis, gratum erit! O quot sunt terrâ & mari, qui diversissimo mortis genere obeunt, & abeunt ad plures. Heu ad plures! Pauciores enim sunt in cœlo, & ad illos abeunt pauci! Explica cum Sole manus. juva omnes, omnes uno sinu, corde uno complexus infere in sinum Dei. Hìc oras; & quis scit in qua ora, in qua orbis parte morientes juvet in tui gratiam optimus Deus. Nunc dum hæc legis, nunc dum sacro pro illis ades, moriuntur: & interno quodam lumine perfusi accenduntur. Felix oratio! ô verè vera eleemosyna miserentis cordis! Cras actum est: hodie juva.

10. Hìc demum magnum in mora periculum est. Quid putas, majus esse in oculis Dei, & omnium electorum, unam in agone animam à damnatione liberare, an plures è Purgatorio eximere? Ego quidem utrumque suadeo, utinam persvadeam! Præstat tamen plures animas esse in tormentis ad tempus, quàm vel unam negligi adeo, ut ad æterna tormenta descendat. Exinferno nulla redemptio ijs, qui jam illuc descenderunt: magna spes redemptionis adhuc est ijs, qui illuc necdum descenderunt. Æstima beneficium utrumque in bilance, Purgatorij, & inferni. quid dices? Imò dum bene juvantur in agone animæ, magna illis Purgatorij pars adimitur. ibi enim integræ contritissimi cordis confessiones, ibi indulgentiarum accuratus usus, ibi frequentes, quæ ad Purgatorij compendium plurimùm faciunt, exomologeses: adeo ut ob præclaram selectarum virtutum varietatem pretiosa planè in conspectu Domini mors Sanctorum ejus assistat velut Regina à dextris Dei in vestitu deaurato circumdata varietate.

11. Modus verò juvandi est varius. Sunt qui sanctissimum altaris Sacrificium pro illis curent. Et certè, qui suos à sacellis habent Sacerdotes, non video, cur eadem operâ, quâ sacra curant deferia, vel alia, curent etiam quot hebdomadis unum sacrum pro agonizantibus, alterum pro defunctis: id quod præclarè jam fit, etiam in aulis nonnullis. Sodalitates quot mensibus unum pro vivis Sodalibus sacrum faciunt, quidni addant unum pro agonizantibus, aut idem pro illis offerant, cùm vivi meliore modo & tempore juvari non possint, quàm cùm jacent depositi in agone? Est in Missali Romano *Sacrum pro infirmis*: quod idem pro agonizantibus dicitur, oratione tantùm mutatâ, *pro agonizantibus*, quæ illic ad calcem sacri additur. Sunt qui vel alternis diebus, nunc pro agonizantibus, nunc pro defunctis Missæ interfint: Sunt quorum quotidiana hæc est eleemosyna,

N2.

na, ut sacro uno pro omnibus per orbem agonizantibus, altero pro ea, quæ ope maximè eget defuncti fidelis anima aud to, opitulentur utrisque quotidie. Imò in ipsa sacrosanctæ hostiæ elevatione: *Adoro te*, ajunt, *hìc & ubicunque in Eucharistiæ Sacramento latens, Domine IESU! & rogo, ut mihi & omnibus per orbem agonizantibus benedicas!* Ad calicis verò conspectum: *Adoro te sacrosancte sanguis IESU! ablue cor meum, & da illi animæ, pro qua me orare maximè vis, locum refrigerij, lucis, & pacis!*

12. Frequens pro agonizantibus facta communio, incredibile est, quantum illis adferat auxilij. Quis scit, in qua orbis parte jaceat aliquis in agone, quem potentissimo efficacis gratiæ oculo respicit inclinatus tuis pro illo in Communione sincerè & ardenter fusis precibus Deus.

13. Litaniæ de dulcissimo nomine Jesu, omnium Sanctorum, Lauretanæ, & aliæ preces, ut est commendatio animæ, in plurali pro omnibus agonizantibus dicta vel quotidie, vel certo die hebdomadæ. Recitatio coronæ B. Virginis, Officium S. Crucis, Officium Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. Ex Officio B. V. orationes de passione Christi. Orationes ad B. Virginem. Item ad B. Virginem & S. Joannem. Item *O Domina mea, &c.* ibidem Oratio ad Jesum, petendo in plurali pro omnibus agonizantibus, quod ibi in singulari pro te petis.

14. Jejunia & eleemosynæ pro morientibus factæ, multum habent efficaciæ ad impetranda illis à Deo necessaria & conducentia in ultimo illo passu. Ita S. Ida suam quotidie tumbam bis implebat eleemosynis diversis, quas in egenos partiebatur, ut felici morte transiret è lecto ad tumbam.

15. Ad sonum campanæ, quæ pulsatur vesperi, vel aliàs pro defuncto quopiam, cogita, quot sint alij, qui per orbem jacent in amaro agone, hunc paulò post secuturi. In Societate Jesu dum Sacramentis extremis munitur æger, dato æris campani signo, convocantur Patres & Fratres, ut omni ope adsint ei, qui ad iter ultimum communitur; quando ut *serm.* 3. *de Ascensione* loquitur Augustinus, *in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur.*

# HEBDOMADA XLI.

*Altera feliciter morituri occupatio, moribundis libenter, diligenter, devotè assistere, & illis Sacramenta procurare.*

1.

VErissima, & nunquam deceptis misericordiæ exemplis testatissima est illa æternæ veritatis vox *Matth.* 5. 7. *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quare licet bene 2. *Rhetoricorum cap.* 8. dicat *Aristoteles*, quòd ij, *qui se beatos existimant, sint ad misericordiam duriores*: tamen certum esse à Christo didicimus, quòd

quòd ij verè beati sint, qui ad misericordiam proni. Præclarum Jobi desiderium *cap.* 24. *Benedictio morituri in me veniat.* Morituro Jesu adfuit Maria & Joannes. Benedictio morituri Jesu venit in Mariam, ut Joannem in filium acquireret; in Joannem, ut Mariam in Matrem à Jesu sibi dari audiret. Christo morienti adest, qui adest homini morienti. Manet enim, æternúmque manebit illud Christi: *Mihi fecistis.* S. Ambrosius *cap.* 8. de bono mortis: *Si quem in extremis positum viderimus, non relinquamus. Occurrat & nobis dicere: Benedictio morituri in me veniat. Laudet & te unusquisque morbo absumptus, & jam mortis proximus. Hic versiculus, quantos benedicti fecit? quoties mihi pudorem incussit, si morituram proterij, si non visita vi graviter ægrum?* Ita ille.

2. Ipse Christus nobili in hoc B. Angelæ de Fulginio ægræ inexplicabili jucunditate plenus apparuit, & ait: *Ego venio ad serviendum tibi* (*cap.* 50.) Servias tu Christo in moribundis; serviet tibi morienti Christus.

3. Hæc est misericordia misericordiarum. Hanc qui exercet beatus est, quia misericordiam consequetur. Sanctus quidam *apud Baronium tom.* 5. in mortuali lectulo exclamavit repente: *Beatus es, Abba Arseni, qui hanc horam ante oculos semper habuisti!* Beati sunt nimirum, qui horæ suæ memores, alijs serviunt, providentque, ut Sacramentis veluti viatico muniti, decedant. Cæco viam ostendere, ne cadat, esurientem & sitientem pascere, iter agenti hospitium curare, currum & equos & viaticum procurare, vestire nudum, egregia misericordiæ opera esse dicunt omnes. Ecce is, qui moritur, jam claudet oculos, timendum est, ut ne erret in itineribus æternitatis, & ruat in barathrum damnationis; illi vestes, cibum, currum, viaticum pro longissimo itinere das, dum facis, ut per seriam confessionem, & communionem induat Dominum nostrum Jesum Christum, antequam exuat exuvias mortalitatis suæ; das illi panem vitæ, das ducem viæ, das custodem, qui illum custodiat in vitam æternam, das currum igneum & aurigam Christum, qui illum vehat in patriam. Profligas ab illo æternam famem, æternam Epulonis sitim, æternum exilium, æternam in tormentis æternitatem; quæ omnia certè majora sunt, quàm potus frigidæ porrectus. Tanti ista æstimat; quanti ergo illud supra ista omnia nobile æstimabit Deus? Percense omnem misericordiæ utriusque catalogum, & una hæc misericordia, videbis, quòd sit Regina & consummatio aliarum. Inde veniunt benedictiones.

4. Ita illa apud Eborenses *Anno* 1500. est misericordiam consecuta. Fœmina cæterùm notæ non optimæ, tamen cujusdam sub extremum vitæ agonem cum paupertate, doloribus, ac æternitate luctantis mendicabuli miserta, liberali & maternâ pietate ac diligentiâ illi adstitit usque ad vitæ metas. Æstimavit hoc quale quale sibi in paupere moriente ab illa impensum officij genus liberalissimus minimorum nostrorum obsequiorum æstimator & remunerator Deus. Ergo extinctus ille Lazarus huic suæ curatrici pro actione gratiarum, non ita multis à morte diebus se-

ſpectandum præbuit, in hæc verba illi locutus: *Eleemoſynas tuas in Dei conſpectum tuli, ejúsque clementiam exoravi, ut pro ijs tibi referretur gratia. Ipſius nunc permiſſu ad te venio, & hortor. Age pœnitentiam, confeſſione culpas elue.* Diſſimulavit viſa & audita durum ad primos divini mallei ictus cor, quia peccatis in ſaxum obriguerat: ſed cùm iterum videret eadem ac audiret, ad tertiam tandem cœli vocem è diu nolente volens facta, ad ſpem veniæ aſſurrexit, & faſſa eſt ſe ad inferni propè incitas jam redactam, è flagitioſiſſimo dæmonum volutabro, ex ijs, in quibus per quadraginta quinque annos volutabatur, turpitudinibus, devotum & juratum dæmoni caput, cùm nihil planè ſacrum in aures admitteret, hac tamen miſericordiæ arte à Deo miſerante extractam, & factam illius mortui diſcipulam, cui morienti ancilla ſervierat. Triſmegiſtus dialogo 7. *Reſpicite ô mortales*, inquit, *& reſipiſcite, & ad fontem vitæ recurrite.* O te felicem, ſi morientem mortalium quempiam adduxeris, ut ita reſpiciat, & reſipiſcat, & ad pœnitentialem lachrymarum, & ad vivum vitæ in Euchariſtia fontem recurrat! Non perdes mercedem tuam! Sicut feciſti, ita fiet tibi. Habebis præmium Talionis, in qua menſura ſerviviſti alteri morienti, in eadem ſolvet tibi Samaritanus cœleſtis: imò *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam dabit in ſinum* tuum in hora mortis tuæ, cui horæ ſerviunt hæc omnia morientibus impenſa obſequia.

5. *Joannes in prato ſpirituali c. 166.* ait cuidam converſo latroni ſemper horis omnibus, in triclinio, in ſomno, in templo, etiam ad communionem eunti, objectam pueri, quem olim occiderat, ſpeciem, acerbiſſimè expoſtulantem & dicentem: *Cur me occidiſti?* Quare ultrò ſe Judicum ſententiæ ſubjecit, & ſupplicio affectus eſt. Væ! væ illis animarum tyrannis, qui per impiam ſocordiam, vel ſuperbiam cauſa ſunt, quod aliquis abſque Sacramentis exceſſerit! Clamat illa anima ex inferni tormentis, clamat ad te: *Cur me occidiſti?* Poteras mihi Sacramenta procurâſſe, & ſic feciſſe ut viverem in æternum. Judicium, judicium ſinè miſericordia tibi, qui mecum miſericordiam non feciſti! Et tu morere deſolatus, ſinè Sacramentis, morere in æternum. Sicut feciſti, fiat tibi. E contra quid gratiarum tibi reddent illæ animæ, quibus procurata per te confeſſio atque communio cauſa eſt, quòd ſint in gloria electorum? O quibus te amplexibus complectentur morientem! quos tibi à Deo gratiarum theſauros impetrabunt, ut felix exeas! *Conſolare ægrum*, inquit Eccleſiaſticus c. 38. 24. *in exitu ſpiritûs ſui.* Conſolatus es tu illos; conſolabuntur illi te in exitu ſpiritûs tui.

6. *Matth. 7. 12.* Legis & Prophetarum compendium brevi verbo complexus Chriſtus: *Omnia* inquit, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt enim lex & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam.* & ibi addit, multos latam perditionis viam invenire, anguſtam verò vitæ paucos. Vellésne tu te ad illam inveniendam juvari moribundus? alios juva. Juvabere. Juſto Dei judicio quibusdam hæc non præſtantur obſequia, quia ipſi

ipsi alijs non præstitêrê. S. Ambrosius, diligentissimus morientium consolator, & nos ad idem faciendum, ut superiùs vidimus, cohortator expertus est felicem opem & ipse moriens. ad eum enim, cùm ægrotaret, ut 7. *Decembris* ait *Breviarium Romanum*, Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus, accurrit, eique sanctum Domini corpus præbuit.

7. Adeo verò gratum est hoc erga morientes obsequium etiam Deiparæ Virgini, ut sæpe illa ægris ministrârit, & ægros extremis Sacramentis muniri jusserit, imò ipsa ad sumendum sanctissimum viaticum præparârit. Vetera taceo. Novum videri potest id, quod Messis Paraquariensis *ab Anno* 1638. *ad* 1643. testatur *in Reductione SS. Apostolorum*. Inda Virgo annos 15. nata, & ægra ultimùm, à Patre quodam Societatis Jesu jussa se pro ultima vitæ exomologesi præparare, & pro felici ad pœnitentiæ, & nunquam sumptæ hactenus Eucharistiæ apparatu, Mariam Deiparam precari: fecit imperata, & vocato Patri dixit; se à Beatissima Virgine Magistra sua edoctam, quidquid ad Sacramenti tanti apparatum necessarium esset. Et verò rudis hactenus rerum harum, magnam Deiparæ Magistræ Catechesin se fideli complexam memoriâ, & exquisitè callere ostendit. Narrabat verò hæc divinis plena lætitijs. Ecce, Maria moribundos quomodo se ad Sacramenta suprema debeant præparare, ipsa edocet. Quin imitaris? & ægros visis, instituis, ac illis Sacramenta procuras?

8. Apud Cyrillum *Syntagmate* 1. Amicitia, olim pingebatur juvenis specie, in veste, cujus lacinijs inscriptio erat: *Mors & Vita*; in fronte, *æstas & hyems*; in corde, *longè & propè*. Intelligebant nimirum longè & propè: *propè*, nunc dum nobiscum est, in agone; procul, dum jam mortuus procul à nobis torquetur in Purgatorio, *æstate & hieme*, secundâ & adversâ fortunâ, in morte & vita fidelis est amicitia, quæ vera est. Unde communi jam consensione de vera amici erga moribundum amicum amicitia solet intelligi illud *Eccli.* 6. *Anima fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* O felix illa fidelium, dum à se in morte separantur, amicorum fidelitas! verè thesaurus, verè etiam in ipsa morte medicamentum vitæ & immortalitatis. E contra infidelis ille amicus, qui amicum in suprema illa necessitate deserit, cum morte ac inferno luctantem, neque de suppetijs ferendis cogitat.

9. Tremefactum sibi cor & concussum ait, *lib.* 1. *epist.* 10. B. Petrus Damiani, quando ab ipso, qui rei gestæ interfuit, rem audivit, quam ille gemendæ calamitatis historiam vocat. Ad exilium, peregrinationem, & perpetuas pœnitentiæ lachrymas damnatum vidit à Sacerdotibus Peregrinum, qui dignum se & illo & majore ajebat supplicio, eò, quòd amicum, quem repente insiliens in illum horrendus serpens biceps apprehenderat, non liberâsset. Amputavit quidem is, in quem insiliebat serpens, alterum serpentis caput securi, sed ille ferocior *sinuosis eum spiru implicuit, & involvit, totumque hominem suo viribus vendicans, in subterra-*

*ranea ſpecûs latebras aſportavit*, opem amici territi nequidquam ultimis clamoribus implorantem. *Meditor ſæpe*, inquit Petrus, *ecce homo, & beſtia, duo pariter in ſpelunca: non mediator intervenit, non ereptor accedit; ferinum ſanè cor pietas non emollit, &c.* Mors, truculentiſſimi in Paradiſo ſerpentis filia, invadit amicum tuum, & trahit in ſcrobem. Adeſt dæmon, & illum in barathrum æternitatis præcipitat. Accurre: à morte juvare non potes; at ab æterna morte eripere adhuc potes. Ecce homo moriens & dæmon luctantur. Suppetias ferre potes. O quidni velis! Solet Deus, in quo quis peccat, in eo punire vel maximè etiam in inferno; & in quo quis virtute excellit, in eo coronare in cœlo. Ita ſi in hoc virtutis genere excelleris, in hoc præmium feres. Putas tu infinitæ miſerationis plenum divinum cor id paſſurum, ut qui alijs in agone luctantibus opem à Deo, ab hominibus imploraveris, ipſe ope omni careas in agone?

10. Annus cœleſtis *6. Februarij* ait, S. Amandum Epiſcopum viſum à S. Adelgunde Virgine, mortuum deduci in cœlum à candidatis, id eſt, ijs, quos ille zelo ſuo cœlo lucratus fuerat. Age, lucrare, habebis illos ad cœlum comites.

11. Valde tunc ad perdendos mortales accenſus eſt dæmon. *Apocal.* 12. 12. *Deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* Ita tu ardentior i ad agonizantem, procura illi neceſſaria ad itinera æternitatis, habens miſericordiam magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.

# HEBDOMADA XLII.

## *Occupatio prima in infirmitate Confeſſio ſolida, frequens, diligens, & devota.*

1.

PRimò tenerrimis & intimis precibus conſtanter orandus Deus miſericordiarum, Deus cordium, Deus vitæ ac mortis, ut & tibi & omnibus in difficillimo vitæ ac mortis confinio verſantibus det cor facile, cor verè pœnitens, cor contritum & humiliatum. Circumducendi per univerſam cœli curiam cordis oculi, & rogandi electi illi æternitatis cives omnes, ut te in re adeo neceſſaria impetranda, & uſque ad ſupremum halitum retinenda juvent.

2. Fidelis & non infrequens in hoc eſſe ſolet opera ſanctiſſimæ Virginis Catharinæ Senenſis, quæ ut 29. *Aprilis* meminit *Ribadeneira*, ferocem, & fraudibus ac litibus omnia permiſcentem hominem, velut leonem furentem, allocuta comiter, cicurem reddidit, atque in agnum convertit. Senenſem item quendam ſanguinarium homicidam, efferatique planè atque à Deo alieni cordis hominem, ubi ſemel pro eo preces fudit, ad frugem reduxit, ſummâ omnium admiratione. Aliàs aliquando videbat illa ſicarios duos è plauſtro ferali, horrenda in Deum, cœlitésque, perinde atque ſi jam in inferno damnati arderent, effundere plauſtra convitiorum, diſcerpente illos interea ferro ignito carnifice, &

magnâ

magnâ dæmonum illos miserrimè vallantium & exagitantium multitudine circumfusâ. Ergo miserandam illorum vicem miserata, contempto humano respectu omni, ad idem cum illis plaustrum impetravit admitti; & ibi in preces castissimas calentissimásque effusa, quanto quanto potuit, tenerrimi cordis æstu illis cor pœnitens, cor contritum, & humiliatum, ac felicem tandem mortem à Deo dum peteret, in ipsa Senensis Urbis porta, geminis hisce latronibus Christus nudus, totus lividus, plenúsque vulnerum visus, comiter eos ad pœnitentiam invitavit, omnium veniam scelerum pollicitus, si pœnitudine ducti resipiscerent. Illi verò alij jam ex alijs facti, atque in uberes lachrymas resoluti, confessione ritè peractâ, majora se tormentis illis mereri testati, magnâ pentissimè contriti cordis significatione, feliciores jam, mortem lubentissimè subiére. Dic ergò pro te & alijs Deo per hanc Virginem supplex: *O Deus conterens petras, ó Deus eliciens mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, innocentium omnium & pœnitentium Deus! Rogo te per sanctissimam Virginem Catharinam Senensem, & Sanctos tuos, ac Sanctas omnes, quorum precibus donâsti aliquando corda tibi rebellia, & in illis cor mundum creâsti; ut mihi des veram, solidam, cordatam pœnitentiam, gratiámque finalem: & hoc non mihi tantùm, sed & huic N. & omnibus agonizantibus, atque ijs præcipuè, pro quibus orare teneor, & pro quibus orare me quàm maximè vis; denique pro quibus si orem, est ad maximam gloriam tuam.*

3. Sancti etiam Bartholomæi Apostoli invocatio & cultus operæ pretium dabit, ut Deus tibi & illi, pro quo oras, det animum ad seriam, quasi a morte ad vitam redieris, confessionem instituendam. Expertus id est felici experientiâ devotus illi Apostolo Petrus Lusitaniæ Rex. Hic ubi è vivis excessit, jam jam aromatibus condiendus erat, cùm ad vivos redux iterum, accito eo, quo antea utebatur, conscientiæ suæ Patre, nescio quid criminis, quod illi antea confitenti è memoria elapsum fuerat, confessus, séque id à Deo beneficium, magno tenacíque justitiæ amori, ac religioso & in egenos liberali erga S. Bartholomæum Apostolum affectui cultuíque debere dixit; & se ad mortem iterum, imò ad vitam æternam composuit. *Vide Nieremb. Theopolit. lib. 3. cap. 5.*

4 Ita S. Elizabeth Ephebo nobili cœlestem quendam ardorem in gelido aliàs & durissimè pertinaci ad divina pectore impetravit, *apud Ribadeneiram 19. Novembris.* Ità S. Philibertus aulicus, moribundo cuidam desperanti & muto, fusis in Mariano templo lachrymis, loquelam, & veram pœnitentiam impetravit. 20. *Augusti in vita.*

5. Certissima est *Ecclesiastici cap. 3. ver. 27.* prophetia: *Cor durum habebit malè in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.* Sattabor, inquit Psal. 16. *cùm apparuerit gloria tua.* Hebr. legit: *Sattabor, cùm excitata fuerit similitudo tua.* Excitatur verò Dei similitudo in nobis per solidam, crebram, devotam confessionem. Ad quam cordatè instituendam plurimùm facit etiam præcipua erga immaculatæ Deiparæ Sponsum Josephum devotio:

cujus

cujus vitæ *cap. ultimo* ex alijs refert. *Stengelius*, Nobilem Venetum coram S. Josephi imagine orantem, morbo tunc grassante correptum, à S. Josepho in morbo visitatum, & paternè admonitum, ut sinè ulla mora integram de peccatis omnibus confessionem institueret, non verò corpus præ animo curaret. Fecit id æger Josephi cliens, & in manibus D. Josephi animam exhalavit; qui eam ad æternam hæreditatem secum tulit. Joannes de Vega Ordinis S. Hieronymi ait, S Ægidio à Deo datam prærogativam supplicandi pro ijs, quos verecundia prohibet, ne se manifestent in confessione. S. Rainerio peccatum quodpiam in confessione tacere cogitanti, Angelus, ut integrè sanctéque confiteretur, persvasit. 17. *Junij*. Hi ergo invocandi.

6. Invocatis verò jam Sanctis, ad impetrandum à Deo per illos verum intimæ pœnitentiæ sensum, æger confessionem non procrastiner. Sunt, qui eo tempore, in quod confessionem differebant, jam sepeliebantur. Si distuleris, rem dæmoni quàm acceptissimam facies: si non distuleris, Angelo tuo custodi. O quot inter comperendinandum abreptos procrastinatores, ista in mortis æternæ falcem dedit persvasio! Anni singuli pleni sunt miserandis id genus tragædijs. Incredibile est, quot non astus ad id per quosdam medicos, per cognatos, per alios, animarum verè carnifices, per ipsam humorum & animi ista semper plùs nauseantis intemperiem, adhibeat hostis ille salutis nostræ, ut differamus. Videt enim ille ex ipsa corporis constitutione quovis medico acutiùs, & scit nos tunc, in quod tempus svadet differendam confessionem, vel non victuros, vel extra mentis potestatem futuros, vel inter tot angustias totam spei anchoram desperato corde abjecturos. Experientiâ tenet, se multos nil cogitantes mori, ad procrastinationem talem induxisse, ut è procrastinatione nata sit desperatio, & sempiterna damnatio. Barrius 4 *die Solitudinis, meditatione* 1. refert è D. Francisci monumentis, à Christophoro quodam S. Francisci discipulo, viro eximiè pio, apud ægrum quempiam geminos sub medicorum specie dæmones repertos, qui personatæ cujusdam authoritatis accentu fastúque ajebant, brevi morbo finem fore, rem extra periculum esse: contemnendum procul adhuc positæ mortis timorem panicum, & melancholicam cogitationem. Sed illis cruce sanctâ facessere jussis à lectulo, ægro ad seriam, & devotè ac citò faciendam confessionem inducto, & expiato, quanto in discrimine fuisset ostendit: & felici apparatu ad mortem sanctam composuit, infeliciissimè migraturum, si personatis illis medicis, versutissimis morientium impostoribus credidisset. Nulla confessio sit sinè lucro maximo. Ita fis ditior, & à Purgatorio expeditior, & contra pericula robustior.

7. Ut sit seria, devota, & frequens confessio, disce a religiosissimo illo viro *apud Rodriquez parte* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. Hunc ægrum dum commonefaceret Superior, ut conscientiam expiaret, tanquam pro apparatu instantis mortis, sublatis ille in cœlum oculis manibúsque, sincero quodam suspirio, *Benedictus*, inquiebat, *sit Deus! jam trigin-*

*triginta & amplius anni sunt, Pater, ex quo mea quotidie sic peccata sum confessus, ac sistatum è vita mihi esset desidendum.*

8. Ut sit frequens, discе id à Sanctis. Duos do, unum & unam. B. Borgia Soc. Jesu, ut est *hist. Soc. Iesu parte 2. lib. 8. num.* 132. errata sua ad sacrum judicem per homologesin bis quotidie deferebat: semel ante sacrificium, iterum ante quietem. S. Catharina Svecа Virgo, teste Ribadeneirâ 22. *Martij*, quotidie Sacramentum pœnitentiæ frequentavit: *quin & uno die bis terve de suis peccatis confitebatur, maximè in suprema agritudine.* Ita ille. Quare nil mirum, quòd illâ moriente stella super locum, in quo moriebatur, illuxerit, & supra sacrum Virginis sarcophagum quasi appensa in cœlo lampas, illam usque ad tumulum comitata, disparuerit tandem, ilicet! quasi suo munere jam perfuncta.

9. Joannes à Vilela magnorum sub Rege Hispano officiorum vir, juvandis morientibus addictissimus in morbo supremo generalis confessionis materiam subijciebat frequentioribus sacramentalibus absolutionibus, quas de hora in horam totos dies & noctes postulabat, ut novis gratiam cumularet accessibus: quod & faciebat per actus contritionis, fassúsque est, se, quamvis nova materia non occurreret, petere tamen hoc lavacrum confessionis, ut frui posset novis beneficijs quæ singulas absolutiones comitantur; & ut augeret gratiam, & remissionem pœnarum, quam confessio facit. Hæc de illo is, in cujus complexu Joannes obijt, Societatis Jesu Pater.

# HEBDOMADA XLIII.

## *Secunda occupatio, Communio, viaticum æternitatis.*

1.

SAnctus Chrysostomus *lib. 6. de Sacerdotio* ait, quòd ij, qui de hac vita migraturi sunt, si mysterij hujus cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum, hinc rectâ in cœlum abducantur: idque se à digno fide, & qui hæc ipse viderit, habere. Moriturus comede panem vitæ, qui de cœlo descendit, ut tu, illo duce, ad cœlum ascendas. Accipe pignus æternæ gloriæ.

2. Eodem sensu, ac ijsdem propè verbis, quibus Joannes Chrysostomus, hæc explicat Antonius Abbas *Melissæ parte 2. serm.* 100. Migraturi hinc, si mysteriorum fuerint participes, purâ conscientiâ, cùm extremum edituri sint spiritum, stipatores habent Angelos, qui ipsos, propter id, quod sumpserunt, hinc deducunt. Hinc B. Aloysius beatissimum hoc viaticum efflagitavit enixiùs. Totum diem profitendæ fidei, precandi, Dei adorandi studio dedit. Ante salutare viaticum, Litaniam de SS. Eucharistia cum Patre quodam unà pronunciavit hilaris. A viatico omnes, ut discessuri solent, complexus postremò est. Orabat, ut in postremo hoc discrimine sibi omnes precibus essent auxilio.

3. Bea-

3. Beata certè Maria, è S. Dominici asceterio religioso, teste Barrio *die* 10. *Solitud.* non omittebat quotidie, & maximè tum, cùm communicabat, petere, ut sibi statim à Communione mori liceret; & voti compos facta est. Ita tibi in Communione JESUM accipienti licebit illud mori optantis Simeonis cantare: *Nunc dimittis servum tuum Domine.* Ita tibi post Communionis viaticum acceptum è vita decedenti benedicet JESUS: sicut ibidem relata B. Carita ejusdem Ordinis Christum ab ara benedicentem sororibus, quæ sumptâ Communione recedebant, vidit.

4. Ita in veste nuptiali comparebis, confessionem decorémque indutus, de quo in illo Psalmi loco, Hannina Hebræus; *Est*, inquit, *vestis nectarea, divina, quâ solus Deus vestitur, de qua Psalmista canit, Confessionem & decorem induisti.* Hanc vestem Deus summus Messiam induit. In pœnitentia confessionem, in Evcharistia decorem, id est, pulchritudinem induisti: induisti enim speciosum illum formâ præ filijs hominum; invenisti & induisti illum, quem quærens Augustinus; *ubi est*, inquiebat, *ubi est pulcher, quem desidero?* Induisti denique Dominum nostrum JESUM Christum, id quod *ad Rom.* 13. v. 14. svadebat vas electionis. Tum dices, jam te habere vestem nuptialem pro nuptijs æternitatis. Dices cum Isaia *cap.* 61. *Induit me vestimentis salutis*; vel, ut in Hebræo legit S. Hieronymus, *induit me vestimento IESU.*

5. *Vigliegas de fructibus Sanctorum de Purgatorio exemplo* 14. Religiosum amicum mortuum à religioso amico superstite visum refert. Flectebat is, qui mortuus jam fuerat, coram SS. Altaris Sacramento cum reverentissima devotionis significatione, & rogatus, quid illic ageret; Quia, inquiebat, fui negligens in sanctissimo Sacramento recipiendo in morte mea, retardatur mihi ingressus ad cœlum. Magno itaque, inquit vivus, est auxilio morienti, ut sanctissimo viatico in agone muniatur? Non possum, respondit ad hæc anima, non possum planè satis explicare, quantùm augetur meritum illius animæ, quæ illud viaticum dignè (id est, sinè ulla mortalis peccati conscientia, hic est enim necessarius, & infimus Evcharistiam dignè sumentium gradus) recipit, & quanta pœna sit illius, quæ omittit.

6. S. Birgitta *apud P. Ioannem VValterum cœnæ l.* 3. *c.* 21. ipso Christo monente, qui illi quinque ante mortem diebus apparuit, Sacramenta sumere jussa est. Et idem ex vita S. Ebrulphi refert, Ansbertum à morte ad vitam reducem factum, orante & dicente Ebrulpho: *Eheu! frater, cur abijsti sinè Communione?* Rogatúmque, *vis Evcharistiam accipere?* respondisse, *volo.* cúmque accepisset, rursus pacis somno obdormisse. 3. *Regum* 19. *Surge & comede: grandis enim tibi restat via.* Sunt, qui veteri recentíque memoriâ celebratissimis permoti exemplis, S. Barbaræ Virgini Martyri quotidie tenerrimè supplices fiant pro hoc viatico impetrando; nec falluntur.

HEB-

# HEBDOMADA XLIV.

## *Tertia occupatio. Testamentum de rebus temporalibus, & spirituale sanctè condendum.*

1.

EST religiosus ordo, in quo singuli habent in suo conclavi, seu cella Sarcophagum. Fama etiam est, in Claravalle sepulto quopiam, statim pro eo, qui proximè moriturus est, aperiri sepulchrum, quod singuli quotidie ita visitant, quasi pro suo cadavere præparatum, & pro felici morte precantur.

2. Antonius Senensis *Chronico Prædicatorum Anno* 1218. Amorensis tintinnabuli meminit, quod ingruente cuipiam è sacro illo cætu morte, sponte suâ ultrò sonum dabat: quo sono sua quivis vasa colligebat, séque parabat vicinæ jam morti.

3. Alijs in mensa calvaria est, index mortis. Alij dum se salutant invicem, mortis certæ memoriam & incertum tempus loquuntur. *Stengelius Labyrinthi parte* 1. *cap.* 18. *num.* 39. ait, suâ ætate in Cænobio quopiam in illius, qui pòst paulò esset decessurus è vita, conclavi, noctu candelam ardentem apparere consveviſſe multis ante mortem diebus. At non omnibus, vel campanæ sonant, vel mortuales candelæ lucent. Testamentum hujus mundi morte morietur ad talem candelam legendum. Non legunt illud, & ideo testamentum condere semper differunt, quasi immortales sint, quidam.

4. Compone tu te ad disponendum domui tuæ, ut ne te morientem ista conturbent. Condendum est, dum sanus es testamentum, & si quid restitui cuipiam debeat, restituendum; ne id in Purgatorio, vel in inferno luas. *Apud Spondanum Anno Christi* 1055. *numero* 1. Baronius, & B. Petrus Damianus narrant, propter aliena bona non restituta, Comitem quendam & omnes ejus Successores, quorum jam decimus recèns tum obierat, licet alioquin bonæ inter homines existimationis essent, inextinguibilis ignis supplicio cruciatos; quódque omnes alij venturi eodem torquendi essent, quàm diu injustè possessa bona non redderent. De Purgatorio non à longa ætate repetitam, & ab ipsis, quibus cum gesta res est, narratam, quæ in Germania contigit, rem narro. Fuit è viris primæ nobilitatis ac notæ vir, salutis suæ non negligens, qui cùm inter condendum fortè testamentum advertisset, nescio quid bonorum se à commisso tutelæ suæ pupillo accepisse, sub nescio quibus politicarum tutelarum prætextibus, agnitum peccatum sincerâ confessione expiavit, & optimis, qui occurrebant modis, hæredem in testamento obstrinxit, ut malè parta quàm primùm restitueret. Cunctatus jussa exequi hæres, ubi demum ad testamentum condendum ventum est, & ille dolentissimè peccata sua confessus, hæredi gravissimè imposuit, ut illa bona legitimo Domino redderentur. At nihilò secundo melior tertius, eâdem & ipse suum hæredem obligatione devinxit, ut redde-

NB.

ret. Hic etiam dum ex moris morâ trahit, castrum infestâ spectrorum infestatione completur adeo, ut nemo jam illuc auderet divertere. Habebat fortasse illac iter è Societ. Jesu Sacerdos quidam cum socio, qui eo, quod erat, audito, illato secum sacro ad sacrificium cœleste celebrandum apparatu in castro securus ad multam noctem dormivit. Tum demum necdum illucescente aurorâ sacris ritè operari cœpit; cùm interea primus ille bonorum occupator cum tribus hæredibus maximâ devoti ac reverentis animi significatione, flexis humi genibus sacro adfuit. Id quod ubi advertit Pater, perrexit porrò in sacrificio ad ultimam usque, Communioni præmitti solitam, precationem. Tum demum sumpto in manus sacrosancto Sacramento; illos, qui, unde, quid vellent, quid locum perturbarent, per illius, quem manu tenebat, Dei & hominis majestatem, & divinum super omnia imperium adjuravit. Respondit Senior: se illorum, qui secum adessent, Patrem, avum, abavum esse, domum non à se, verùm ab illis canibus (à dæmonibus) perturbari: expiari se flammis purgantibus unà cum filio & nepotibus, quod ritè quidem peccata confessus testamento jusserit bona aliena reddi; verùm sua imperia ab hærede neglecta, ita se illic una cum suis cruciandum, quoad juxta id, quod singuli suis præcepere hæredibus, bona illa (nominabat) utpote aliena reddantur. Ita sacro peracto bona legitimis Dominis, domui pax restituta, & miserellæ illæ animæ in libertatem ac felicitatem æternam assertæ. Nî confessione peccatum eluissent, nî solido proposito restitutionem promisissent, & testamento ursissent, arsissent omnes illi æternùm. Convoca ergo quæ habes, omnia quasi in cumulum, & num illic aliquid non planè sit tuum, etiam, atque etiam vide. Si quid est, redde, si potes, absque mora: si quid obstet, ob quod planè tunc non possis, conceptissimis, & gravissimis, & gravissimè obligantibus verbis hæredi tuo in testamento id præcipe, ut maximâ quâ potest, cum festinatione reddat.

5. S. Augustinus *lib. 1, cap. 2. de visitatione infirmorum. Viam universæ carnis amantissimè ingredi festina. Visurus es parentes tuos, Patriarchas, Sanctos, omnium etiam summam beatitudinem, &c. In muro superna civitatis apponendus est lapis vivus, &c. Hic conterendum est totum lapidis quadrandi superfluum.* Ita ille. Abijcere debes omnia, ipsum etiam corpus: quod tamen olim assumes, ut tecum gaudeat. Vide ergo, ne ista, quæ corpore tuo & multò magis animo tuo minora sunt, te à cœlo, vel in æternum arceant, vel ad tempus. Ita dispone domui tuæ, ut læteris, & eas in domum Domini, quæ est domus æternitatis tuæ. Abjectis itaque ijs, quæ tua non sunt, dispone illa, quæ tua sunt, prudenter & piè ac tempestivè. Renova conditum jam antè testamentum; vel si non condidisti, conde vel 1. novi anni primâ hebdomadâ: vel 2. sanctâ Christi morientis hebdomadâ: vel 3. secundo Novembris die, qui dies est quasi Pascha fidelium defunctorum: vel 4. natali tuo, vel Sancti illius, cujus nomen geris, die: vel 5. die Beatissimæ Virginis morientis, aut in cœlos assumptæ: vel

6. post

6. post notabilem circa bona, liberos, &c. mutationem hebdomadâ proximâ: ut si bonorum aut liberorum auctus, aut minutus est numerus: vel 7. longo quopiam itinere, vel peste, vel alio periculo imminente: vel 8. quando internus te ad id faciendum motus instigat.

6. Testamentum facturo tibi ob oculos versari debet, quòd hæres Dei esse velis. Quare testamentum quasi ad ultimum illum ardentem cereum, quem in agone tenere solent mortales, conscribendum est. Assistat tibi illud scribenti prudens Justitia, ut Liberis, Uxori, Creditoribus, unicuique justâ fidelitate des, quæ sua sunt, juxta Dei & patriæ leges. Idque cum consilio peritorum, quorum scientiæ & conscientiæ securus possis acquiescere; ne testamentum tuum sit Inferni instar, ubi nullus ordo, sed horror, contentiones, &c. Ubi Justitiæ planè ex æquo factum est satis, tum demum pia & perspicax misericordia præsit condendo testamento: ut quale te fecisse veles, quando gaudebis beatus, tale facias nunc adhuc miser, & de beatitate incertus. Christo hæredi tuo in templo, in egenis, in sacris, pro agonizantibus & Purgatorij animabus quid? Sunt, qui & ijs, quos aliquando inimicos habuêre, aliquid legent pro pignore sinceræ reconciliationis; & ut benefáciant ijs, quibus malè aliquando fecerunt, vel à quibus mala acceperunt; Denique ita testamentum ordines oportet, quasi illud scribere, subscribere, signare, ac revidendum ostendere debeas tribunali judicaturi nos in privato primùm, deinde in extremi judicij die, Dei. Ita non errabis: & è caducis quæstum facies ad immortalitatem. Ut verò dum id agis, ut jam in gratia, in charitate sis, attende; nam ut *ibidem cap. 3.* ait Augustinus; *grande bonum, quod cùm fit in pauperes, redundat in Deum. Totius boni summa est charitas. Distribue tua sic in pauperes, ut in Deum distributio redundet.* Innuit Augustinus, ut testamentum fiat in gratia, ut pia legata seu eleemosyna habeant meritum. Unde si testamentum condidisti in statu peccati mortalis, post confessionem postea illud approba & confirma, quoad omnia & singula. Ita fiet, ut quasi nunc conditum sit tibi meritorium futurum. Supervacaneum autem est probare, quòd acceptissima Deo sit res, si Christum etiam in minimis hæredem facias. S. Antonio Episcopo, ut est *Annicælestis die 12 Februarij*, pro eorum, quæ testamento in pauperes erogari volebat, auctario Angelus magnam auri vim addidit, & data in exequijs eleemosyna in ipsis pauperum manibus crevit. Is autem, qui testamento scurris, nugatoribus aliquid legat, tantum legat dæmoni, quantum illis. Duo maxima nomina, cur alicui legatur aliquid, sunt: Primò, quia illi multùm debes justitiæ vel grati animi titulo. Deinde, quia illum præ alijs amas. Cui verò plus debes, quàm Deo, à quo omnia? quem amas plùs quàm Deum? Quare quidquid de tuis potes, da Deo, ad quem iter paras. Ità citatus Augustinus: *Habes te ipsum*, inquit, *da te ipsum Deo, & habebis ipsum Deum.* Quomodo dabis te Deo? Dispone domui tuæ. forsitan domum non habes: dispone tibi; assume pennas, quibus

ad Deum evoles. Pennæ, quibus evoles, sunt dilectio Dei & Proximi. Hæc dilectio sit tua testamentaria. Lege testamentum morientis JESU, & in illius gratiam ita tua partire, ut omnes Sancti & Sanctæ Dei, ad quorum Collegium & Societatem te paras, illud approbent. Ut tibi arrideat JESUS, quasi gratias agens. Ita Paulinus de S. Ambrosio moriente: *Vidit Dominum IESUM advenisse ad se, arridentem sibi.*

7. Pulcherrima sunt, sed collecta huc reponere necdum vacat, testamenta Sanctorum, quale est illud *apud Rho Virtutum lib. 1. cap. 1. num. 3.* Joannis Baptistæ Vitellij, qui suavissimos inter amoris æstus ajebat identidem: *Vivat amor Dei! occidat amor mundi!* Videbatur verè vivere, ut tantùm vitæ residuum depasceretur ea, quæ illum consumebat, flamma intimæ charitatis. Octogenario senior, moriens, in circumfusos amicos conversus, oculisq; eos designans subinde repetebat: *Cui amarem lego? cui lego amorem?* Ita non ab intestato te vellem decedere mi lector, ut omnium sanctissimorum cordium hæres, à singulis morientium Sanctorum cordibus unam defæcatissimi, quod ajunt, amoris scintillam ditissimo corde acciperes.

8. Justus Lipsius moriens ajebat, se nunquam vel vestigium posuisse extra palatium æternitatis, semper corde in illa Legum Sodalitatis observantissimum habitâsse; MARIAM æternitatis suæ Patronam elegisse. Nunc se, die Veneris sancto cum Christo morientem condere testamentum, idque recentissimo Christi sanguine scribere, omniáque sua, & se, Deo Deíque Matri testamento transcribere. Ita generali de vita tota exomologesi, P. Leonardo Lessio factâ, & pronunciatis tricies cœlestibus JESU & MARIÆ nominibus, mortuus est Justus.

9. Philippus II. Hispaniarum Rex, quod à Carolo Patre testamento acceperat, Crucifixi signum, & cruentum paterno sanguine flagellum moriens Filio dedit; ut Avi & Patris sanguini suum & ipse adderet.

---

# HEBDOMADA XLV.

## *Quarta occupatio. Indulgentiæ procurandæ. Patientia.*

I.

SOlent indulgentiæ dari Religionibus, Sodalitatibus, & quædam omnibus Christianis fidelibus, qui certas his indulgentijs ditatas Cruces, imagines, vel numismata habuerint. Valde ad rem præsentem erit, si talis imago, numisma, &c. procuretur ægro pro difficili illo & ultimo tempore nundinarum in hac mortalitate. Cui indulgentia conceditur in foro Ecclesiæ, illi tantundem pœnæ pro peccatis aliàs luendæ remittitur in foro Dei, quantam hìc indulgentiam lucratus est, *ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum*, ut loquitur Leo X. Pontifex.

2. B. Aloysius (*Vit. cap. 32.*) extremo

tremò vitæ triduo æneum Crucifixum indulgentiâ Pontificiâ sacrum ad extremum usque spiritum perpetuò pectori appressum tenuit. *Annua Mexic.* 1595. duodecim annorum pueri filij viri Principis meminêre. Is ob morum sanctimoniam puer sanctus vocabatur vulgò, quinquies intra octo ægritudinis dies confessus, piaculare granum pro indulgentijs postulavit, & Jesu Crucifixi, ac Mariæ colloquijs immortuus visus est, illo ipso tempore alibi valens, in vestitu deaurato dicens: se quidem ægrotâsse; sed nunc receptâ valetudine cœlum conscendere: Parentum se tamen misereri, eorúmque, qui in calamitosa hac vita remanserunt.

3. Magno id lucro est animabus migrantibus, vel ut citiùs per Purgatorium transeant, vel ab illo vi meritorum thesauri Jesu, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum penitus absolvantur. S. Ignatius, (ut Maffæus *lib.* 2. *cap.* 13. vitæ illius habet) cùm sibi ultimum diem instare sentiret, misit, qui à Summo Pontifice sibi decedenti salutarem expiationem, & indulgentiam ritu Catholico precaretur. Ideo ad intentionem hanc, ut æger indulgentias in agone lucretur, dandum illi vel appendendum collo, aut brachio numisma cum Indulgentijs S. Caroli Borromæi, vel quinque Sanctorum, &c. & devotè ingeminandum coram illo sanctissimum Jesus Maria nomen: ut illa corde, si ore non potest, pronunciet. Pro patientia

4. Amoliendæ occasiones omnes, quæ ægro molestiam creare possent. Possunt id maximè ij, qui ægrum ejúsque genium nôrunt intimè. Importuni clamores, nimia in manibus illius contrectandis, vel etiam facie demulcenda familiaritas horrori esse solet honoratioribus. Urgere illum, ut multa loquatur, importunum esse, ut valedicat, &c. circa illum in aures alterius mussitare, terroris quædam signa ostendere, hinc inde cursare, &c. sæpe dat ægro ansam commotionis.

5. Captatâ tamen suaviter occasione, renovatis fidei, spei, & charitatis actibus animandus est, ut cor componat secundùm cor Dei; gratias agat pro beneficijs omnibus, quæ accepit, & doloribus, quos patitur. Id agenti Francisco longis maximísque oculorum, aliísque doloribus cruciato, dolores hos pignus cœlestis æternitatis esse dixit cœlestis vox, ut est *in Chronico Minorum.* Francisce, ajebat, si universa » terrarum moles aurum esset; si mare » & quidpiam uspiam aquarum est, esset » balsamum; si montes, colles, & omnia » essent selectissimi lapides è pretiosissimis; & si omni hoc thesauro thesaurum » adhuc magis pretiosum reperires, an » non gauderes totus? Talis thesaurus » est æterna vita, quam ego præparavi » tibi, atque hi dolores tui omnes arrha » sunt infinitorum illorum thesaurorum. Cordati viri negotium est, gratias nunc scire, & velle agere, cùm premitur. Quantum exultaret quispiam damnatorum, si per milliones annorum omnes omnium hujus mundi infirmitatum dolores ferre posset, eâ spe præmij, quam nos habemus super lectulum doloris nostri. Quid benedictæ illæ in Purgatorij tormentis animæ, quàm vellent hîc ea expiare, quæ illic expiant!

6. Sancta Maria Oegniacensis dolo-

res

tes aliorum sibi imponi à Deo impetravit. Neque libenter audiebat, si quis diceret: *Utinam convaleſceres!* Oratione cujusdam leniri sibi morbum sensit, & cessare ab oratione illa jussit. S. Andreæ illo etiam ex capite fuit singularissimè devota, quòd Christi exemplo ab amantissima cruce deponi se vivum non sit passus. Adfuit illi S. Andreas, & se illi morienti adfuturum, & migranti in cœlum animæ fidum comitem futurum adpromisit. A Christo verò audivit, se inducendam in sancta Sanctorum. Taceo hìc continuis 38. annorum doloribus tabescentem S. Lydvinam innocentissimam Virginem; Taceo S. Servulum, qui Romanus quasi Job ægritudinum Iliadem tulit, & gloriosissimâ morte canens jucundissimè expiravit. His animandi ægri, hæc illis è MARIA *Matre agonizantium*, ex *Anno cœlesti*, è *Sanctorum Vitis* narranda *legenda*; sancta, ac læta, pretiosáque Sanctorum mors opportunè commemoranda; & hac cœlestis voluptatis aspergine condiendus acutissimus ille doloris sensus, quo solent tædere, pavere, & mœsti esse.

7. Plato, narrante id Theodoro & alijs, ætate, carcere, aliisque ærumnis confectus sanctus senex venienti morti obviam ire visus est, quando illam adventantem salutabat, invitabat, ut maturè felix adesset; simúlque ad sepulchrum, ubi humandus erat, deferri voluit, atque illum quietem suam, illum vitæ scopum, ac dolorum metam salutavit, & lætus fugientem cum anima vocem in supremum hocce melos formavit, ac cecinit: *Resurgent mortui, & exurgent, qui sunt in monumentis, & lætabuntur, qui sunt in terra.* Tum illos ad canendum hortatus prævit, ut canentium chorum duceret, ac demum lætam animam in Angelorum manus ad sinum Dei deferendam suaviter expiravit.

8. Læta est illa religiosissimi viri apud Cantipratanum Antistitem *lib. 3. cap. 50.* sub mortem JESUM expectantis, & hæc verba canentis vox: *In Galilæa JESUM videbimus, sicut dixit nobis, Alleluja!* Cecinit, & vixit!

9. Alphonsus Rodriquez Soc. JESU, cui, ut *Nierembergius de amore JESU cap. 13.* refert, amoris & pacis osculum dedit JESUS, ut nescio à quo conscientiæ angore ac molestia ipsum liberaret; bene in osculo Domini mortuus dici potest. Hunc ægrum sæpe JESUS ad pedes lectuli, MARIA ad dextram invisit. Divinitus erat monitus, ut ad tentationes sustinendas animo esset paratissimo, scirétque sibi in victoriæ præmium, sub mortis horam uberes è cœlo affundendas consolationes. Ter quot hebdomadis se flagellabat, & manna Eucharistico reficiebatur supremùm æger. Sacro inunctus oleo, alienatus à sensibus, in profundissimo quodam excessu perstitit ferè triduum; & mortualem pallorem colore purpureo suffundebat, quoties ad osculum acciperet Crucifixum. Ita post felices tridui delicias abijt ad locum deliciarum æternarum.

10. B. Angela de Fulginio *cap. 70.* moribunda dicebat, suam animam lotam & mundatam in sanguine Christi, *qui*, inquit, *erat ita recens, & calidus, quasi tunc exiret de corpore Crucifixi.* Tum se à Christo Patri præsentatam, & sibi

& sibi dicta hæc verba: *O Sponsa, ô amata à me in veritate, nolo ut venias ad me cum istis doloribus; sed cum jubilo & lætitia innumerabili.* Denique inter inexplicabiles delicias dato illi cordis amplexu Christus: *Veni*, inquiebat, *dilecta verâ dilectione; veni, quia omnes Sancti expectant te cum lætitia.*

11. P. Franciscus Suarez, ut est in vita ejus Operibus præfixa, hilaris atque alacer; *expectans expectavi Dominum*, ajebat æger ultimùm, &: *quàm dilecta tabernacula tua Domine!* &c. Animo postea collabescente defecit, mortuo similis, quo tempore absorbebatur in Deo. Paulò pòst illo, quod jam prægustaverat, delibutus: *Non putabam*, ait, *tam suave esse, tam dulce mori.* O felicem, qui mortem sibi dulcem fecit! His & pretiosissimis ac felicissimis quibuscunque sanctissimè mortuorum exemplis, ac moriendi praxibus imbutum esse debet illius pectus, qui adest ægro, ut illi optima quæque suggerat.

12. Ita *Histor. Societ. part. 3. lib. 7. num. 61.* Ægidius Anglus Soc. Jesu dulcis adeo charitatis fuit, ut in omnibus omnium temporibus & angoribus solatium ac lenimentum esset. De hoc dulcissimas in morte, narrat lætitias ibidem Sachinus. » Quò, inquit, » propiùs accedebat hora exuendæ mortalitatis, eò exultabat magis ac gestiebat. Nil ejus ex ore audiebatur, nisi: » *Venite exultemus Domino. Exultabunt* » *Sancti in gloria*, &c. Quibus lætitijs ait intervenire autum Satanam importunissimum, sed fugatum facillimè, neque alijs intendere tunc volebat, quàm ut bene moreretur lætus. Cuidam tribus, antequam expiravit, horis: *Num quid monendum haberet*, dicenti, *Haberem*, inquit, *verùm nonnisi tres horæ superfunt vitæ, in alijs hoc brevi spatio utendum est curis.* Adeo æstimandum est tempus! Ipso visitantis Deiparæ sacro die orans, quidam è Fratribus, vir, qui culinæ officia, eximiâ religiosáque obibat diligentiâ, totum vidit oculis corporis quasi sole clarissimo splendere locum, ubi orabat, eáque in luce Christum Dominum vidit, qui dextro brachio Ægidium sustinebat.

---

# HEBDOMADA XLVI.

## *Quinta Occupatio. Extrema Unctio devotè curanda.*

1.

CErtum est, cæteris paribus, majorem ex hoc Sacramento fructum redundaturum in ægrum, si illud attentè, ac devotè cum desiderio, & magnâ hujus Sacramenti æstimatione suscipiat. Confessio, Viaticum, & extrema Unctio sunt tria sanctissima agonizantium Sacramenta. Unde curandum, ut dum sibi adhuc præsens est æger, illa accipiat. Ita quidam hoc Sacramento accepto ad valetudinem pristinam meliorem rediêre; alij verò hilariter abivêre ad vitam: id quod Vasoni Episcopo factum, qui *apud Surium tom. 1.* totus candidatus hoc Sacramen-

men-

mentum accepit, & alacri hilaritate amabilis deceſſit.

2. Multa tunc nobis pericula imminent, & inter dolores mortis circumdant nos etiam timores inferni. Firmandus ergo animus, & celebri hoc, ac in tota Eccleſia tot Sanctorum exemplis confirmato Sacramento utendum tempeſtivè. Epiſt. Jacobi *cap.* 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

3. Nolebat extremæ unctionis vel mentionem in aures admittere is, qui *apud Lorinum in cap.* 5. *verſ.* 14. *S. Jacobi, & alibi*, ajebat, mortem cum illa in conclave inferri. Dixit, & vixit. Verùm cùm jam eſſet mortuali linteo involvendus, condendúsque tumulo, reſumpto repente ſpiritu, oculos aperuit, in hæc verba locutus: *Quia extremæ Unctionis Sacramentum ſalutare abhorrui, centum annis Purgatorij ignibus juſto Dei judicio torquebor. Si autem unctus fuiſſem, de hac ægritudine convaluiſſem. Sacra enim Unctio non eſt mortis acceleratio.* Dixit, & ſe ad mortem compoſuit. Valebit hoc ad eliminandam phantaſticam rudium perſvaſionem, quâ putant, ſe certò morituros, ſi ungantur. Prudentiores plùs ſapiunt.

4. *In Annuis Limenſis Collegij Anno* 1589. Indus quidam in Noſocomio convaluiſſe videbatur à morbo, adeo ut emotæ mentis putaretur, quòd extremam unctionem urgeret: At ille: *An non videris*, inquiebat, *Virginem pulcherrimam, quæ me in viam invitat, admonetque ſupremæ unctionis?* Unctus ergo & vitâ felix defunctus eſt. Gratiam ergo Virgini Matri fecerit æger, ſi ſponte ſuâ ultrò id petiverit.

5. Cardinalis Vitriacenſis de ſancta Oegniacenſi Maria mira ſcribit, quæ præclarè faciunt ad ægri hoc Sacramenti muniti ſolatium. Vidit illa ad ægros, qui hoc Sacramento inſtruebantur ad agonem, ingreſſam cum Chriſto cœleſtis curiæ coronam inclyto comitatu: vidit cœleſtem quandam lucem, ſe ſe per ægroti membra, dum ungerentur, fundentem; vidit Chriſtum, qui dæmones ab agonizante pellebat, trepidam migrantis animam roborabat, & repurgabat. Ipſa verò à Deipara Virgine commonita eſt, ut hoc Sacramentum acciperet. Fecit id præſentibus circùm ſanctis Apoſtolis, oſtendente ſibi cœli claves D. Petro, & ſe illi cœli portas patefacturum promittente. Adfuêre tunc illi quidam etiam ex amicis jam olim defunctis, & hos inter etiam unius amici è Purgatorio anima.

6. S. Elzearium Comitem tenerrimo cordis ſenſu unctionem hanc percepiſſe accepimus. Ægri Reginaldi oculos, aures, os, manus, pedes, à Beatiſſima Deipara unctos unguento cœleſti, res paſſim nota eſt è faſtis & vita S. Dominici. Lydvinæ verò à Chriſto datum hoc Sacramentum patet ex ejus vita.

7. Figlina res eſt corpus, ut vaſa figuli, quæ ſunt fragilia, confringantur brevi. Age cum illo id, quod potentiſſimum quondam Orientis Regem egiſſe refert *Majolus in Vermibus*. Vaſa figlina ſuo inſcribebat nomine Rex ille: »

tum

tùm illa expresso è certis vermiculis oleo impleri, & in inexpugnabilium aliàs Urbium portas jubebat projici. Confringebantur vasa lutea, seu testacea, & effusum seu aspersum portis oleum igne omnia tam pertinaci corripiebat, ut ab effusa etiam aqua arderent magis. ità Urbem oleo captam ingrediebatur victor. Psalm 21. 7. *Ego sum Vermis, & non homo*, inquit David in personâ Christi; cujus divinitas nos condidit, corpus ex argilla formavit, & suum nobis nomen impressit, quando signavit super nos *lumen Vultûs sui*. Ad exurendas mortis portas, ad aperiendum nobis cœlum, ad quod nonnisi per mortis portam patet aditus, necesse est, ut frangatur figlinum hoc vasculum, & ad vim olei sancti, quod à Christi meritis & sanguine vires accepit, concepto divino igne, qui nullis dolorum fluminibus vinci possit, superatis cum victoria mortis portis, victores ac triumphatores ingrediamur Civitatem Dei.

# HEBDOMADA XLVII.

*Sexta Occupatio. Absint, qui obesse; adsint, qui prodesse ægro possint.*

1.

BEatus Aloysius Soc. Jesu (*Vitæ l. 2. cap. 12.*) postquam lecto teneri cœpit, nullis unquam, nisi de divinis rebus, & vita beata sermonibus aures accommodavit. Ajebat, eo loci, quo ipse tum quidem esset, par esse, Deúmque suo jure ab se postulare, uti sermonum suorum omnium, non modò *formale* (sic enim loquebatur) propterea quòd mens, uti semper debet, in ijs Dei honorem spectet, verùm etiam *materiale* ipsum sit sacrum: & omne temporis momentum, quod sibi Deus extremâ suâ vitâ concederet, tanti æstimabat, ut non nisi in rerum pretiosarum tractationem expendi vellet. Ita tu pretiosissimum morbi tempus quàm selectissimè pretiosis occupationibus totum ex toto impende.

2. Tota propè vita nostra nugatur, & mentitur. Unde aliqui etiam in morte nugati, ad seriam æternitatem descenderunt. Bredenbachius Theologus 8. *collat. cap.* 14. ab optimæ fidei viro doctissimo, & ejus, quocum âctum id est, cognato ait se habere id, quod narro. Arnoldus Hubertus nocturnâ voce divinitus commonitus Uxori ait: *Surge*; *Vocor*. Surgit, & antelucanis adhuc horis unà cum illa templum ingressus, animum per Sacramenta æternitati parat. Domum redux, abit statim à sensibus Arnoldus. Tandem à morte an ab extatica tridui sui apocalypsi incertum, experrectus ajebat, *Ubi fui! quæ! & qualia vidi!* Sex reliqui, quibus vixit, menses, lecto affixum tenuêre Arnolphum. Sed nullum ille ad lectum sive opulentus fuerit, sive inops, qui vana garriret, qui nugaretur, admisit. Noluit ita recreari. Semper illi illud intercalare apophthegma in ore versabatur; *Ubi fui! quæ! qualia vidi! Non est nugandi*

*tempus*: *non est tempus nugarum.* Tenuioris fortunæ hominibus delectabatur, ut eos Deo imbueret, ac pro æternitate formaret. Ita paratus vixit. O certè procul ab illo, qui mortuali lectulo, velut arenæ agonis ultimi ingemiscit, procul scurræ, nugatores, nugæ. Procul illi & illæ, quorum aspectus ægro posset illa in memoriam reducere, quæ periculum creent. Tunc enim scintilla voluptatis vel indignationis præteritæ redire possent in mentem & sensum, cum periculo salutis æternæ.

3. Plurimi meminêre, & *Kalarnum Dominicâ infra octavam Nativitatis* Comensis illius infelicis agonizantis. Fusæ pro illo in Soc. Jesu Collegio preces, & Pater ad ægrum Sacramentis expiandum accedens, cùm multis frustra rogaret, fusus tandem in genuâ omni quo potuit dictionis calore rogavit, ac difficillimè impetravit, ut nescio quam ministram suam non Virginem domo abesse juberet. Tum ritè expiatus, absente Patre, vitâ eodem die discessit. Pater posterò die pro suo illo hesterno filio pœnitente ad mortuale sacrum se parat. dum conclavi exit, quasi repelli se persentiscit, & audit rogantem quempiam, quorsum iret? Perrexit tamen; sed in ipso Sacrarij limine ita retrò impulsus est, ut ad duos passus recesserit. Perrexit iterum, contrà fidentior ad aram usque, & Sacrum exorsus est. Interea ministro Confessionis solitæ formulam inchoante, ad cornu Missalis, ut vocant, libri, hem horrendùm tuentem ac voce terribili tonantem umbram videt, atque audit: *Cave, ne pro me ores.* Roganti Patri, quid ita? num non sanctè animum expiâsset? respondit miserabile spectrum cum gemitu profundo, ejulatúque miserando: *Heu! bene confessus, & bene absolutus veniam habui peccatorum! sed! ut primùm abijsti, illa maledicta redijt, accessit: vidi! cogitavi præterita! & illis delectatus, in ipso illo delectationis cogitatæ momento simul morti, simul infaustissimæ æternitati sum datus, præda æterna!* Cave ergo, ne tu ipse, vel tuorum quispiam talis tragædiæ sis spectaculum sempiternum.

4. S. Gregorius 4. *Dialogorum capit.* 37. ostendit, quanti sit momenti, adesse ægro viros, qui illi in re omnium maxima servire sciant. Narrat ille, Theodorum quendam, ad divina, dum sanus esset, surdum, in agone cum morte luctantem clamâsse trementem totum: Jam se infernali draconi datum glutiendum; neque se cruce signare posse, illius pressum squamis. Verùm ijs, qui circa illum erant, calidissimè orantibus pro moribundo, repentè succlamavit Theodorus: *Gratias Deo! Ecce draco, qui me ad devorandum acceperat, fugit! orationibus vestris expulsus stare non potuit.* Ita ad cor redijt, & post multas pœnitentiales lachrymas, felicior mortem obijt Theodorus, quàm obijsset, si tam bonâ sociorum coronâ illum in agone non cinxisset benignissimus Deus.

5. Certè ex energumena loquens dæmon fassus est *apud Platum de bono statûs religiosi lib.* 1. *cap.* 31. se cum quindecim millibus aliorum dæmonum in morientis Cunonis cujusdam conclavi adfuisse: verùm aditum ad Cunonem nemini patuisse, ob circumfusam circa lectum orantium

um rasorum ( religiosi erant ) coronam. Quare Cunonem, tametsi Deo non nisi tres supremos vitæ annos meruerit, ad superos abijsse.

## HEBDOMADA XLVIII.

*Septima occupatio: Crucifixus. IESVS MARIA. jaculatoriæ preces.*

1. ARnoldus Reichenspergensis Religiosus Sacerdos, plenum conclave vidit inferni spectris, in quo ipse jacebat ad mortem. Stupebat, sudabat, anxius, tremebat! Mirantibus, quid videret, aperuit. Porrectum sibi Crucifixum avidus, ut clypeum arripuit, & preces à præsentibus ad Crucifixum pro se fundi petivit. Tremebant & illi ad insolitos horrores perculsi toti. Dominicam precationem, Symbolum Apostolorum recitari jubebat æger, & invocari Matrem Deiparam. Ita inter accusantes & oppugnantes se malos, & inter defendentes & propugnantes bonos genios, jacuit medius. Ajebat interdum: *Accusate porro, accusate! Ego me ipse etiam accusavi*: Iterúmque tacuit; & collectis ultimis viribus, importunum accusatorem voce clarâ jussit abscedere. Tandem invocatâ Judicis Crucifixi Matre, utpote quæ pro reo verbo unico plurimùm posset, extendit manum, quasi choro ad canendum præesset, atque illum solitâ dextræ elevatione ac depressione moderaretur, & cantabat: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Tum ad circumstantes conversus, digito illis Crucifixum ostendit, aitque: *Videte! Hic est salus nostra, redemptor noster, Dominus noster.* Et deinde, *O tu sancta Obedientia!* Ac iterum: *O quàm ego magnam, & inexplicabilem gloriam & majestatem intueor! Vanitas & nihil sunt omnia, quæ sunt temporis. Modicum tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur!* Tum quasi à difficili certaminis agone respirans, *MARIA Virgo*, inquit, *veniam mihi à Iudice obtinuit.* Ita, post paululum Anno 1166. felici commutatione agonem brevem cum coronis immortalibus moriens commutavit, ut est in illius Cænobij *Chronico.*

2. Signet se etiam æger sæpè, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* & petat se signari ab alijs etiam tunc, quando in ultimo jacebit silentio, incertum an præsens sibi, an fortè cum tentatore positus in agone, ac dimicans. *Dæmones enim*, inquit Cyrillus Catech. 4. *Regis supremi characterem hunc observantes, territi fugam arripient* S. Ignatius Episcopus ad Philipp. *Crucis signum dæmon videns expavescit, & audiens timet.* Ita fiet, ut in mortis luctâ in hoc signo vincas, in quo tuos hostes vicit Christus moriens pro te.

3. Nam si, quod ait Tertullianus cap. 3. de corona milit. *ad omnem progressum, ad omnem aditum, atque exitum*; certè maximè ad vitæ exitum, ad portas mortis, Cruce sumus muniendi:

quæ Augustino in Psal. 45. *Fons est, & origo totius salutis nostræ*: quæ est signum Tau salutis, ne moriaris æternùm: quæ S. Joanni Damasceno *lib. 4. Orthod. fidei cap. 12.* est *clypeus atque armatura, & trophæum adversus diabolum. In omnibus Crux fiat*, inquit S. Cyrillus Ierosolymitanus. Catech. 13. *in panibus comedendis, & in poculis bibendis, in ingressu & egressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo & quiescendo.* Quidni ergo in egressu vitæ, & ingressu æternitatis, ante somnum illum ferreum in lecto sepulchri: ad quod certè quando longus procedentium ordo te ducet, præcedet prima dux agminis Crux. Apud Cedrenum in Basilio, Christiani cum Manichæis (tu cum dæmonibus) pugnantes clamabant: CRUX VICIT. S. Leo de Pass. *Crux tua*, inquit ad Crucifixum, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam, credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Dic tu eadem; & adde aurea illa è S. Chrysostomi Litanijs ad Crucem: *O Crux, Christianorum Spes! Resurrectio mortuorum, desperantium via, spes desolatorum, periclitantium portus, senum finis, adolescentum pædagogus, scala cœli, porta paradisi, cathedra divinæ sapientiæ, paradisius deliciarum Dei, tribunal judicantis, propitiatorium mundi, lignum vitæ, arbor vitæ æternæ.*

4. Veteres, in oras exteras abituri, templorum limina sanctè salutabant: tu in æternas oras profecturus, adora JESUM, templum sanctum tuum, & sancta ejus limina, quinque vulnera, & sæpe dic: JESUS MARIA. His nominibus immortui sunt plurimi, hæc ore, vel corde saltem, si ore id fieri nequeat, pronunciantes moribundi Sodales, indulgentias plenarias consequuntur, quarum oblivisci non debemus, ut dixi. Certè Jacob Gardinus ait, dæmones fassos Anno 1300, illo Jubilæi anno omnes è Purgatorio animas celeberrimis illis indulgentijs liberatas.

5. S. Christiano (*Anni Cœlestis 4. Februarij*) septem ultimis vitæ diebus adfuit JESUS & MARIA. Sæpe ergo illa ingemina, *IESUS! MARIA! IESU glorioſissime! MARIA, Mater admirabilis. IESU desideratissime! MARIA Virgo fidelis! IESU amantissime! MARIA, Mater admirabilis, IESU! per dulcissimam Matrem tuam, miserere mei agonizantis! MARIA, per IESUM dulcissimum filium tuum, ora pro me agonizante. Domine IESU Nazarene Rex Iudæorum, tu ipse non nisi sub hoc tuo nomine IESU supra tuum caput collocato, voluisti inclinato capite expirare. Miserere, ut sub, & in nomine tuo ultimum feliciter expirans inclinem caput! Doce me, Domine IESU, credere, sperare, amare in nomine tuo, gloriari in nomine tuo! quia dedisti potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine tuo! Da mihi desiderare nomen tuum etiam in ultimo articulo vitæ meæ.* (Ila. 26) *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ migrantis ad te! Deus IESU! in nomine tuo salvum me fac! Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: & tu factus es IESUS, ut salvum facias populum tuum à peccatis eorum. Salva me à peccatis meis! Sit oleum super mo-*

*riens*

*riens cor meum effusum nomen tuum! Da mihi, ut diligam nomen tuum. Sic ero justus, sic gloriabor, sic benedicar! quia* (Psal. 5.) Gloriabuntur in te omnes (*ó utinam & ego*) qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices justo. *Et tunc psallam nomini Domini altissimi, sed pro me in cruce, in morte humillimi. Domine Dominus noster, adoro admirabile nomen tuum in universa terra! adoro illud gloriosum in cælo! adoro illud tremendum atque terribile inferno. Adoro te omni adoratione, quam tibi debent omnes spiritus cœlestium, terrestrium & infernorum.* Domine IESU, *da, ut ita petam felicem mortem à Patre in nomine tuo, ut, quidquid petiero, det mihi. Fugiat à me, quidquid mihi nocere potest. Ecce cum corde tuo, IESU, sic paciscor! Quoties IESU vel MARIÆ nomen cogitavero, dixero, scripsero, legero, audivero, toties vellem omnibus omnium omnino cordium amoribus te amare, & elucere exaggeratissimè perfectos omnium, qui unquam eluciti, scripti, vel cogitati sunt, doloris & amoris actus.* Nemo potest dicere, *Dominus* JESUS, nisi in spiritu sancto (1. Cor. 12.) *Ergo ô Spiritus Sancte Deus, doce me ita illud dicere, ut in illo salvus fiam. Nam* (Rom. 10.) *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

# HEBDOMADA XLIX.

## *Octava Occupatio. Aqua lustralis. Sacrum. Agnus Dei.*

1.

ADsit ægro, *ad abigendos dæmones*, ut aquam illam benedicens orat Ecclesia, *contra insidias latentis inimici.* Anno 1608 Portalegrij, ut *in auctario florum ad cap. 4. tom. 20.* refertur *è Soc. IESU annuus*, fœmina moribunda fædissimæ torvitatis Æthiopes dæmones, qui illam, ne Patri confiteretur, ne crederet, hortabantur. ubi aspersum est lustrali aquâ cubiculum, excedentes vidit, & *porrigite*, inquiebat, *mihi obsecro paululum hujus aquæ, ut affixum faucibus dæmonem haustu eruam, & foras ejiciam.* Bibit, & à desperatis tremoribus conquievit. Celebratissima est apud moribundos benedictæ aquæ vis admirabilis.

2. Ita coætaneus D. Bernardi Petrus Venerabilis 1. *mirac. c. 7.* à Cluniacensi religioso in agone dæmones rostratos fugientes videns, ad aquæ lustralis aspersionem clamatum ait, ad eum, qui cubiculum aspergebat: *Eja, eja, fac quod facis, quia diaboli fugientes contendunt alter post alterum summâ celeritate descendere.*

3. Et certè, si Leonem VI. Pontificem laudamus, quòd pridie conflictûs universum exercitum aquâ lustrali voluerit aspergi; quid nobis in supremo illo & æternæ aleæ prælio faciendum est in agone? Accersenda omnia undique, quæ quoquo modo juvare possunt, præsidia.

4. Ita *apud Surium tom. 7.* in vita S. Petri Abbatis, Hugo moriens Petro dixit, in fenestra duas aves esse, pulcherrimam alteram; nigram & horribilem alteram: hanc ergo rogabat ejici. Aspersit fenestram aquâ lustrali Sanctus,

ctus, & Hugo moriens nigram illam avem vidit discedere, & actis Deo gratijs, carne solutus est.

5. Ad hæc sacrum pro agonizante curandum. Fuêre, qui sub ipso sacro felices decessêre. Certè sacrum, quod pro infirmo, qui proximus est morti, constituit Ecclesia, plenum est sanctissimæ miserationis. *Animam*, inquit, *refove, quam creâsti: ut in hora exitûs illius absque peccati macula tibi creatori suo per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereatur.* Et: *ut in hora mortis ejus, non prævaleat contra eum adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.* Maximum enimverò fidelissimæ ac benevolentissimæ amicitiæ opus feceris, si morientis Christi Sacrificium incruentum, infiniti valoris pretium, & inter omnes orandi modos præstantissimum, ac efficacissimum impetrandi medium pro illo, qui nunc, si unquam eguit, indiget, obtuleris, vel offerri curaveris. O quæ illi inde in cor fluent solatia!

6. Etiam Cerea agni Dei benedicta imago adsit ægro. Sæpe benedicta ista cera maledictorum spirituum insultus ita dissolvit, ut fluerent, *sicut fluit cera à facie ignis.* Ita ad præsentiam benedictæ hujus ceræ *Anno* 1590. *Brunæ* dæmon Virginem, quam antea divexabat, vexare non ausus, visus est procul, & tanquam, qui non auderet accedere. Avocatos à desperatis consilijs, liberatos ab infamibus ab inferno inquilinis taceo. Plena sunt his vetera & nova volumina temporum & librorum. Contra pessimas pessimi illius præstigias lupi, tu agnum gesta; & ad ægri collum, vel ad lecti spondam appende. Solet ille incendia etiam divinâ vi restinguere. Restinguet ultimos tuos æstus: recreabit: juvabit, ne descendas ad perennatura incendia. Hoc amuleto ergo dum uteris, dum oscularis, roga collocari à dextris inter agnos in supremo die: depone ad pedes agni vitam tuam.

---

# HEBDOMADA L.

## *Nona Occupatio: Imago & Rosarium Beatissimæ Virginis.*

1.

APud Blosium Abbatem *in Monili* B. Virgo Mechtildi de suis clientibus sic locuta est: *Ego omnibus, qui mihi piè & sanctè deserviunt, volo in morte fidelissimè, tanquam Mater pijssima adesse, eósque consolari, & protegere.*

2. Andronicus Orientis Imperator morte repentè ingruente, Marianam, quam è collo gestabat effigiem, ori admovens, ac illachrymans, & per Matrem Deo Jesu spiritum commendans, expiravit. *In vita.*

3. Solent sub illius patrocinio esse domus, cujus insignia sunt portæ appensa, in Italia. Tu ad portas mortis tuæ, Advocatæ Protectricis Mariæ appende imaginem. Ita S. Carolus Card. Borromæus, ad portas ubique appendi curabat iconem Marianam. Multos moribundo affectus ciet spectata cum sensu imago. O si te salutet Maria, quæ Bernardo olim dicenti,

*Salve*

*Salve MARIA*; ex imagine maternâ humanitate respondit: *Salve Bernarde.* Salutanda est devotis oculis, impressis osculis; ita fecêre morientes Mariæ pulli, dum in osculo Domini Jesuli & Dominæ Virginis Matris Jesum complexæ vitam reliquêre.

4. E Sozopolitana Beatissimæ Virginis imagine, ex ipsa Virginis manu unguenta scaturiunt. Scaturient in moriens cor tuum suavissimis odoribus delibutum. Ignatius certè Azebedius in Marianæ imaginis amplexu exuit mortalitatem. Sic Mariana imago victoriarum sæpe testis, à Pribislao Daniæ Rege in clypeo gestabatur felici victoriarum successu, & à Joanne Comneno Imperatore curru vecta est triumphali. Ita, tibi ut in prælio tuo ultimo pro æternis triumphis certanti adsit Maria, ora, dum illius imaginem tenerâ oculorum devotione aspicis. In illius te sinu conde.

5. Ita 26. *Augusti Menologium Cistercienſe* adolescentis meminit, quem cœlesti post mortem luce splendendum sub Beatissimæ Virginis pallio lætissimum vidit B. Conradus. Ita apud Justinum Michovienſem Henricus de Calstris moriens; *Beatissima*, inquit, *Virgo in horâ exitûs mei animam meam suscipiet, & supra trecentas animas mecum è Purgatorio educam.*

6. Sit & Rosarium B. Virginis in manu ægri. Sunt, qui illud pro nobili armilla cubitum abituri circumdent brachio, tesseræ instar. Tu cùm te ad supremum somnum compones, ne à te, ne à tuis in agone constitutis amicis amicam hanc tesseram abesse patiare.

7. Apud Bonifacium 2. *hist. Virg.* *cap.* 15. Prior quidam Carthusianus, quotidie Rosarium devotione exquisitâ, percurrebat cum tenero sensu; hic in cœlesti quadam apocalypsi vidit Deum, & Matrem beniguissimam, cœlitesque Divos omnes. Vidit coronas pulcherrimas & speciosissimas præparatas omnibus illis, quibus hoc Rosarium curæ esset. Intellexit etiam hac sancti precatione Rosarij, tantum cœlestium bonorum thesaurum contineri, quantum cogitatione comprehendere mortalis nemo posset. Apprehende ergo moriens hanc tesseram Marianam, ad quam vivens toties memor devotè fuisti horæ mortis tuæ. Sunt, qui Beatissimæ Virginis coronam, semper dum itineri se accingunt, collo appendant. Ita iter faciunt, ita moriuntur. Torquati Mariani.

8. Maximo & morientibus & mortuis est solatio toties in Rosario repetitum *Ave MARIA*, de quo Thomas à Kempis in Soliloquijs. *Cœlum gaudet*, inquit, *Satan fugit, infernus contremiscit, cor ex amore liquescit, cùm dico: Ave MARIA, &c.* Civis Colonienſis, qui seu laboraret, seu quiesceret, Rosarium vel præ manibus, vel penes se habebat, & *Ave MARIA* orabat devotus totus, post mortem cuidam Virgini è cognatis suis glorioſus apparuit vestitu pretioso & rutilo, in quo aureo eóque mirabilis elegantiæ charactere inscripta erant: *Ave MARIA.* Ipse verò, *O filia*, ajebat, *ora Ave MARIA, sinè intermissione ardenter, nam hujus præmium in cœlo est infinitè magnum.*

*Kalend. Marianum*
*23. Maij.*

HEB-

# HEBDOMADA LI.

## *Decima & undecima Occupatio: Angeli, & Reliquiæ Sanctorum.*

1.

COncilium Nicæn. act. 7. Reliquias, *fontes salutares*, multis modis beneficia in debiles fundentes vocat. Certè tu debilis es, vide ut habeas propè fontes illos. Nam si umbra Petri tantum potuit; quid poterunt ipsa sanctissima corpora, quæ gloriosâ, ad quam nos morientes accingimus, æternitate coronavit DEUS?

2. S. Ambrosius *serm. 77.* de natali SS. Octavij & Sociorum. *Cuncti Martyres devotissimè percolendi sunt*, (idem est de Sanctis alijs) *sed specialiter ij, quorum reliquias possidemus. Cùm his nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, & in corpore nos viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hìc, ne peccatorum nos labes absumat; ibi, ne inferni horror invadat.*

3. S. Bernardus cum S. Thadæi Apostoli sacris lipsanis vixit, & cum ijs voluit tumulari. Sunt hæc pignora Beatorum, quibuscum æternùm gaudere avemus. Prophetant nobis ossa ista, quæ custodit Deus, nostri etiam Custos, illorum intercessione. Unde suavissimæ illæ B. Franciſci Borgiæ reliquias reverentissimè tractantis voces: *Salvete pignora, nobis in hoc exilio, lachrymarumque valle degentibus relicta à Deo. Salvete salutis nostræ spes, atq; solatium! Erit, erit dies illa, cùm decorem induti cineres, hospites nunc beati, æternâ illâ luce perfruemini, & animæ sole candidiores, thronúsque vester, supra firmamentum clarescent.*

4. Facit hæc adversùs Beatorum lipsana religio, ut & æger sit fortior, & dæmon minùs fortis. Ita S. Agathæ velo oppositio prohibiti sunt à suo cursu exundantes è Vesuvio torrentes ignei. Ita Bernardus quidam adolescens de se Cæsario ingenuè fassus est, se cùm fædâ cogitatione pulsaretur, sensisse pulsari sibi pectus à lipsanotheca è collo pendente, & moneri cor: neque priùs pulsari se desisse à lipsanis, quàm ab obscæno illo cogitationum æstu cor conquieverit. Ita se vicisse: ita lipsana quievisse. Habe ergo propè sacra illa pignora, exuvias animarum cum Deo gaudentium, ut vincas, & cum illis triumphes.

5. Adsit & Angeli Custodis, vel Sancti alicujus imago. B. Aloysius *vitæ lib. 2. cap. 32.* Crucifixi imaginem, S. item Catharinæ Senensis, aliorúmque Divorum, quibus cubiculum cinctum erat, icones complexus osculabatur, morti propinquus, dicens: *Hæ sunt meæ stationes.*

6. Veniet tibi in mentem ex aspectu imaginis fidus ille tuus, qui te jam inde à nativitate hucusque intimè dilexit, Custos Angelus. Venient in mentem Angeli singulares morientium advocati, contra spiritus importunos, & invidos. S. certè Nicolaus Tolentinus, ut *Breviarium Romanum 10. Septembris* memorat, sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelicum concentum audivit. Angelos ægrorum

rum ministros passim leges. At hæc alibi.

7. Angelos geminos præclarâ luce spectabiles, qui super locum, in quo sepeliendus erat pius quidam vir, rosas, lilia spargerent, visos, narrat *de humilit. gradu* v. *sect.* 14. *Richeome.* Vide Angelorum & Sanctorum circa moribundos obsequia *in Anno cœlesti*: ubi Sancti pro felici morte quotidie invocantur, è Martyrologio, & Sanctorum veterum ac novorum gestis deprompti. Et *pag.* 582. est quotidiana pro felici morte ad Angelum Custodem oratio. Possent verò ad Angelos & Sanctos, visâ illorum imagine, fieri aspirationes fere sic: *S. Angele Custos, qui S. Ioanni Gualberto morienti apparuisti, & quomodo vocareris rogatus, dixisti*: Benignus montis Dei! *ora pro me. S. Rex David, qui* (vitæ PP. lib. 6. cap. 3.) *manu gestans Psalterium, una cum SS. Michaële, & Gabriele Archangelis, homini pauperculo in platea sub dio morienti apparuisti! ô adesto tunc & mihi! S. Mellite, cui moribundo Angelus Custos auro exaratum nomen tuum ostendit! Ora pro me agonizante, ut inscribar catalogo Vitæ.*

8. Inter Sanctos tamen præcipua debet esse invocatio, & devotio erga Sanctos tui nominis, sive illius, qui æger est. Exempli gratiâ, si æger vocetur Joannes, legantur illi aspirationes ad Sanctos omnes, quorum nomen est Joannes, *ex Anno cœlesti.*

# HEBDOMADA LII.

## *Duodecima Occupatio: Libellus spiritualis. Cereus benedictus.*

1.

ITa Joannes Berchmans Soc: Jesu librum Regularum, Crucifixum, & Rosarium complexus moriens, *Hæc tria*, inquiebat, *mihi charissima: cum his libenter morior.* Ita S. Augustinus (*Breviarium Romanum* 28. *Augusti*) cùm discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos David, qui ad pœnitentiam pertinent, in conspectu positos, profusis lachrymis legebat. Prodest tunc, vel ex hoc, vel alijs de hoc argumento tractantibus libellis ægri solatio aliquid legere suaviter: ut protestationes S. Caroli *ex Manuali.*

2. Æstimavit, & sub cervicali habuit Homerum Alexander; alij alios: tu pium quempiam libellum habe. Fuit è veteribus eremicolis quispiam, è cujus sinu, quia sacer illic Evangeliorum Codex erat, erumpens cœlestis quidam splendor impuros alios prostitutæ ad scelera fœminæ oculos sanctè perstrinxit, adeo ut succlamaret, se splendore illo à cogitato scelere prohiberi. Erumpet è sacris libellis in cor tuum lux, & ne quid in te hostes audeant, prohibebit libellus auditus, aut lectus, id est, qui per illum velut epistolam è cœlo ad te missam tibi loquitur Deus. B. Aloysio ægro quotidie 7. Psalmi Pœnitentiales lecti sub vesperum: horis diurnis cæteris, aliquid è Psychagogia, Soliloquijs D. Augustini, è sermonibus S. Bernardi in Cantica, aut, *Ad perennis Vitæ fontem*, & Ps. 41. ac 121.

3. Sit & Cereus benedictus præ manu ægri. *Vitæ Mastrilli cap. 6. Anno*

1633. in Decembri ægro Mastrillo adfuit crebrò invisens S. Franciscus Xaverius amictu candido, Cereo & scipione in manu, dicens aliquando, mallétne Cereum ad moriendum, an scipionem ad iter suscipiendum eligere. Marcello id se eligere ad Dei majorem gloriam, quod Deus vellet, respondente, approbavit responsum. Habebat secum Xaverius regiam quandam ægrum unà vi sentium cohortem cum sua singulos candela. Interrogabat Marcellus Xaverium sæpiùs, quinam ij essent, responsum tulit: suos amicos esse commendabiles Domino nostro, quia justi sint, & amici Dei. Fortè manes piaculis indigentes esse perconctabatur æger: Xaverius iterum, suos amicos esse, Deo commendabiles, quos tu, inquit ad ægrum, rectè conijcis indigere piamine, quia tuis sacrificijs carent. Sacra ergo pro illis curanda affirmante Marcello, gratas futuras dixit Sanctus, si fecerit Marcellus, ut à domesticis multa Rosaria pro defunctorum animabus orentur, multáque sacra peragantur, quod egregiè factum. Ecce candelam, & vitalis mortis symbolum, & in mortuorum manibus lucentem. Cura ergo, ut moriens ille, cujus curam suscepisti, cereum seu candelam benedictam accensam in manu habeat, iturus ad itinera æternitatis: ne illum tenebræ in via occupent, ne tenebrosus illum turbo possideat: verùm ut sint lucernæ ardentes in manibus ejus, & lux perpetua luceat illi. Ardet Cereus ille in signum fidei, spei, & charitatis vivæ. Datur nobis alter dum baptizamur, alter dum morimur. Inter hos duos Cereos, & ad horum lumen vivendum, & scribenda, legenda, cogitanda, dicenda, facienda nobis sunt omnia. In vita S. Lydvinæ celebre est, quòd Christus in dextro mortualis illius lecti latere consederit, MARIA in sinistro, Angelis & Apostolis lectum cœlesti coronâ cingentibus. Sacro oleo delibuta ab ipso Christo, vidit defixum ad pedes lecti pulcherrimum Crucifixum, Cereum verò, cujus luculento lumine radiabat conclave totum, ipse illi Christus in manus dedit, & illic tenuit unà cum Matre beatissima. Ita felix Virgo extincta est! Utinam ita & nos!

## AD MAIOREM DEI, DEIPARÆ, Cœlitum omnium gloriam: & ultimi agonis nostri solatium sanctum.

FE-

# FERIA III.

SEU

# ANNUS ANGELICUS,

Per omnes

ANNI TOTIUS

FERIAS TERTIAS,

*Brevibus*

ANGELUM CUSTODEM,

ET

ALIOS BEATOS ANGELOS

*Pro felici morte*

Solidè colendi officijs & exemplis explicatus.

# NOBILIBUS ET INGENUIS ADOLESCENTIBVS, SVB CVRA CONVICTUQVE PATRUM SOCIETATIS JESU in Seminario Antuerpiensi, virtuti doctrinæque studentibus.

*Opusculum hoc, quod ad venerationem imitationémque sanctorum Angelorum per rationes omnium efficaciſsimas, hoc est, per exempla composui, vobis offero,* Perilluſtres, Nobiles, Integerrimique Adoleſcentes. *Fecit fama veſtræ familiæ latè ſparſa, ut hoc vellem; coëgit veſtra virtus ac ſtudium accenſum ad æmulationem candoris Angelici, ut hoc facerem. Illa redactæ velut in quendam ordinem diſciplinæ, vitæq; cœleſtis ſub imperio ſuaviſsimo ſanctiſsimóque Patrum Societatis noſtræ in ſpem beatæ æternitatis aſſurgit: hæc ſub patrocinio B. Aloyſij Gonzagæ Iuvenis verè Angelici, ſecuturam olim maturitatem ſpondet conſummatæ ſanctitatis. Sic agite, ô mei, & implete non ſolùm ſpem & votum Reipublicæ Chriſtianæ, ſed ſedes etiam & officia cœleſtis Hierarchiæ. Nullus homini in cœlo locus eſt, niſi quem deſeruére rebelles Angeli; ſed in vacuas Angelorum ſedes, hominum nullus, niſi illorum cultor & imitator, aſcendet. Eja aſcendite, habeántque, qui olim poſt me de hoc argumento ſcripturi ſunt, à moribus & virtute veſtra exempla præclariſsima, quibus hocce meum opuſculum in venerationem imitationémque Angelorum compoſitum, augeant in munimentum. Hoc voveo.*

ANNI

# ANNI ANGELICI

## PARS I.

## HEBDOMADA I.

*Surge manè, quasi à Custode tuo Angelo excitatus.*

I.

NUlla vitæ tuæ pars est, nullus locus, nulla tempestas, hora nulla, quâ tuus Tutelaris non adsit tibi. Barrius *Solitudin. die 7 medit.* 1. ait, ævo suo accidisse, quòd Anna Saintongesia è Sodalitio Ursulinarum à custode suo Angelo semper à somno fuerit excitata his verbis: *Anna surge.* Faciebat id illa sanctissimè, semel tamen nonnihil cum somno consultans indormijt. Sed adfuit voce jam severiore excitator Angelus dicens: *Domina, non placet surgere?* Quali verò alacritate, quâ mentis corporisque compositione surgeres, si Angelum præsentem excitatorem tuum ad lecticuli caput aspiceres? eâdem nunc surge, æquè enim ille te videt nunc, dum non videtur à te, atque videret tunc, cùm videretur à te. Dicit ille tibi: *Ioannes, Francisce, Ladislae, surge, surge!* S. Bernardus doctrinam suam inchoans: Quando surgendum est, inquit, præparandus est animus ad devotionem, ita ut ferventer exilias de lecto; & corpore discusso, gratias divinæ misericordiæ agas *pro quiete indulta, pro custodia, & protectione Angelica.*

2. Non ignotus jam Joannes Carrera *hist. Soc. part.* 1. *lib.* 11. *num.* 66. multus erat in pœnitentiæ, precum, & alijs pietatis officijs, ubi se ad Societatem, tenerum licet, sed importunum in petendo,

tendo, adiectum tandem vidit. Præcipuè verò, inquit *Orlandinus*, erga sanctissimam Dei Matrem, tutelarémque suum Angelum inflammato studio rapiebatur, quocum tanto erat, & tam familiari conjunctus usu, ut velut intimo cum amico, sua consilia, sermonésque conferret: sæpe ad eum de suis rebus dubijs arduísque referret; sæpe interrogaret, exquirerétque consilium: vicissímque ei Angelus ad omnia notis hisce usitatísque vocibus respónderet. Denique in eam sancti Angeli familiaritatem venerat, ut ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur è somno. Quanquam hanc aliquando consvetudinem Angelus intermisit, quòd excitatus ab se manè Joannes, languore ac lassitudine victus, non è cubili protinus surrexisset. Sed si hæc culpa fuit; certè per dies plurimos, occultante se Angelo, pœnas dedit. Cujus præsentiæ desiderio, multis ad Deum placandum precibus ac jejunijs adhibitis, vix tandem aliquando, quod amiserat, recuperavit. Namque eum Deus multò pòst, pro sua eximia suavitate, quàm plurimis cœlestium voluptatum blanditijs, atque inusitatis inter precándum jucunditatibus delinitum, ita est consolatus, ut, quod abstulerat, etiam redderet, excitatorem suum custodem Angelum, qui quotidianæ precationis, ut antea consveverat, matutinis temporibus admoneret; & quo cum simul agere & sermocinari liceret. Receptum in pristinam familiaritatem Angelus monuit, idcirco suam se occultásse præsentiam, quòd ad oratiónem se suscitantem non protinus audisset: Deúmque ab eo pœnas voluisse repetere, ut documentum ei esset in pósterum, ne in surgendo moras necteret. Quàm procul me deduxit succi sancti plena suavitas argumenti! Severior hic illo Annæ Angelo Angelus fuit; fortè quia robustior illâ Joannes, tametsi adolescens. O cessarent campanæ ad surgendum, ad templum vocare nos, per me licet, si excitatores, vivárum instar campanárum, Angelos haberemus!

3. Putat se operæ suæ aliquod prétium referre Angelus tuus custos, si videat te diei primordia, & alacriter, & sanctè surgendo, Deo diei omnis, & anni, & æternitatis Patri, dedicare. *Apud Rosveid. Vit. PP. lib. 1. pag.* 358. Anuphi moriturus fassus est, se cibo Angeli ministerio pastum: Dominus, inquit, Angelum suum assistere mihi semper fecit, edocentem me de singulis. Lux mentis meæ nunquam extincta est. Ostendit mihi frequenter multitudines Angelorum assistentium sibi. Nunquam defuit cordi meo lux Domini, per quam suscitatus *somnium corporis non requirebam*, desiderium habens semper videndi eum. Et *pag.* 571. apud Palladium idem: *Non interdiu somnum cepi.* Hæc ille dum narraret Paulo & alijs, extinctus est morte, quam præviderat. Et continuò viderunt illi, inquit ibi *D. Hieronymus*, ab Angelis suscipi ejus animam, atque ad cœlos ferri, ita ut vocem hymnorum audirent etiam ipsi, quibus unà cum Angelis anima ejus abscedens, Dominum collaudabat. Ecce iste sanctis Angelis adeo familiaris, inter præcipua in morte solatia habuit, se à luce Domini excitatum, somni parcum fuisse.

se. Talibus ministrant Angeli familiariter, unà cum illis in cœlo semper vigilibus Deo gloriam cantaturi.

4. B. Aleydem etiam ab Angelo excitatam constat ex vitæ illius *cap.* 77. Et certè, quemadmodum, referente id S. Joanne Climacho *gradu* 26. est è spiritibus unus, qui *præcursor* dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit, primúmque nostrum cogitatum inquinare nititur; ita noster nos Angelus ad auream benignitatis divinæ auroram excitat. S. Raymundum ad preces ab Angelo custode excitatum refert illius vita 7. *Januarij*. Idem de S. Petro Novitio est in ejus vita 14. *Martij*. Meliores sunt hi excitatores candido illo gallo auroræ excitatore, quem Pythagoras fratrem suum appellabat. *Act.* 12. *Ecce Angelus Domini adstitit* (Michaëlem fuisse Petri custodem ajunt aliqui) *& lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter.* Id tu age: diem cum Angelo tuo in horas & occupationes dirige, & ad majorem Dei gloriam per manus Beatissimæ Mariæ Virginis, Angeli tui, ac omnium Sanctorum offer; ut laudatum à cit. S. Joanne Climacho Sancti illius verbum cum veritate impleas: *Ab ipso matutino tempore cursum totum meum diei scio.* Cursum actionum dirige ad honorem, & amorem Dei.

5. Somnia verò planè contemne. Si molesta sint, & sibi aliquid velle videantur, fidem ne adhibe, nisi re cum docto & probo spiritûs tui magistro collatâ. Jacobus Cardinalis vitæ S. Mariæ Oegniacæ *lib.* 1. *cap.* 9. ait, viro cuidam cæteroquin probo, Angelum tenebrarum luce mentitâ vestitum per quietem, sæpiùs apparuisse. Svadebat pia quædam: ut sic emptâ confidentiâ incautum duceret pessum. Jámque incipiebat ire in pejus. S. Maria Oegniacensis viro bono miserta, illum monet, & jam à veteratore Sophista deceptum deprehendit. Ergo in preces & lachrymas incalescit: & ecce sycophanta dæmon, sed sublucidus, superbè torvo illam oculo intuens, respondet interroganti, quis esset: Ego sum, quem tu, maledicta, precibus tuis compulisti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. *Somnium ego vocor*; ajebat enim, se multos per somnia decipere. Ne ab hoc illudaris, Angelum tuum custodem, S. Josephum, & illum, qui illi toties in somnis apparuit, S. Angelum devotus invoca; & vigila. Denique manè id age, quod B. Henricus Suso, qui Beatissimam Mariam Virginem manè quotidie, junctâ Angelorum canentium vocibus voce, salutabat.

---

# HEBDOMADA II.

## *Novissima si mediteris, rem Angelo tuo custodi gratam feceris.*

1.

HAnc novissimorum meditationem, ut S. Patroclo clienti suo intimè imprimeret Angelus illius custos, dum ille ab ascetica vita ad urbes reditum meditaretur, sublimem in columnam illum

illum eduxit, inde orbis illi furta & asia scelera, ipsam denique inferni abyssum, & æternas illas malorum æternorum iliades ostendit, ac simul in amarissimas illum lachrymas effudit, & hàc ad cœlum ut contenderet edocuit. Ascende in alta cœli, descende in profundas abyssos inferni, extende cogitationem seriam in infinitam latitudinem, in interminatam longitudinem infinitæ æternitatis: in cujus aureo sinu semper bene, nunquam malè in cœlo: semper malè, nunquam bene in inferno: & utrumque æternum est; & alterutrum necessariò tuum est: cùm juri suo, quod in te habet, cedere nec velit, nec possit æternitas: ita ut beatus, aut infelix esse debeas in æternum.

2. S. Franciscam Romanam *lib. 2. vitæ cap. 8.* narrat Julius Ursinus ægram decubuisse. Sola in conclavi cùm esset ad vesperum, inferni profunda ingressa est solidissimâ contemplatione. Tum promittente illi conscientiâ, illam de infelici illo numero non fore, suavissimâ extasi abrepta, ab Angelo Gabriele in spiritu abducta est, per loca inculta, & deserta, usque ad horribilissimam speluncam. Audivit à duce Angelo, illum esse infernum. Crassissimæ in spelunca tenebræ sinè spe lucis, erumpebant inde horrendi miserabilésque ejulatus, & blasphemi ululatus; & ecce literis magnis ac distinctis posita epigraphe in hæc verba: *Iste est locus inferni, sinè spe, & sinè intervallo: ubi nunquam est refrigerium.* Multùm licet reluctata, confirmata est ab Angelo, & spelunca ingressa; tum per nebulam caliginosam, in qua respirare quasi prohibebatur, visa est sibi duci, unde pervenit ad patentiorem locum, ubi demum aperta est abyssus miseriarum inenarrabilium. Dicebat, se vidisse divisum infernum in tres ordines, seu mansiones, aliâ super aliam existente. Heu! infelices inferni substructiones! Vides, quàm articulatâ diligentiâ hæc nobis ostendant Angeli, ut illis cogitandis assvescamus.

3. Hoc etiam instituto, S. Lydvinæ Virgini die Cinerum ipse Angelus cineres dedit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* & ut illos devotè acciperet, aliósque ad eosdem cum reverentia & attentione accipiendos hortaretur, commonuit. *In vita.*

4. Annus quilibet messem suam habet, quæ est magna cura, & cogitatio Patrumfamilias. Tu in messem novissimam, in messem æternitatis defige oculos, Matth. 13. *Messis, consummatio seculi est; messores autem Angeli sunt.* O! meditare messem illam bene coram Angelo tuo! *Mittet Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, &c. & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, &c.*

5. Erige & ad cœlum mentem cum S. Venantio, de quo *Surius 23. Octobris* ait, illum canentium in cœlo Angelorum voces audisse, & eorum exemplo statim Missarum solemnia die Dominico inchoari jussisse.

6. Liffardum illum ex opulento religiosum, & jam senem, tentatum tamen de seculo repetendo, Angelus custos seriâ novissimorum cogitatione in-

gestâ

gestâ persanavit, quando illum nocte intempestâ duxit, aperta & horrendo tabo hiantia fluentiáque, ac Liffardo quasi loquentia sepulchra ostendit, & ; *Liffarde*, inquit, *propediem talis eris ; adhúcne è sacro asceterio ad vomitum reverti placet ?* Ita horrentem, & cadavera nauseantem, jámque planè alium ad lectum iterum Angelus deduxit. O quid nobis dicerent ij, qui in grandibus cæmiterijs ceu dormitorijs jacent, si loqui ea possent, quæ illorum animæ vident illic ! Hæc te serò meditari vult Angelus tuus.

7. Tempus verò certum his assignandum esset, ut Innocentius IX. in deliberatione omni pro magni consilij angelo mortem habuit, quando deliberaturus, ad tabellas, in quibus nuda calvaria, & pompa funebris erat, oculos pro consilio convertit. *Vide Rho exempl. lib. 5. cap. 3.* ubi etiam Alexander Oliva Cardinalis, sepulchri modulum, ut scriniolum, fabrefieri sibi jussit: inibique seipsum in purpura jacentem ad vivum exprimi, cum illo *Eccli:* 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua ; & in æternum non peccabis.* Aperiebat, & contemplabatur mortuale illud scriniolum dum oraret, pictore id, quod erat, tacere jusso.

8. Age, quod necdum quidem tunc ab Angelo vulnerata, sed in septenni ætatula jam Angelicum quid spirans agebat Theresia, quæ, ut est in vita ejus, *in appendice Florũ Sanctorum Ribad.* cœlestis inter æternitatis gaudia, & inter tormenta inferni suspenso animo, hausti è corde tenerrimo altis suspirijs ingeminabat ista identidem: *In æternum ! In æternum ! In æternum ! Cruciari in æternum ! Latari in æternum ! sinè fine dolere ! gaudere sinè fine !* Hæc certè profundè penetranti, ecquid prodest, *si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur ?* quod Christi Apophthegma quotidie quartâ circiter horæ parte expendi desiderabat Xaverius. At de quartâ horæ parte pro his cogitationibus seponenda infrà *Hebdomadâ 19.* Interea sacra quædam Phrontisteria tibi sub Angelico ministerio instituenda sunt, id est, perennis quædam mentis vigilia, cura, meditatio: ut non minùs diligens sit Phrontista Angelicus, quàm Socratici illi Phrontistæ meditatores, & operosi sublimium tractatores.

9. Ad hæc sublimia expendenda, penetranda, nobis calcar addit, ipsis etiam Angelis in medium adductis, magnus ille divinorum ponderator Ignatius *ep. de perfectione num. 6* dum ait, *ad quem finem estis vocati, infractis animus enitimini ; cùm tot ejus causâ vobis à Deo auxilia & instrumenta suppetant.* Hæc instrumenta sunt omnia gratiæ dona spiritualia, quibus nos in omni bono opere, nos, inquam, à natura ipsi adeo adversos, rebelles, contumaces, hactenus prævenit, & prævenire dignatur: hæc instrumenta sunt, incredibiles promissiones suæ gloriæ, ut communione suæ immensæ præstantiæ, quod ipse est naturâ, nos gratiâ evadamus ; Instrumenta denique ipsa tota rerum universitas est ; cùm non solùm quæcunque subter, sed etiam super orbes cœlestes sunt, illæ nimirum divinæ mentes, cœlestésque hierarchiæ, nostris sint ab eo ministerijs destinatæ. Hæc si in bona bilance ponderâris, quæ hìc

suggessit Ignatius, bene tempus in expendendis ijs, quæ æterna sunt, expendisti. Pulchrum illud cœli ac perennitatis compendium est, quando in horam unam, vel quartam ut minimùm horæ partem quasi compendiatam se, inter Angelum tuum ac te mediam, videt avida tui æternitas.

---

# HEBDOMADA III.

## *Angelus Custos pro Confessione solidè facienda devotè invocandus.*

1.

*Zach.* 3. vidit Zacharias Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: *& Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei.* Et post plura, exui jussit Angelus sacerdotem vestibus sordidis, & dixit: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* Et dixit: *Ponite cidarim mundam super caput ejus.* Stat etiam penes te dæmon, ut adversetur tibi in exuendis vestibus sordidis, id est, peccatis. Neque enim es è paucis ijs, qui *Apoc.* 3. *Vers* 4. non inquinaverunt vestimenta sua. Angelum ergo roga, ut ille vincat dæmonem adversantem tibi. Ita in confessione auferetur à te iniquitas tua.

2. *In Annuu Collegij Mexicani Anni* 1612. civis Angeli sui tutelaris præsentiâ fruitus non infrequenter, inter alios cœlestium cum illo colloquiorum fructus hunc etiam habuit, ut ab Angelo custode didicerit, quænam peccata in confessione quasi aliud tantùm agens obiter perstrinxisset, & quæ per oblivionem penitus omisisset. Retulit ad Patrem conscientiæ suæ arbitrum ea, quæ ab Angelo audiverat, omnia, & ab illo audivit rem non esse in consultationem vocandam, sed sanctissimo illi monitori parendum promptissimè. At ille pigris comperendinationibus usus, crastinum ducebat ex crastino, non quidem ut negligeret, sed ut differret. Rupit tandem periculosas procrastinationes Angelorum Regina, quando dissimulatori illi præsentem se sistens, maternâ urbanitate ac suavitate illum affata, cor illi ad Angelica monita exequenda incendit, & moras rupit. Rumpe moras & tu; juvabit Angelus, & MARIA.

3. Certè Stylita ille Edessenus, ut *Raderus* refert *Virid. part.* 2. omnes, quos videbat, videbat cum comite Angelo tutelari: & advertebat, qui essent in gratia Dei. Illis enim planè proximos videbat cœlestes Spiritus officiosâ quadam obsequiorum urbanitate gaudentes, cœlesti quodam lætitiæ splendore vultibus totis afflatos, & suis clientibus famularem quasi facem prælucentes. Infelicium verò peccatorum Angelos quasi amarissimarum plenos lachrymarum eminus aspicientes clientibus suis vicinum examen dæmonum miseros vinculis miserabili exitio in captivitate tenentium. Miserandum spectaculum esset illud, si tuus te Angelus ita cinctum aspiceret.

4. Biverus *Oratorij parte* 2. *in fine* §. 19. Thomæ Theologi religiosissimi dæmonem sub mortem alloquentis verba hæc refert: Quid hìc adstas cruenta bestia? dic mihi, quid est, quod maximè

» ximè nobis noceat? Dissimulantem adjuravit iterum. Tandem respondit infelix genius: Nihil est in Ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic virtutes nostras enervet, quàm frequens confessio. Quamdiu enim homo in peccato mortali est, non potest se movere; omnia ejus membra ligata sunt: cùm verò peccata confitetur, statim liber est, & mobilis ad omne bonum.

5. Quàm odio est dæmoni, tam grata est Custodi Angelo frequens confessio. Nam *velut fumus apes fugat*, inquit in *Psal.* 33. D. Basilius, *& fœdus odor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit, multarum lachrymarum aspergine dignum, ac gravè olens peccatum.* O quàm ille indignatur clientem suum in servitutem dæmonis venditum! Nam ut August. *in epist. ad Rom.* ait: *Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Quid quòd propter peccatum 1. *Cor.* 5. corpus traditur satanæ? Libera animam à peccato, corpus à satana: & da illud Angelo tuo, qui in illud habet jus tutelæ.

6. Cave autem erubescendam illam & confusionis æternæ matrem, nimiam in confitendo erubescentiam, & negligentiam. Rainerius, ut peccatum quoddam verecundo vel fortè oblivioso silentio aliàs in confessione pressum, generosè proderet, ab Angelo custode persvasus est, evasitque in sanctum. *Vita* 17. *Junij.*

7. Joannes Raulinus Cluniacensis Theologus *sermone* 11. *de pœnit.* juvenem & divité viduam, ait, plenam misericordiæ operibus in magna fuisse opinione apud Episcopum conscientiæ suæ Patrem. Post mortem in Episcopi sacello sepulta est; sed nocte proximâ sacellum ardere visum Præsuli illud ad preces ingresso. Et ecce in fœminæ sepulchro sepultum corpus ferreis in cratibus à dæmonibus prunas subijcientibus assatum, ab ijsdem furcis miserabiliter versatum, attonito & causam petenti Episcopo dixit: æternùm se torreri, ob neglectum per erubescentiam, & non æstimatum cogitatæ semel, neque tamen opere unquam consummatæ turpitudinis, cum uno è famulis, quem attentiùs intuita erat, consensum. Ecce corpus traditum Satanæ, damnato jam spiritu. Tu itaque corpus & animum tutelari tuo Angelo trade in clientelam æternam. Sæpe illum confessione expia, ut non ab inferni tantùm prunis, sed & à Purgatorij longo cruciatu sit liber. Nam hoc ipsum erit Angelo custodi tuo solatium non vulgare.

8. In urbe Anicienſi, ætate propè nostrâ, fœminam de universa vita confessionem facturam, eodem die Angelus tutelaris bis invisit, ac de confessione generali instituenda ritè edocuit, peccatis omnibus ei in memoriam revocatis. Manavit id in vulgus, & intra dies illos quadringentæ id genus confessiones institutæ. Ita annuæ illius Collegij *Anno* 1594.

9. P. Bernardus Realinus Soc: Jesu ad audiendos statim, neque ad tempus aliud differendos eos, qui confiteri petebant, eo argumento utebatur. Cùm is ab Angelo Custode ad rem difficillimam adducatur, periculum subesse, ne id, quod differtur culpâ Confessarij, penitus auferatur.

10. *In Vit. Prædicat. part. 4. cap. 7.* Novitius negligenter confessus, divinitus monitus est, ut religiosiùs conscientiam expiaret. Id quod ubi exactè fecit, vidit Angelum, qui è cœlo descendens coronam auream admirabili pretio adornatam mundo confessi Novitij capiti imposuit. O utinam te post singulas confessiones tuas ita coronet Angelus tuus custos! Faciet verò, si non per transennam, sed exquisita cum diligentia & dolore cor eluas.

11. *In Martyrol: Franciscan. 6. Martij.* B. Petrus invitatus ad gloriam per Angelum admonetur, ut peccatum quoddam in seculo commissum, & hactenus oblivione neglectum, sincerâ & solidâ confessione eluat.

12. Apud Rosweidum *Vit. PP. l. 1. pag. 369.* Angelus indignè communicantium nomina non scribebat. Ubi tamen peccata per pœnitentiam eluerunt, visus est illorum etiam nomina adnotare, & illos ex nominibus evocare.

13. *Annua Collegij Cortracensis S. I. literæ* ajunt, Anno 1603. fœminæ confertam circa sacrum confitentium tribunal hominum frequentiam admiranti, visum in templo formidandum dæmonem, à quo minis horrendis ab illo tribunali prohibebatur. Sed adfuit eleganti aspectu amabilis Angelus, qui illam ad illud misericordiæ tribunal sceptrum manu præferens invitabat. Paruit illa Angelo: téque jam tunc, ut ne minas dæmonis nescio quas in confessione confusiones texentis expavescas, verùm Angelo tuo comite ad sinceram confessionem accedas, exemplo suo monuit.

# HEBDOMADA IV.

## *In sacro & communione, Angelo custodi tuo te da discipulum.*

1.

AD hymnum *Te Deum laudamus*, ardenter, attentè, sanctè canendum excitatos ab Angelis eos, qui illum orabant, è libro *de exord. Ord. Cist.* accepimus. Ubi cœlesti quadam hilaritate afflati Angeli ab alijs ad alios cursabant, & jam hunc, jam illum excitabant. Ita te Angelus tuus excitat ad sacrum, vel ad synaxim sacram euntem. Videres flectentium ad aram communicaturorum Custodes Angelos, quanto splendore circumeant, ubi suum quilibet clientem complexus, singuli singulos Deo sistunt. S. Joannes Chrysostomus *hom. 7. in Acta* de primitiva Ecclesia, in qua quotidiana vigebat communio: *Hæc erat*, inquit, *Angelica Respublica.*

2. S. Herlucæ Virgini communicaturæ ibat comes ad sacrosanctum Angelorum epulum mortuus jam antea Episcopus Augustanus S. Wicterpus. Et fuit, quando cum Wicterpo adfuit Herlucæ etiam *Ecce Homo* Christus theatrum dolorum. Et mærore propè obrigescenti Herlucæ S. Wicterpus dixit: *Oculos nega Richardo sacrificanti, cujus impuritas carnifex est Sponsi tui.* Quod Herlucæ Wicterpus fuit, hoc tibi ad confessionem & communionem eunti est Angelus tuus custos, sancti illius itineris comes ad aras usque, sive ibi

ibi sacrifices, sive communices. Certè Savienſi illi religioſo, sanctè sacrificanti Angelum adfuisse testis est post veteres, Joannes Major *exempl. 19. V. Angelus.* Illo enim inter sacrificandum dicente: *supplices te rogamus*, &c. *jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*, &c. cœlesti hilaritate jucundam Angelorum circa altare coronam vidit, in stolis pulchritudine cœlesti mirandis. Eminebat unus omnium cœlestis admirabilitate formæ sublimior, qui acceptam ex ara hostiam sursum ferre, Deo præsentare, iterúmque reddere visus est Sacerdoti, reliquis circùm Angelis uni illi mirè applaudentibus. Tum demum ubi restitutam sibi hostiam religioſus Sacerdos vidit, cœlestibus plenus lætitijs, sacrum eâ cordis devotione complevit, cujus nos utinam vel tenues igniculos haberemus!

3. Ecquid verò beatorum ignium sensit Senensis illa Virgo Passidea, quando geminis Angelis stipantibus latus, & succollantibus, ad Beatissimæ Virginis templum ducta, ibi è Jesu manibus Eucharistiam accepit? O! his comitibus procede!

4. S. Isidoro Rustico sacrum in templo audiente, visi sunt duo Angeli in duobus bobus candidis arare. Arare visus etiam ab ipso Domino ipse Isidorus, cùm tamen illum in templo in sacro esse oculatis testibus certò constaret. Octo in templo sacra audiente Pascuale Vivas, teste *Osorio cap.* 4. interea Angelus in specie illius, & armis adeo strenuè pugnavit, ut plenam de Mauris victoriam reportârit, & Pascuali tanquam victore antesignano actæ sint gratiæ. Eadem de Ferdinando Antolino *Vasæus Chron. Hisp. Anno Christi* 941. Communicante B. Ritham Christo, Angeli pulcherrimè cecinêre, quem illa cantum in singulis deinceps communionibus audiebat. S. Meinradus sæpe inter Angelos visus est medius celebrare sacrificium Missæ.

5. B. Maximus *lib. de Eccl: mystagogia cap.* 25. de S. Dionysio Areopagita ita scribit: Existimabat beatus senex, nec adhortari cessabat, oportere omnem Christianum beatæ Ecclesiæ vacare, & nunquam abesse à sacra communione, propter sanctos Angelos, qui in ea permanent, & eos, qui ingrediuntur, semper describunt, & Deo aperiunt, & pro eis orationes faciunt. Vis ergo, ut te describat, ut nomen tuum in libro aureo, preces in thuribulo aureo deferat, & pro te orationes faciat Angelus tuus custos, cum beatissimis cœli spiritibus? nunquam abesto à sacro, nunquam à sacra communione.

6. Etiam ministrare sacro nos docent Angeli. *Apud Berlaimont Paradisi p. 2. cap. 6. §. 6.* Joanni Parmensi ad quotidianum sacrificium inservire solebat innocens Novitius. Novitio fortè obdormiente adfuit Novitij custos Angelus, in forma Novitij, & Joanni ministravit. Novi, inquit *Lancicius opusc. 13. num* 210. in Societate unum semper devotissimè celebrare solitum, cui sacrum dicenti visi sunt duo Angeli ministrâsse, instar Diaconi & Subdiaconi: & dum elevaret sacram hostiam (in qua tunc, & aliàs visus est Christus pulchri pueruli specie) manus ejus sustentâsse. S. Eudvaldo Archiepiscopo præmissis jejunijs, vigilijs, & sacro reliquo

quo apparatu sacrificanti cœli aperti sunt; descendunt ad eum SS. Angeli; adstant consolationis gratiâ; tremendis intersunt mysterijs. *Vita 7. Iulij.* Et Sancti Faustinus Sacerdos, & Jovita Diaconus, teste *Surio* 15. *Februarij* in carcere, cùm sanctissimam Eucharistiam præberent alijs, Angelos ministros habuêre. Anno 1612. Valentiæ in Hispania ad cœlos concessit Simon Presbyter, hic, ut est *in ejus vita Antverpiæ Anno* 1614. *typis edita*, cùm pro sancto more suo sacrum longiùs produceret, populus moræ pertæsus è templo dilapsus est: sed illi pulchro ordine Angeli musici successêre, circa Simonem pro aris sacrificantem fusi: neque priùs à Simonis latere discessêre, quàm ille finito sacro in nomine SSS. TRINITATIS cruce ductâ benedictionis formulam pronunciaret.

7. Age verò, ut quantâ maximâ potes, cordis attentione adsis divinis illis mysterijs. Felix, & beatis laureis coronandum caput, cujus attenta mens in Deum cum corde conspirat. Tres puellas dispare cordis devotione sacro adesse vidit *apud Holenum Augustinianum æstiv. serm.* 100. Sacerdos religiosus, & circa duas custodes Angelos, circa tertiam dæmonem aspexit. Interrogavit primam, quid sub sacrificio sacrosancto mente agitâsset; illa cruentam JESU patientis tragædiam, ac spineam potissimùm coronam se corde ac mente volvisse respondit. Et ego, inquit Sanctus, Angelum vidi, cœlo delabi cum serto è purpureis rosis contexto, eóque coronare caput tuum. Rogata altera, innocentis parvuli JESU infantiam se corde complexam considerâsse dixit. Cui Sanctus ille Videns: Et ego ab Angelo cœlitus demisso candidis rosis vidi cingi caput tuum. Tertia, se sacri pertæsam, ludos, & emendas nescio quas puellares reculas mente à divinis distractâ spontè agitâsse fassa est. Et ego, ait videns ille, dæmonem adverti reculis istis caput tuum ferientem, & juxta te inconditè saltantem. Eja per sacra singula Angelos coronarijs floribus cor ardens & mentem attentam coronaturos cogita. Modò cor ne distrahas, caput ne subtrahas, coronabunt.

8. S. Gertrudem *lib. 3. cap. 23.* videbatur Angelus Custos sub sacro in ulnas suas, quasi parvulam suscipere, & ad benedicendum Deo Patri præsentare, dicens: *Benedic, Domine Deus Pater, filiolam tuam.* Tum illam Deo filio, demum Spiritui sancto obtulit benedicendam, & à singulis in Trinitate Personis benedicta est. Id age in sacro & tu, ut te in Angeli tui sinu reponas, & SSS. TRINITATI per illum sisti petas ad benedictionem æternam. Nam, ut Origenes *hom. 9. in Levit.* habet, *perquirunt Angeli & curiosè agunt, quid in unoquoque nostrûm inveniant, quod offerant Deo.*

## HEBDOMADA V.

*In via purgativa, seu in plena cordis à peccato emundatione, Angelum Custodem ducem habe.*

1. Palla-

I.

PAlladius Ep. *in Vit. PP. lib. 8. p.* 565. quendam narrat, qui à fervore ad remissam vivendi rationem delapsus, panem divinitus sibi subministrari solitum in mensa non jam ita candidum ut olim, verùm sordidiorem semper inveniebat; & demum à tepore in cogitationes fædas prolapsus, ad mentem tandem redijt, dum alios ad virtutem exhortaretur; & in cinere, sacco, atque lachrymis pœnitens vocem Angeli audivit dicentis: *Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui est misertus. Deinceps autem vide, ne decipiaris.*

2. Et verè nec de propitiato peccato securum est esse sinè metu, nec afflictationes corporis sunt negligendæ, quasi ijs jam non admodum egeas; & tamen in illis animus non inflandus. Tu nosti Domine, inquiebat Pachomius *apud S. Hieron. Vit. PP. lib. 1. pag.* 101. quia ex quo suscepi hunc habitum Monachi, nimis humiliatus sum in conspectu tuo, nunquam satiatus sum pane & aquâ, vel qualibet creaturâ aliâ, quam feciſti. At è cœlo vox: Ne glorieris, Pachomi, cùm sis homo, & indigeas misericordiâ: quia cuncta, quæ condidi, meâ miseratione subsistunt. Tum prostratus Pachomius suspirabat: Omnipotens Deus! *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: & ne auferas misericordias tuas à me: quia misericordia tua & veritas semper susceperunt me.* Scio enim, Domine, quia nutant & claudicant universa sinè protectionis tuæ auxilio. Tum Angelos, & Jesum juvenem vidit in medio eorum, ineffabili pulchritudine atque claritate resplendentem, qui instar Solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et levantes à terra Pachomium Angeli, dicunt ei: Quoniam petisti à Domino misericordiam, ecce venit tibi à Domino misericordia tua, Deus gloriæ Jesvs Christus, filius Dei Patris unigenitus, qui missus est in hunc mundum, & pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam. Denique semper erit, quod repurges: egebis misericordiâ Dei ubique ac semper. Roga tuum Angelum, ut te elevet ad petendam & impetrandam misericordiam. bene luges nunc pro misericordia, ut postea misericordias Domini in æternum cantes. Flendo discitur ille cantus. At flendo in momento, ut cantes in æternitate. S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 34. *Ignis Angelus appellatur, quia purgandis animis nostris adhibetur.*

3. Alphonso Rodriquez Soc. Jesu Coadjutori peccata suâ amarissimè flenti adfuit cum Divis cœlitibus benignissimus Dominus, ut est *in ejus Vita.* Interroganti S. Francisco causam fletûs, respondit: Quomodo fieri posset, ut non fleret? Videre se clarè peccatorum suorum enormes abominationes. *Et has,* inquit, *non defleam, cùm vel unius venialis peccati fœda indignitas tanta sit, ut totius quantumvis longæ vitæ lachrymas, & ejulatus mereatur?* Tum à Beatissima Virgine, sancto Angelo custode, & D. Francisco in cœlum (nesciebat an in corpore, an extra corpus) sublatus, ante thronum Dei favore magno susceptus, luce ac radijs undequaque circùm vestitus adeo se ibi in illo beatitatis oceano amisit, ut nesciret,

ret, num hæc absente, num præsente in corpore anima gesta essent.

4. *Iudic.* 2. Appositis ad corda commovenda verbis exprobravit Angelus filijs Israël peccatum illorum, unde *elevaverunt vocem suam, & flevérunt, & vocatum est nomen loci illius, locus flentium, sive lachrymarum, immolavérúntque ibi hostias Domino.* Faceret utinam Deus, ut noster nobis Angelus ita peccata nostra ob oculos poneret, ut elevatâ ad Deum voce sinceriſſimo corde veniam imploraremus, & locus examinis nostri, locus meditationis, in quo annos nostros præteritos recogitamus, esset locus flentium, sive lachrymarum: adeóque ibi sacrificium Deo spiritum contribulatum immolaremus per manus sancti Angeli in sublimi altari Dei.

5. Juvabit etiam ad viam purgativam feliciùs decurrendam, in sacro confessionis formulam cum intimo attenti cordis sensu audire, vel etiam pronunciare. Hoc agenti P. Octavio Cajetano Soc. Jesu succeſſit plùs quàm è voto negotium. Ultimâ Octobris die votivum de SS. Angelis Deo sacrificium offerebat Octavius, pro bono cujusdam conatûs sui exitu, cùm à spectatæ sanctitatis anima visus est ad Octavium primam in sacri ingressu confessionis generalis formulam submissione reverentiſſimâ sanctè efferentem, frequens confluere chorus radiantium Angelorum. Ita in conspectu Angelorum, in medio coronæ illius Angelicæ confitebatur Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, B. Michaëli Archangelo, B. Joanni Baptistæ, SS. Apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis Octavius. Attendebant quid, & quo sensu, quâ compositione id ageret, Angeli; quóque plùs ultrà in confessione, ac demum etiam in sacrificio progrediebatur, eo plures Angeli alij ad alios accedebant. O quo demum cordis exultantis simul & contriti amore & dolore illam confessionem pronunciares, quàm non ex usurpato tantùm usu, sed ad repurgandam verè animam illâ utereris, si te in medio illorum cœli heroum aspiceres!

---

# HEBDOMADA VI.

## *In difficultatibus Angelum Custodem consule.*

1.

Sanctum Ambrosium ad concionem dicentem audiebant Arriani, & hos inter unus durior, de cujus conversione bene sperare audebat nemo. Perfracta est tamen pertinax illa glacies, quando ille Ambrosio loquenti adstare Angelum gloriæ singula in aures dictantem verba vidit, & Ambrosium loquenda ab Angelo per aures accipientem, ex ore Angeli loqui audivit. Tum enimverò nihil ultrà comperendinandum ratus, duram cervicem jugo Christi subjecit. *Paulinus in Vita.* En quod impossibile videbatur, per Angelum effectum est.

2. S. Joannes Chrysostomus in difficili novaculæ acie positus videbatur, quando missi erant à fera Eudocia Impera-

peratrice, qui nescio quem è templo eriperent. Aderant illi armatâ manu. Resistebat Joannes unus omnibus. at non unus erat. Viderunt enim Dei Angelum specie admirabilem, formâ terribilem, strictâ eos rhomphæâ ab ingressu templi fulmineis minis arcentem. Habes in Angelo tuo armatum semper in arena consilium contra difficultates omnes. Ille eas, quæ menti anxiæ oboriri solent, tenebras absterget luce sanctâ, & tibi diem reddet.

3. Agibodo, ut 19. *Augusti* refert *Severanus*, Angelus adfuit: & adeo clara illum in luce posuit, ut in Sole veluti throno lucis constitutus sibi videretur, tum illi Angelus: Noveris te hodie venturum ad nos; & hujus lucis fore habitatorem. Reversus igitur valedic Fratrum collegio, atque ita porro ad nos redibis. Colloca te in Sole, & quasi hodie ultimus tibi Sol sit ortus, ita in difficultate delibera. Ex illo lucis throno de hujus nodi solutione decerne. ita denique age, ut tuam in arduo hoc negotio superando industriam collaudet supremus dies.

4. P. Petrus Cotonus Soc: Jesu ab Angelo Custode creberrimè de ambiguis, in quibus ad illum se grandi fiduciâ convertebat, edocebatur: ejúsque ope atque consilio pericula declinabat. Nulla est difficultas, quæ te usque adeo impotentem consilij reddat, ut tuus te iste consiliarius explicare non possit.

5. *Rho Virt. l. 3. cap. 4.* ait, S. Ignatio Loyolæ non semel se beatum illū aligerum exercitum videndum præbuisse. Et sanè singulos per ordines venerari, atque in illis rerum bene agendarum spem maximam collocâsse accepimus, cùm ardua quoque pro Dei gloria apud mortales amplificanda aggrederetur.

6. Aude sperare corde in Dei sinum projecto feliciter. Audi canentes Alphonso Rodriquez Soc Jesu Coadjutori è cœlo Dei nomine Angelos in hæc verba: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* (In vita.)

7. Si difficultatem, in qua es, superare non est in tua potestate, reflecte te ad coronam S. Guilielmi, ut est in ejus vita. Hic in Dania sanctus Abbas 98. ætatis anno coronam auro ac gemmis pretiosam apparari ab Angelis videns, quærebat: *Cui illa?* Respondit Angelus: *Tibi.* Roganti verò Guilielmo, *Quando perficietur?* Angelus dixit: *Dum passus fuerus satis.*

8. An non in maxima difficultate fuit Abraham *Gen. 22.* quando jam extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum? At in ipso difficultatis apice, ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens: *Abraham, Abraham.* & prohibuit, ne Isaacum occideret: collaudatáque senis virtute, admiranda illi promisit, quantâ boni illius cordis dilatatione! Rogandus ergo est, & ille Abrahami; & ille Josephi Angelus, qui *Matth. 1.* Beatissimæ Virginis honorem apud Josephum anxium ita defendit, ut & Virgini supremam post Deum æstimationem apud illum effecerit, & illum admirabili gaudiorum quasi cataclysmo perfusum thesauris lætitiarum omnium cumulârit, dum dixit: *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Idem *Matth. 2.* Josephum, ut Jesum & Ma-

RIAM in Ægyptum duceret, iterúmque ut inde reduceret, in somnis admonuit. In quantis enim angustijs fuisset Joseph, si Herodianam parvulorum cædem vidisset!

9. Cùm itaque in difficultatem quampiam incideris, cogita illud tibi dici ab Angelo, quod Angelus S. Demetrium coronans dixit: *Pax tibi, Christi athleta; esto fortis.* Cogita id, quod juniori Theodosio difficillimis periculosi belli curis presso Angeli nunciârunt; se nimirum ad opem illi ac victoriam ferendam è cœlo missos. Et tunc Theodosius vicit, & aliàs Theodosianos per invias paludes cœlestis dux Angelus duxit securos. *Vide Raderum aula cap.* 12. Sic te Angeli per omnes difficultatum abyssos victorem ducent.

10. In summis undique difficultatibus erat Italia, cùm *apud Bollandum 27. Ian. n.* 4. B. Marius Abbas vidit sanctos Angelos cum Beatissima Virgine prostratos, coram offensa à mortalibus majestate irati Dei, & pro pace Italiæ supplicantes.

# HEBDOMADA VII.

## *Quinque sensus nostri sancto Angelo Custodi dandi in tutelam, ut illos custodiat.*

1.

IN *sent. Patrum, num.* 3. S. Macarius dæmones vidit alios super os orantis fratris sedentes, alios verò oculis incubantes. aderat illi Custos Angelus, & ignem spirante gladio ab illo dæmones avertebat. Neque sinè fundamento S. Hilarius de Angelis loquens, illos Dei oculos, manus, pedes, vocari posse asserit. Hi oculi nostros oculos, hæ manus & pedes, manus nostras pedésque custodiunt, & sicut sancti illius ad aquam euntis Eremitæ, passus numerant omnes, ut sua singulis merces in cœlo respondeat. Quinque sensus sunt quasi quinque propugnacula corporis. *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes.* (Isai. 62.) Hi custodes hos muros, hæc propugnacula, hanc denique civitatem custodiunt. Unde S. Bern. *in Psal.* Qui habitat, *serm.* 12. *Beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium salutis, custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pædagogos.*

2. Quoties cœlesti spectaculo pavêre oculos Angeli! ut in S. Cæcilia, Franciscâ, aliísque perspicuum est. Tobiæ certè oculorum lumen Angelus reddidit, *Tob.* 11. Quoties cœlesti harmoniâ recreavêre aures, ut in S. Francisco, qui cœlestem audivit fidicinem, patet; & in S. Nicolao Tolentinate totis ante mortem sex mensibus ad cœlum cœlesti Angelorum symphoniâ invitato. Gustum recreavêre Angeli, quando Christo post jejunium ministrabant, & sanctos Martyres aliósque cœlesti nectare reficiebant. Notus est S. Onuphrius, cui per ipsos 60. annos panem & aquam quotidie, Eucharistiam diebus Dominicis Angelus ministravit; morienti adfuit, animam cum socijs Angelis deduxit in cœlum. Odore verò nares è paradiso recreârunt sæpissimè.

mè. Tactum denique, quando sanabant Martyrum vulnera, & quando ad socios Danielis descendit Angelus Domini, & excussit flammam ignis de fornace; & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, sic ut eos ignis omnino non tangeret, nec contristaret, nec quidquam molestiæ inferret. Angelus noster est, Azarias, id est, *Auxilium Domini*, quod auxilium, quia omnibus ac singulis tuis sensibus perneccessarium est, omnes & singulos Angelo tuo tuendos assigna.

3. Custodi ergo sensus sub Angelica custodia. Nam his non custoditis, nullâ custodiâ custodies cor. Aperi sensus tuos cœlo; & scies terris claudere. S. Hieronymus *Vit. PP. lib.* 1. *pag.* 87. S. Onuphrium ita loquentem refert: Hi Sancti, qui hanc solitudinem habitant, si fortasse aliquando videre hominem desiderant, illico in cœlum ab Angelo deportantur: visionem illic animæ justorum fulgentium sicut Sol in regno Patris eorum, ibi multitudinem contemplantur Angelorum, susque animas cætibus mixtas Beatorum.

4. Et oculos ergo, & sensus omnes à periculosis, & in æternam turpitudinem degeneraturis mundi pulchritudinibus Angelicâ modestiâ collige. Serva te illis (quorum tenuissimi tantùm quasi radij sunt hæ) pulchritudinibus cœlitum & Dei! Certè de Angelorum pulchritudine ex æterno illo pulchritudinum omnium fonte hausta pulchrum est id, quod *Nieremb. lib.* 4. *de ador. cap.* 14. perhibet. Ait enim, quòd cum devotissimo è Soc. Jesu Patri Joanni Fernandio spectabilis adfuisset Angelus Dei, intuitus Angelum Joannes defecerit præ lætitia, neque se capere potuerit, pretiosissimâ pulchritudinis nunquam satis æstimatæ extasi deliquium cordis passus. Unde affirmabat magnus hic Videns, quòd quæcunque pulchra in mundo essent, hujus comparatione deformia & tetra futurâ sint, si omnia cum una pulcherrimarum delectationum plenissima speciosi Angeli pulchritudine conferantur. Quid ergo in his, quorum pulchritudo mendacium est, obtundis oculos? obtusi certè, & ab his pulchritudinibus lippientes oculi dejcientur in carcerem cæcorum, in tenebras exteriores ad spectandam æternùm turpissimorum dæmonum intolerabilem fæditatem.

5. Huc pertinere potest amabile illud antiquæ simplicitatis paradigma *mirac.* 79. *à Ioanne Herolto* relatum. Juveni simplici & Deiparæ studiosissimo adfuit missus à Deipara Angelus, & dixit, illam quidem toties repetitis illius precibus annuere velle, & se illi spectabilem adfuturam, ita ut petebat; verùm indignum esse ijsdem oculis, quibus Dei Matrem vidisset, videre etiam ista hæc infima, & indigna videri oculis talibus. Quare aut cæcus esse post visam Deiparam eligeret, aut illam non videre. Cæcitatem elegit ardens juvenis, & se ad destinatam ab Angelo horam pro beato illo spectaculo composuit. Interea tamen deliberavit altero tantùm oculo spectare Virginem, alterum verò claudere; ne utroque cæcus esset, fieretque mendicus. Adfuit Virgo, & clientem suum plenâ deliciarum majestate adeo recreavit, ut illâ abeunte se felici illo oculo, quo il-

lam viderat, captum licet viderit piùs cliens, vehementer tamen doluerit, se alterius etiam oculi dispendio visionem adeo nobilem non emisse, quo illam mille etiam oculis videri dignam videre potuisset plenius. Ergo iterum piè impudens, videre visam semel petijt, oculum alterum cæcitate damnandum obtulit, impetravit, vidit; sed videndo, alterius etiam, quod amiserat oculi lumen recepit. Hi sunt ludi maternæ benignitatis! Quoties te Angelus tuus monet, ut oculos ab imis his, quæ te æternâ cæcitate condemnabunt, avertas! Quoties te rogat, ut ijs oculis, quibus JESUM sub velo Eucharistico vides, & quibus in cœlo JESUM, MARIAM, & pulcherrima Beatorum gloriosorũ corpora visurus es, ne abutaris ad ea videnda hìc, quæ videri sinè aliquo periculo non possunt! Claude hìc utrumque oculum: aperi utrumque cœlo, ne tibi æternis tenebris utrumque claudat infernus.

6. Denique quanto morientibus solatio sit sancta oculorum (idem est de sensibus alijs sentiendum) custodia, docet Neapolitanus ille Soc. JESU tyro moriens, qui, ut ipse qui Novitijs tunc præerat, Magister, & alij tunc præsentes retulêre, jucundo aspectu amabilem lætitiam præferens, præsentes illic Novitios intuebatur, & dicebat: Iste Novitius similis est illi Angelo; hic illius refert effigiem; iste hujus; ille istius. Monitus, ut de solidis doloris & amoris actibus potiùs cogitaret, annuit. dixit tamen pro ultimo: se ob oculos à jucundo maris vicini aspectu custoditos hoc habere præmij, ut moriens Angelorum recreetur aspectu. Ita oculos in mortem clausit, ut & nos nostros modestè claudamus.

# HEBDOMADA VIII.

## *In tentatione ad Angelum Custodem recurre.*

1.

EXplicat id appositè in *Proverb. cap.* 25. D. Hieron. in hæc verba: *Angeli quotidie de terra longinqua, hoc est, à superna patria descendentes in mundum, justos vel inter tentationes spe cœlestium roborant, vel finitu tentationum certaminibus, ad palmam perpetuæ retributionis inducunt.* Hoc agit circa te quotidie tuus Custos, ab ipsa tui tutelæ sortitus nomen. Tuetur te contra aucupem dæmonem. Nam, ut Tertullianus *lib. de anima: Cui hominum non adhærebit spiritus nequam ab ipsa etiam januæ nativitatis animam aucupabundus?*

2. Ille est, cui de te mandavit Deus, ut in manibus portet te, ne fortè offendas ad lapidem. Eleganter id in vitis PP. *lib. 5. pag* 484. declaravit Abbati Moysi tentato, Abbas Isidorus, quando illi ostendit ad occasum multitudinem dæmonum confusorum, & turbas cientium ad oppugnandum; ad orientem verò innumerabilem multitudinem Angelorum in gloria. Ecce, inquiebat, isti sunt, qui missi sunt ad auxiliandum; qui verò ad occasum ascendunt, hi sunt, qui impugnant nos. plures ergo, qui nobiscum sunt, quàm qui adversùm

versùm nos. Pro te est Angelus tuus cum tota cœli militia, quæ te triumphantem comitabitur ad locum triumphorum.

3. *In Martyrol. Francisc.* 15. *Junij.* B. Joannæ humillimæ, orationum ardore, & relatis de tentatore victorijs gloriosæ Virginis felicem ad Dominum transitum multitudo Angelorum dulcissimo concentu celebravit hymno: *Pange lingua gloriosi, &c.* Et 17. *Junij* in B. Mentiæ Abbatissæ transitu auditi sunt Angeli cantu admirabili hunc versiculum sæpiùs repetentes: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.* Verè exultabit gaudio & lætitiâ auditus, & omnes tui sensus, & ipsa etiam tot afflictionibus humiliata tua ossa exultabunt, quando eorum ossa, qui hìc se à tentationibus raptari per avia & devia vitiorum sinebant, dispergentur secus infernum: imò in ipso inferno.

4. De Angelo, qui S. Lidvinæ rogatu se viduæ cuidam ostendit, eámque aspiciens, Dei amore inflammavit totam, habet *Vita S. Lidvinæ* 14. *April.* O si nos oculo supplici Angelum tunc maximè dum tentamur pro nobis solicitum aspiciamus, certè & ille nos respiciet, & cœlestissimis solatijs animatos faciet de hoste triumphatores.

5. S. Franciscæ, ut est *Vitæ l.* 2. *c.* 14. primis diebus si in re familiari levi aliquâ tentatione tangeretur impatientiæ, Archangelus sese abscondebat: neque priùs redibat, quàm illa errorem agnitum amarissimè defleret. Roborabat illam contra dæmones, quos ut viperas, serpentes, leones, monstra horrida videbat, & etiam percutiebatur. Sed vultum Archangeli videbat solitò clariorem, summo spiritûs sui solatio; & ab illius aspectu fortior, dæmones ut pergerent, porro audere aliquid, si quid possent, irritabat, lacessebat ad pugnam. Tum illi, cùm in spiritum nihil possent, saltem volebant in corpus aliquid, ut in Job; verùm Archangelus excussâ cœlesti cæsarie aureo quodam fulgore toto capite scintillabat, vultúque toto ardebat. Ita illi fugabantur. Quando verò ictus illi Franciscæ intentabant, ille se inter illos & Franciscam ponebat medium, & ictus omnes super illam instar grandinis casuros fortissimo brachio gloriosè avertebat. Advertis hinc, quid possint, & velint Angeli pro tentatis contra Angelos tentatores.

6. S. Ælredus (*Vita* 12. *Jan. cap.* 3) in excelso quopiam ædificio, ubi ipsa domùs ligna odore suavissimo fragrantia redolebant, & lucem faciebat unicus Solis radius per portam infusus; ostensus est fratri cuidam ab Angelo, quasi jacens in lectulo. Imago verò animæ illius visa instar hominis collucentissimi, sed cum nubecula parvula. Tum Fratri Angelus: *Non est meritus Pater tuus. Figura hæc, quam vides, anima illius est. Tantum autem in operibus ejus restat illuminandum, sicut illa nubecula.* Dum tibi tenebras offundere vult ille tenebrio, qui habitat tenebras exteriores, pete tu unicum Solis æterni radium affulgere conclavi cordis tui. Aliquid adhuc fortè nubeculæ in te est, quod hac illius tentationis victoria debet abstergi. *Beatus Vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam Vitæ.* Jacobi 1. Raphaël Angelus *Tobiæ* 12.

*Quia*

*Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

7. Ita Theodosium Abbatem tentatio probavit, quando ab Angelo in arenam jussus descendere, in theatro grandi, pugnans, adjutus, & coronatus est. *S. Bern. serm.* 12. in Psal. 90 *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione.* 2. Mach. 15. considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cœlum, prodigia facientem Dominum invocavit, &c. hoc modo: *Tu, Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: & nunc dominator cœlorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachij tui.* Major tibi imminet hostis, quàm Machabæo: quare majore animi contentione auxiliarem ab illo Angelum pete contra hostes, quos nisi viceris, eris infelicis ignis præda æternùm infelix.

8. *Serve Dei*, inquiebat S. Jacobo Alemanno Angelus (in ejus vita 11. *Octobris*) *esto fidelis usque ad mortem. Ingentia sunt, quæ tibi pro parvo labore atque certamine præmia proponuntur.*

9. Sub tentationis, aut mali cujuscunque ingruentis tempus ut nos cruce signemus, docet nos ille apud Abdiam Episcopum Angelus, referente Jacobo Bosio, *Crucis lib. 6. cap. 3.* qui Solis instar in templo resplenduit, & per quatuor angulos templi circumvolans, digito saxis crucis signum impressit, ac omnes monuit, fugatum esse diabolum. Præterea, inquit, me jussit „ Dominus, ut priùs ostendam vobis, ut „ quale signum ego scalpsi in his saxis, „ tale vos faciatis in frontibus, & omnia „ mala fugient à vobis. „

10. Claudat dicta D. Ambrosius *lib. de Viduis: Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.* Hinc illa repeti certè digna contra tentationes quotidie, aut saltem tertiâ quavis feriâ, quæ est Angelorum, B. Aloysij Soc: Jesu ad S. Michaelem Archangelum latina oratio, *apud Ceparium Vita, lib. 3. cap. 14.* O invicte Princeps, „ & Custos fidelissime Ecclesiæ Dei, animarúmque fidelium, qui semper tantâ „ charitate zelóque tot pugnis interfuisti, „ tantásque ex hoste victorias retulisti! „ Veni, quæso, in auxilium animæ meæ, „ quæ continenter cum tanto periculo à „ suis inimicis carne, mundo, & dæmone impugnatur; & sicut dux fuisti populo Israël per desertum: sic quoque „ velis esse dux fidelis & comes meus per „ desertum hujus mundi, donec securè „ me perduxeris ad felicem terram viventium, ad beatam illam patriam, à qua „ omnes exulamus, Amen. Aderat in „ agone tentati cujusdam religiosorum corona, quos inter etiam is, qui hæc *tract. 3. industriarum pag.* 434. scribit *Retupitus.* Aversabatur porrectum sibi Crucifixum, & magnâ omnium consternatione, loco sacratissimorum Jesu & Mariæ, quæ pronunciare jubebatur, nominum, diabolum nominavit. Sed animadversum est, dæmone nominato, illum significare velle, se à dæmone impediri. Ergo omnes abjecti in genua,

(ô quan-

(ô quantum interest, qui adsint agonizantibus!) singuli & omnes cordis intimè dolentis affectu, *Sancte Michaël ora pro eo! sancte Michaël ora pro eo!* bis ingeminant, & fugato dæmone, sudo ac aperto cœlo frui cœpit æger facie serenatâ respirans, atque in dulci Crucifixi amplexu JESUM & MARIAM compellans, animam egit.

## HEBDOMADA IX.

*Angelum Custodem frequenter, ut tibi in agone cum æternitate luctanti diligentissimus adsit, invoca.*

1.

CONstantino ad opem ferendam venientes Angelos dum describit Nazarius *Paneg. ad Theodos.* describit Angelos ad te in agone protegendum properantes: Flagrabant, inquit Nazarius, nescio qui umbone coruscì, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio: *Constantino imus auxilio.* Ita tui de te morientes Angeli: *Ioanni, Stephano, &c. morienti imus auxilio.* Vilnensis Soc. JESU Collegij Annuæ *Anno* 1601. centurionis meminêre, qui exactis totis viginti in hæresi annis, morti proximus, cuidam è Societate JESU sibi adstanti narravit, se Angelum Custodem, quibusdam Sanctis splendidis, & mirâ fulgentibus claritate vidisse. *Hi me,* inquiens, *solabantur divinam denuncientes clementiam.* Tum illis quamdiu supersesse adhuc vellet rogantibus, ajebat, se nil respondisse, verùm vehementi admiratione defixum hæsisse, illos verò subjunxisse: *Multa te bona monent, modò vitam præteritam detestere.* Ita illi haud ægrè à Patre persvasa confessio, & sanctum morientium viaticum est, quo accepto se in viam æternitatis dedit.

2. Pachomius, grande illud sanctitatis nomen (*in Vit. PP. lib. 1. p. 105.*) *Angelum lucis aspectu intuens hilari,* teste S. Hier. *sanctam reddidit animam.* O felices, quibus in ipso Angeli lucis aspectu oculos licet ultimò claudere! *Apud Ciannum part. 26. pag. 172.* S. Columba Scota moriens vidit, se à suo tutelari Angelo benedici. Hanc tu pro hora ultima quotidie pete benedictionem.

3. *Apud Cresollium Anthol. dec. 2. c. 4. sect. 5.* nobilissimus & laudatissimus in Gallia Cardinalis superiori seculo gemmam habuit clarissimã, quam propter mirificã lucem, granditatem, pulchritudinem, centum fere millibus aureorum æstimabant. Dedit illam asservandam homini fido è delectis familiæ suæ, qui neque arcæ fidebat ulli, aut conclavium seris, aut pyxidulis peregrinâ machinatione occlusis. Itaque semper gemmam illam circumferebat de die; de nocte prope cor sub axilla tenebat. Homo cimelium creaturarum, gemma mundi, thesaurus thesaurorum Dei. Hanc suo sanguine emptam gemmam Angelo usque ad mortem custodiendam dedit Deus; si perire non vis, ille te custodiet. Si omnes orbis gemmæ

in

in gemmam unam confientur, imò omnes thesauri in thesaurum unum, & appretiativo, ut loquimur, & intensivo amore plùs hominem unum æstimat, & amat Deus. *Heb.* 11. justorum meminit Paulus, *quibus*, inquit, *dignus non erat mundus*. *Est anima*, inquit *lib.* 5. *de legibus* divinus Plato, *omnium, quæ penes hominem sunt, divinissimum*. Matt. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Pretiosi sumus omnes; *empti enim estis pretio magno*, 1. *Cor.* 6. Hunc thesaurum dedit asservandum Angelo, & delectis familiæ suæ cœlestis, Deus. Huic nos & die toto, & nocte totâ adeo cordi sumus, ut plùs quàm Argus nos custodiat, & ne latum quidem unguem à nobis unquam discedat.

4. S. Caprasius S. Fidei Virgini super cratem ferream tostæ, & animam agenti Angelum adesse, & cœlesti mundo illam vestire, ac ornare vidit. Adfuit & columbula Fidem coronâ admirabili coronans, & circa jacentem volitans, & rore cœlesti totam adeo conspergens, ut prunas ipsas in balnei cœlestis delicias verteret. Hoc circa mortualem tuum lectulum aget bene à te cultus Angelus tuus Custos.

5. Plutarchus in fluminibus Vaurani cujusdam lapidis meminit thesaurorum custodis. Argento simillimus est, *arurophylax* dicitur. Opulentissimi quique illum ante suorum limina thesaurorum ponere consvevêre, atque ita æ auro, de thesauris sub hujus custodia arurophylacis securi sunt. Cùm enim fures thesauros accedere volunt, generoso quodam veluti tubæ clangore resonat custos arurophylax, & illos agit in fugam præcipites. An non arurophylax iste, argentea quædam tibi videtur imago tui Angeli tutelaris? Non audet stygius prædo ad diripiendos Dei thesauros accedere: aut si id facit, tubæ instar exaltat Angelus vocem suam.

6. Scit Angelus, quanto Christus pretio animam emerit, scit quid sit beatissima, pro qua & cui nos custodit, æternitas: scit quid sint æterna tormenta, à quibus nobis cavet. Quare nullam unquam circa nostri custodiam negligentiam commisit, nulli pepercit industriæ: modò ne & nos parcamus. Certè qui pereunt, suâ, non Angeli sui negligentiâ pereunt. *Magna est dignitas animarum*, inquit cum S. Hier. S. Thomas 1. *p. q.* 113. *art.* 2. *ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.*

7. Celeberrimum, & longo ac frequenti usu confirmatissimum est Angelorum erga morientes mortuósque obsequium. *In Vitis PP. lib.* 1. S. Antonius mortem lætus aspexit. *Angelos intuens, tanquam amicos videret, animam exhalavit*, inquit S. Hieronymus. Ipse autem Antonius Ammonis animam vidit ab Angelis deferri ad gloriam. Pachomius verò ibid. *lib.* 1. *p.* 99. benedictionem daturus moribundo fratri, ad quem ibat, audivit suavissimam vocem in aëre personantem: suspiciénsque vidit ipsius fratris animam ab Angelis Domini laudantibus ad beatam vitam perennem sustolli. Et *lib.* 8. *p.* 574. Paphnutius vidit Protocomitis cujusdam animam assumi ab Angelis, Deum laudantibus, & dicentibus:

Bea-

*Beatum, quem elegisti, & assumpsisti: habitabit in atriis tuis.* S. Maglorium Angelus tertiò commonefecit mortis, & ipse illi viaticum dedit. (*Surius*) S. Georgiæ Virginis funus Angeli in columbarum specie sunt prosecuti (15. *Febr. in Vita*) Circa S. Frodoberti tumulum Angeli sæpe visi celebrare natalem illius, imò & columba candoris lactei de cœlis visa est descendisse (*Vita ult. Decemb.*)

8. Amant Angeli sua morientibus officia exhibere; sicut mali genij amant illis esse molesti. *Exord. Ord. Cistere.* ait, moriente quodam adolescente sancto, Angelos visos oratorium rosis, liliis, violis, & florum varietate omni conspergere, cùm dicerent, brevi festum novi Sancti fore Angelis jucundissimum. S. Richardo Angelus Custos dixit, qui ex illo cœnobio essent morituri: dæmonis verò aspectum illis pro purgatorio fore in agone.

9. Guilielmus Elfinstonius Soc: Jesu Novitius, *apud Platum de bono status relig. lib. 1. cap. 31.* extremo fermè spiritu: *O gloriosam*, inquit, *mortem, tot Angelorum agminibus stipatam!* Et: *non videtis, non videtis Angelos?* Simúlque Angelum suum custodem compellans, aliquamdiu cum eo locutus est; à quo sibi denunciatum narravit, se per Purgatorij quidem loca transiturum, sed celerrimè evolaturum. Tum suavissimâ exultatione gestiens, dulci morte sopitus est. Idem propè *Anno* 1583. expertus est sub mortem Nugalarensis ille Soc. Jesu tyro, qui visis coràm præsentibus Angelis, ad perpetuam Angelorum societatem felici morte migravit. Expertus S. Ceadda Episcopus, cui septem ante mortem diebus gratulati Angeli, super felicissima bonæ mortis beatitate cum illo horæ unius spatio sunt collocuti. *Vide Ribad. 28. Ian. Barry pad. pag. 12.* ubi etiam *cap. 2. pag 67.* S. Rosaliæ Virgini morienti, & ab Angelis ad Sponsi nuptias invitatæ auream coronam Angeli imposuére.

10. Experiuntur tales, atque utinam & tu ac ego experiamur, mi lector, id quod S. Anselmus ait *in Elucidario*: *Cùm justus in extremis agit, Angelus Custos cum multitudine Angelorum venit, & animam Sponsam Christi de carcere corporis tollit, & cum maximo dulcissimæ melodiæ cantu & immenso lumine ac suavissimo odore ad cœleste perducit palatium.* Ita moriens S. Bathildis vidit scalas è Beatissimæ Virginis altari ad cœlum porrectas, & Angelos ascendentes; è cœlo autem inter Angelorum cohortes visus est obvius venire, exeunti è corpore Bathildis animæ S. Genesius Episcopus. (*Arnoldus Ligni Vitæ lib. 4. Anno 670.*) Anno autem 920. *Vasæo* authore, in obitu Sisnandi Episcopi Compostellani auditæ sunt voces canentium Angelorum: *Veni electe Dei; intra in gaudium Domini tui.*

11. Ecce Angelorum aspectu fruor, » qui ut me in cœlum perducant, adsunt: » Ecce Archangeli, ecce Throni, ecce Dominationes, &c. inquiebat *Anno* 1561. » moriens Sebastianus juvenis, à quo desperante S. Philippus Nerius dæmones fugaverat. S. Stephano Grandmontio moriente Religiosi S. Augustini Lemovicenses lætos Angelos ita colloquentes audiebant: *Eamus, eamus, ut animam Stephani servi Dei excipiamus.*

Barry *pædag.* 11. Apud P. Cordubam *de moribund. p.* 2. *c.* 1. §. 4. ex Petro Venerabili *miracul. cap.* 19. ægri morituri visi sunt signo Crucis ab Angelo benedici.

12. S. Pantaleon Diaconus *in dedic. S. Mich.* Cùm ex hac vita migramus, inquit, nobis Angeli assistunt; animas nostras comitantur, si ad Purgatorium tendant, eásque sæpe visitant, & consolantur. Deus emittit Angelum suum, & illum facit nostrum, qui præcedat nos, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavit nobis ab æterno in beatitate.

# HEBDOMADA X.

*Etiam in indifferentibus, quas vocamus, occupationibus, cum Angelo tuo defige oculos in Deum, & omnia illius gloriæ offer.*

1.

TAmetsi nobiscum sit Angelus noster custos, tamen semper videt *faciem Patris, qui in cælis est.* Visus est, ut *Surius* 29. *Decemb.* refert, juvenis longus & longè pulcherrimus candore quodam splendido collucens aureâ præcinctus zonâ; qui semper penes senem S. Marcellum ambulans, pium senem succollantibus manibus sustentabat. Ecce etiam ambulantem & sustentat, non tantùm orantis verba adnumerat, Angelus tutelaris tuus. Ludovicus Freredoux Burgundus Angelo Custodi devotissimus, excessit è vita Anno 1620. illi de universa Philosophia in examine respondenti, Angelus Custos in aurem quid, quóve loco respondendum esset, suggessit. id quod ipse Patri spiritualium rerum præfecto fassus est, dum inexpectata illius responsa omnes obstupescerent. Adest ergo & studenti, disputanti, &c. Tu præsentis operâ, ut semper & bene utaris, attende.

2. *Tornacensibus Soc. IESU annuis Anno* 1602. notus quidam pertæsus ejus, quam cum dæmone contraxerat, familiaritatis, ut primum amicitiæ remisit nuncium, etiam eximiam artis suæ, quam ab illo hauserat, peritiam amisit. Turbatus ergo artis jacturâ, Confessarij jussu tutelaris Angeli industriæ ac pietati se commisit totum, ab ipso etiam ad impetrandam Angeli opem orando adjutus. Quartâ Octobris die frustra ineptas manus operi admoventem, ac mirantem salutavit ingressus officinam, seu domum, venustus aspectu, veste elegans, & artis illius instrumentis probè instructus Angelus Custos, juvenis hospitis specie; & roganti, unde adesset, ignaróq; rerum artifici, confessarij nomine pronunciato, se ab illo, utpote Confessario, missum affirmat ad ferendam laboranti opem. Explicat coram cliente artis ignaro artis illius materiam, quam artifex malè jam tractârat, & concinnè ad omnes artis numeros compositam ita ostendit, ita praxes illi dextrè atque ad percipiendum aptè per elegantissima industriæ ac selectæ artis compendia demonstrat, & si-

& simul tradit leges, easdémque simul exequitur, suavissiméque in caput ac manus audientis clientis instillat, ut sub cœlesti illo Magistro facilè plùs quàm hactenus omnia sit assecutus. Lætus eo successu artifex totus in eo erat, ut pulcherrimum ac docendi peritissimum Magistrum suum aliquo munere honoraret. At elegantissimæ indolis Magister docilem discipulum clientem ad gratias Deo agendas hortatus, videri desijt, tum primùm agnitus, quis fuisset, relictâ in clientis artificis corde intimo intimâ voluptate quando artifex re cum Patre collatâ didicit, Confessariũ rem illam cum nemine contulisse, nisi cum Angelo tutelari. Ecce utilem ad omnia erga Custodem Angelum pietatem, etiam in extremis his, &, ut vocant, adiaphoris tractandis idoneam suis clientibus.

3. Franciscum Abbatem familiaria cum Angelis miscere colloquia consveviſſe, & quidem etiam dum pinseret, Angelum ad latus habuisse accepimus, & affirmat *Rho Virt. lib. 3. cap. 4.*

4. Hoc tamen id genus occupationes habent sanctum, ut per oculos cordis in cœlum usque ad Dei gloriam sanctè porrectos, sanctæ fiant & ipsæ. Audi, quàm exosam dæmoni rem facias, si in ijs, quæ agis, non tua commoda, sed puram Dei gloriam quæras. Laudunenses religiosæ (id quod non ita pridem contigisse habeo è Barrio *de 1. solitudinis*) à malis genijs miserabiliter possessæ ac vexatæ, cùm inter ea, quæ ijs expellendis ritè adhibebantur, fortè etiam singularis quædam S. Dominici imago proponeretur, obsessæ omnes obversis imagini tergis adduci nonnisi difficillimè poterant, ut in illam aspectus defigerent: & quidem in imaginis oculos obtutum figere compulsa est illa, quæ præ alijs reluctabatur magis. Extortum tandem etiam responsum à dæmonibus, quid esset, quòd adeo se in aspicienda picta illa imagine difficiles exhibuissent? Respondebant ferè sic: *Ha! Sancto isti inter homines adhuc mortali semper in Deo defixi fuêre oculi, idque in omnibus, quæ agebat. Nos verò, nos ipsos aspeximus; & quia aspeximus, perijmus, & in hanc conditionem miserrimam delapsa sumus.* Et profectò valde periculosè energumena est, quantumvis religiosa sibi videatur, illa mens, quæ se quærit re ipsâ potiùs, quàm Deum in ijs quæ agit: blanditúrque sibi, quasi de bene quæsita Dei gloria, ubi suos reperit pulvillos, & cervicalia, quæ duræ suæ cervici, & mollibus cubitis supponat.

5. Optimum est, etiam in extremis his occupationibus à Deo non exire. *Iudic. 6.* Cùm Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, apparuit ei Angelus Domini & ait: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Ecce quantumvis in externis his occuperis, non tamen dedignabitur te suâ præsentiâ & salutatione Angelus tuus, si illis devotè incumbas. Fuerunt etiam Angeli, qui piam operam etiam in his laboribus manuum collocavêre. Taceo illum Angelum, qui Eremitam docuit sinè tædio vivere ipso exemplo, dum nunc manibus laboraret, paulò pòst oraret, iterúmque se labori, ac post hunc iterum orationi accingeret. *Iacob. Bessius lib. 6. de Cruce. cap. 12.* refert, Angelos duos Alphonso Regi castissimo

crucem auream & gemmatam incomparabili ac cœlesti planè arte feciſſe, eámque tanto ſplendore fulgentem, lucidósque adeo radios jaculantem, ut eam fixis oculis intueri nequirent. O cœleſtes aurifices! Utinam his ſimiles ſimus imitatione felici, dum nos externa hæc diſtinent. Vident illi, quid agamus, & audiunt ſuſpiria occupationibus noſtris, quaſi pro intercalari ornamento intermicantia. S. Baſilius *in Pſal.* 33. *Sanctæ ſpirituales Virtutes*, inquit, *aliquæ oculis dicuntur, quòd curam ſuſceperint nos inviſendi; nonnullæ aures, ut quæ noſtras excipiunt preces.*

# HEBDOMADA XI.

## *Jejunio diſplices dæmoni, Angelis places.*

1.

SAnctus Franciſcus, Seraphicus homo ſeu Angelus, honori SS. Angelorum 40. dies jejunio & orationi dabat à feſto Beatiſſimæ MARIÆ Virginis Aſſumptæ. (*S. Bonavent.*)

2. Neutri comedunt (nec Angeli, ſcilicet, nec diaboli) attamen virtus noſtra Angelos ſatiat; vitia verò dæmones. *Jejunium*, inquit *Ioan. Chryſ. ſerm.* 1. de jejun. *Angelorum imitatio eſt pro noſtra viribus, ſchola precum, alimonia animæ.* Petrus autem Chryſologus *ſerm.* 12. *Jejunantibus nobis diabolus eſurit, qui noſtru ſemper ſaturatur è culpis; ille cibum noſtrum deducit in crapulam.* Sanctè itaque jejunio coluntur Angeli boni, cruciantur mali. Apud Tobiam Angelus eſt encomiaſtes jejunij. Diſce ergo ab aureis his viris, te jejunio tuo Angelos habere convivas, crapulâ verò dæmonibus opiparum apparare convivium.

3. O quàm eſuriunt Angeli! O quàm lautè convivantur dæmones! Audi Ambroſium *de Elia & jejun. c.* 3. *quid eſt jejunium, niſi vitæ imago cœleſtis? Jejunium vita eſt Angelorum: jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis.* Cane pejus & angue odit hanc radicem, hoc fundamentum, hanc vitæ cœleſtis imaginem dæmon. Credo ego, non ſecus atque Chriſto *Matth.* 4. victori poſt jejunium Angeli miniſtrabant, ſepeliendis in inferno epulonibus dæmones inter epulas miniſtrare. Poſt jejunium nimirum vicit, & *reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Gulonibus autem miniſtrant diaboli. Eleganter ac verè Ambroſius ſerm. 25. *Temulentum aggreditur diabolus. Ubi autem jejunium viderit, fugit, metuit, pertimeſcit, terretur pallore ejus, debilitatur inediâ, infirmitate proſternitur.*

4. Anima cum Angelis, corpus cum dæmone videtur colludere. *S. Ioannes Chryſoſt.* ſerm. 1. de jejunio. *dolet in jejunijs caro, ſed epulatur anima.* Adverte jejunium noſtrum eſſe famem carnis, & dæmonis; & eſſe epulas animæ & Angelorum. Ita dæmon animam venatur per carnem, ut & animam ad famem æternam & carnem perdat: Ita Angelus carnē venatur per animam, ut animam & carnem ad æternas beatæ ſaturita-

turitatis epulas lucretur. Elige, cujus esse malis.

5. Joannes vir sanctus apud Pallad. Ep. *Vit. PP. lib.* 8. *pag.* 565. decem totis annis nil terreni cibi aut potûs delibavit, sed ei Angelus tertio quoque die cœlestem cibum afferebat, & ei in os ponebat; ísque ei erat instar cibi & potûs. Ita & Christo jejunanti & ejus sequacibus Angeli ministrabant.

6. Sancto Mutio Dominicis diebus mensam instruebat Angelus, reliquis diebus jejuno semper. (*Vita* 25. *Maij*) *Imò*, ut ait *S. Basilius* orat. 2. de jejun. *Custodes vitæ nostræ Angeli libentius perseverant apud eos, qui animam purgatam habent per jejunium.* Chrys. hom. 1. in Gen. *jejunium leves pennas animæ producit, ut in sublime feratur.* Vis denique, ut cœlestes in te virtutes jejunæ non sint? jejuna, & illis epulas instruxisti. *S. Leo* serm. 2. de jejun. 10. mensis. *semper virtuti cibus jejunium fuit.*

7. Sanctus certè Franciscus, cùm quadragenarium ad honorem Archangeli Michaëlis jejunium inchoâsset, Seraphinum Crucifixum quinque vulnerum, veluti quinque pretiosorum vitæ characterum Typographum vidit, & divina illa passus est, quæ *in Brev. Rom.* 17. *Sept.* referuntur. Debebat nimirum ad sublime illud amoris jejunium Deo in Archangeli honorem oblatum disponi.

8. Adeò verò cordi est Angelis nostrum jejunium, ut *S. Basilius* dicat serm. 2. de jejun. *Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias jejunantes describunt. Vide*, inquit ibidem, *ne propter parvam edulium voluptatem damnum incurras, ut ne ab Angelo in numerum inscribaris.*

9. Anno Christi 1315. Novitius Ord. S. Dominici morbo caduco per tres etiam horas humi volutatus, frequenter ab Angelo Gabriele per alium Fratrẽ monitus est, ut feriâ 2. se in honorem Angelorum jejunaturum voveat, sítque puritatis memor semper. Monenti paruit, & convaluit.

10. *S. Athanasius Ep.* lib. de Virginit. *Jejunium Angelorum cibus est, & qui eo utitur, ordinus Angelici censendus est. Recupitus* in congeminato nuncio terræ motús in Calabria *pag.* 35. ait, duos filios superstites repertos cum matre mortua post terræ motum in cavernis terræ. Affirmabant illi, quotidie juvenem eleganti aspectu, atque aureo amictu fulgentem, apportâsse fercula, panes, cibos farinaceos, pisces, omnia bene condita; frigidam etiam ad potum, quibus recreati ac refecti dies ibi noctésque, nullo cruciatu, nullâ fame transegerunt. Ubi nota, dies illos quadragesimales fuisse, unde Angeli Ecclesiæ morem secuti, non nisi esuriales cibos suis clientibus attulére: ut discas, quàm nos tenaces jejunij esse velint Angeli nostri, utpote cui etiam per miraculum favent.

11. S. Macarius Romanus, id quod *Raderus* narrat, *p.* 1. *Viridarij pag.* 68. à facie peccatorum suorum trepidus, hac Angeli voce erectus est: *Raphaël ego sum, ductor ille tuus.* Tum exacto pœnitentiali 40. dierum jejunio vidit Macarius antrum suum totum, per omnes quatuor angulos, cœlesti lumine perfusum, unúmque (Angelus erat) purpurâ, diademate, auro, gemmísque nobi-

nobiliſſimis ornatum, qui carmen inuſitatum cecinit, cantúque abſoluto obſtupeſcendâ locum odoris fragrantiâ complevit, indéque mox ab oculis ſublatus evanuit. Ita de ſe ibi narrat ipſe Macarius. En quàm felix *Alleluja*, quàm lætum *Paſcha* Angelus huic Sancto poſt eſurialem illam jejunij *quadrageſimam* celebravit.

# HEBDOMADA XII.

## *Pravorum ſociorum cave conſortium.*

1.

DOcuit id Angelus, qui *in Vit. PP. p. 6. c. 3.* cum Eremita iter habens nares ad cadaveris putridi fætorem non obturavit: obturavit autem à longè occurrente juvene elegantulè comptuléque vano, ac ſertis florido. dixítque interroganti, impurum illum juvenem plùs fætere in Dei & Angelorum conſpectu, quàm putidiſſimum quodvis cadaver in conſpectu hominum. Etiam olim (*Matth. 13.*) *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*; ita nunc bonos ſeparant à malorum conſortio.

2. Docuit id Zvollenſem illum adoleſcentem Cuſtos Angelus, qui, ut *Ioannes Major ex. 15.* narrat, ab infami loco, ad quem à malis ſocijs ductus fuerat, & vix non jacturam fecerat pudicitiæ, redeuntem in tenebris, & periculi, à quo Dei beneficio ſingulari ereptus fuerat magnitudine attonitum, primùm ſuo ſpectaculo recreavit, dum illi radiante circùm ſplendore pulcherrimus apparuit: ſed poſtea, ut pericula non amare doceret, tantâ illi vi colaphum inflixit, ut humi dejectus provolveretur, dixítque: *diſce jam, diſce fugere ſemper conſortia improborum.* Retinuit in gena colaphi veſtigium, lívorem, & gratias egit, malum illud ſuo bono paſſus & noſtro.

3. Execrare infernale illud perditæ ſocietatis genus. ita feſtum Angelis facies. Credamus hîc Origeni *hom. 23. in Num.* dicenti: *Agunt Angeli diem feſtum, lætantes ſuper ijs, qui refugientes conſortia dæmonum, per exercitia virtutum, Angelicis ſe feſtinant ſociare conſortijs.* Vitæ Camilli de Lellis *p. 2. c. 13. §. 4.* fuit è magorum natione infamis amicus, qui Alexandrum de Lellis perditum ibat; ſcripſit Camillus patruus nepoti epiſtolam, quam Angelus eodem 5. Julij die, quo ſcripta fuit, per ſexcenta paſſuum millia ad Alexandrum detulit. Agnovit ille miraculum, & reſipuit. Periculum erat futurum in mora; ideo voluit Angelus Alexandro hac ſuâ celeritate proviſum. Ni Angelus, nuntij functus officio, boni verè Angeli nomen impleviſſet, perierat à Mago ſocio Alexander. Ita tu, ſi Angeli tui bonus amicus es, malorum amicus non eris unquam.

4. In malis ſocijs adſtat tibi Angelus malus, in bonis bonus. *Gerſon. tractat. 8. ſuper Magnif. p. 3.* Angelus adſtat, ut ponderemus, inquit, & trutinemus in trutina cordis, ſi Satan nobis adſtat, ut noceat; Quis ferret, ſi non ſtaret Angelus bonus? ſicut ergo bonum

» num Angelum habes contra malum; » ita bonos & probos amicos habe contra improbos. Tu illos contra malam » aliorum societatem juvabis, & illi te: » Angeli autem vestri custodes, & te, & » illos. Dympnæ Virgini candido illi Virginitatis fortissimè propugnatæ trophæo Angeli urnam è marmore candido attulêre, & Angelus pro sepulchrali epigraphe gemmæ Dympnæ nomen insculpsit. (*Vita 15. Maij*) Vince si vis nomen tuum gemis cœlestibus inscribi.

5. Sit tibi pugnanti solatio vulgatum illud Origenis; *Quo quis fortiorem ac callidiorem superaverit diabolum, hoc celsiorem inter Angelos occupabit locum.* Fortem & callidum superat diabolum, qui fraudulentis blandientem lenocinijs aliquem, aut aliquam declinat. Præstat tamen fugere tales, ne unà cum illis malè pereas: malè malo culpa, & postea malè malo pœnæ. Hinc *Genes.* 19. duo Angeli, erga quos se pius Lot adeo exhibuit hospitalem, percussis cæcitate impuris illis, *cùm esset manè, cogebant eum Angeli dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris ac duarum filiarum ejus, &c. eduxerúntque eum, &c. dicentes: Salva animam tuam.* Utinam te cogat, ita hortetur, ita dissimulantem apprehensâ manu educat è consortio pessimorum Angelus tuus! Certè quoties inter tales versaris, inclamat tibi ille incor: *Salva animam tuam.*

6. Illi verò, qui jam se à malis socijs planè expediverunt, ascendant altiùs cum S. Theresia, ut etiam privatas quasdam teneriores amicitiolas, tametsi bonæ videantur, exuant. Nam & hæc est mala societas; per has, ajebat Theresiæ P. Balth. Alvarez, (*Vita Alu. cap.* 11. §. 1.) captivari cor, & amittere libertatis ac ingenuitatis privilegium, quo Deus illud donavit, cùm hominem condidit. Jussit ergo illam Hymnum *Veni Creator Spiritus* ad lumen discernendi dicere per dies aliquot. Fecit, & agnovit meliùs esse, se illis impedimentis nudare, unde in quodam raptu dixit illi Dominus: *Nolo te amplius conversationes cum hominibus habere, sed cum Angelis.*

7. Valebit contra pravam societatem etiam, S. Landelinum & custodem illius Angelum invocare. Peribat, ex Angelico juvene jam alius, ob societatem impiam Landelinus: at ubi illi unum è socijs à dæmonibus abripi ostendit Angelus custos, valde seriò monitus, valdè resipuit. *Vid. Vitam 15. Junij.*

8. Omnium denique Angelorum patrocinium ad id valet. Actis ergo Deo gratijs, quòd tuum Angelum cum cauda illa *apoc.* 12. cadere non permiserit cum reprobis, ora sanctos Angelos omnes, & per illos Deum, ut qui illos à Luciferi seductione, ac pessima illa deceptorum societate immunes fecit, statimque expulsis malis, malos socios cum bonis esse passus non est, idem te à mala societate, & ab omni malorum & hominum & Angelorum pravitate custodiat.

HEB-

# HEBDOMADA XIII.

*Examen conscientiæ quotidie coram Angelo tuo custode fac exactè.*

1.

URsinus vitæ S. Franciscæ Romanæ *lib. 1. cap. 12.* ait illam ab Angelo custode ob errorem etiam parvum aliquando alapâ percussam. Ipsa verò, dum se de ijs, quæ agebat, examinaret, hoc habuit singulare, quòd semper extraordinariam sibi pœnam imposuerit pro culpa, quam in se deprehendebat. Conscientiæ rationem Confessario aliquando non satis exactè dantem iterum percussit Angelus. Quoties putas te tuus percuteret Angelus, si ad nævos quosvis, si ad rationes conscientiæ non bene expensas singulos tibi ictus infligeret?

2. Para te hìc, ad parvulum oratorij tui tribunal, ad judicium illud grande. *Orig. hom.* de judicio: *Unusquisque*, inquit, *Angelorum in judicio aderit, producens illos, quibus præfuit; qui testimonium perhiber, quot annis circa eum laboravit ad bonum instigando, sed ille monita spreverit.* Quoddam illius judicij simulachrum tibi fac vesperi de diei decursu. Nam singuli dies ad universale diei illius comitium citabuntur. Apocal. 12. *Accusator Fratrum nostrorum, qui accusabit illos ante conspectum Dei.* Ubi *S. Augustin. serm.* contra Judæos: *præsto erit diabolus ante tribunal Christi, & recitabit verba professionis nostræ* (abrenunciationis nostræ contra mundum, & diabolum factæ in Baptismo) *& objiciet nobis in faciem omnia, quæcunque fecimus, in qua die, in quo loco peccavimus, & quid facere debuimus, & dicet: Æquissime Judex, judica, hunc meum esse per culpam, qui tuus esse noluit per gratiam: tuus per naturam, meus per malitiam: tuus ob passionem, meus ob suasionem: tibi inobediens, mihi obediens. Qui tecum noluit habere vitam, judica ut mecum habeat gehennam.* Pone ergo te in tali Tribunali, ubi inter tuum Angelum, & illum accusatorem te discutias.

3. Idem *Ursinus lib. 2. cap. 14. ibid.* narrat: Archangelum Franciscæ fuisse Sole lucidiorem, & radijs amictum, qui Franciscæ quavis lampade plus lucis affundebat, imò ad splendorem cœlestis illius cæsariei officium quasi ad meridianum Solem orabat nocte Franciscæ, absque alio lumine. Ad Angelicum lumen & tu cordis libellum inspice, téque dispice. Videbat Franciscæ in vultu sui Angeli erubescentis, aut beatam faciem obtegentis, si quis eorum, quibus cum erat Franciscæ, in aliquo deliquisset. Ajebat illa, se in Angelico vultu illo, velut in speculo purissimo suas vilitates videre, visuram etiam defectus aliorum, si oculos in illum defigeret. Defige tu mentis oculos in Angelum tuum, & hodiernos tuos mores cum Angelicis illius confer. Non abs re faceret, qui pro lumine à Deo impetrando, pro examine, *Veni Creator Spiritus, &c.* recitaret. Id agenti S. Theresiæ, ut *Ribera lib. 1. cap. 9.* refert, sancta in extasi dictum è cœlo: *Posthac non volo ego amplius, ut habeas conversationem cum hominibus, sed cum Angelis.*

*gelùs.* Hoc est, quod in examine seriò est proponendum, ut occasiones labendi investigentur & caveantur.

4. Sanctus Joannes Eleemosynarius, ut est *Vitæ cap.* 48. cùm Rhodum perveniſſet, vidit juvenem coruscantem formâ, & aureum in dextra sceptrum tenentem assistere sibi, ac dicere: *Veni; juberis: Rex regnantium quærit te.* Quid si tibi idem nunc diceret Angelus tuus Custos? Beatum te, si ita facis examen nunc, sicut faceres tunc. Amat Angelus Custos teneras conscientias, teneræ autem fiunt per crebra & solida examina. Ado Viennensis *in Martyrol.* 25. *Augusti* refert, quòd sanctus Genesius è mimo Christianus, viderit penes se niveo splendore gloriosos Angelos, qui è libro omnia ipsius peccata à prima inde infantia recitabant: sed dum ille baptizaretur, aquâ baptismatis illa è libro eluebant: & tum se niveum totum aspexit. Vide, quid hodie libro tuo boni, quid mali inscripseris, & baptismo lachrymarum mala tua dele a facie Dei.

5. Franc. Gonzaga *p.* 3. *in Progine. S. Ludovici* ait, Fr. Rogerium tenerrimæ, in verbis otiosis vitandis, & alias, conscientiæ fuisse. Hic dum oraret illud Ps. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* splendor super illius caput è cœlo effusus est. Rogatus à Patre conscientiæ arbitro, quid illud fuisset, cœlesti ebrius gaudio, ingenuè tandem dixit: fuisse Angelum Domini. Immittet in circuitu tuo Deus Angelum lucis, ad cujus lumen tenebras conscientiæ tuæ latebras, & tenebras bene agnoscas. Tuum erit in exacto examine tuis partibus non deesse.

6. Ipsa tibi peccata in examine reperta, sint gloriæ instrumenta. Vesperi dum te examinas, species colligis, & ex illis confecto unguento pretioso cum Magdalena ungis pedes Jesu. Unde *S. Petrus Dam. serm.* de S. Mar Magd. *pretiosum unguentum, quo non solùm terrena domus, sed & cœlestis aspergitur. Vilissimæ autem sunt species, de quibus conficitur, & magna earum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientijs nostris, species ejus sunt &c. & licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cœlos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit, & gaudium.* Ita ille. Dum te examinas, in primo & secundo puncto cor velut vasculũ præparas; in tertio puncto species colligis; in quarto conflas, elaboras igne cœlesti; in quinto odores optimos meditaris, ad lætitiam Angelorũ. *Aug. 8. Conf. 2.* de Victorino converso ita loquitur: *Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium: Victorinus! Victorinus!* Ita vesperi, dum tu omnibus diei & dierũ tuorũ ac annorũ omniũ peccatis ingemiscis, sonat per ora cunctorũ Angelorũ per omne cœlũ lætantiũ nomen tuum; utpote qui te verè jam viceris, etiam in ijs, à quibus vix victoriã expectabas.

7. Berteline, inquit *apud Sur.* S. Guthlacus moriens discipulo suo: Noveris » semper manè & vespere me Angelum » meæ consolationis habuisse, qui labores » & tentationes meas cœlesti solatio relevabat, prædicebat futura, indicabat absentia, arcana cœlestia revelabat. Cum » hoc tu Angelo, lector, ficut ivasi, ut diẽ inchoares manè, ita vadeo ut diẽ claudas, & ille, sicut S. Guthlaco, sit tibi semper manè & vespere Angelus consolationis tuæ.

# ANNI ANGELICI

## PARS II.

## HEBDOMADA XIV.

*MARIAM qui colit, Angelis placet.*

I.

JESUS Rex, MARIA Regina est Angelorum, & Regis Mater. Ita *Wadingus tom. 3. Anno 1322. apud Theophilum Rainaudum in Diptych. cautelâ 3. p. 36.* ait, S. Cunegundem filiam Belæ Regis Ungariæ Boleslai Poloni Virginem conjugem dum nasceretur non vagijsse aut fleviſſe, sed articulato & claro sermone Ungarico hæc verba protuliſſe: *Ave Regina cœlorum, Mater Regis Angelorum.* Ecce hoc titulo etiam ex ore infantis laudem MARIÆ perfecit DEUS. Colunt illi amántque Reginam suam, cui etiam, audiente id cum S. Gregorio Urbe, accinuêre Symphoniaci Mariani *Regina cœli lætare, Alleluja.* Amant illam à nobis amari, & illius gloriam defendi. Sic enim vident in nobis felicissimæ prædestinationis notam, ex qua argumentantur nos illic æternùm fore beatos, ubi illi sunt.

2. Bernardus Marianus Theologus serm. super *signum magnum* ait, quòd sit certissimum impietatis conjunctionisque cum serpente antiquo signum, oppugnatio vel obscuratio procurata splendoris & altissimæ eminentiæ, quâ cunctis Maria præstat: contrà autem certissimum signum nos esse cum Michaele & Angelis ejus in Ecclesia Dei, est præliari adversus eos, qui dignitatem Mariæ diminuunt aut extenuant, extolleréque & amplificare illius majestatem, ac Deum in ipsa devotè laudare. Pretiosa profectò res, quæ te ex infelici æternùm numero excludat, & adjungat panegyricis Angelorum choris æternum oratorem.

3. Gloriantur in eo Angeli, quòd hanc

hanc habeant Reginam. B. Amatori seu Amadeo (B. Joannes Medesius is erat Comes Villæ Regiæ revelationibus admirabilis) *apud Nieremb de am. B. V. c.* 20. divinitus indicata fuit formula adorationis, & clientelaris fidei professionis cœlos subeunti Deiparæ ab Angelis exhibitæ, quam reliquorum nomine totidem ferè verbis pronunciavit S. Michaël: *Quod Deo promisimus, antequam perficeret hunc mundum sensibilem: hoc etiam tibi modò promittimus, ô* MARIA. *Hodie repetimus, & renovamus, quod primo momento Incarnationis Filij Dei protestabamur. In hac hora illud confirmamus, & te, ô* MARIA, *pro Regina nostra accipimus. Cœlorum Reginam te nominamus: ad te Reginam Angelorum inceſſabili voce clamamus: Tibi omnes Angeli & Archangeli ac universæ Potestates; tibi Principatus, & Dominationes omnes obediant. Te Throni, Cherubim, & Seraphim humili voce confiteantur; nos omnes Dominam te nostram agnoscimus, omnes te Matrem Dei nostri adoramus.* En quanto verborum ac sententiarum apparatu quasi sacramentum dicit honori Virginis authoratus cœlestis exercitûs Archistrategus gloriosus Michaël, suo suorúmque nomine Angelorum. Ne pudeat nos esse discipulos Michaëlis. Macte corde, quisquis es.

4. P. Petrus Cotonus S. I. Laureti ab Angelo monitus est, cùm sacro altari adstaret, ut charos quosdam suos gravi necessitate pressos Beatissimæ Deiparæ commendaret.

5. Pulchrè & Deiparam & Angelos jungens S. Ildephonsus *c.* 11. *de Virginit. Deip.* ita suspirat: *Oro te, sancte Angele, per tua æternitatis statum, ut des mihi hoc tantundem nosse de Virgine Matre Domini mei, quod ipse nosti; hoc credere, quod ipse sapis; hoc diligere, quod ipse diligis.* S. verò Clara de monte Falconis, cantu ab Angelis persanata, dicebat sæpè Angelis: *Salutate Reginam Vestram, meam è corde dilectissimam MARIAM; ut me citò in cœlum evocet.*

6. S. Maraccius *liliorum* §. 8. Angelos circa Beatissimæ Virginis imaginem solenni apparatu, Ave MARIA cecinisse refert, audiente id, & vidente Margaritâ Montepolitanâ. Svessione in Gallia, teste *Balinghen* 14. *Decemb.* Canonici Regulares musici præclari, dum devotâ cordis & artis exquisitæ concordiâ canere inciperent: *Felix es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima, &c.* repente plenus volantibus Angelis beatis factus est chorus, quorum alij alijs canentibus respondebant, tenerâ, purâ, cœlesti voce, divinissimâ symphoniâ ad tenerrimas audientium lachrymas. En quàm pretiosè selectis artibus corda socordium mortalium ad MARIÆ honorem & amorem excitant cœlestes genij, ut exemplis cœlestibus sapiamus. Vis ergo ab Angelo tuo singulari quadam protectione custodiri, amari? MARIAM invoca tenerè, ama constanter. Nam, ut est apud S. Birgit. *revel. lib.* 1. *c.* 9. Angeli boni audito MARIÆ nomine statim appropinquant magis justis, quibus dati sunt ad custodiam.

7. Inter alias verò Virginis colendæ artes, afficiuntur Angeli ijs, qui se impendunt Rosario, vel coronæ Beatissimæ Virginis attentè recitandæ. Unde

libenter adsunt ita orantibus. *Philippus Guidius l. 1. c. 1. Vitæ Cath. Riccia*, ait, illam etiamnum parvulam puellarium jocorum loco cum Angelo suo custode egisse, & ab eo plures devotiones edoctam; potissimùm autem meditandi modum, & Beatissimæ Virginis Rosarium cum fructu solido percurrendi Franciscæ Vacchinæ *apud Maraccium Liliorum §. 6.* coronam Beatissimæ Virginis sive tertiam Rosarij partem oranti duo Angeli adstitêre, nunc uterque à dextris, nunc alter à dextris, alter à sinistris. Sic posita in medio Angelorum Franciscæ orabat. Orabant & Angeli. Atque ubi coronam orando absolvêre, sub ipsam extremam salutationem Angelicam adfuit amabilis Dei Mater, Franciscam commonens, ut in amore Jesu filij sui quotidie incrementa caperet per orationem; & beneficia à Deo accepta in manus suas reponeret: acturam se pro illis gratias SSS. Trinitati. Demum Franciscæ bene precata, illam in benedictionibus dulcedinis totam reliquit. Tanta in reverentia est apud Angelos coronaria ista devotio.

8. At contrà, Columbæ Reatinæ à viso Jesulo, Maria, Josepho, & auditis Angelorum cantibus, ac pluribus, quæ de ea narrant *Razzius & Maraccius liliorum §. 20* gloriosæ, Rosarium adeo execrabatur Angelus tenebrarum, ut illud in frusta discerperet, ac sphærulas hinc atque inde dispergeret. Age felix, quod adeo vides Virgini supremæ ac bonis Angelis placere, malis verò genijs displicere. Ut verò id bene agas, ante orationem Mariam priùs & Angelum tuum ad cordis tui custodiam invoca. Maria Vela *apud Maraccium in lilijs §. 23.* postquam id fecit, & Magistra tua esse Maria ut dignaretur, rogavit: Vidi, inquit, Dominam nostram „ à parte cordis mei orantem mecum, „ meúmque tutelarem Angelum dextrorsum pariter orantem aspexi. „

# HEBDOMADA XV.

## *SS. Michaëli & Gabrieli singulari devotione addictus esto.*

1.

ITa inire potes gratiam apud Angelum Custodem tuum, utporè qui eos, quos ille honorat, & amat, honores, & ames. *Apud Rosweid. Vit. PP. lib. 6. pag. 498.* morientem in platea peregrinum invisunt descendentes è cœlo SS. Michaël & Gabriel, alter à dextris morientis, alter à sinistris sedens: & missâ è cœlo voce dicente: *Ecce mitto David cum cithara, & omnes Deo psallentes in Jerusalem.* cùm descendissent omnes in circuitu animæ illius cantantes hymnos, anima illa carne soluta est, atque a SS. Michaële & Gabriele assumpta in cœlum. Michaël est *quis ut Deus?* Gabriel *fortitudo Dei*, vel *Homo Dei*, ut aliqui notant. Uterque Deum sonat: uterque hominem ducit ad Deum.

2. Imò & alijs ad Deum adducendis auxilio est hominibus S. Michaël. P. Jacobum de Samaniego in Peru Anno 1627. 7. Martij, 85. ætat. anno defunctum memorant *annua*, eúmque inculpatæ vitæ Angelum vocant. Fuit

is

is Deo, Deiparæ, atque Angelis in delicijs, & S. Michaeli Archangelo devotissimus. Vidit Jacobus aliquando Michaëlem suum Archangelum luce multâ illustrem, sanctéque pollicitum audivit, fore, ut opem suam in reducendis ad Deum Indis, & molliendis obstinatorum peccatorum cordibus experiatur. Et verò luculentissimis modis expertus est, per vias admirabiles à Deo per 65. annos, quibus in Societate vixit, usque ad pretiosam mortem deductus.

3. Magno ad S. Michaëlis cultum eximium stimulo esse potest id, quod narrat *Niceph. Callist. lib. 7. hist. Eccles. c. 50.* Celebre apparitionibus D. Michaëlis templum est in Sosthenio. Ibi Græcorum Argonautis apparuit olim vir aquilinis quasi alis volucer, & victoriam contra Amycum prædas ibi agentem promisit. Victores deinde illi statuam ita ut apparuerat posuêre. Ibi postea Constantinus Imperator templum planè se dignum extruxit, postquam similis illi statuæ alatus Michaël illi apparuit per quietem & dixit: *Ego sum Michaël Archidux Domini Sabaoth Virtutum, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios belligeranti fidelis, & germano ejus ministro auxiliaria arma tuli.* Ajunt, quòd in illo templo nemo petat opem pro quapiam necessitate, quin eam consequatur. Id quod certè ad augendum in mortalium animis magni hujus Paradisi Præpositi cultum à Deo concessum esse non dubito.

4. Gabrielis verò nomen à Mariana legatione magnum, utile etiam contra hostes esse solet. Experti id Christiani narrante Baronio A. C. 523. Hi à fame ac ab hoste Dunaano apostata Rege pressi, communione sanctâ & lachrymis opem implorabant è cœlo. Audita in cœlo ter vox; *Gabriel, Gabriel, Gabriel!* Adfuêre Christianissimi Fleesbaani milites. Pugnatum est; & hostis victus. Rex verò Dunaan catenâ vinctus est, captivus.

5. Camillus de Lellis Cleric. Reg. infirmis ministrantium fundator, S. Michaëlis imaginem ante oculos propositam decedens habere voluit, quòd volantium à corporibus animorum patrocinatorem se habere pro certo habebat, atque ideo, ut *in ejus Vita p. 2. c. 13. §. 4.* loquitur *Ioan. Rossi*, adversus prædones inferos in postremo illo agone, & vitæ clausula hyperaspisten optabat.

6. Præclara S. Xaverij hanc in rem verba sunt Societati Jesu Goam scribenti *lib. 3. ep. 5* sic: Magna in spe » sum, divinam nobis opem in tali re non » defuturam: quippe cùm nostris destitui » viribus, spem omnem in Christi Domi » ni vi ac potestate summa, sanctissimæq; » ejus parentis, Angelorum omnium ac » præsertim Michaëlis Archangeli Præ- » dis Ecclesiæ militantis patrocinio defi- » xerimus. »

7. Certè antiquissimum esse in Ecclesia Catholica, cùm Angelorum aliorum, tum Michaëlis cultum, latè deducit Baronius, & ex illo indicat *Spondanus Anno Christi 60.*

8. Mansvetudine autem valde tibi illum devincies. Ita S. Maximo Angelus (*Vita 2. Ian.*) *Maxime, Maxime!* Interroganti; quis es tu? Ego » sum, inquit, Angelus Domini, noli timere. Crastinâ die videbis S. Michaelem cum choro Angelorum gaudentem, »

cum

„ cum magno psallentium choro ad te ve-
„ nientem; ut te suscipiat leniter, opera
„ enim tua semper lenia fuerunt, &c. Et
„ hæc audientibus omnibus dicta. Ita *beati*, & S. Michaëli Archangelo acceptissimi sunt *mites*.

9. Iterum pro Gabrielis cultu eximio facit id, quod *Cerda de excell. Spirituum c.* 49. narrat. Hubertus Salonici Poloniæ Regis thesaurarius parum fidelis, D. Gabrieli apprimè addictus, devotionis illius thesaurum reperit in hora mortis. Horrendus enim fragor excitatus est moriente Huberto, adeo ut uxor, filij, aliique, qui illi aderant, se fugâ eriperent. Ubi strepitus conquievit, ad cor redijt furtorum pœnitentiâ tactus Hubertus, & dixit: se ab irruentibus dæmonibus fuisse glutiendum, nisi charissimus sibi per omnem vitam Gabriel Archangelus illos fugâsset. Addidit sua omnia non sua, sed vel Regis esse, vel aliorum, à quibus malè illa sibi usurpâsset quare dentur suis, inquit, nihil ad vos pertinet. Gabrieli gratias ago, quòd me ab his angustijs liberavit.

10. Debemus etiam gratias S. Gabrieli Archangelo, quòd divino exercitiorum S. P. Ignatij libello tantum apud prudentes & pios authoritatis addiderit, quando ipsius Dei Matris nomine significavit, MARIAM Exercitiorum S. Ignatij Patronam, fundatricem, atque adjutricem fuisse, docuisseq; Ignatium, ut ea sic conciperet, atque illam huic operi dedisse initium. *Vide Ludov. de Ponte Vita Balth. Alvarez c.* 43. & *Alegambe Biblioth. pag.* 1.

11. Addo aliud Mariani hujus Angeli erga suum clientem officium è Razzio *in Virûs illust. S. Dominici*. S. Elisæus, seu Elsa post præmissam primo suo sacrificio esurialem quadragesimam admirandâ inediâ, primum sacrum, seu primitias, in cœlo se facere sibi visus est in musico Angelorum & 24 Seniorum choro. Tum verò sibi redditus, ad primum sacrum faciendum accinctus Gabrielem habuit adjutorem. is enim aspectabili & gloriosâ luce illustris panem consecrandum ipse attulit Elisæo suo Neo-Mystæ. Sciat denique se non vulgarem suæ morti felicitatem procurare, & singularem apud Deiparam Virginem gratiam inire, quisquis peculiari cordis munditie ac devotione MICHAELEM & GABRIELEM nobile hoc cœlestium Dynastarum par fuerit veneratus. Nam, ut *hom. de S. Mich.* ait Pantaleon Diaconus: *Michaël est, qui consolatur pusillanimes, ægrotos visitat, fidejubet pro peccatoribus, Virtutum flammam restinguit.* Per duos, Michaëlem & Gabrielem, descendit omnis datio bona, & omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram. Hæ enim sunt duæ maximæ, & paris momenti lucernæ divinitatis.

## HEBDOMADA XVI.

*Gratias Deo sæpe age pro dato tibi Custode Angelo, & pro beneficijs in tuum Custodem Angelum collatis.*

1.

SAnctus Hieronymus *tom. 6. lib. 1. de Spiritu Sancto*, ex Didymo inquit: *Spiri-*

*Spiritus Sanctus non solùm hominibus præsto est, sed & singulis quibusque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus, inhabitator assistit. Sancti sunt Angeli participatione Spiritûs Sancti, & inhabitatione unigeniti Filij Dei, qui sanctitas est, & communicatio Patris; de quo Salvator ait Ioan. 17.* Pater sancte! *Igitur Angeli non ex propria substantia sancti sunt, sed ex participatione Sanctæ* TRINITATIS. Ita Hieronymus. Illi ergo TRINITATI pro Angelis & cum Angelis gratias reddamus.

2. S. Franciscæ Romanæ Archangelum Custodem, ut est *in ejus vita nova lib. 3. cap. 29.* aliàs *lib. 4. cap. 23.* coronâ ex oliva candidissima factâ coronare visus est Christus, quòd Franciscam fidelissimâ diligentiâ custodivisset; Archangelus verò supplicabundus provolutis humi genibus coronam à JESU cum magna gratiarum actionis significatione accipiebat. Redundat in Angelos aliquid lætitiæ, dum nos pro ijs, quibus illos Dominus coronavit, beneficijs gratias agimus Deo. Et est amoris non vulgare argumentum gratias agere pro bonis amico datis.

3. Gaudent illi, & gratias agunt pro ijs, quæ è liberalissimo Dei sinu in nos exundare vident gratijs: gaudeamus & nos de gratia illorum & gloria. Reciprocatio hæc amoris est. *Magna dignitas animarum*, inquit *S. Hieronymus* lib. 3. in caput 18. Matt. *ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum.* Tibi ergo dignitati est habere illum; vide, ut & illi gloriæ sit habere te: & alter de alterius gloria gratulemini in æternum.

4. P. Franciscus Folianus S. J. *apud P. Rossi opusc. 3. cap. 12.* eapropter sanctos Angelos præcipuo sibi honore colendos selegerat, quòd diceret, eos singulares Deificæ TRINITATIS cultores, & ejus laudatores eximios in sacris literis celebrari. Addit, in paupertinis illius cimelijs præclara quædam de Angelorum excelso munere inventa. Tu verò quidquid excellentiæ de Angelis audis, aut legis, id omne infunde grato animo tenerrimâ gratiarum actione in oceanum omnium gratiarum in SSS. TRINITATEM. Dicit illi Ecclesia: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* dicamus & nos: Gratias agimus tibi propter magnam gratiam, & gloriam, quam in Custodes nostros & omnes cœlestes spiritus effudisti. gratias pro illorum creatione, donis, prædestinatione, gratiâ illâ efficaci, quâ illis, ne unà cum Lucifero ruerent, benignitate gratuitâ adfuisti. Gratias pro omni substantiali & accidentali gloria, quam habent & habituri sunt in æternum, & quam non haberent, si tua illos gratia à culpa illa, & ab æternis inferni supplicijs non præservâsset.

5. Benedic Deo in Angelis ejus, & accipies à Deo & ab Angelis benedictionem. Quæ tanti æstimanda est, ut etiam Jacob moriens inter præcipuas benedictiones hanc posuerit, *Gen. 48.* dum suis è dilecto Joseph nepotibus benediceret: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

6. Tenerrimas Deo gratias etiam pro Angelo Custode dato agere disce, à SS. PP. beneficium hoc tantum admirantibus, & pro illo gratias agentibus. Unus sit instar omnium Augustinus *Soliloq. c. 27. Confiteor laudans te, quoniam*

*niam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificâsti, dans nobis Angelos tuos Spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur; & quasi parva reputas hæc, quæ sub cœlo sunt, nisi adderes etiam ea, quæ sunt super cœlos. Laudent te, Domine, de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipsi Sancti tui tibi benedicant, ô honorificentia nostra nos nimis honorificans, & ditans multis muneribus!*

7. Conspira ergo cum Angelo, ut ille Deo pro te; tu pro illo gratias agas. Incredibile est, quàm delectetur in te, dum te videt à Deo honoratum donis tantis. Et hic honor usque ad tumbam, usque ad cœlum, usque ad æternitatem durabit. *Razzius* in vita S. Agathæ, ait, cohonestandæ illius sepulturæ centum Angelos adfuisse. Ita nos illi honorant apud Deum, & homines; ita nos illos honore reciproco honoremus.

# HEBDOMADA XVII.

## *Imaginem S. Angeli Custodis, & aliorum Angelorum in sancto cultu habe.*

1.

IN *Mariano Kalendario* 10. *Martij* Venetijs dæmon simiæ specie jucundissimè se Advocato Domino suo servivisse fassus tandem est religioso viro Capuccino illic prandenti, eo fine, ut si vel semel ante somnum Beatissimæ Virginis opem implorare neglexisset, præfocatum ad tartara abriperet. Ergo actis Beatissimæ MARIÆ Virgini gratijs Advocatus, Zachæi verbis bona in egenos, & eos quos defraudâsset, se projecturum recepit; & dæmon effracto ad plateam muro erupit. Ibi religiosi viri ex ore pendebat domus, qui ex ipsa mensæ mappa vel strophiolo largum sanguinem expressit, ut ostenderet, omnia Advocati bona esse sanguinem pauperum. Claudi foramen in muro non poterat, donec tandem religiosi illius viri consilio lapide, cui S. Angeli imago inerat, clausum est, & reddita quies domesticis à timore. Unde Ponti proximo nomen, *Pons S. Angeli.*

2. *Martyrologium Sicilia* 29. Septembris, *Panormi*, inquit, *inventio imaginis SS. septem Angelorum* Quidquid sit de septem Angelis: tu Custodis tui imaginem in cultu habe, sit illa super fores, vel in oratorio, aut lecto, aut è muro pendeat.

3. *Apud Recupitum, in nuncio Vesuviani incendij p.* 25. Nicolaus quidam statuam Angeli tutelaris inauratam curârat ære tum suo, tum quæsito ab alijs. In Vesuviano incendio Neapolim profugus Nicolaus, rogatus, num quid detrimentum ejus prædium accepisset; respondit: *Nullum nam meus*, inquiebat, *tutelaris Angelus adstat ad agelli limites mei, omnem ignis injuriam propulsaturus.* Vates fuit, qua verè nihil damni tulit, & illa Angeli imago reperta est erecto vertice extare undis, adstare ripis, quæ ejusdem Nicolai prædio prominebant, quasi limites custodiret. En quid iste pretij tulerit ab imagine!

4. Vale-

4. Valebit etiam contra genios infestes. *Iosephus prati floridi 1. p. cap. 2.* ait, Angeli ductu Eremitam vidisse super cœnobium quasi examen muscarum supervolitantium; ad civitatis verò portam dæmonem unicum, & ipsum otiosum. hunc enim, ajebat Angelus, urbi toti sufficere, cùm illic nemo dæmonis voluntati resistat; in religioso verò loco singulos Religiosos dæmonibus multis resistere. Fortè & cubiculum tuum examinat illud examen vesparum infernalium: ut unus omnibus resistas, Angeli tutelaris tibi memoriam refricabit ejusdem imago, mnemosynon tui erga tuum custodem animi & affectûs, ut erga Matrem. *Vide hic hebdom. 29. n. 2.*

5. Camillum à Lellis sub mortem, S. Michaëlis Archangeli imaginem coram se habere voluisse, alibi referimus.

6. S. Codratus Matrem adhuc vagiens in cunis infans amisit; sed Angelos illi, à quibus nutriretur, dedit Deus. Unde Codratus è nube cœlesti lacte lactatus est, & educatus ad illam indolem, ut postea per flagra lætus cantando iret ad mortem. En Matris & Nutricis in Angelo delicias! An non vidisti filias in conclavi habere pro posthumo quasi mnemosyno charæ matris imaginem? Nulla facilè Mater filio suo tanta præstitit, quanta Angelus tuus tibi. Appende ergo illius imaginem, ut illam præ oculis habeas; & quia referre illi gratias omnes, quas debes, non potes, referas, quas poteris; ad quod te tacitè hortabitur visa Custodis Angeli imago.

7. *Georgius Presbyter* in vita S. Theodori Archimandritæ ait, eum Angeli, & SS. Cosmæ & Damiani habuisse imaginem, & illi vitam longiorem ab illis, ita ut picti erant, ægro apparentibus impetratam. Unde deinceps ad attentiora Pœnitentiæ studia accensus vixit, & Angelo suo, & SS. illis longè magis addictus.

8. *Matt. 24. v. 36.* Angeli vocantur, *Angeli cœlorum.* Et versu 31. *mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus.* Quando ergo cubicularem Angeli tui Custodis, & aliorum imaginem videbis, roga illos cœli Angelos, ut te contra inferni Angelos defendant, tunc quando *velut in imagine* pertransibit homo: ut & te tubâ & voce suâ ad res dignas cœlo gerendas excitent nunc; tunc verò in electa Dei Congregatione commendent Deo.

---

# HEBDOMADA XVIII.

## *Attenta in oratione devotio placet Angelo Custodi, distractio verò dæmoni.*

1.

COr sponte suâ distractum nidificat dæmoni. Possideri à dæmonibus homines etiam ob supinam in orando negligentiam possunt. Factum id narrante *Delrio disquis. lib. 3. p. 1. q. 7.* è S. Bernardi vita, cuidam Religioso, ob tepiditatem & distractionem in oratione. En iste nidus factus est dæmonis, quia torpidus, & suâ voluntate in orando distractus.

2. Visos à S. Macario dæmones, qui orantis os & oculos obsiderent; visum etiam Angelum gladio igneo illos ab orante suo cliente fugantem dixi hìc aliàs *ex PP. sent. n.* 3. Dæmon fur est, furtim venit, ut per distractiones thesaurum nostrum distrahat.

3. *S. Petrus Damiani* opusc. 15. c. 22. *Dum psallimus*, ait, *Deo nostro sacrificium laudis offerimus. Sed huic sacrificio pestilentes spiritus velut harpyæ circumvolant, & pravas ingerendo cogitationes tanquam injectis super illud quibusdam stercoribus fœdant.* Angelus verò Tob. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Audi quàm pretiosa sit oratio in æstimatione sapientûm & Sanctorum. S. Petri Damiani verba sunt *lib. 6. ep. 2. In æstimationis meæ lancibus gravius pensat sancta orationis obulus, quàm auri talentum, vel copiosa micantium multitudo gemmarum.* Hac gemmâ signandæ sunt actiones nostræ, velut annulo, & sic mittendæ ad Deum, ut sibi dæmon illas non audeat usurpare. *Omne quod agis*, è *S. Nili* præcepto in paræneſi, *oratione obsignato.* & *S. Ephrem Syrus* serm. de pœnit. *Sigillo muniamur orationis.* Imagine Dei, vel Cæsaris signabantur annuli; tu orationis annulum signa memoriâ præsentiæ Dei. Huic sigillo fidendum. Inde *B. Isaaco Presbytero* lib. 1. de contemptu mundi, *Oratio est confidentiæ thesaurus, & sagitta acuta contra inimicos.* Quare, ne vulneretur à sagitta orationis, distrahit hostis noster arcum cordis, & oculum mentis, ut à scopo aberret. Nam *S. Laurentio Iustiniano* teste de interno conflictu c. 5. *Nihil profectò sic illum terret, sicut orationis crebra instantia, atque deprecantium devota suspiria:* æquè orationis, quemadmodum gehennæ crematur incendio, fugit ab orationis facie, atque liquescit. Dei quippe præsentiam videns, pugnanti illicò terga convertit. Xaverio noctu in templo orante, dæmones quasi horas canerent, interstrepebant. S. Nilus narrat, orantem quendam in storea eventilatum.

4. *Prati Spiritualis c.* 143. David è latrone sanctus pœnitens ab Angelo intellexit remissa sibi esse peccata; quia verò non credidit, Zachariæ pœnâ, muto linguæ silentio mulctatus est. Tum ille prostratus: *cùm essem*, inquit, *in seculo nefaria scelera faciens, & humanum sanguinem fundens, loquebar; modò quando servire Deo volo, laudesque illi offerre, tu linguam meam, ne loquar, ligas?* Promisit Angelus fore, ut nonnisi cum Deo loqui possit. Quare explicatâ ad orandum linguâ talem à Deo custodiam & ostium habuit, ut cum hominibus ne verbum quidem, cum Deo autem facundissimè loqui potuerit. Quàm facilè hic loquendi facultatem, ut voce etiam orare posset, obtinuit! Et verò tunc probè id sciemus, quando cum Angelis erimus, quàm illi delectentur, dum toti oramus, quàm seriò adjuvent. *S. Ioannes Climacus* gradu 20. in fine. *adstante*, inquit, *Angelo vero, exultat humilium animus. Quocirca ex affectu, hujus præsentiam agnoscentes ocyùs ad orationem recurramus. Nam ut nobiscum oret, nosque adjuvet clementissimus custos ad nos advenit.* Vit. PP. lib. 4. *pag.* 414. Angelus Psalmos canit, ut cantandi modum edoceat Patres de cantu consultantes.

5. Idem

5. Idem *S. Ioannes Climacus* gradu 28. p. 293. *ante omnia in orationis nostræ chirographo gratiarum actionem sinceram statuamus: in secundo autem versu confessionem & contritionem animi ex intimo affectu prodeuntem. Atque ita demum Regi nostro postulationem indicemus nostram.* Optimus hic, quem prædixi, orationis modus est, sicut cuidam ex fratribus ab Angelo Dei demonstratum est. En orandi Magistrum Angelum! Cœlestis hæc ars te cœlestem vult esse discipulum.

6. In vita B. Veronicæ 13. *Ianuarij lib. 2. cap. 24.* volvebat Angelus voluminis folia, Virginem instruens, quonam modo singula integrè persolveret. Post hæc Psalmos plurimos alternis pariter dicebant, quibus peractis Angelus ajebat: Tu sola reliquum perficito.

7. P. Balthasar Alvarez S. I. (*Vita cap. 16.*) exterioris etiam in orando reverentiæ observantissimus, dicebat sibi: „ Cogitabo sæpiùs, quomodo Angeli in „ Dei conspectu versentur, cum conscientia scilicet valde pura, & intima re„ verentia: & me aspiciens pudore suffundar, quòd cùm illa puritas mihi desit, deficiam quoque in exhibenda re„ verentia. S. Joannes Chrysost. *lib. 1. de orando Deum*, ait, apud Angelos ipsos in honore ac æstimatione esse eos, qui Deo sæpe ardentérque orando reddantur familiares. *Tunc adstant Angeli*, inquit idem in Psal. 6. *magno audientes cum silentio; & postquam cessaverit, ei applaudentes, laudantes, admirantes.* Addit; nos orationem ingressos ingredi theatrum Angelorum, theatrum ex universis supernis populis collectum, & Regem in medio sedere, qui vult nostram audire orationem.

8. Hinc est, quod adnotent orantes, referente B. Dorotheo *doctrin. 11.* Dioraticus vir sanctus vidit noctu in principio Psalmodiæ è sacrario in Ecclesiam ingredientem Angelum veste splendidâ, qui omnes præsentes Religiosos obambulando signaret, subsellia item, ritè impeditorum, ideóque absentium: qui verò ob desidiam aberant, eorum loca pertransisse. S. etiam Bernardus, Authore Bonartio *è Veteri M. S. lib. 3. de horis. c. 8. n. 28.* vidit noctu Angelum thymiamate cœlesti referto thuribulo chorum lustrantem; & divinâ illâ thymiamasi in intimis ferventium præcordijs odores ac fervores cientem; somnolentos autem quasi cum nausea negligentem.

9. Adsunt nimirum nobis orantibus; & tametsi non videantur à nobis, vident nos chari Angeli. Adfuêre Joanni Fernandio S. J. ut est *apud Nierembergium de amicitia IESU cap. 8.* & præter suavem crebrámque cum illo conversationem horarium precum pensum cum illo persolvebant. Quid ageres, si oranti tibi assistentem Custodem tuum Angelum aspiceres, & sanctâ ac mutuâ intercalatione tecum orantem? Itáne per versuum præruptas, per verborum præcipitia, per tumultuosas syllabarum abliguritiones, quasi semiebrio histrioni similis horas illas optimas pessimè perderes? atqui adest ille, verba adnumerat, versus appendit, orantis gestum compositionémque observat, ut aliquid æternitatis beatæ dignum factis deprehendat, quod laudet.

10. Climacus cit. pag. 294. *Cùm* ait, *in orationis verbo vel dulcedine per-*

*fundi vel compungi te sentis, in ipso persiste. Tunc quippe gustus noster nobiscum orat. Quid autem damon? ille cum sponte distractus est.* Unde idem pag. 297. *Qui opus incipit, & orationis tempore advenienti adhuc in illo moratur, à damonibus illuditur.* Ita illusit Nivellanus dæmon, qui in obsessa jussus *Pater noster* dicere, dixit: *Pater, cœlis, nomen, voluntas tua, panem, debitoribus nostris, à malo.* & sarcasticissimo cachinno; *ecce sic vos oratis*, inquit. Vide Cæsarium *lib. 3. cap. 6. mirac. sui ævi.*

11. S. *Ephrem* Syrum audi, de Virginit. *Esto totus orationis tempore velut cœlestis Angelus: sicque contende, ut oratio tua sit sancta, ac pura, immaculata & irreprehensibilis, ut cùm illam sursum ascendere viderint, portæ cœlestes gaudentes ultro ei aperiantur, ut ipsam cernentes Angeli & Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, & coram sancto atque excelso throno immaculati Domini ipsam offerant.* Tales coram Deo oratores Deo persvadent omnia.

12. Imò ipsos etiam Angelos, ut nos protegant, dum infestamur, oratione impetrari à Deo innuit Christus, Matth. 26. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum?* horum opem à Deo orans pete. Nam ut ait S. Climacus grad. 28. p. 301. *Si contra inimicos tuos Regem jugiter interpellaveris, cùm ad te accedunt, confide, non laborabis. Ipsi sponte suâ abs te discedent. Neque enim impuri, & contaminati spiritus patiuntur inspicere, dum coronam ex illorum impugnatione per orationem susceperis.*

# HEBDOMADA XIX.

*Sanctum est quotidie quartam horæ partem, vel etiam plus, si vacat, solum esse cum Angelo Custode, & pium aliquid meditari.*

1.

PLuribus hebdomadis Eremitæ sancto serviverat Angelus tutelaris in ægritudine, ut refertur *Vit. PP. libell. 7. §. 44.* sed quàm primùm visitantes alij ad conclavis portam pulsavêre, discessit Angelus. Unde rogo, fratres, discedite, inquiebat æger, quia vobis venientibus reliquit me Angelus meus, à quo visibiliter solatium & auxilium percipiebam. Vix hæc prolocutus, animam Deo per illius Angeli manus dedit. En quàm amat te solum esse Angelus tuus Custos, ut ad solitudinem ducto tibi loquatur Deus ad cor.

2. *Apud Rosweid. vit. PP. lib. 7.* Duodecim sapientes Anachoretæ suas singuli meditationes conferunt in colloquium. Tertius ex illis dixit: Ego diluculo ascendo ad Deum meum, & adorans illum jacto me in faciem meam, confitendo culpas meas: & sic descendens oro Angelos Dei, rogans eos, supplicare Deo pro me, & omnem creaturam.

Quintus ait: Ego Angelos aspicio ascendentes, & descendentes ad animas, & semper finem meum operior dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Nonus

» Nonus ait: Ego quotidie Ecclesiam
» intellectualium virtutum expecto, &
» custodio meum ipsum, &c. Timeo
» igitur eum, ut custodientem vias meas,
» & quotidie ascendentem ad Deum, &
» insinuantem actus meos & verba. Disce ab his & evehe mentem super ista hæc mortalia, atque è cœlo sublunaria hæc intuere: ex æternitatis domo hoc momentorum diversorium arbitrare.

3. Ita S. Furseus (*Vita 16. Ianu.*) ab Angelis in cœlum raptus, inde orbem quatergeminâ perfidiæ, avaritiæ, discordiæ, crudelitatis flammâ flagrantem aspexit. Ad corpus postliminio reverti jussus est, ut orbem ad frugem reduceret. Tum Angelos plenâ sensuum altissimorum melodiâ canentes audivit. Symphoniæ argumentum
» fuit: Ad æternitatem tempus omne
» perbreve, ad illas coronas labores o-
» mnes momentaneos, ad illam gloriam
» & jucunditatem, quidquid hic mole-
» stum est, nihil esse. Hoc tu cordi tuo meditationis brevis longum certè thema pone. Felices quadrantes, felicia subsecivorum temporum analecta, quæ hac ab Angelis cantatâ meditatione cor cœlo affigunt.

4. S. Guilielmi Mater *Vitæ cap.* 1.
» Videbam, ajebat, nocte quadam, &
» Solis radius illustrabat partem dextram
» pectoris mei. Dehinc apparuerunt
» quidam vultus gerentes Angelicos,
» ipsique filium meum mihi abstrahentes
» altiùs efferebant eundem infantulum
» claritate nimiâ circumfusum. Ego pavore perterrita nihil aliud quod dicerem reperiebam, nisi tantùm: *Sancta MARIA Mater Domini Salvatoris, tibi commisso: custodi illum.* Avellunt nos & ablactant ab his uberibus Angeli; & sicut sanctam Mariam Magdalenam olim quotidie ad cœlum elevabant, nos etiam ut in cœlum ad contemplationem solidorum perennium elevemus mentem, desiderant. Altiùs, altiùs ut è sordibus his sursum corda elevemus volunt. Sciunt enim illas vitæ particulas, quas hic attentè cogitatèque ruminandis rebus divinis impendimus, esse pretiosissimè collocatas.

5. Si certi dies certis id genus considerationibus assignentur, erit res absque tædio & magis apta movendo cordi. v. g. Dominico TRINITATEM sanctissimam. Feriâ 2. agonizantium & purgatorij statum. Feriâ 3. Angelum Custodem. Feriâ 4. Jesulum in MARIÆ sinu. Feriâ 5. SS. Sacramentum. Feriâ 6. Christum passum. Sabbatho MARIAM Deiparam pro cordis themate accipe. Ita *apud Bollandum Vitæ lib. 5. cap. 16. 13. Ian.* B. Veronica Virgo rapiebatur ab Angelo singulis Sabbathis toto uno anno labentibus ad superûm regna; ubi cœlestia solennia circumspectans, videbat superos omnes procedere ad honorem Matris Dei. Tum B. MARIA Virgo Veronicam jucundissimo aspectu dignata est. Et Veronica se tunc mortalium rerum omnium fuisse oblitissimam dixit. Utinam importunam evanidorum horum recordationem sancta & seria æternorum memoria nobis tandem ita excutiat, ut ne nos tempus æternitati felicissimæ suffuretur.

6. 4. *Esd.* 2. Angelus Esdram ad cœlestia meditanda erexit, quando ostensâ illi in monte turbâ innumerabili Deum lætis canticis collaudante, & in medio

medio eorum filio Dei juvene staturâ celso, eminentiore omnibus illis (qui dum singulis eorum capitibus imponeret coronas, magis exaltabatur) dixit: *Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, &c. modò coronantur, & accipiunt palmas.* Has palmas quotidie aspice; ut & tu stes fortiter pro nomine Domini, sive ab homine, sive à dæmone tenteris.

7. Utinam quemadmodum B. Claram Indam Regis Martyris filiam, quotidie à sexagenis Angelis in cœlum assumptam narrant *apud Maracceum in liliis* §. 16. *pag.* 82. plures; ita pro quarta saltem horæ parte quotidie cor nostrum Angelus elevaret in cœlum! Ita demum cœlestia meditando divini ac cœlestes fieremus. Tunc intraremus cœli adyta, inferni penetralia penetraremus, puncta indivisibilia temporis cum æternitate sapienter componeremus in parallela sancta, cor ad æternas Maximas aperiremus.

8. Semper nos amant, sed tunc vel maximè delectantur in nobis Angeli, dum aliquam temporis particulam consecramus æternitati cogitandæ, oberrandis cœlitum choris, salutandis magnis cœli civibus. Sancto *Amabili*, aliquot Divorum, quorum cultui addictus erat, reliquias exoptanti, Angelus illas unà cum allato fortunatæ mortis, ac felicis ad æternam vitam prædestinationis nuncio dedit. Elevent te ad cœlum ipsæ, quas vides, reliquiæ, ipsi quos vides aut legis libri, sive illi ad legendum, sive etiam ad orandum sint conscripti. *In histor. Min. tom.* 1. *Anno* 1249. Elfridus Ordinis D. Francisci, aliquando sub divino officio vidit Angelum in aureo thuribulo cœleste thus incendere, & orantes omnes ac singulos illâ odoris suavitate perfundere. Meditatio thuribulum est, in quo exardescit ignis in odorem suavitatis.

---

# HEBDOMADA XX.

*Statâ & constanti aliquâ devotione, ut precibus, mortificationibus certis, cole cum sanctis tuis Advocatis Angelum Custodem.*

1.

ALexander Bertius, Angelum tutelarem, SS. Joannem Evangelistam, Franciscum, Ignatium, B. Aloysium colebat certis precibus quotidie. Quo verò die illas fortè omiserat, in corde vocem audijt increpantis: adeóne suos ille cœlites negligeret, & à neglectis negligi non timeret? Moriens, *An non*, inquit, *coram intuemini MARIAM DEI Matrem, Dominam meam, meúmque Custodem Angelum, & Mariam Magdalenam de Pazzis?* Et verò ab Angelis coronari & ferri ad sepulchrum est visus. *Ita ejus vita.*

2. Ludovicus Freredoux Philosophus Angeli Custodis officio quotidie recitato constanter & devotè duo præcipuè memoranda videtur assecutus: alterum, ut nullis carnis aculeis molestè urgeretur; alterum, ut de universa Philosophia respondenti Angelus quasi

Præses

Præses adesset, qui dicenda fideliter & amicè suggereret, Ludovico ad singula usque ad magnam audientium admirationem respondente. Adeo urbanus & gratus est Angelus erga suos, quos in sancta officiorum reciprocatione non segnes experitur.

3. Id quod de 24. Sanctis alibi lego, de 24. Angelis narrat *Rho lib. 3. Virtut. cap. 4.* de Alphonso, qui adeo statis ac certis obsequijs colebat suum tutelarem, & Angelos ejus Sodales, ut diem omnem ac noctem, atque adeo vitam omnem illorum cultu metiretur. Ad horas singulas unum è 24. Patronis Angelis adsalutabat: ne autem inurbana illi abiret nox, ad singulas etiam noctis horas piâ assvetudine, aut Angeli operâ, excitabatur ad salutandum, atque eo perfunctus officio indormiebat.

4. Aristoteles Platoni Magistro suo aram erexit in testimonium animi grati, & inscripsit, Platonem esse, quem probi omnes deberent imitari & commendare. Quid tu Magistro tuo Angelo? illi Magistro, qui te à primis incunabulis tutatus docuit, & res tuas coram Deo promovit? Da te illi totum in Minerval, ut suo olim Philosopho Magistro se dedit Æschilus, & in testimonium hujus mancipationis & grati animi quotidianum reverentiæ pensum illi persolve liberaliter ac constanter.

5. Nullis autem fortunæ bonis aut occupationibus mundi te à statis Dei & Custodis tui obsequijs præpediri sine. Certè Christus *Matt. 16. v. 26.* Post quam gravissimam illam sententiam pronunciavit: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Mox v. 27. quasi dicti causam reddens subjecit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique juxta opera ejus.*

6. Age quæso, & operibus illis incumbe, juxta quæ reddetur tibi. Da anno, da mensi, da hebdomadæ, da diei, da nocti, da horis pensum certum; & re cum Angelo custode collatâ prudenter & hoc age. Ita ijs, quæ in Deiparæ & Angelorum honorem agis, applaudent Angeli. Ita A. 1431. Custodes Angelos mortalium singulorum vidit Carthusianus quidam Trevirensis, qui cum lætitia quotidianas clientum suorum litanias, rosaria, preces omnes, &c. ad SSS. TRINITATIS thronum deferebant, *Alleluja* canebant; gratiam, benedictionem, felicem è vita exitum illos habituros clamabant, qui his constanter & solidè sese dederent! Ita vesperi totius diei tuæ acta, & tuæ erga Angelos Cælitesque reliquos obsevantiæ muneraria quasi vectigalia in cœlum deferunt Angeli. Vide, ut ne quid de solito penso desit, neque tam attende quàm multum, sed quàm attentè, quàm exactè feceris, quæ illuc mittes.

## HEBDOMADA XXI.

*Iaculatorijs orationibus ex corde fundendis assvesce.*

1. Sem-

1.

SEmper his indigemus, & mirum in modum nos illæ perficiunt Deo. In Phrygia cùm religiosa Virgo (*apum lib. 3. c. 79.*) pro sordidarum, quibus Angelus Sathanæ illam affligebat, cogitationum remedio precaretur, Angelus Custos fidelissimus, amantissimus, doctissimúsque Magister illam edocuit; ut quoties ab impuro Angelo colaphizaretur, jaculatoriâ oratione cor in Dei sinum ejacularetur, ac diceret: *confige timore tuo carnes meas.* Hoc illa usa Custodis consilio, nunquam postea molestum sensit Angelum illum Sathanæ. Horret has dæmon. Unde S. Ludgardis, quoties pro quadam cordis æstuantis respiratione sanctóque quasi anhelitu dicebat, *Deus in adjutorium meum intende*, videbat panico quasi terrore correptos dæmones in fugam se conijcere. Et verò hæc est ars conservandi suaviter memoriam præsentiæ Dei.

2. Licebit interdum ipsum etiam Angelum Custodem brevi precatione alloqui, qualis fuit illa familiarissimi suo Custodi Angelo Patris Realini:

*Angele, Custodem mihi quem bona gratia fecit,*
*Sis precor auxilij cura beata mei.*

Vel ad Deum, qualis fuit illa, quam *apud Surium 19. Maij* S. Dunstanus Archi-Episc. didicit. Audiebat ille cœlestem symphoniam, & ab Angelo, cur non & ipse caneret interrogatus, nescire se dixit, quid in Regis Dei gloriam cantare deberet. Hunc ergo ab Angelo didicit, seu cantum, seu jaculatoriam precationem: *O Rex gentium, Dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ, da nobis indulgentiam, Rex Christe, peccatorum!* ALLELUIA. Gelasius puer Opilium germanum suum inter preces videt stipatum Angelis, & Christi vocem audit: *Sinite parvulos venire ad me*, (Ferrar. 12. *Octob.*) Semper ite tuus Angelus stipat, ora, & plures ad te allicies.

3. *Apud Socrat. lib. 7. cap. 17. Eccles. hist.* orante in urbe Theodosio juniore Imperatore, circiter decem millia Sarracenorum ab Angelis, qui se ejus belli dispensatores à Deo missos annunciaverant, acta in Euphratem, miserrimè periêre. S. Ladislao gemini circa humeros Angeli ensibus fulgurantes adstare visi. S. Wenceslao adstans Angelus voce horrendâ in aures hostis intonuit: *ne feri!* En quàm prompti sunt, modò invocentur! Jaculatoriæ sanctam quandam consvetudinem tibi inducent, ut in repentinis casibus, & sæpiùs aliàs ad Angelum tuum, pro auxilio, corde assurgas.

4. Assurgendum verò, & primò, & maximè ad SSS. TRINITATEM per Angelicum illum versum, qui erit pro jaculatoria oratione: *Gloria Patri, &c.* Ajunt S. Damasum Papam, ut ad singulorum Psalmorum calcem, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* adderet, ab Angelis edoctum. Semper etiam in pretio apud omnes ascetas fuit versus ille: *Deus in adjutorium meum intende.* S. Arnulpho Metensi Episcopo dicenti illum versum, cùm Sacerdotes illius obdormissent, Angeli respondêre: *Domine ad adjuvandum me festina.* Barry *Pædagogi cap. 1.*

5. Joannes Rossi *opusc. 3. c. 12.* è mirabili

rabili illo SSS. TRINITATIS & Angelorum sanctorum cultore Francisco Foliano, quasi è cordis pharetra, selegit quædam jacula sancta. Do pauca è multis: ut & tu ad illos cum familiari illo Deo & Angelis corde aspires.

1. O signacula similitudinis divinæ, pleni sapientiâ & perfecti decore spiritus cœlestes, in delicijs Paradisi Dei omni lapide pretioso gratiæ & gloriæ operti!

2. O Nobilissimi Filij Dei, primitiæ creaturarum, astra matutina Deum laudantia; Cæli, Dei gloriam enarrantes!

3. O lucidæ divinitatis scintillæ, fulgentes radij, tubæ trisonæ majestatis!

4. O gloria TRINITATIS mirabilium per vos effectricis!

5. O spiritus Doctores mundi, sapientum magistri, Regnorum principes!

6. O Mentes numinis æterni, & incomprehensi luminis spectatrices electæ, ac prædestinatæ!

7. O Spiritus illuminatores, lux mundi, & mundarum mentium!

8. O inclyti Principes Regni cœlestis, Aulici honorificentissimi Majestatis divinæ. Citharœdi, alites, philomelæ Paradisi!

9. O spiracula divinæ puritatis, spiritus à Deo spiritum ducentes!

10. O cœlestis Regni primi omnium hæredes!

11. O excellentissimi adoratores divinitatis, omnipotentissimæ, omni scientissimæ, supersanctissimæ, supérque beneficentissimæ TRINITATIS.

Est inter sacra Foliani cimelia etiam hic titulus: *Jacularium ad Angelum Custodem tomus 7.* in quo ille trecentis salutationibus jaculatorijs Angelum suum salutat. Inter plurima etiam sic aspirat:

12. O cœli empyrei stella præfulgida divinis irradiata fulgoribus, Angele Custos meus illustrissime. Quanto flagras desiderio habendi me tecum! Obtine quod optas mihi, & opta quod vis.

13. Respiro, spiritus bone, respiro, cùm spiras intus, & perflas hortum cordis mei, & inspiras ad audiendum, quid loquatur in me Dominus Deus. O placidissimæ auræ spiritus lenissime, ô Zephyre suavissime, solve glaciem pectoris mei!

14. O nunquam tibi displicuissem, Deo placentissime spiritus, sic enim semper Patri meo cœlesti placuissem! O utinam nunquam in posterum tibi displiceam, ut Deo æternùm placeam! Impetra mihi ô gratissime apud Regem cœlorum Angele, fortitudinem in tolerandis malis, perseverantiam in bonis, beatitudinem in patriam viventium!

6. Aut si lubet cum P. Balth. Alvarez *Vitæ cap.* 3. §. 1. ab Angelis amorem disce, & suspira: Quomodo anima mea Deo non saturaris, tibique ille satis non est, qui Angelis cœlestibus est satis? O Domine, quantum te diligunt, qui te noverunt! Pater tuus te diligit, Spiritus Sanctus te diligit, Mater tua, Angeli tui, filij, & amici omnes amore tui exardescunt, flagrant, & tenerescunt, omnes creaturæ tuæ profundam tibi exhibent reverentiam; & ego solus te non diligam? „

7. Aut cum B. Aloysio *Vitæ lib.* 3. *cap.* 14. O sancti & puri Angeli, ô vere beati, qui perpetuò divino conspe-

 ctui

» ctni assistitis, & tanta cum lætitia faciem cœlestis illius Salomonis inspicitis; à quo tantâ ornati estis sapientiâ, tot ditati prærogativis, & digni effecti tantâ gloriâ! Vos stellæ lucidæ, quæ tam feliciter splendetis in cœlo empyreo, infundite, quæso, in animam quoque meam beatos vestros influxus! servate fidem meam immaculatam, spem firmam, amorem integrum in Deum & Proximum.

8. Excerpe pauciora è pluribus, & elige, quæ corde inflammato ejaculeris & tu. Ita Angelus eris & tu centum illis Angelis verior; de quibus apud Barrium *Padagogi cap.* 15. Rabbi Moyses ait, Hebræorum Doctorum esse sententiam, (meliùs dixisset fabulam) quòd Deus centum quotidie Angelos creet, qui mox Deo laudes canant; postea alijs Angelis permisceantur. Permisce te Angelis quotidie centies, & sæpiùs Deum suspirijs accensis laudando, ut unà cum illis voces tuas Deus admitti jubeat deprecare, *supplici confessione dicens*, unà cum Angelis: *Sanctus! Sanctus! Sanctus!*

9. Inter alia orationum harum argumenta esto sæpe etiam ardens petitio, ut te Deus in suo sancto servitio confortare & conservare dignetur. *Quàm facilè transit* (ad gloriam) *qui portatur manibus Angelorum!* inquit in Psalmum: *Qui habitat.* Bernardus. At qui sunt illi, qui sic portantur? Respondet Ambrosius in caput 1. ad Colos. *Omnes, qui fixâ mente devoti sunt exeuntes de seculo, duce dextra partis Angelo inducuntur in cœlum.* Illam ergo fixæ mentis devotionem in jaculatorijs pete.

# HEBDOMADA XXII.

## *Circa punctum prædestinationis tuæ, cum timore & amore age omnia, quæ prædestinatos filios Dei decent.*

1.

ANgeli omnes, (Heb. 1.) *sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Angeli,* Damiano serm. 40. *sunt officinæ cœlorum.* Et verè illis, utpote salutis nostræ cupientissimis administris commendandum est arduum illud punctum. Maraccius *in liliis Marian.* Romæ Anno 1651. impressis de Birgitta à Monte acuto §. 9. refert, illam Deiparæ ac Angelis familiarissimam templum ab Angelo ingredi jussam, illic vidisse Majestatem Reginæ Angelorum cum multitudine ingenti Angelorum: è quibus duo Reginæ latera cingentes tabellam tenebant coram Virgine, quæ Birgittæ ita loquebatur: *Vide, Filia, an in hanc tabellam sis relata.* Vidit suum in tabella nomen Birgitta charactere aureo exaratum. O hanc mihi, meóque nomini felicitatem!

2, Apud *Nicol. Denis.* de prov. div. *tract.* 1. Seniori dæmon apparuit Angelum lucis mentitus, & dixit, fratrem illum juvenem, quocum versaretur, actú agere, jam enim esse destinatum ad perditionem cum reprobis. Adeo percussit ea res viri optimi pectus, ut quoties sanctum illum Adolescentem videbat,

bat, doloris impotentissimus, in lachrymas solveretur. Advertit, & tandem id quod erat extorsit è Seniore sanctus juvenis Antiangeli pronunciatum: sed imperterritus; Deus, inquit, quod in oculis suis beneplacitum est, adimpleat, ego enim illi non servio propter regnum cœlorum, sed propter bonitatem suam & amorem, quem erga me morte suâ testatum reliquit. De cætero, si mihi Regni cœlorum consortium dare decrevit sit benedictus: si ad inferos demergere velit, justa erit voluntas ejus, quis poterit impedire? Tum demum verus Angelus falsi impostoram detexit, & dixit, juvenem illum plus hoc generosissimi & Dei amantissimi cordis actu meriti sibi ad cumulum addidisse, quàm totâ hactenus vitâ unquam.

3. Habet Angelus noster curam, ut nos ad illa exciter, quæ sunt Prædestinatorum, utpote cùm Angeli sint *salutis nostræ ministrales*, ut illos vocat S. Cyprianus in prologo de *Card. Christi operibus*. Unde sæpe inscripta vitæ libro mortalium nomina ostendit per Angelum Deus. Authore S. Hieronymo *de Script. Eccles.* S. Marco Evangelistæ Angelus Marci nomen in libro electorum ostendit. S. Robertus Abbas ab Angelo, cui eleemosynam è mensa sub egeni lacernis latenti dederat, intellexit discipulos suos omnes cœlo inscriptos, duobus exceptis. Unus eorum fuit ille, quem è medio comprecantium cœtu dæmonis furcâ abstractum in sporta auferri in orcum vidit. Ipse verò visus est post mortem ignei globi specie à tribus Angelis cœlo inferri, quidquid latrantes contrà inferni canes ringerentur.

4. Limæ Anno 1589. lapsum quendam cum geminis libris invisit Angelus, in quorum altero prædestinatorum, in altero damnandorum nomina visebantur. Vidit se è primo in secundum librum referri, & vehementissimè ingemiscens, atque optima promittens, Angelum permovit, ut se iterum libro vitæ inscriberet.

5. Referente Speranza *Script. Sel. pun. 78. pag. 159.* Lucifer à S. Francisco ter devictus armavit 60. millia dæmonum. Omnes hi contra unum? sed victorem; & victi. Occultior, inquit S. Gregorius Nissenus *lib. de Vita Moysis*, & verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino clementiâ divinâ neglectam, sed Angelorum aliquem in adminiculum cuique constitutum esse. Cui verò id bono factum putat? Ut administratorij sint spiritus Angeli Custodes pro ijs, qui hæreditatem capiunt salutis.

6. S. Menradum in eremo oppugnantium dæmonum tanta fuit multitudo, ut lucem ipsam obtegeret examen horrendum. Vidit Angelum suum custodem Menradus; & omnes vicit. *Vita 12. Januarij.* Certè vellent illi nobis cœlum non tantùm obnubere, sed & claudere; verùm habemus fidelem & potentem archistrategum, cum quo, si volumus, vincemus quidquid saluti nostræ adversum est.

7. S. Bathildis animam quasi manibus & alis cœlo per scalas inferre visi sunt Angeli cœlites. Svadeo hìc, ut Sanctos illos, quibus morientibus & in cœlum euntibus adstare visi sunt; item quibus felicem ex hac vita discessum

prædixerunt, quos in libro vitæ inscriptos ostenderunt sancti Angeli, sæpe invoces eo modo, quem indicabimus *Hebd. 52. hic.* Ubi selige, quos vis; & alios quos lubet adde. Addo unum.

8. Mellito, juveni simplicissimæ humilitatis Angelus epistolam aureis scriptam characteribus dedit, & dixit: *Aperi, & lege.* Legit suum primò, deinde aliorum quorundam nomen. Ipse primus vitâ cessit: alij ordine secuti. *Auro scriptos viderat*, inquit *lib. 4. dialog. cap. 26.* hæc narrans Gregorius, *quia eorum nomina apud se fixa æterna claritas habebat.* Age, quod sanctè ageres, si talem ab Angelo epistolam haberes.

# HEBDOMADA XXIII.

## *Cogita te semper, & ubique esse coram Angelo Custode.*

1.

„ PUtas te solum esse, cùm &c. inquit „ S. Ambrosius *in Psal.* 118. & non „ recordaris, quia oculi Domini vident „ orbem terrarum? Adest Pater, adest „ Filius, adsunt Angeli ministri, adsunt „ Cherubim, & Seraphim, qui dicunt: „ Sanctus, Sanctus, Sanctus! plena est „ terra majestatis gloriæ tuæ! Adeo adest nobis Angelus noster Custos, ut vitæ nostræ totius sit testis. Pisanus B. Antonij Archi-Episcopi Duratij laudes funebres pro concione ab Angelo dictas narrat, *Martyrol. Francisc. 15. Martij.* Super corpus ejus, inquit, „ quidam pulcherrimus juvenis apparuit, „ nunquam priùs visus: qui coram po- „ pulo stans, vitam ejus à die Nativitatis „ usque ad mortem recitavit; & posthæc „ disparuit, nunquam deinceps visus „ ab aliquo.

2. Ille, ille funebre tibi encomium faciet, utpote oculatus, ut ita dicam, & singulorum tuorum dierum & factorum speculator. Adfuit S. Gregorio Turonensi Episcopo nocte, & illum etiam nocturnum orandum erat, dormientem vidit (nox Christi nascentis illa erat) atque ad preces alapâ excitavit.

3. S. Franciscæ, (*Vitæ lib. 2. c. 14.*) Archangelum suum socium semper videbat, oculos tamen in coruscantem illum vultum figere non satis poterat, quocunque iret, quidquid ageret, interdiu noctúque, semper secum cœlestem illum Achatem vidit, benignè faventem in omnibus jucunditate intimâ plenissima, etiam per vias, & in templis, & inter colloquendum. Angelicus autem ille vultus erat plenus amabilissimæ cujusdam placidissimæque modestiæ, ac lætæ in corde tranquillitatis radius, tener instar parvuli novem annos nati: facies & oculi in cœlos erecti semper sinè ulla violentiæ significatione, cancellata super pectus tenella brachia in figuram crucis; coma quasi fusis ex auro purissimo aureis radijs crispida exundabat in humeros cervicem totam blandè operiens. Supernè induebatur veste candidâ instar diaconi, vesti color nunc cœlestis erat, aliàs ruber & flammicans usque ad talos. Pedes intaminato candore semper purissimi: & licet Franciscam etiam per lutum sequere-

quererur, illi tamen infecti sunt nunquam; sed semper clari, nitidi, non secus ac Sol in luto est mundus. Attende & tu, adest enim!

4. Magno in æruminis solatio est cogitare præsentem sibi esse Angelum Dei. Bollandus 1. *Ian. num.* 7. refert S. Concordium in ima carceris detrusum, collo manibúsque ferro vinctum ad cruciabilem famem, Deo gratias decimisse in hæc Angelorum verba: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Affulsit illi sub noctis medium Angelus, dixitque: *Noli timere, sed viriliter age, quia ego tecum sum.*

5. Magno hæc Angeli nobiscum præsentia solatio fuit Augustino *Soliloq. cap.* 27. sic ad Deum suspiranti: *Diligunt concives suos Angeli, per quos suæ ruinæ scissuras restaurari expectant, ideóque magnâ curâ & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & providentes necessitatibus nostris; & soliciti discurrentes inter nos & te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio nationis pravæ conversemur. Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes.* Considera itaque, quàm non otiosus tecum semper, & ubique sit Angelus tuus Custos.

6. Solatio pijs, impijs autem terrori est illa Angeli præsentia. Adest illis, ut puniat. Anaclinus in Vngaria Princeps (quod Cerda refert *de excell. Spirituum cap.* 27. *num.* 16.) præsentem sensit vindicem Angelum, qui invidi Anaclini cor præsentibus multis, ex ipsa radice evulsit. Ibidem è Ximenio & Vasconcello refertur Angelus in Simoniacum Colonienſem Archi-Episcopum cœleste fulmen torsisse, quo ille in Sede Pontificia ipso Consecrationis suæ die spectantibus omnibus absumptus conflagravit. Ibidem Rayuerius Episcopus Argentinæ, vir in egenos durissimus ab Angelo sciſſus est medius. Ita *Danielis* 13. *Ecce Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium & interficiat.* Trevirensis Frontonius ipsa, cui cum scorto suo assidebat, mensa ab Angelo interfectus est, ne sanctum Episcopi nomen scelerato scandalo pergeret inquinare. De Angelo percutiente habes 2. *Reg. cap.* 24.

7. Sed & ad minores nævos advertit Angelus, ut exemplo S. Franciscæ Romanæ ab Angelo alapâ percussæ constat. B. Veronica Virgo (*Vita lib.* 3. *cap.* 9.) ajebat ad suas: Missæ sacra agente Sacerdote juxta altare genuflexam sororem curiosiùs aspexi (ecce vigilantem ad te in templo Angelum tuum) Angelus Domini, qui mihi adesse consueverat, me tantâ severitate increpuit, ut ferè diem extremum clausura fuerim. Heu quàm ingens horror fuit illic arguentis Angeli! quàm dura verba! quàm terribiles vultus! Inter cætera Angeli verba fuêre: Siccine egisti, cordi laxans habenas? Cur oculis divagata es? Cur sororem illam curiosiùs inspexisti? Addidit. Virgo per tres dies lachrymata, sibi gravem pro illa

illa oculorum evagatione impositam fuisse pœnitentiam. Vide ergo, quàm te à magnis & minimis recordatio præsentis, & tibi attentè attendentis Angeli debeat custodire, ne cadas.

8. *In Vita Francisci de Sales Episcopi* narratur Dequoëzus Francisci Confessarius tutelari suo ubique familiaris, qui sive ingrederetur, sive egrederetur, sive procederet, Angelo suo primum semper cedebat locum, videbat enim illum aspectabili, vivâ, & amabili effigie præsentem sibi ubique. Neque aspernatus est id officij beatus genius. At posteaquam Dequoëzus cœlesti Sacerdotis honore ornatus est, præire Sacerdotem clientem noluit; neque id genus officij admisit à familiarissimo urbanissimóque cliente. En quàm nobis adsunt, quàm nos honorant nostri Angeli tutelares. Nullus amicus amimico ulli tam fideliter atque amanter adest, atque ille tibi. Meretur à nobis ubique reverentiam & amorem.

9. Neque aspernatur, si te in abjectis videat occupatum. Raderus *Bavariæ sanctæ p.* 1. *pag.* 157. narrat, occupato inter ligna B. Friderico, & sanctissimam synaxim vehementer desideranti, illam ab Angelo Custode porrectam, ut animam illam in labore suo divinam famem patientem satiaret bonis. Vide, quàm tibi ubique adsit Custos tuus. *Procopius* è vetustis authoribus unus *in Isaiam cap.* 6. ait, Angelorum primariam ac naturalem vitam esse, in Dei pulchritudinem aciem intendere, eúmque perpetuò celebrare. Bene id ille; sed ita Deo adest, ut à nobis absit nunquam. Quin imò plùs nobis invigilat aspiciendo Deum, quàm tu aspiciendo speculum ad illos possis attendere, quos in speculo vides.

# HEBDOMADA XXIV.

*Ordinaria, quæ ad Deum spectant opera, & officium tuum diligenter, exactè fac, & ardenter.*

1.

NUmerantis passus Angeli, antiqua est narratio. eam ita narrat Rosweid. *lib.* 5. *Vit. PP. pag.* 448. *num.* 31. Senex quidam sedebat in eremo, qui longè habebat aquam à cella sua per 12. millia passuum; ubi dum semel iret haurire aquam, defecit, & dixit: Quid necesse est, ut hunc laborem patiar? Venio, & habito circa aquam hanc. Et conversus vidit quendam sequentem se, & numerantem vestigia sua; interrogavit autem eum dicens: Quis es tu? Et ille dixit: Angelus Domini sum; & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod cùm audisset senex, forti animo factus promptior, adhuc longiùs posuit cellam suam ab aqua illa. Neque Jobi tantùm, sed & tuos passus considerat, & numerat Deus & Angelus Dei. Adest surgenti, oranti, studenti, scribenti literas, negotia expedienti, & annotat.

2. Baptista de Varanis Virgo, ut de illa *in Vita Anno* 1624. *impressa* habet *Passinus*, à Beatissima Virgine Seraphinum petebat sibi mitti, ad cor inflam-

man-

mandum. Et verò adeo arsit, ut verè Seraphinum cordi suo involâsse persenserit. De Catharina Raconisia *liliorum* §. 9. *Maraccius* ita habet: *Injunxit* (puer JESUS) *Seraphino, ut unà cum Custode Angelo illius tutelæ incumberet.* O pete cordi tuo Custodem hunc ignis optimi Seraphinum; ut ordinaria tua omnia non è frigida quadam consvetudine, sed ex intimo cordis calore perficias.

3. *Liber de Viris illustribus Ordinis Cistercienſis* ait, à S. Bernardo visos Angelos singulis orantibus adstantes, illorum preces diligentissimè annotâsse. Character exprimebat gradus diligentiæ, & devotionis, quâ orabant. Unde qui nullâ penitus adhibitâ diligentiâ ore tantùm orabant, illorum Angeli otiosi adstabant, ne scribere quid dignati; alij verò auro, argento alij, nonnulli atramento, quidam aquâ scribebant: ut devotionis coram Deo pretium exprimerent.

4. Ut verò omnia opera tua auro scribat Angelus tuus, adverte ad circumstantias loci, temporis, & reliquas. Omnia ordine fiant, omnia suo tempore: ne præposterâ perturbatione dum aguntur multa, agatur nihil. Angelus Custos Eremitæ, viro aliàs probo, jam acerbas, nunc maturas, aliquando putridas uvas afferebat pro cibo. Acerbas, quando tempus orandi prævertebat; maturas, quando suo tempore orabat; putridas, quando tardiùs, seu elapso jam ordinario precandi tempore, precabatur. Itaque neque antevertendum est tempus, neque aliter luxanda ea, quæ agimus. Ad instar luxati membri se habet ordinaria illa occupatio, quæ suo tempore non fit. *Iustè quod justum est exequêris.*

5. *Lib. 4. cap. 2. insinuat. Divin.* S. Gertrudis sub vesperis, dum cantaretur: *Gloria tibi Domine, &c.* vidit copiosam multitudinem Angelorum circa Conventum volitantium, & cum ipso eundem versiculum sonoris vocibus jubilando resonantium. Ita cum Angelo tuo omnia ordinaria opera tua ex intentione optima ad Dei gloriam ardenter ac semper directa dicant: *Gloria tibi, Domine.* Hæc esto aurea regula actionum.

6. *In Vita Pachomij cap.* 12. Apparuit Angelus Domini deferens Pachomio tabulam, in qua erat omnis forma institutionis adscripta, quâ docendi forent, quicunque ad ejus Magisterij studia perveniſſent. Habet omnium tuarum actionum regulam auream Angelus tuus Custos, illum consule; ad illam exactè erudi horas tuas omnes, & quidquid illæ occupationum ferunt.

7. Cave autem ex ordinarijs pietatis officijs negligas quidquam. Ginnarus Xav. *Orient. lib.* 12. *cap.* 39. Protasij, viri in Oriente Regij, meminit. Anno 1589. in Junio videbat per quietem vivâ quadam rei totius imagine Protasius duos præcelsæ pulchritudinis adolescentes, quorum cœlestis quædam in ore majestas illum conterruit. Minabantur enim, & exprobrabant acerrimè, quòd ordinaria pietatis exercitia tam de facili negligeret: quòd in sancto sanctissimorum Sacramentorum usu modico cum apparatu se haberet, quòd in audienda missa negligens, in negligenda facilis esset, sub quæsitis prætextibus. Addidit alter: Inquire cum dili-

diligentia, intra fines Regni tui, reperies signum JESU non humanâ operâ fabricatum; ideóque illud æstimare ac in veneratione habere debebis. Si vixeris, ut bonum Christianum par est vivere, per illud signum semper te defendam, & illud te tuásque res præcedet: sin verò; in ruinam dabo & statum & fortunas tuas: & ad extremum ipsâ etiam vitâ exuam te. Sta ergo solidus in observantia divinorum præceptorum, à qua omne tuum bonum, malúmve pendet. Reperta Crux & Protasius ad intermissa ordinaria sua erga Deum obsequia seriò evigilavit; ut tu ne dormias.

8. *In Annuis Soc: IESU Anno* 1569. Clerici in ordinarijs, quas illis cantare incumbebat, Beatissimæ Virginis vesperis in Urbe Indiæ Bazaim cùm accurati non essent, descendêre è cœlo chori Angelici, & in plures divisi partes, obstupescentibus qui id audiebant omnibus, vesperas Marianas pulcherrimè cecinêre; simúlque Clericos suo admonuêre exemplo, ut in ijs, quæ illis ordinaria sunt ex officio, nullo se tædio vinci sinant; verùm exactè exequantur.

9. Ordinaria certè ordine sancto sanctè exequi est imitatio cœli; sicut ubi nullus ordo est, imitatio est, inferni. S. *Dionysius* de cœlesti hierarchia *cap.* 8. *Sanctarum nomen Potestatum*, inquit, *signat inconfusum divinis rebus excipiendis ordinem, &c.* Omnia ordine fiant, serva ordinem, & ordinaria, quæ agis exactè.

10. Antiquus & vulgatus passim animorum nostrorum morbus est, ut ea, quæ ordinaria sunt, non satis exactè faciamus, verùm è tædio quodam permixta consvetudo rem facit. Ideo solitæ preces & alia pietatis officia frigidè ac lentè, aut certè præcipiti quodam impetu fiunt. Quam in rem adverte, quid *lib.* 4. *insinuat. cap.* 2. viderit S. Gertrudis Virgo. Adfuerunt, inquit, duo præclari proceres ferentes auream quandam tabulam, quam tenentes extendebant coram Domino. Apparuerunt in eadem tabula omnia verba Psalmi, & orationum, quas conventus dixerat, in similitudine gemmarum vivarum, mirâ varietate mirabiliter distincta. Et quælibet gemmula prætendebat splendorem miræ claritatis cum clangore soni prædulcis. Illæ verò orationes quæ ex usu tantùm sinè devotione persolvebantur, apparebant in specie margaritarum tenebrosarum. Vide ergo, ut omnia, quæ agis, preces, colloquia, facta tua, negotia omnia non ex usu tantùm & sinè devotione fiant, verùm solidè & sanctè. Omnia quæ agis opera tua ordinaria sunt margaritæ. Si ex usu tantùm agis, tenebrosæ sunt; si verò verâ devotione & intentione animes, quidquid agis, sunt in tabula cordis tui instar gemmarum vivarum.

## HEBDOMADA XXV.

*Itineri te accinge, Angelo Custode invocato. Et erga hospites venientes hospitalis esto.*

1. *Apud*

1.

*Apud Gianettum in monitis pag.* 23. Cetellus adolescens à suo Custode Angelo est acerrimè reprehensus, quòd cùm domo prodiret, signo Crucis signare se neglexisset.

2. Anno 1587. ut ejus anni refert impressa narratio, Julæ in Peru adolescens viginti ferè annos natus, in itinere turbine repentino terræ allisus ore ac naribus sanguinem ejectabat, cùm illi spectrum horrendum innexis collo manibus elidere spiritum pararet. Illo Jesum & Mariam inclamante, adstitit Angelus Custos pulchritudine superbas nostris oculis visas pulchritudines longè augustior. Pulchra illi è capite per cervicem in humeros modestè fluebat cæsaries, pulchra in fronte amabili fulgurans crux, pulcher ísque aureo charactere scriptus in manu liber. Hic attonitum juvenem, & horrore perfusum graviter increpat, quòd institutus apud Jesuitas, iter non à salutari peccatorum confessione, non votis precibúsque in templo esset aggressus; nec mirum, si tam propè abfuisset ab inferis. Dixit, & clientem neque quidem, uti poterat, pristino robori restituit, ut longiore ægritudine saperet, neque tamen deseruit; verùm tam diu illi Custos adesse, & pone illum inambulare est visus, dum adessent, qui illum ad valetudinarium delatum curarent. Habes hìc ab ipso Angelo, quid te pro felici itineris apparatu agere condeceat. Etiam ex toto Tobiæ libro à Raphaële disces, Angelos fidos itineris comites, & duces esse.

3. S. Dominicum à duobus Angelis accensa luminaria præferentibus ad D. Andreæ per portas obseratas, & per vineas eductum sæpiùs, & illam viam Angelorum vocatam testantur *Annales Cœnobij Faventini.*

4. Joanni Syro in Italiam venienti obvius Angelus, *Serve Dei*, inquit, *hic tibi locus permansionis à Domino parabitur.* Ita hospitem benignè solatus collocavit. Urbanissima, quia è cælestis urbis moribus petita est humanitas Angelorum. Habes tuum tecum semper; cum illo de loco, de omnibus, quæ in itineribus accidunt, confer. Nemini hactenus id non successit.

5. Ita Exod. 14. *Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis*; & tunc felici itinere inter muros aquarum ivit populus Dei Pharaone submerso. Et cap. 32. *Angelus meus præcedet te.* item cap. 33. *Mittam præcursorem tui Angelum.* Ita etiam Monachi tres *apud Raderum p.* 1. *Virid. pag.* 63. somno sopiti in itinere, ab Angelis Hierosolymam, quo tendebant, sunt translati. Maximiliano I. ad Oenipontum in altissimo prærupti montis loco nec pregredi nec redire valenti Angelus Custos elegantissimi Venatoris adolescentis specie adfuit, animavit, viam complanavit, ad securum deduxit, & videri desijt. *Vide Gretserum de Cruce lib.* 2. *c.* 13.

6. In vita S. Onuphrij Paphnutio per eremum iter habenti, ac fesso esurienti pulcherrimâ specie corporis Angelus adfuit, & Paphnutij manus ac labia tetigit, adeóque illum totum recreavit, ut alacer 17. dierum iter confecerit. Offer Angelo tuo pedes, & manus, & labia, & te totum; sciet ille pro suo

ingenio & perpetua erga te voluntate te suavissimè recreare.

7. P. Balthazarē Alvarez ope Angeli è periculosis ereptum præcipitijs narrat prolixè vita illius. Camillus de Lellis ab adolescente equite à difficultate lacunarum, è quibus equi se ultrà moliri non poterant, expeditus est, quando fræno de manu Camilli erepto reduxit omnes è certa morte in portum vitæ, & videri desijt. *Vide Rossium ejus Vitæ p. 2. cap. 13. §. 4.*

8. *Genes.* 24. Abraham servo suo quem ad iter mittebat, *Dominus Deus*, inquit, *ipse mittet Angelum suum coram te.* Præclarum enimverò viaticum, & comitem, & negotiorum expeditorem, cujus auspicijs illi feliciter omnia ex animi sententia succesſère. Et *Gen.* 32. Jacob abijt in itinere quod cœperat; fuerúntque ei obviàm Angeli Dei. Castra Dei sunt hæc. His Dei castris munitus incede, & in hospitijs quiesce. Ita te securum scies.

9. S. Benedicto iter per ignotas vias facienti, ubicunque bivium occurrebat, duo Angeli, quà iter deberet dirigere, indicabant. *Baronius tom. 6.* ex actis S. Marcelli, ait, visum inter ambulandum juvenem staturâ formáque pulcherrimum, zonâ cinctum aureâ, aspectu niveo & lucido cum Marcello incessisse, & senem manu suppositâ sustinuisse.

10. Gloriata est glorioſissima Virago *Iudith* cap. 13. *Vivit ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc revertentem; & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sinè pollutione peccati revocavit me gaudentem, &c.* Utinam in omnibus itineribus tuis, & dum exis, & dum foris es, & dum redis, ita sis Angeli tui comitis & Dei ubique præsentis memor, ut nihil coinquinatus sinè pollutione peccati redeas gaudens.

11. Si quæ te premat in itinere difficultas, habes Angelum, cui illam fidenter proponas. Josephum Matthæum unum è primis atque sanctissimis Capuccini instituti heroibus virum, ajunt, in itinere ab Angelo elegantis adolescentis specie apparente panem candidum accepisse. Aliâ iterum vice duos illi candidos item panes dans Angelus, *Cape*, ajebat, *Iosephe, hanc stipem Dominus tibi submisit, eiq; ob hoc beneficium gratias age.* Vide *Barry Iosephum c. 9.* qui etiam *Pædagogia cap. 2.* ait, S. Martialem Episcopum Lemovicensem, duodecim Angelos prædicationis & itinerum, quæ per Galliam obivit, comites habuisse. Age, ita itinera fac, sive ea brevissima sint, sive prolixiora, tanquam incedas in medio Angelorum, & omni te virtutum viatico instruxisti.

12. Erga hospites verò ab itinere venientes talis esto, quales erga suos in itinere fuisse Angelos retuli; talis esto, quales erga te alios esse voluisti, dum ipse iter faceres, & rem Angelo tuo gratam feceris. *Apud Raderum Virid. p. 1.* ad S. Phosterium Eremitam, cùm solus esset, Angelus panem unicum afferebat; cùm hospites haberet, tot panes dabat, quot hospites numerabat. O præclarum è cœlo ipso hospitalissimæ humanitatis architriclinum! sæpe in itineribus *non hospes ab hospite tutus*, quia homo homini dæmon; quidni ergo hospitalis erga advenas homo homini Angelus dici possit?

13. Ho-

13. Hospes in hospitibus est Christus. Vide ut ab illo olim audias: *Hospes eram, & collegisti me.* Hospites sunt Angeli hospitum Custodes. Age quæ olim Abraham hospitalis egit. B. Ambrosius Samsedonius (ut habet *Vita illius lib. 1. cap. 3.*) cùm nocte quadam pro more quinque peregrinos haberet, quinque Angelos per quietem vidit, audivítque cantantes pulcherrimas laudes maximi Dei, & pretiosissimæ in oculis Dei charitatis. Invitabant Ambrosium quinque illi symphoniaci Angeli ad canendum unà suavitate adeo tenerâ, ut illam dum ille Confessario explicare balbutiendo tentaret, non inveniret explicandi modum, repente attonito dulcissimè consopitus silentio. Inter voces reliquas hæc illi per aures penetravit in cor vivum: Ecce, Ambrosi, quinque peregrini tui à te bene habiti venerunt te visitatum, & nunciatum tibi, quòd omnia tua bona opera summæ Majestatis Deo obtulerint. Eja, bone anime, Angelum venisse audisti, dum audisti hospitem appulisse. O utinam meæ ac tuæ charitatis laudes sint felix & dignum thema Angelis illam cantaturis pro gloria Dei!

14. Eum, ad quem invisendum ibat S. Philetærus hospes, Angelus præcursor monuit, ut venienti hospiti exiret obviàm eúmque singulari honoris significatione exciperet (*Vita 30. Decemb.*) Si verò is, qui hospes est, non sit tantæ dignitatis, neque ipse à te multa mereatur, meretur omnia Angelus ejus Custos, quem in cliente honoras. Adverte tanquam tibi dictum illud Matth. 18. 10. *Videte! ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

# HEBDOMADA XXVI.

*In mensa ita te gere, tanquam memor, quòd verè coram tuo, & sociorum Angelo comedas.*

1.

*Sanctus Ioannes Chrysostomus* in cap. 1. ep. ad Colos. hom. 3. *Unusquisque credentium Angelum habet.* Jacob dicit: *Angelus, qui pascit me, & qui liberavit me à juventute mea. Si ergo Angelos habemus, sobrij simus, tanquam si pædagogi quidam nobis adessent. Adest namque & dæmon.* Ita Chrysost.

2. S. Onuphrio, ut S. Hieronymus *in Vit. PP. lib. 1.* narrat *p. 78.* Sanctus Angelus quotidie panem afferebat, & aquam pro mensura ministrabat, quæ corpus meum inquit Onuphrius, confortaretur, ne deficeret, & jugiter in laude Dei perseveraret.

3. Inter eas, quas Pachomio velut Moysi, regulas dedit Angelus *Vitæ cap. 22.* prima fuit & illa: *Singulis juxta vires suas edere concedas, & bibere, &c. & neque comedere modestè, neque jejunare prohibeas.* En quàm cordi est Angelis etiam in mensa retinenda modestia, virtus certè, quæ Angelos planè decet, & omnes Angelorum æmulos filios Dei.

4. S. Glyceriæ tormenta Angelus temperavit, & in Authores regessit; abreptæ ad carceres Angelus cõpedes sol-

vit, & mensam epulis instruxit. O nobilem planè mensam Angelicâ instructam operâ! Mensis illis, in quibus inimicus Deo venter pro Deo colitur, præest mensæ præfectus dæmon, qui dapsiles suis mensas sternit in æternam famem & sitim. Mensæ verò tuæ Architriclinus esto Angelus tuus.

5. *Iudic. 6.* Coctas à Gedeone carnes & azymos panes, & super petram positas, infuso desuper jusculo, extensâ virgæ summitate contigit Angelus, *ascenditque ignis de petra, & carnes, azymósque panes consumpsit*. Angelúsque Domini evanuit ex oculis ejus. Potes & tu ex ijs, quæ tibi apposita sunt, ferculis Deo facere holocaustum, & per Angelum Deo offerre, si aureâ cibos & potum virgulâ contingas, id est, si verè ex motivo amoris & gloriæ Dei comedens, impleas illud Pauli Colos. 3. *Omne quodcunque facitis, in verbo & in opere, omnia in nomine Domini IESU Christi.* Et de comestione 1. Cor. 10. v. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Ita felix & gloriosa tui erga Deum amoris flamma ascendet è mensa in cœlum. *Iudic. 13.* Angelo mensam paraturus Manue monetur ab Angelo, ut holocaustum offerat Deo. Positis itaque super petram carnibus & libamentis, *cùm ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Ascendet & Angelus tuus, ut præclaros virtutum plurium actus à te inter comedendum elicitos in flamma tui cordis offerat Deo.

6. Eo ergo modo mensæ assides, sicut S. Maria Oegniacensis, cui comedenti S. Joannes Evangelista, & Custos Angelus adfuêre *(27. Iunij)* eo quo B. Clara Inda Virgo Regia *apud Barrium pædag. cap. 2. pag. 68.* cui Angelus pateram unam cœlesti mannâ plenam deferebat, quo illa cibo dum vescereturelevabatur in cœlum. Quid in patellis mersus hæres? Ascende altiùs ad mensam convivarum Dei. Vide, ne hæc te ab illa prohibeat, vel retardet.

7. *Danielis 14.* Dixit Angelus Domini ad Habacuc: *Ferprandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Imò ipse Angelus illum capillo capitis prehensum illuc detulit, & super lacum unà cum prandio deposuit; & postquam comedit Daniel, Angelus Domini Habacuc loco suo restituit. Vide nec prandij nostri oblitos Angelos, modò nos eorum in nos beneficentiâ uti sciamus ita ut decet.

8. S. Gondilucha Matrona Persica, ut *Niceph. Evag. c. 29.* & alij in ejus vita notant, Angelo invitante in cœlum defixit oculos, cùm Persico mensæ apparatui assideret conviva nobilis; & cœlestis convivij jucunditate visâ, cruciabilissimam inferorum famem ac æternam sitim epulonis, ac suorum etiam parentum vidit. Quàm aliter pranderet, & cænaret petulans quorundam gula, & procax lingua, si his Gondiluchæ spectaculis in mensa frænaretur: si se assistente sibi Angelo comedere meminisset. S. Felix ab Angelo toto semestri & cibis & colloquijs recreabatur. Taliáne sunt tua ad mensam colloquia, quæ Angelum deceant, & Felicem?

ANNI

# ANNI ANGELICI

## PARS III.

## HEBDOMADA XXVII.

*Ex Concione ut solidum fructum feras, Angelum Custodem ora.*

1.

ET dicturi ad concionem solent Auditorum Custodes Angelos invocare, ut animos clientum ad sanctè audiendum parent; & audituri nonnulli, concionatorum tutelares genios orant, ut illis ea suggerant, quæ sint apta cordi permovendo. *Annal. Eccl. An.* 1233. *n.* 10. Mutinensis Episcopus juravit coram Pontifice, quòd dum Joannes Vincentinus Ordinis Præd. ad concionem dicturus pulpitum conscendisset, Angelus Domini descendens de cœlo, crucem auream fronti prædicantis infixerit, & id se vidisse. Adeo nimirum bene Concionatoribus favent Angeli; adeo concionem amant bono clientum suorum.

2. *S. Hieronymus in cap. 9. Proverb.* in fine. *Immundi spiritus hæreticorum dogmatibus, quasi convivijs delectantur opimis. At cùm ritè in Ecclesia Christi Sacramenta celebrantur, Christi Verbum auditur & conservatur, constat, quòd Angelicæ virtutes ibi sunt, & in excelsis cœlorum convivæ fidelium.* Adsunt ergo teste Hieronymo Angeli concionem audienti tibi: & tui convivæ sunt, dum ibi pasceris verbo Dei.

3. S. Franciscæ Romana (*Vitæ lib. 2. cap.* 14.) domesticum cordis Ecclesiasten habebat Archangelum, præter eas, quas in templo audiebat conciones. Hic illam exercebat, hic urgebat ad sancta quædam, in alijs ne modum excederet, frænum adducebat: manuducebat per mediam virtutis viam calle regio ad puram solidámque virtutem: denique calorem ille dabat, ille frigidâ qua-

quasi affusâ calorem nimium temperabat, & fræni & calcaris functus officio. Hoc agunt conciones bene auditæ: sed agunt in ijs, qui se ad illas aure cordatâ parant. Hinc illi cordis pulsus, hinc admirandæ per unum in templo auditum verbum conversiones, triumphantibus super cliente suo peccatore pœnitentiam agente Angelis.

4. *Vit. PP. lib. 5. pag. 14.* Paulus simplex cùm eos qui templum ingrediebantur aspiceret, vidit eos clarâ facie & læto animo ingredi, & Angelos eorum cum gaudio pariter cum ipsis. Unum autem vidit nigrum & nebulosum habentem corpus, & dæmones hinc atque inde trahentes eum ad se misso fræno in naribus ejus, & Angelum sanctum ejus de longè sequentem tristem. Sed ille in templo ad cor per solidam pœnitentiam reversus est auditis illis in templo verbis: Isaiæ 1. *Mundi estote, &c. Discite bene facere, &c.* Exeuntem autem illum Paulus vidit clarâ facie, & candido corpore, & dæmones de longè sequentes eum. Sanctum autem Angelum ejus prope eum hilarem, & gaudentem super eum nimis. Hoc facit verbum Dei bene auditum.

5. *S. Anselmus in Cant.* cap. 8. *Pone me, ait Dominus, regentem cor tuum, & cogitationes tuas; habeásque me Rectorem in omnibus operibus tuis.* Ità tibi intus per Angelum ad aures cordis concionatur Deus. Perge, audi, quid in templo è sacris rostris dicat per sacri oratoris os Deus: & ibi Angelum tuum pone custodem tibi, ut ea conserves in corde tuo, quæ audis. Pone Deum Regentem cordis, Rectorem operum tuorum. Reget ille per Angelum singula, quæ ages. Pones autem illum Regentem, si primò ad cor loquentem admittas. Sæpe in concione tempore & loco, quo non expectabas, tangitur, & alius exis ab illo, qui intraveras. Cor Christo Regenti & Rectori negat, qui aures concionibus claudit. Concionatores sunt adjutores Angelorum Custodum, ut nos ad æternum finem permoveant. Inde est, quòd & Concionatores ament Angeli, velintque ab illis dici ad cor cum spiritu id, quod dicunt.

6. Henricus Suso, ut est *Vit. c. 38. apud Bolland. 23. Januarij*, alterâ post B. MARIÆ Virginis Assumptionem die, cœlestis patriæ gaudia spectans, intrare non est permissus ab Angelo; sed in cæcum antrum ductus, audivit subiratam sibi esse B. Virginem, quòd tamet si ex humilitate, invitus tamen in B. Virginis festis concionaretur; & heri planè non esset concionatus. Promisit meliora Henricus Angelo objurganti. Viden' quàm solicitos habeat Angelos Custodes ea cura, ut bonus quispiam, & non evanidus Concionator cœlestia explicet oracula, & corda succendat. Hunc itaque roga, ut ad concionem peroraturo sacro Oratori ea suggerat, quæ tibi aliisque maximè necessaria & utilia esse novit: neque sciolos & comptulos Rabulas quære.

7. Amantissimi sunt sacrarum concionum Angeli; quia vident per illarum auscultationem diligentem, Dei gloriam & animarum salutem plurimùm promoveri. Qua etiam de causa dæmones totis viribus vel ab ipsa concione, vel ab attenta & ferventi illius auscultatione conantur suos avertere.

*Venia*

*Venit diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne salvi fiant.* Bernardinus Bustus initio Rosarij *serm.* 3. *p.* 3. ait, dicente Vincentiæ ad concionem B. Bernardino Feltrino, visos in aëre plures Angelos, quàm essent homines in terra, qui attentè audiebant verbum Dei. Unde Angelus Custos clientem suum ad concionem adducit, assidet audienti, inculcat cordi audita. Denique sicut venit diabolus, & tollit; ita venit Angelus, & ponit verbum ejus, ut audiens salvus fiat.

# HEBDOMADA XXVIII.

## *Puritatem tuam sæpe Custodi tuo commenda.*

1.

SEmper est Angelis cognata virginitas. *In carne præter carnem vivere, non terrena vita est; sed cælestis*, inquit *S. Chrysologus serm.* 143. ubi etiam ait: *Et si cultus scire, Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Esse Angelum, felicitatis est; Virginem esse, virtutis.* Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura. Ideo tantum erga puras animas Angelici amoris invitamentum est puritas, ut *Barrius pædagog. pag.* 11. narret, Novitiæ religiosis primùm vestibus indutæ Angelos hanc accinuisse cantilenam, audiente modulos canentium Angelorum viro quodam sancto: *Gloria in excelsis Deo; & in terra pax Sponsæ Virgini.*

2. Magdalenam ad puritatis castra reducem septies quotidie Angeli familiares ad audiendas cœlestis symphoniæ delicias elevabant. En quàm placet Angelis Angelica hæc virtus! Alexander Bertius inter Angelos frequenter visus. Vix decem annos natus sæpe sibi videbatur interesse Beatorum choris; aut esse medius inter duos Angelos, qui dicerent curam sibi à Deipara demandatam servandæ Bertij puritatis. Id quod Bertius à cœlesti deliciarum rore madidus etiamnum candidissimæ sinceritatis parvulus tenerrimè narrabat.

3. *Ioseph. Ballard. p.* 1. *prati floridi c.* 2. juvenem ait, sibi ipsi domesticum inimicum, qui sæpe in domesticam quandam immunditiam turpissimè prolabebatur. Verùm frequentis Confessionis, & B. Virginis ope, atque operâ Angelorum, in munditie possidere fædam hactenus carnem suam feliciter didicit, quando B. Virginem (cui è Confessarij consilio devotissimus erat, & à qua remedium pesti domesticæ postulabat) vidit inter Angelos gloriosam, & imperantem, ut juvenis ille (ipsum monstrabat) nullâ veteris pellis parte relictâ excoriaretur totus. Faciente imperata Angelo, clamabat inter dolores juvenis, inter quos etiam excitatus verè alium se totum sensit, nunquam molestam expertus postea carnem suam.

4. Ita S. Thomam Aquinatem titione glorioso de lupa inferni triumphantem Angeli præcinxêre, ut illos, quibus nunquam consenserat, sensus carnis ne sentiret quidem. S. Equitio dormienti

ijdem

ijdem Angeli omnem carnis sensum ad obscæna projectum castissimè exemêre.

5. Dicat anima tua, si quando illi caro vel dæmon velit illudere, dicat id, quod Agnes Virgo innocentissima atq; tenerrima cordatissimè pronunciavit: » Ipsi sum desponsata, cui Angeli servi- » unt, cujus pulchritudinem Sol & Luna » mirantur. Ipsi soli servo fidem, ipsi » me totâ devotione committo.

6. Et quid ille Theophilæ custos & Virginitatis ejusdem contra impuros ejus prædones vindex Angelus? totâ assumpti corporis majestate pulcherrimè radiantem, & oculis fulgurantibus lampades igneas gerentem, ac sagittas flammeas velut è pharetris cœlestibus jaculantem vidit Theophila, & exultavit; vidêre impuri illi, & fugati sunt. Ita illa intacta in templum ab Angelo protectore deducta est in triumphum. *Vide Baron. tom. 2.* Ita cum Angelo securus es contra fæda omnia.

7. S. Laurentius Justinianus *cap. 16. de vita solitaria* ait, bonos Angelos nobis à dextris, malos à sinistris esse. Dexter Angelus est spiritus mundus, & protector ac propugnator puritatis tuæ; sinister est spiritus immundus, & Satanas sive adversarius munditiæ tuæ. Ille ad dextram, hic ad sinistram te trahit; ille ad electos, hic ad reprobos. Immundis in rebus velut porcus in luto volutatur immundus ille. Ita teste *Felisio Christ. Elucid. c. 7.* Anno 1556. Georgius David Angelos esse negans, & se Christum esse dicens, post mortem in sepulchro repertus ipse non est, sed illius loco porcus. Talibus porcis delectantur Angeli Satanæ, qui nos ideo colaphizant, ut mactent. Verùm adsunt castorum ad corda excubantes boni Angeli, & ut ne in porcos degeneremus attendunt.

8. Ego, Valeriane, inquit Sponso » suo Cæcilia, in Angeli tutela sum, qui » Virginitatem meam custodit: quare ne » quid in me committas, quo ira Dei in- » te concitetur. Dic idem tu tentatori, & coronabere. S. Nymphæ Panormitanæ, ut primùm servandæ Virginitatis decretum edixit, Angelus coronam è rosis textam & lilijs pro munere donavit. Psal. 90. *Non accedet ad te malum,* Quid ita? *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Hæc est causa, cur malum culpæ hujus abominandæ ad te accedere non possit, & ut sis ab impudoratis manibus securior, *in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ad lapidem nimirum, ad quem tot pedes cespitârunt, & prolapsi sunt in barathrum. Tu verò Deo auspice, duce Angelo, *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Ita victor dices Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi, qui* (Psal. 103.) *facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem,* & exurentem ignes ad gehennæ incendia deducentes. Nullus enim, nullus impurus erit in cœlo. Sublimius, nobilius, magis ad puram, & plenam, æternámque lætitiam accommodatum aliquid erit tunc, quàm sint nuptiæ, quarum sæpe repotia sunt ærumnæ & mors. Matt. 22. 30. *In Resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei in cælo.* Qui autem hic in impuritate volutati sunt, erunt sicut Angeli diaboli in inferno.

9. Heu!

9. Heu! quàm indignum est hominem per impuritatem degenerare in porcum! Nabuchodonosorem bovem fecit superbia; alios porcos in luti volutabro facit obscena immunditia, & horum porcorum custodes esse Angelos, & (absit verbo irreverentia) quasi subulcos esse illos cœli proceres quàm stupendum! Caveat ille porcorum grex à sorte duorum millium porcorum illorum Marci 5. ubi vox dæmonum est: *mitte nos in porcos, ut in eos introëamus. & concessit eis statim IESUS. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare.* Heu mare abyssûs æternæ in incendio immortali!

10. Si verò Angelum puritatis tuæ vindicem tibi conciliare vis, cave superbam quandam tui æstimationem, & sinistra de alijs judicia. *Lib. 8. Vit. PP.* Author ait, se novisse quandam Virginem, quæ ex pulcherrimo irrecuperabilis Virginitatis statu fædè prolapsa est in barathrum ob superbiam, & temeraria de alijs judicia, ut dicetur *Hebd. 33. n. 2.* Heu horrendam culpæ vel è supplicio æstimandæ pœnam! Superbiam alios temerè judicantem velut corpus tandem sequitur tetra umbra impuritas.

# HEBDOMADA XXIX.

## *Rudes & parvuli & maturi instruendi in virtute.*

1.

Authore *Razio in hist. Prædic.* Joannæ Urbeventanæ parvulæ orphanæ Angelus Matris instar fuit, unde cùm nescio quis illam orphanam esse, ac matre carere diceret, illum ad familiarem sibi S. Angeli Custodis imaginem duxit, & dixit: Scito hunc Angelum mihi in matrem esse, à quo adhuc parvula omnia pietatis & fidei documenta percepi. Ita huic in studijs pietatis fuit Angelus Catechista.

2. S. Conon à S. Michaële Archangelo ad Baptismum, & ad sacram Communionem instructus est. *Vita 5. Martij.* Idem cœlestium exercituum Archistrategus se Jacobo Samaniego Soc. Jesu videndum illustri specie objecit, apud *Ioannem Rho lib. 3. Virt. c. 4. n. 3.* atque ad proferendum ad gentes Evangelium illum cohortatus suam illi opem adpromisit.

3. Hoc est esse Cherubinum. *Cherubim enim*, inquit Dionysius Hierarchiæ c. 7. *vim cognoscendi, Deumque contuendi, & exuberantis capacitatem luminis, atque contemplandi in ipsamet prima & virtute divinam venustatem, necnon sapientificæ traditionis artificium, & quoad inferiora donatam sibi sapientiam sinè invidia deriuant, atque transfundunt.*

4. S. Paphnutius Martyr, ut 28. *Aprilis* habet *Metaphrastes*, fidei Christianæ rudimenta didicit à Catechista suo Angelo Custode, & tantam ab illo scientiam, robur tantum hausit, ut stupendas animorum ad Christum reductiones fecerit; admiranda planè perpessus, præsentis & disjecta etiam membra in corpus integrum componentis Angeli ope, quod corpus Christus iterum animavit, ut plures Ecclesiæ fideles & cœlo Martyres adduceret. Id quod

raro planè exemplo, successu felici prorsus fecit.

4. Idem *ibidem c. 9.* Archangelos etiam ait esse Ordinis Dictatorij, utpote qui divinas illustrationes hierarchicè per primas virtutes suscipiant, & exinde Angelis easdem benevolè annuncient, nobisque per Angelos manifestent. *Cap.* 15. Angelis dentes accommodat per similitudinem, aitque Angelos esse quasi id, quod alimenti adhibiti perfectionem dividit. Quælibet enim essentia spiritualis, inquit, uniusmodi intelligentiam, quam à diviniore traditam accepit, pro inferioris ductu captúque providâ virtute dividit, multiplicátque. Cor autem ait esse symbolum vitæ deiformis, quæ vim vitalem suam deiformiter in ea, quibus consulit, dispertit. Sic ergo cordis, Angeli, Archangeli fungeris officio, si ea, quæ à Deo accepisti, in alios quasi Dei dictator effundas. Gaudent id te agente, & tuus, & eorum quos doces, Angeli.

6. S. Cælestini morum & studiorum Archimystagogus Angelus fuit (*Vita 19. Maij*) & suprà S. Francisci Senensis populum docentis caput globus igneus est visus, ut est *in Chron. Seraph.* ac pulcherrimus è cœlesti Schola Angelus aureum coram Francisco è divina cœli bibliotheca librum tenebat, quem legens Franciscus ea dicebat ad populum, quæ illi instruendo aptissima suggerebantur è libro cœli. Ita crediderim, etiam ijs, qui alios malitiam docent, adesse unum ex atris genijs, & è stygia librorum exitialium officina tetrum codicem illis ostendere. Tu ex Angelico libro ea doce alios, quæ scis omnium optima esse ad salutem.

# HEBDOMADA XXX.

## *In morbo id, quod à morbo aut aliunde molestiarum habes, confer cum Angelo tuo.*

1.

NUllus est amicorum, qui te adeo amet, atque amat ille. S. Lidvinæ 38. annorum doloribus exquisitis celeberrimæ Virgini, *apud Surium 14. Aprilis* Angelus Custos pretiosissimâ luce fulgentem, sed necdum plenis ornamentis absolutam coronam ostendit. Petijt illa illam compleri, & ut compleretur, adhuc pati. Deinde à militibus, qui ad Ducis inaugurationem confluxerant miris modis vexatæ, verbis exagitatæ, vulneribus afflictæ, nullâ pudoris aut morborum habitâ ratione convitijs proscissæ, illuxit Solis instar resplendens Angelus, &, Salve, ajebat, chariſſima Soror, ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Propter vexationes invere cundorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigijs Salvatoris. Ludibria, & vulnera corpori tuo impositæ fuerunt gemmæ, quas in illa corona deesse vidisti. Ita tu perfice coronam tuam, & tuis te corona doloribus.

2. *Annua* 1587. Mexicanum quendam in India ægrum graviter, ajunt, magno mortis timore correptum. Invisitur à pretiosè splendido adolescente, qui ægro ut solatium afferret, montes illi ex auro & gemmis elegantiâ stupendâ conflatos ostendit, ut dicam *hebdomadâ 37. n. 4.*

3. *Sera-*

3. *Seraphica Tossignani historia lib. 1. & Chron. p. 2. lib. 2. c. 25.* Joannis de Penna meminit, qui mortis diem ab Angelo didicit, elegitque hìc potiùs septem diebus purgari, quàm in Purgatorio unico die. Vexatus ergo morbis & gravissimâ dæmonis ad desperationem propè peccata in charta descripta objectantis apparitione, septimo tandem die, ita ut Angelus dixerat, in Jesu manibus animam, quam in patientia sua sanctè possederat, exhalavit.

4. *Chron. Francisc. p. 1. lib. 2. c. 62.* In doloribus Franciscus cùm est, liberaliorem & meliorem dolorum suorum consolatorem neminem reperit cœlesti Angelo. Cùm enim F. Pacificus, ne cui offendiculo esset, chelym levandis Francisci doloribus tangere non auderet, adfuit symphoniacus Angelus, & chelym è cœlo delatam unico sed cœlesti planè ductu ita contigit, ut Franciscus corde toto mille dulcitudinibus plenus, dolorum sensum amisisse, & jam cœlestes inter delicias sibi agere videretur. *Vide Platum de bono statûs religiosi lib. 1. cap. 35.* Adeo autem gratum est Angelis nobis adesse, ut etiam alios, qui ægros invisunt, tanquam suos collegas ament. Unde *apud Raderum Bavariæ sanctæ p. 1. pag. 157.* Angelus B. Fridericum apud ægrum excubantem solatus est, & ægrum sanavit.

5. S. Amabilis Presbyteri vita in doloribus Martyrium fuit. Huic pro itineris solatio Sanctorum lipsana per Angelum misit Christus, & nunciavit: *Noveris te in cœlis Angelorum consortem fore.* (*Vita 19. Octobris*) Felices dolores, quos illis solatijs solatur Deus! Sanctorum reliquiæ magna passorum exempla refricant; Angelorum consortium famem acuit ad patiendum quidvis.

6. S. Theophilum Deus ad vitam cœlestem his verbis invitavit per Angelum: *Tolle crucem, sequere me.* Audi, quid Minias in doloribus ab Angelo audiverit: *Visitavit te Dominus, mittens me ad te; ut possis in tormentis non deficere, & ipse te hodie induet coronâ justitiæ.* (*Vita 25. Octob.*) Pulcherrimum est etiam id, quod inter atrocissima tormenta psallentes SS. Acisclus & Victoria ab Angelis audivêre: *Non erunt irrita clientum nostrorum vota.* (*Vita 17. Novembris.*) Verè non sunt irrita eorum vota, qui quidquid tempestatis à doloribus aliisque molestijs ingruat, amorem hac ærumnarum quasi antiperistasi alant generosiorem. Talis fuit Rita, illustre patiendi documentum, quæ vermes à putridis suis ulceribus scaturientes suos Angelos appellabat.

---

# HEBDOMADA XXXI.

## *Ægris nobis adest Angelus Custos.*

1.

FElici omnino experientiâ id edoctus est devotus ille Dei Matri juvenis *apud Vincentium l. 7. c. 84.* qui juxta id, quod in Scholis didicerat, quoties Deiparæ Virginis Sacellum præteriret, flexis genibus Angelicâ Salutatione semel recitatâ dicebat: *Beatus Venter, qui te portavit ô JESU! ô beata ubera,*

*quæ fuxisti ô Domine!* Hæc boni Clientis devotio adeo & Angelo tutelari & Matri Deiparæ placuit, ut cùm juvenis ille gravi ægritudine pressus & mente motus labia & linguam sibi totam mordicus laniâsset, præsens ad Clientuli lectulum Angelus illius Custos B. Virgini pro cliente suo supplex pulchertimè peroraverit, dixeritque: Recordaretur hoc esse os illud, illa labia, illam linguam, quæ Beatissima integerrimæ misericordiarum Matris ubera quotidie sæpiùs salutâsset. Persvasit, & ecce aperto virgineo pectore Virgo Virginum pudicissima tenero lactis Virginei rore in os clientis infuso dixit: *Accipe, & fruere præmio ab hoc pectore, quod tu nil te ab alijs turbari passus toties salutâsti.* Surrexit actutum lætus, & plenè incolumis juvenis, cúmque nescio quibus nævis antea fuisset obnoxius, integerrimè conscientiam expiavit, vitámque instituit, qualem à MARIÆ nutricis lacte combiberat, factus verbo & exemplo monitor omnium ad colendam totis præcordijs cum Angelo Custode MARIAM.

2. *Apud Surium 16. Octob.* Joannes Prior Canonicorum Regularium in Anglia sensit sibi ægro adesse Angelum; unde supremo vitæ triduo sæpe aperiebat caput præ reverentia Angelorum & cœli civium, quibuscum familiariter versabatur, & hilariter salutabat, & demum eâ quâ prædixit horâ hilarè animam Deo reddidit.

3. *Menolog. Cisterc. 25. Iunij.* Beatus Mauritius Paralyticus patientissimus etiam inter acerrimos dolores jejunandi ac orandi tenax felicem Angelorum opem expertus est, quando inter præsentium & psallentium Angelorum choros, mirantibus & exultantibus qui aderant & audiebant, beatum spiritum exhalavit.

4. An non adfuit ægro B. Joanni Angelo Custos Angelus, qui famularem Angelorum operam cùm aliàs tum æger fidelem diligentémque expertus est, quando Medico ex incisa Joannis vena sanguinem dimittente, cùm nemo alius adesset, duo Angeli adfuêre, qui lumen, ac alia omnia ministrabant, & eum, qui ex ægri Joannis vena effluebat, sanguinem excipiebant. (*Vita 24. Octob.*) Chromatium verò Angelus ab horrendis Podagræ doloribus persanavit. *Vide Bolland. 20. Ian.*

5. Audi singulare ab Angelis ægrorum solatium è vita B. Veronicæ *lib. 1. cap. 6. 13. Ian.* Justina Virgo Mediolanensis longâ phthisi ipsos 30. annos tabescebat, vomebátque sanguinem; & tamen B. MARIÆ Virginis amantissima jejunijs, precibus etiam noctes dabat, præclarum nunquam fessæ patientiæ paradigma. Honorârunt hanc Justinæ patientiam Angeli, & quo in pretio esset apud Deum dixerunt, quando circa morientis Justinæ conclave concentûs Angelici vox alta cœlorum petebat, ascendens semper, neque priùs audiri desijt, quàm Justina vivere. Tum Angelica vox ajebat è cœlo: *Soror Iustina loca Martyrum inhabitat.* idque tertiò dictum cum hoc auctario: nam ingentia pertulit supplicia ægritudinè dirâ nimis 30. annorum. Et Justinam palmam Martyrij manu gestantem apud Superos vidit Veronica. Vides, quàm non otiosi nobis ægris adsint Angeli, dum nobis Martyrij palmam paramus.

6. *Ibid.*

6. *Ibid. lib. 2. cap. 27.* B. Veronicæ iliacis doloribus, & à dæmonum flagris ægræ, aderat luce perfusus Angelus. Matutinas preces unà persolvebant. peractâ divini officij parte, ajebat Angelus: *quiesce paululùm filia, quoniam acerrimo dolore languens summopere afflige-ra.* Flectenti genua mandabat ut staret. Tum illi arcana cœli aperiebat. Mutuò quoque fabulabantur pro Angeli beneplacito. Angeli phrasis erat: *Eja filia, divinum officium prosequamur.*

7. Relatio Anno 1637. typis data ait, Angelum Custodem Joannæ ab Angelis ægræ unà cum S. Josepho visum, ubi illa etiam S. Josephi ope convaluit, Angelum tutelarem, ajebat illa, in pulchra nube ad dextrum Josephi latus conspectum, incredibili oris pulcherrimi amœnitate amabilem, in specie juvenis duodeviginti annos circiter nati. Tum se à D. Josepho unctam & curatam præsente Angelo, illo candidissimũ manu cereum grandem eúmque ardentem tenente. Verè Joanna de Angelis. Utinam nos Joannes de Angelis simus!

8. Addat his coronamentum notus ille passim sed insignis ægrorum Magister Angelus, qui *apud S. Antoninum 4. histor. tit. 14.* ægro mortem præ morbi doloribus optanti optionem dedit, ut vel biennium æger vivere, vel mori statim, & triduum integrum in Purgatorio torreri eligeret. Mortuus vix horam in expiatorijs illis cruciatibus egerat, cùm illi adest pro solatio Angelus. Sed alter fidem violatam queritur, aítque se pro triduo annos jam totos cruciari, Angelus horulam unicam fluxisse ubi dixit, petivit insipienti electioni suæ ignosci illa anima, & corpori reddi, non tantùm ad biennium morborum, verùm dum Deo placuerit. Vitæ, ac lectulo redditus libentissimè toleravit momentaneum hoc & leve dolorum onus; memor quàm hi dolores cum Purgatorij cruciatibus collati sint nihil. *Vide Balinghen. solatij sect. 4. c. 12.*

9. Tu ergo & valens & æger gratias Angelo tuo age semper, & experire felix id, quod *Annuæ Collegij Cordubensis Anno 1597.* expertum ajunt ægrum illum adolescentem, qui cùm Angelo suo gratias referret pro impensis ægro clienti officijs, Angelum vidit. Accedebat charum clientem Angelus quasi supremum ægro vale facturus, & eccedum æger toto spiritu in Angelum venientem hians amplexum explicat Angelum complexurus, amplexum Angelo, animam Deo dedit, ipsis Angeli sui amplexibus morte fortunatâ immortuus.

# HEBDOMADA XXXII.

*Si à quopiam afflingeris, ora.*

1.

AFfligebatur ille magnæ virtutis religiosus, quem novit & à quo hæc didicit *Cantiprat. Antistes lib. 1. apum cap. 11.* qui, ut ipse loquitur, vix poterat prælatos suos erga se aliquatenus mitigare; è contra obsequiosus in omnibus, & devotus, tentabat in bono malum vincere, sed non poterat. Ergo cùm aliquando solito magis premeretur, in orationem & devotissimas amarissimásque lachrymas projectus, Mauri-

Mauritij Sociorúmque Martyrum, quorum sacro die hæc agebat, opem ac solatium prostratus expetijt. Tum se in conclave abdidit, & somno leni semisomnis, voce ad omne cordis solatium elegantissimè compositâ, canentes in cœlo Musicos Angelorum choros in hæc verba audivit: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; & quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo regnant in æternum.* Adeò verò suaves fuisse vocum illarum descensus & elevationes ajebat, ut ea suavitas ad animam è corpore evocandam suffectura videretur, nisi Deus illius migrationem distulisset. Et verò suffecit cœlestis illa melodia ad gravem corporis, quo tenebatur, morbum fugandum prorsus, & animum adeo in sudo ac sereno quodam cœlo tranquillè reponendum, ut & corpore jam sospes & animo, imperturbatâ tranquillæ amænitatis sospitate frui jucundissimè tunc inceperit, neque postea desierit.

2. Præclarè tibi quasi loquens D. Hieronymus, ita tibi scribit in Psal. 71. *Si te impius persequitur; scito quia equus est, eques autem diabolus. Iste ducitur calcaribus, & invitus insanit, hic agit & stimulat.* Hæc ita cùm sint, putas ab Angelo tuo *equum & ascensorem* dejici non posse, & equitem dæmonem ex equo illo adversario tuo, præcipitari non posse? Pulchrum est illud S. Ambrosij ab Angelo Custode ita defensi contra quendam, cui Ambrosius erat quasi trabs in oculo, ut dæmones ab inimico missos Angelus Ambrosij Custos circumfuso circa domum igne, ab ipso etiam domûs limine procul arceret, de quo *hic aliàs*.

3. De S. Joanne Chazubita 3. *Octobris* ejus vita testis est, eum sanctis Angelis fuisse familiarissimum, humilitate contra dæmones, patientiâ contra affligentes se potentissimum. Acquisivit hoc ex Angelorum familiari consortio, ut ad ea quæ patiebatur responderet nihil, nisi: *Si Deus hæc pati potest, quid ni ego velim?* Gen. 21. Agar Ancillam à Sarai Domina justè afflictam, tamen consolatus est Angelus Dei.

4. Solidissimum tibi erit ab amantissimo Angelo solatium semper etiam afflictissimo. In vita S. Babylæ 24. *Januarij* refertur afflictissimo Theodoro Martyri sancto Angelum adfuisse in tormentis, & sudores linteo absterssisse, ac frigidâ perfusum recreâsse.

5. Affligebatur dolore justo Fulgentia Romana, *apud Ximenium lib. 5. cap. 11.* cujus superbiæ pœna spurcitia fuit, de qua apud Judices à personato dæmone accusata, testibus etiam adductis. Hæc opem à B. Maria Virgine, & Custode suo Angelo sensu magno petitam obtinuit, quando pro Fulgentia meliora omnia jam spondente Advocatus Angelus pulcherrimus adolescens, illam usque ad judicum tribunal comitatus, dæmonem accusatorem increpans: *Tune*, ajebat, *hanc accusas, bellua, qua de cœlo jam pridem exul turpissimè excidisti?* Disparuit accusator, & Judices pro Fulgentia pronunciârunt, Advocati tanti, & qui pro Fulgentia dæmonem confudisset, authoritate permoti. Nunquam nimirum vel ipsæ inferi portæ affligere te tantum possunt, ut apud Angelum tuum solatium reperire non possis, modò illud cordatè quæras, & sis Angelo tuo devo-

devotus ac dicto audiens Exod. 33. *Quod si audieris vocem ejus, &c. inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Tunc de illis te affligentibus liberatus dices id, quod incolumis in lacu inter leones Daniel *cap.* 6. dixit: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum* (inimicorum tuorum contra te loquentium) *& non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me.*

6. Angelo protectore securus esto. Potens est ad ipsam etiam terram commovendam, taceo ad illum tuum adversarium terrendum. Matt. 28. 2. *Ecce terræ motus factus est magnus*; addit quare: *Angelus enim Domini descendit de cœlo.* Descendet ut te juvet, & revolvat illum lapidem, qui tibi adeo durus est. Vide, quàm difficilem lapidem moverit Angelus à Josepho, seu veriùs Hildegunde Virgine, de qua *Raderus Viridar. p. 1. pag. 12.* ait, eam sub viri specie & nomine latitantem, in itinere furis cujusdam loco comprehensam, percussam, dimissam; sed à furis cognatis postea furcæ appensam, & ne pendens fauces elideret, ab Angelo sustentatam, ac cœlesti Angelorum harmoniâ recreatam, atque ab opilionibus depositam, ab Angelis libertate donatam. Ajebat Angelus tutelaris cantum illum esse Angelorum in illius subsidium submissorum. Ita Virgo opem Angelicâ à vinculis absoluta, Custodis Angeli operâ equo candidissimo imposita, & Veronam ad suos delata, atque in tuto collocata est! En pretiosam Custodis nostri fidelitatem, dum nos in acie novaculæ videt. Denique quisquis te affliget, *Deus Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. In manibus portabunt te.*

# HEBDOMADA XXXIII.

## *Humilitate Deo placebis & Angelis.*

1.

HOc est unum è primis & primarijs Angeli Custodis monitis, quæ Onuphrio dedit, authore D. Hieronymo *de Vit. PP. lib. 1. pag. 78.* Ego sum Dei Angelus, inquit, tibi ad custodiendum ab ortu tuo à providentia divina destinatus; ut jubente Deo tecum manerem. *Perfectus esto*; ecce finis! *humilis incede coram Domino*; ecce medium ad perfectionem humilitas, & ad hanc recordatio præsentis Dei! Cum gaudio labora; cor tuum in omni custodia conserva; vive sinè querela; in bono opere persevera. Ego verò te non derelinquam, donec animam tuam in præsentiam summæ majestatis offeram. Ubi superbia, ibi dæmon: ubi humilitas ibi Angelus Dei. Superbia primogenita peccatorum omnium.

2. *Ibidem lib. 8. pag. 557.* Hierosolymitanæ Virginis horrendus lapsus refertur, & Angeli Custodis superbos odio habentis ab illa quasi recessus. Hæc sex totis annis in sacco & cilitio inclusa scenam dedit hominum oculis pudicitiæ singularis. Sed propter summam superbiam lapsa est, nam inquit *Palladius ibidem cap. 34.* cùm ejus cogitationes occupatæ essent, incitaretur autem

autem furore à dæmone superbiæ, eóque valde delectaretur, ab ea recessit sanctus Angelus Custos puritatis. Certè si vel pœnæ pede motiri culpam libet, est quod coram Angelo humi provolvi toti flagitemus ab illo in sacrosancta submissionis virtute assequenda juvari seriò, sanctè, ac semper.

3. *S. Ioannes Chrysostomus hom. 43. ad pop.* laudis despicientiam ait esse *Angelicæ cujusdam animæ Cervicis cælestis testudinem tangentis.* Nam licet illi præstantiores sint naturæ donis, & substantiæ spirituales, non dedignantur tamen inferiori se homini ministrare, administratoriique spiritus dici, missi propter eos (homines) qui hæreditatem capiunt salutis.

4. Non poterat etiam laudando decipere Joannem virum Dei dæmon, quando *in Vit. PP. lib. 8. p. 565.* angelicorum instar exercituum, & curruum igneorum, ac satellitum, multitudine grandi illi se ostendit, dicens: In omnibus te rectè & ex virtute gessisti, ô homo, de cætero me adora: & tanquam Eliam te assumam. At Joannes nihil de his inflatus, Dominum meum, inquit, & Regem habeo Deum, quem semper adoro, tu autem non es Rex meus. Ita dæmonem in fumum dedit unà cum Regio illo apparatu. Pari ferè stratagemate superatus est dæmon ille *ibidem*, qui in Angeli lucis figura refulsit, & dixit Eremitæ: *Ego sum Gabriel, & missus sum ad te. Vide, ne ad alium missus sis*, ait alter; *ego enim non sum dignus, ut Angelus ad me mittatur.* Cessit superbus genius victori humili.

5. Inde illa B. Aloysij precatio vitæ lib. 3. c. 14. *Oro vos, Angeli beati, ut auxilio vestro, quasi manu, dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primùm instituistis: ut post hanc vitam unà vobiscum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locum alicujus stellæ olim per superbiam de cælo lapsæ, Amen.*

6. Apollonius, ut est in ejus vita inter vitas PP. post 40. annos asceticæ solitudinis, ad homines ad Deum adducendos à Deo missâ è cœlo voce vocatus, nihil oppositi, nisi: Auser, inquiebat, à me Domine jactantiam; ne fortè elatus super fratres meos cadam ab omnibus bonis tuis! Tum divina vox: Mitte manum tuam ad cervices tuas, & quod comprehenderis constringe, & sub arena obrue. Apprehendit Apollonius in cervice sua æthiopem parvulum nanum, & sub arena sepelivit clamantem: Ego sum superbiæ dæmon. Tandem cœlestis vox: Perge nunc, omnia enim quæcunque à Deo poposcéris obtinebis. Cave tibi ab illo æthiope. Angelus tuus contra dæmonem superbiæ, est Angelus submissionis, cum hoc perge. Nanum verò æthiopem sub mortalitatis nostræ pulvere sepelito. Sic enim omnia, aliàs nihil à Deo obtinebis.

7. Exemplo & stimulo tibi sit ad abjecta etiam officia subeunda Angelus Custos, qui P. Bernardini Realini baculum, seu cannam, è domo, in qua ille dum confessionem audiret eam reliquerat, stupentibus domesticis illam asservare volentibus retulit, & sæpe luto infectam ipse Angelus repurgavit.

8. *Martyrol. Francisc. 6. Decemb.* ait, B. Drodomi Angelum serviisse in Missa, & omnia ad sacrificium necessa-

ria

ria præparâsse, licet Ecclesia esset omnino deserta: alter autem Angelus illi ea, quæ circa præparandum ad iter equum erant necessaria præparavit. Adeo Angeli omnia fiunt hominibus, ut nos cœlestem illam virtutem edoceant.

9. Clara de monte Falconis, ut refert *Mascovius in vita*, quia semel vanæ cuipiam gloriolæ locum dedit, omnem in orando gustum perdidit. Adfuit illi tandem post 15. annorum lachrymas & flagellationes Angelus remissi peccati nuncius; & unà cum Angelo dulcis ille orandi gustus redijt. Morituræ collum & caput Angeli gemmis & corollis pretiosissimè adornavêre. Has coronas non superbis parant illi capitibus. Demitte caput, ut ab Angelo coronetur. Vana gloria illam, quam capiti tuo imponendam parabat coronam Angelus, tibi excutit; ut sis inglorius.

10. Præeunt nobis exemplo ad infima etiam culinæ officia non negligenda illi Angeli, quorum meminit. *Martyrol. Francisc. 14. Febr.* B. Michaël Magottus die quodam Dominico in templo totus absorptus in Deo, culinæ suæ planè oblitus est. Ergo ingruente jam prandendi tempore evocatus, adit culinam. Sed virtute divinâ cuncta manibus Angelorum reperit opportunè dispositа: quæ citò Fratribus dedit ad sustentationem.

11. Prima Angeli in divinis literis apparitio fuit Magisterium humilitatis, ad puteum viventis & videntis. Ubi Angelus Gen. 16. *Agar, Ancilla Sarai unde venis? & quò vadis?* Ecce suæ illam conditionis commonefacit, dum nomini, *ancillæ* nomen adjicit. Dicenti verò se à Domina fugere, dixit: *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Et addit præmium benedictionis. Ad illum puteum ducendi essent, ut ibi biberent superbi omnes; & vivere, videre, ac humiliari sub manu discerent.

12. Regem superbum ab Angelo Regis personâ & vestibus personato, in balneo relictum, Regno exutum, omnium sannis expositum, in Regni affectati suspicionem inductum, judicatum, castigatum, ac tandem post multas lachrymas resipiscentem, Regnóque restitutum ab Angelo monitore, narrarem, nisi res nota & longior esset. Vide *Antoninum p. 2. t. 3. c. 2. §. 4.* & *Biderm. lib. 1. acroam. 6.*

13. Addo pro coronide ex *Guiliel. Wael. in Corona consid. 2. pag. 173.* & *Andrada citato ibid.* & *Hautino Euch. num. 538.* ante annos non ita multos factam catastrophen luctuosam superbi Concionatoris, à quodam è Societate Jesu moniti & postea visi in igne. Circumfusi circa ignem inferni Angeli Concionatorem illum illic æterno ergastulo mancipatum ita alloquebantur: *Detracta est ad inferos superbia tua.* At ille miserandum heu! spectaculum, in medijs flammarum vorticibus, sinistrâ capiti impositâ, quasi casurum aliquid timeret, & insertis in os dextræ digitis tenens infernè mandibulam, horridùm ejulabat lugubri ululatu: *Confusio operuit faciem meam.* Jesus verò in alto è Cruce toto latere igneum vomens fluvium, & vanum illum Concionatorem illo obruens, irato vocis fulmine detonabat illud Jobi 3. *Nonne silui? Nonne*

*Nónne tacui? Nónne dissimulabi?* Et Isa. 42. *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* Sæpe Concionatorem illum is, qui hæc videbat, monuerat; sed ille contempsit. Putabat æmulæ invidiæ verba esse, & scrupulos Jesuitarum. O quæso accersamus in auxiliarem opem Angelum nostrum, ut superbiam veluti venam seu mineram diaboli à nobis tempestivè ita educat, ut nesimus pabula ignis æterni cum Angelis superbiæ.

# HEBDOMADA XXXIV.

*Quocunque sive orandi, sive studendi, sive alio pro Deo suscepto labore sis fessus, illum per Angelum Deo offer.*

1.

MEssinenses *Annuæ Anno* 1610. ajunt, Franciscum Pagana Societ. Jesu longis obedientiæ studio susceptis laboribus fessum, adeóque longâ hecticâ ad mortem confectum ad cœlum ab Angelis invitatum. Cùm enim ederet, à tribus quos adesse videbat Angelis voce suavissimâ ad mensæ cœlestis æternas dapes est invitatus, & ad mutandam cum cœlo pulcherrimo terram hanc à veris gaudijs inanem & vacuam. Ergo intimo gaudio colliquescens dulci cordis exultantis tripudio ad suos & parentem conversus, *Nónne audistis*, inquiebat, *canentes Angelos, & me invitantes?* Annuit invitantibus, atque inter pura illa solatia reclinato in cervical capite abivit, quò invitabatur, & Angelicum in corpore vultum discedens cum Angelis pura illa anima reliquit.

2. Invitabere & tu à tuo & alijs cœli genijs ad mensam deliciarum Dei: sed sicut *qui altari servit, de altari vivit*; ita ut priusquam de cœlo & in cœlo his delicijs vivas, cœlo ut servias est necesse. Æterna illa inter Angelos canentes quies fessos expectat. Pigri verò laborabunt in finem in æternum. Habet in syllabo Angelus tuus, quoties in susceptis pro Deo, pro salute animarum, pro patria, laboribus fessus fueris, quot pro cœlo passus feceris, quot verba dixeris, quot characteres formaveris. Tunc tibi die mortis, id est, quietis tuæ vere dicere licebit id, quod Epicurus falsè dixit: *Beatissimum hunc & ultimum diem ago; & habeor bene.* Vide *Philos. Scrib. c.* 12.

3. Cogita laboranti tibi dici id, quod S. Winvaloco dixit Angelus: Euge Winvaloce serve Dei! Cœlicolæ omnes te civem cupiunt habere suum. & excessit ac requievit à laboribus suis. *Vide Sur. 3. Martij.*

4. Adest tibi non otiosus spectator Angelus, dum laboras quacunque in re occupatus, quæ est ad laudem Dei. Authore *Cassiano Coll. lib. 9. c. 6.* laborabat eremita quispiam, ut contra vel præter morem ac Superioris voluntatem tugurium suum amplius redderet, atque ornatius. Fervebat opus, dum malleo saxum in suos usus laboriosè erudiret. Et ecce Superior vidit Æthiopem Angelum manus suas illius manibus

bus applicantem, satagentem, juvantem, dirigentem curiosè omni ope, ac operâ & consilio totisque viribus opus promoventem. Quid ageret quærenti Superiori? lapis hic, inquit Monachus, nobis permultum facessit negotij, & vix illum confringere valemus. Ad hæc Superior: Rectè dicis *nobis*, & *valemus*; nam dæmonem tecum habes, qui juxta perversam proprij tui sensûs cupiditatem te dirigit & juvat. Quàm iste dæmon diligens fuit in labore illius, tam tuus Angelus diligens est in tuis. Cum illo laboras; si pro Dei gloria, ille tibi adest. Illi ergo, & per illum Deo fessos tuos anhelitus, illi caligantes à libris oculos, illi fatigatas calamis manus, lapsum à curis caput offer. Ita æternum momenti laborioſi pretium feres. Ita te ad novos ardores fessum etiam roborabunt. Mutabis fortitudinem: volabis & non deficies.

5. S. Dionysius Areopagita *de hierarchia cœlesti cap. 7.* Seraphim *incensores* vel *calefacientes* significare ait. *Perennem siquidem atque incessantem eorum circa res divinas motionem fervoremque & acumen, & effervescentiam intentæ ac nunquam intermissæ, nunquámve declinantis motionis, subditósque ad superna surrigendi, & ad consimilem fervorem re ipsâ suscitandi inflammandique nec non coruscanter penitúsque conflagranter eos perpurgandi facultatem, & abscondi nesciam inextinctámque, semper eodem modo se habentem, luciformem illuminandi proprietatem, omnis tenebricosæ obscuritatis expultricem & aboletricem, nomen* Seraphim *lucuienter designat.* Quid ergo fessi glaciale cor gerimus? Ab his incendi, calefieri, refici, effervescere, surrigi, conflagranter perpurgari, & expulsis tenebris inextincto Dei lumine ardere & lucere petamus. Faciemus nos munus hominum Angelis devotorum, si id petamus; facient illi Seraphinorum officium, si id fecerint, quod petimus. Ita Angelus labia Isaiæ Prophetæ calculo perpurgavit ignito.

# HEBDOMADA XXXV.

## *Somnum tuum ad Dei gloriam per Angelum Custodem commenda.*

1.

ADest ille tibi dormienti vigil ad lectulum; & cordis functus officio te dormiente vigilat. B. Gosnoino Abbati, & S. Raimundo ita semper adfuit dormientibus Angelus tutelaris, ut illos noctu ad preces etiam excitârit. *Vide hebdom. 1.*

2. In Pachomij vita refertur, Pachomio primâ à baptismo suscepto nocte mellitum è cœlo rorem in manum dextram decidisse ipso spectante & sentiente Pachomio, & hæc è cœlo audiente sibi dici: *Aperi mentis tuæ oculos Pachomi, & agnosce in rore isto accepto à Deo gratiæ argumentum & pignus.* O quàm pulchrè nobis in aures etiam nocte dicit Jesus: *Caput meum plenum est rore, & capilli mei guttis noctium.* Chaldæa Paraph. *Capilli capitis mei pleni sunt lachrymis tuis, & cincinnus capitis mei repletus est guttis oculorum tuorum.*

*rum.* Felices hoc rore roridæ noctes! Manna hoc oratione obtinetur, sive sanctis dum evigilas suspirijs.

3. S. Macarius *Vit. PP. lib. 3. p. 403.* vidit tanquam muscas dæmones venientes, in ore atque oculis orantis noctu sancti juvenis residere volentes: sed Angelus Domini rhomphæâ igneâ armatus tam illum circumdabat & defendebat, quàm dæmones repellebat & ejiciebat. En quàm gloriosè tuetur nocturnis intentum precibus clientem suum Angelus tutelaris. Vide, ut tuæ quò breviores, eò sint ardentiores.

4. Ketellus vir cætera probus, nescio quâ vel somni importunitate, vel obliviosâ injuriâ crucis signo se non signârat cubitum concessurus. Dedit injuriæ pœnas, quando terribiles formidabili atrocitate dæmones illum miseris modis ad extremas angustias redegêre. Adfuit tamen laboranti clienti protector Angelus cultu pulcherrimo pretiosè rutilus, & Ketelle, inquit, negligentia tua propè te periclitari nunc fecit. Cave ne deinceps insidiantes tibi hostes te inermem inveniant. *Vide Nider. formic.*

5. Advertis credo, quanta nobis cura esse debeat etiam somni divino nomine quasi sigillo signandi. Ita etiam dormiendo cœlum quæres. Ita dormienti tibi libentiùs advigilabit custos tuus de nocte. *Gen.* 28. felix Jacobi somnium fuit, quando vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ. Ita sanctas quasdam animas, ut Mechtildem, Gertrudem, & alias instruxit Christus, ut ipsum etiam somnum & singulas respirationes offerrent ad majorem gloriam Dei. Tali somno sopitus qui dormit, ipse illi somnus Angelicarum instar scalarum est, & per ipsum somnum cum Angelis ascendit ad cœlum, dum sibi coronas meritorum parat.

6. S. Fulgentius, ut est in ejus vita, vidit adornatissimos duos lectos deferri ab Angelis exclamantibus, in illis magnos duos Sanctos, Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, & Abbatem Cluniacensem Hugonem hodie in cœlum abeuntes quiescere. Illum tu lectum in tuo lectulo meditare, & oblato ad Dei gloriam somno tuo in pace in id ipsum dormi, & requiesce in sinu Angeli, sub illius alis. ita non timebis à timore nocturno.

# HEBDOMADA XXXVI.

## *In cubiculo, dum solus es, Angelum tuum cole.*

1.

IBi coram Deo vos duo estis. Miras cum Angelo suo delicias habebat P. Bernardinus Realinus, is nec cubiculo egrediebatur, nec foris ambulabat, nec redibat, quin ad sinistram quasi Custodis sui comitis Angeli formaret gressum juxta illud: *A dextris est mihi, ne commovear.* In cubiculo cum illo familiariter colloqui auditus est frequenter. Cùm carmina vellet pangere, ea Custos Angelus inchoabat, Realinus absolve-

solvebat. In extrema ætate hoc illi distichum ipse composuit, ut aliàs retuli:

*Angele Custodem mihi quem bona gratia fecit,*
*Sis precor auxilij cura beata mei.*

2. *Beatus est*, inquit *S. Ephrem* tract. de beat. *qui factus est sicut Seraphim, & Cherubim; & in divino ac spirituali officio nunquam est segnis, sed assidùe glorificat Dominum.* Beatus, qui in cella sua in Domino tanquam Angelus cœlestis castas retinet cogitationes, suóque ore collaudat eum, qui omnium spiritum potestatem habet. Beatus, qui semper spirituali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit; coronabitur enim in gloria.

3. Ora devotè cum universa Ecclesia pro domo & cubiculo, in quo habitas: *Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper.* Ut verò Angelo tuo placeat cubiculum tuum, habe aliquam cubicularem B. Virginis imaginem. Amant & honorant illas Angeli. Romæ est etiamnum B. Virginis imago, quæ dum circumferretur in Processione, ab Angelis *Regina cœli* cantatum est.

4. Anno 1081. 1. Februarij & sæpiùs postea sub noctis medium admirabilis Angelorum in cœlo Musica est audita, & factus in cœlo à luce jucundissima pulcherrimus quasi meridies: ad cujus lucem visa est pretioso divinitus apparatu adornata Deiparæ Matris imago in nube splendida, quasi vehiculo triumphali; quæ tandem ad hortum Hectoris viri nobilis deposita, choro Angelico sæpiùs frequentata in ipsius Hectoris cubiculo exinde locata, & postea ad templum solenniter delata. Ad hortum Angelorum operâ iterum ac tertiò semper sponte redibat, quoties alio transferebatur, videntibus coruscam nubem & symphoniacos Angelos audientibus mortalibus. Populus effusus sesqui alterâ horâ cœlestibus Angelorum vocibus & odoribus pastus est. Totus arcis fundus Deo in Mariæ honorem consecratus. Ea, quæ ad opus necessaria erant, ut vocant materialia sinè curru adfuêre ultrò pro ædificio complendo, quantum viginti curribus fuisset allatum. Visa illic rerum Præfecta candidata quæpiam Heroina. Hector, qui imaginem primò cubiculo suo accepit hospitem, & fundo illo donavit, hactenus triennio toto cæcus integrè persanatus imaginem vidit postea sanus planè. Tum imago Thaumaturga Tungrorum facta est asylum amabile, & admirabilium Dei operum theatrum ingens. *Vide Waltrand. in Mirac. Tungr.*

5. Sanctæ etiam Lydvinæ familiarissimus custos Angelus frequenter adfuit, & Lydvinam ad eam, quam in conclavi suo habebat, Deiparæ Virginis imaginem adduxit, atque ut coram illa se in preces daret commonuit. An non & te tuus Angelus comes perpetuus in conclavi tuo, ut coram B. Virginis imagine in genua provolvereris, sæpe tacitâ cordis admonitione hortatus est, & hortatur? ut ergo illi pareas, etiam atque etiam vide.

6. Cæciliam intra cubiculum orantem invenit Valerianus, & juxta illam stan-

stantem Angelum Domini, inquit Ecclesia 22. *Novembris*. Idem tu in cubiculo tuo age, certus tuum tibi assecla blandè assistere. Alijs in conclavi non paucis dæmon adest. Talis ergo in cubiculo esto cum Angelo tuo, qualis Cæcilia cum suo; talis qualis cum suo Theresia, quæ ab Angelo flammeâ divini amoris cuspide in vulnus icta concidit.

7. Epictetus ad suam illam mille postea drachmis æstimatam lucernulam aliquid vidit, dum in Enchiridiolo suo de Deo dixit: *Procuratorem unicuique addidit genium cujusque, eúmque illi custodiendum tradidit, & tali quidem, qui nec dormiat; nec decipiatur. Cùm igitur fores clauseritis* (ecce de cubiculo) *cavete, ne unquam dicatis, vos esse solos, neque enim est sol; sed Deus intus est, vester genius intus est.* Ita Ethnicus Christianè. *Cautè ambula*, inquit Bernardus in Psal. 90. ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est. *In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tunc audeas illo præsente, quod videnti me non auderes?*

# HEBDOMADA XXXVII.

## *Mortificanda seu afflictanda est caro.*

1.

Coelesti lacte lactatus ab Angelis Orphanus Codratus eam ab Angelis indolem hausit, ut dum carne totâ flagellis conscinderetur, caneret usque ad mortem lætus. *Vita 10. Martij.*

2. Hoc est, quod per Angelum docuit Deus, quando *apud. Ribaden. 30. Novemb.* S. Andreæ pro Nicolao 74. annos nato, & in sordibus impuritatis volutato sene preces post quinque dierum jejunium fundenti, ut casus viveret, cœlestis Angeli vox accidit: Ego „ tibi quodcunque pro sene petijsti, liberaliter concedo; sed volo, ut quemadmodum tu pro illo jejunâsti, sic etiam „ jejunet, suúmque corpus afflictet, si fieri salvus desiderat. „

3. Cæcilia Virgo Angelica panegyricis ab Ecclesia antiphonis laudatur, laudis thema est illa, quâ carnem in servitutem redigebat, vitæ asperitas. *Cilicio Cæcilia membra domabat, biduanis & triduanis jejunijs orans commendabat Domino, quod timebat.* Quare Angelo familiaris fuit, ut & Valeriano Sponso, & Tiburtio pulcherrimum Angelum ostenderit, eósque ad Christum hac Angeli visi majestate converterit.

4. Solare cilicij, disciplinarum, jejuniorum, afflictionum denique omnium dolorem eo modo, quo Angelus Custos *in Mexicanis Soc. IESU annuis Anno* 1587. clientem suum ægrum ultimos mortis dolores formidantem solatus est. Ostendit se illi amictum lumine sicut vestimento, & digito indice montes illi monstravit aureos totos, & pro varietate ac pretio gemmis margaritísque nullâ satis æstimatione laudatis opulentos & distinctos. Ostendit inambulantes ditissimis illis pulcherrimísque montibus plenos hilaritate amænissimâ homines, inter mutuos amantissimósque amplexus sibi invicem applaudentes, vultúque

túque lætitiam admirandam ſpirantes, multitudine tantâ, quæ myriades plures exceſſerit. Illuc, illuc ad montem ſanctum Dei, & tabernacula Beatorum invitato, & jam dolorum oblito clienti Angelus dixit, locum illum Paradiſum eſſe, in quo beatæ piorum animæ æternâ hilaritate jucundæ, ſinè ullo ullius unquam tædij timore delectentur delectationibus infinitis, lætitia quippe ſempiterna ſuper capita eorum. Narravit viſa cliens, & hilaris in mortis, imò vitæ æternæ amplexus conceſſit.

5. Ob populum ex vana quapiam gloria numerari juſſum 1. *Paral.* 21. ſeptuaginta millia virorum cæſa ſunt ab Angelo: *levánsque David oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter cælum & terram, & evaginatum gladium in manu ejus, & verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt tam ipſe quàm majores natu veſtiti ciliciis proni in terram.* Ecce quibus artibus quærebat miſericordiam à Deo coram Angelo David timore perterritus, videns gladium Angeli Domini, adeo ut ne orare quidem poſſet. Si pro ſingulis peccatis venialibus (tale enim videri poterat populum numerâſſe) talem Angelum videremus, ô quàm prompti in veſtes cilicinas involaremus, quas nunc & rarò & frigidè attingimus. 4. *Eſd.* 5. Angelus jejunium imperavit: *Et ego jejunavi diebus ſeptem ululans & plorans, ſicut mihi mandavit Uriel Angelus*, inquit Eſdras. Et verò nemo odio habet carnem ſuam, quisquis illam ciliciis jejunijs, afflictationibus præparat pro gloria Angelorum, ne ad æternam famem, ſitim, frigora, ignes præcipitetur.

# HEBDOMADA XXXVIII.

## *Etiam in temporalibus per Angelum nobis ſuccurrit Deus.*

1.

IDeo appenſam Angeli Cuſtodis imaginem in loco parenti habent nonnulli, ut ſub alis protectionis Angelicæ tuta ſit domus, & ſupellex domeſtica. *Roſſi* Vitæ *Camilli de Lellis p. 2. cap.* 13. §. 4. in extrema neceſſitate alendorum triginta ſuorum, cùm nihil haberet Camillus, repentè coram Medico, aliiſque divino ſpiritu actus, genibus ante Crucifixi parieti appenſi ſignum dejectus, Jesu Domine, inquit, qui pullis corvorum te invocantibus eſcam provides, ſuccurre obſecro, ſervis tuis tantâ egeſtate circumventis, ac preſſis: tuæ quippe creaturæ ſunt, & religioſo jugo colla ſubdidêre, ut tibi ac tuis pauperibus operam vitámque præſtituri à te alantur. Non eſt alius præter te, qui adjuvet, ne obſecro deſeras, neque derelinquas ſperantes in te Domine. Ait Medicus horum oculatus teſtis, verborum ultimum vix ab ore Camilli prodiſſe, cùm ſtatim ad aures nolæ oſtiariæ venit ſonus. adeſt peregrini ſub ſpecie Angelus, qui Camillum interrogat, num & quanto ære egeret. affirmat Camillus, ſe nunquam magis eguiſſe: trecentis ſcutis levandæ modernæ penuriæ opus eſſe. Angelus præſtolari juſſo Camillo tantiſper egreſſus redit actutum cum facculo ſcutis trecentis divite, & ex oculis ſe proripit. Quo caſu, inquit hæc narrans citatus Roſſius, obſtupe-

stupefactis qui aderant, Camillus quoque mistâ horrori lætitiâ admirabundus, in genua procumbens, gratias divinæ majestati persolvit, quæ Angelum sub peregrini specie auxiliarem sibi suisque pro immensa benignitate allegare dignata sit. Luculentum & patheticum divinæ Crucifixi erga egentes per Angelos providentiæ paradigma.

2. Sub hoc protectore secura erit domus, in qua habitas. age modò, & illum pro te & pro illa invoca. Innocentius Aruspex inter tormenta fassus est se magis torqueri ab eo Angelo, qui custodiret Ambrosium, quàm tormentis. Misisse se dæmones, qui Ambrosium occiderent: at illos dixisse, se ob ignem domum Ambrosij ambientem ne quidem ad limen penetrare posse: illo igne etiam longè positos uri. Ita suas contra Ambrosium artes cessâsse. *Vide Baronium Anno* 321.

3. Magnum rei familiaris compendium fuit Avenionensis Pons Rhodano impositus Angeli ope, id quod *Baronius & Spondanus Anno Christi* 1177. *n.* 15. ita narrat: Benedicto duodecim annos nato materni gregis pastori puero, à Christo ut in Rhodano pontem faceret, iterum commonito, & jam iter aggresso, Angelus obvius comes itineris fuit, ita ut iter tridui trium tantùm horarum spatio sit emensus, Angelo manuductore puer. Ad visum Rhodanum territo vires ac animos addidit Angelus. Ergo transmisso Rhodano puer Avenionem ingressus, inquit *Spondanus*, in media Episcopi concione clamavit, se missum esse à Christo, ut pontem eis in Rhodano faceret. Quâ voce populo in risum converso, puerôque ab Episcopo coram Urbis Præposito sisti jusso, monuit puer Præpositum aliquid in structuram pontis largiri. Cui ille: En tibi, inquit, saxum ingens in atrio meo, sustollè in humeros, habebis fortasse, unde tui pontis queas aliqua fundamenta ponere: tum te id posse intelligam. Puer; Feram inquit saxum, & accersito Episcopo ac Civibus, cui ferendo non forent triginta homines (erat enim lapis longitudinis 12. pedum, latitudinis septem) expeditè humeris portabat, fundamentum futurum tantæ molis. Quo prodigio Civitas universa stupefacta, Præpositus veniâ erroris petitâ, primus trecentos solidos pro ponte largitus est. Collecta tunc quinque millia nummorum, perfectúmque est tandem opus mirandum, dignum præconijs Pontificum Romanorum celebrari. Hæc ibi Spondanus multis rei veritatem confirmans. Addit Benedictum Romam petijsse, ac inde reducem, ædificato Lugduni alio ponte & Xenodochio miraculis illustrem fine sancto quievisse. En puerum artificem pontis tanti, Christo architecto & auspice, Angelo consultore, ductore, instructore. Quanto verò Urbis & Regni commodo id factum, facile est conijcere. Vide, ut etiam temporalibus nostris commodis per suos Angelos advigilet Deus, ut ne nos in æternis quærendis indormiscamus. Paratus est Angelus tuus te juvare in ponte faciendo usque ad cœlum per orandi fluvium immanem & patentem, qualem aliquando vidit S. Anselmus. Sequere ducem Angelum, succedet.

4. *Lib.* 3. *Reg. c.* 19. Eliam Angelus tetigit, & à somno ad comedendum panem

panem quem attulerat excitavit: & illi sæpiùs aliàs ad vitam conservandam in dubijs consilium dedit. Item 4. *Regum* 19. contra hostes, qui horrenda minabantur damna servis Dei, nocte unâ *venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

5. S. Stephanus Rex Ungariæ Romæ apud Summum Pontificem in procurandis Regni negotijs actorem habuit cœlitem Angelum, cujus operâ corona Ungariæ procurata est, & Reges eximijs privilegijs honorati. Ita in temporalibus Angeli Ungaris servivêre, ut illi æternis non deessent.

6. Apud Gregorium Turonensem *lib.* 1. *de gloria Martyrum* §. 11. in egestate constitutis & orantibus Monachis, Angelus Domini innumeram auri vim super altare deposuit. Denique fideliter quærentes regnum Dei nunquam sunt decepti, semper ad principale illud, quod æternum est, adjecit per suos Angelos Deus accessorium hoc quod temporaneum est. De S. Magno *Phil. Ferrarius* narrat 19. *Augusti*, illi ob necessariorum penuriam in pueritia afflicto Angelum dixisse: *Cur Magne tristaris? Ego ad depellendum abs te mærorem veni.* Et verò repertâ decem librarum auri massâ exhilaratus Magnus, illo Dei per Angelum beneficio bene est usus.

## HEBDOMADA XXXIX.

*Lectioni addictus esto, & vide ut seligas quæ legas.*

1.

NE te inutilibus aut minùs utilibus legendis des, relictis ijs quæ necessaria, & quæ saluti proficua sunt. Habes Magistros Angelos, qui sæpe cum aureis libellis comparuêre. S. Ephremo puero Angelus auro radiantem elegantiæ miræ libellum dedit, quem non nisi ipse S. Ephrem poterat aperire. Is verò etiam libello interdum instructus, quem S. Francisca videbat, Angelus elevatis & in cœlum semper defixis oculis, fuisse est animadversus, ut nimirum cœlestes libros præ his non negligas.

2. Habes Angelos, qui, rem omnem patheticâ prolixitate narrante ipso S. Hieronymo *ep.* 221. *ad Eustochium*, coram horrendo irati Judicis Christi tribunali Hieronymum dirâ flagellatione cecidêre, simúlque illi acclamavêre: *Ciceronianus es, non Christianus.* Si tanta est nostra in Philosophicis, alijsve legendis orexis & pertinacia, ut quosdam ferreorum quasi viscerum homines videamus, qui adeo durent; certè à nobilitate altioris finis nostra ad divinorum lectionem exacui deberet industria. Aristoteles Æsculapij serus nepos, Socrate Magistro triennio usus, Platonem à 17. ætatis anno usque ad 37. per totos 20. annos eâ diligentiæ commendatione audivit, ut ob inexplebilem legendi cupiditatem atque constantiam Plato Aristotelis ædes Domum Lectoris appellârit, ipse verò à lectione tanta lumen tantum præclaro hausit ingenio, ut ab eodem suo Magistro *mens* sit dictus, & *Philosophus veritatis.* Veritatem in sacris libris reperies. Videbis ibi *cœlum apertum*,

Joan. 1. 15. *& Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Ita *mens*, ita Angelus fies. Nam & Angelos *mentes beatas* dicimus.

3. Familiarissima pulcherrimo Angelo Cæcilia, familiarem castissimo pectori Evangelij libellum habuit. Unde Ecclesia: *Quasi apis argumentosa, semper Evangelium Christi gerebat in pectore, & non diebus neque noctibus vacabat à colloquijs divinis & oratione.*

4. In actis S. Theophilæ Virginis refertur, illam in domum obscænitatis inductam, ut contaminaretur, ad Deum & Angelum suspirâsse, & accepto è castissimi pectoris sinu Evangelio lectioni operam dedisse. Ingressus est impurus quispiam, & ad pedes legentis Virginis corruit cadaver impurum. Ingressus alter cæcitate percussus est. Ingressi alij ut viderent quid sit, quòd ex ijs qui ingressi fuerant rediret nemo, viderunt sedentem modestissimè, & totis oculis in libri lectionem intentam Theophilam. Angelum verò corpore toto, at oculis maximè, fulgurantem: qui illi claudebat latus luce pulcherrimâ coronatus. Ita alijs ad Christum adductis, alij aliò cum admiratione dilapsi sunt, & Theophila libera ad congregatos in Ecclesia Christianos venit. Perpende, quantum purissimus ille Angelus fuerit sanctâ suæ Theophilæ lectione delectatus: quàm tu Angelo tuo placeas, si idem agas, quàm suaviter assistat tibi legenti pulcherrimè collusens, & sibi de te gaudio gratulabundus Angelus tuus custos. *Martyrologium Gallicanum 24. Ianuarij* ait, S. Savinianum adhuc Ethnico Deum agnoscere quærenti, & librum aperienti versum illum occurrisse ut legeret: *Asperges me, & mundabor, &c.* Hunc ergo cum lachrymis versanti, Angelus baptismo ut mundaretur persvasit.

5. Quin etiam scribi spirituales libros volunt Angeli, ut legentibus prosint libelli diversi pro diverso legentium palato. Nota est S. Birgitta, quæ Angeli dictantis amanuensis fuit. Author vitæ B. Veronicæ 13 Januarij *apud Bollandum lib. 2. c. 26.* Composuit, inquit, Veronica opus præclarissimum, quod divinâ irâ ab mortalium oculis creditur fuisse ablatum, Virgine adhuc vivente. Restituendum tamen olim intellexit. Aureus calamus, quo illa ab Angelo sibi dato librum illum conscripsit, etiamnum asservatur, eúmque à se visum ait vitæ scriptor.

6. *Durandus, Præpositus* de Angelis *disp. 57. art. 4. dub. num. 23.* referunt quosdam docentes, quòd Angeli loquantur per quasdam figuras & characteres, quos cœlo imprimunt. Impossibile factu id non est: at verum hoc, quòd per impressos libris sacris characteres nobis Deus sæpe loquatur, & Angeli. Lege librum, tanquam cœlum apertum, & aperientur tibi sicut liber cœli, imò liber sicut cœlum: sicut è contra libri impij sunt infernus.

ANNI

# ANNI ANGELICI

## PARS IV.

## HEBDOMADA XL.

*Misericordiæ operibus esto constanter addictus.*

1.

SAnctus Joan. Chrysost. *t. 2 hom. 4. in Matt.* de tribus pueris in fornace loquens; *tunc*, inquit, *Angelus descendit ad pueros illos, nunc verò nos descendamus ad eos, qui in egestatis fornace torrentur, eisque refrigerii de misericordiæ rore præstemus.* Placet id Angelis. Ita S. Wandregisili Comitis sese ad infimi pauperis obsequia abijcientis misericordem indolem laudavit Custos Angelus, & sordidatas in illo obsequio Comitis vestes ipse purgavit, recepitque se illustrissimorum Comitis factorum hîc testem, in cœlo verò facundum coram æterno illo cœlitum Senatu panegyricum fore.

2. Ungarus Minorita *apud P. Ioan. Majorem V. Charitas, exem. 13.* inductum in domum suam à divite pauperem & bene tractatum, atque in lecto bene strato positum narrat. Clamabat noctu pauper se siti emori. Ergo dives ille, ejus quod à religiosis hospitibus suis didicerat, apophthegmatis divini memor: *Quodcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis*, ipse ad puteum ad frigidam pro paupere hauriendam descendit: sed in puteum prolapsus manè tandem extractus est mortuus. Repertus est in collo illius arte Angelicâ confectus circulus aureus, cujus inscriptionem Episcopus advocatus & alij cum gaudio legerunt. in hæc verba: *Nos Angeli priùs animam istius duximus in cœlum, quàm corpus fuisset infrigidatum in cisterna, quia in misericordiæ operibus vitam finivit.* Uxor flexis devotè genibus pro mariti salute gratias egit, & sua pauperibus, se verò totam Christi obsequio mancipavit.

3. Valde id gratum est Angelis, si

clientes suos in Christum videant liberales & plenos misericordissimæ Charitatis. Certè B. Ambrosius Samsedonius cùm pauperes cibo ac potu reficeret, ad illam misericordiæ mensam Angelos musicos habuit.

4. *Genes.* 21. Errantis in solitudine dimissæ Agar & Ismaëlis sitientis misertus Deus misit Angelum. *Vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo dicens: quid agis Agar? noli timere.* & reperit puteum pro siti. Debet nimirum hoc esse nostræ erga alios etiam indignos, & abjectos miserationis elogium quod est Solis, imò Dei: *non est qui se abscondat à calore ejus*, etiam lucum illustrat.

5. Inter misericordiæ opera est etiam sepelire mortuos, id quod Angelis valde gratum est, si in nobis videant. Angelus Tob. 12. *quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* S. Furseo funus pueri deducenti Angelus campanam dedit coram populo universo, cujus campanæ sono revixit mortuus puer, & Religiosus Deo vivere cæpit. *Vita 16. Januarij apud Bollandum.* Præclarum & admirabile præmium misericordiæ defuncto impensæ.

6. Angelus à S. Philippo Nerio Eleemosynam mendici formâ tectus postulavit, ubi verò accepit, *experiri veneram*, inquit, *quid facturus eras*; & videri desijt. Inde Philippus ad eleemosynas totis manibus dandas admirabiliter est accensus.

7. S. Gregorio Magno B. Silvia Mater argenteam scutellam cum leguminibus & pecuniæ non nihil miserat; id ille totum Angelo dedit. Adfuit illi Angelus, & se sub illius naufragi pauperis vultu latuisse, ac eleemosynam illam accepisse dixit; item inter 12. pauperes, quos Gregorius mensæ adhibebat sedisse se asseruit, addiditque illum ob eleemosynas datas summum Ecclesiæ Pontificem à Deo destinatum, séque illi custodem datum usque ad mortem, ut quidquid à Deo postulaverit, per Angelum impetret. *Date* nimirùm *& dabitur vobis.* Magnum omninò eleemosynæ præmium Pontificatûs felici hac arte sinè simonia emptus à Deo, Angeli custodia singularis, & per Angelum omnium quæ petierit impetratio. *Vide Ioan. Diac. Vitæ S. Gregor. lib. 2. cap. 23. ib.* verò 1. *cap.* 10. ait Angelum illum ad S. Gregorium dum quædam scriberet advenisse, & per triduum sub eodem naufragi schemate quotidie adfuisse, addit in fine: *à quo Angelica visitationis tempore tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, ut omnibus secum viventibus exemplo fuerit & terrori.*

8. S. Antonius Episcop. 12. *Febr.* testamento suo hæredes fecerat pauperes Christi ut abundaret; Angeli auri plurimum pro mantissa misericordiæ addiderunt. Videbis hic passim Angelos omnia utriusque misericordiæ opera exercentes circa ægros, captivos, sanos, moribundos, mortuos. Ita nos Angeli admonent, & præparant per misericordiam ad misericordias Domini in æternum cantandas. Matt. 25. 31. *cùm venerit filius hominis in majestate sua & omnes Angeli cum eo. Tunc dicet esurivi, dedisti mihi manducare*; *siti-*

*sitiui, dediſtis mihi bibere : hoſpes eram, collegiſtis me; nudus, cooperuiſtis me ; infirmus, viſitaſtis me ; in carcere , & veniſtis ad me. Venite* ! Teſtes tibi erunt omnes Angeli Dei.

9. Juliana à Cruce nobilitatis eximiæ fœmina, eleemoſynam egentibus & ſæpe, & libenter , & flexis quidem reverenter genibus oſculabunda contingens manum, dabat. Adfuit mendicum ſimulans Angelus aliquando , & ſtipem à Juliana adgeniculante accipiens dixit fore ut prole bearetur, & quia Cœnobium ingredi anhelabat tota , hoc etiam voto feliciter gaviſuram verè vaticinatus eſt & videri deſijt. *Vide Rho Virt. lib.* 4. *c.* 13. *num.* 1.

10. Juveni nocte intempeſtâ ad ſublevandam ægri pauperis egeſtatem cum eleemoſyna eunti atque inde revertenti Angelus comes facem prætulit, *apud Barry pædag. cap.* 2. ubi etiam *cap.* 1. *pag.* 31. ex monumentis B. V. in Porticu Angeli S. Gallæ Viduæ Rom. eo die, quo illa egentibus quibusdam ſuccurrerat, imaginem Dei Matris ex auro factam, ac porphyreticâ tabulâ exceptam dedêre.

# HEBDOMADA XLI.

## *De ſpiritualibus rebus libenter loquere & audi.*

1.

SAncti Equitij linguam Angelus ferro ita tetigit & inflammavit ut de Deo jam tacere non poſſet. Ecce novum Iſaiam, cujus labia Angelus calculo mundavit ignito. O tales nos utinam Equitios & Iſaias habeamus! *Qui Deum ſequitur*, inquit Philo de migr. Abrah. *neceſſarios habet comites ejus ſermones, qui nominari ſolent Angeli.* Et S. Athanaſius in 1. Corinth. cap. 13. initio; *potentia* , inquit, *intelligendi, quâ Angeli invicem divina communicant ſenſa, Angelorum eſt lingua.* Dum itaque divina, quæ à Deo per libros colloquia, exhortationes perſentiſcis, ſenſa alijs per ſancta colloquia communicas, Angelicâ loqueris linguâ , & officio fungeris Angelorum. Nam, ut S. Joannes Chryſoſtomus in cap. 1. ad Hebr. *Hoc eſt Angelicæ functionis officium, ad ſalutem hominum miniſterium Deo perſolvere.*

2. P. Franciſcus Folianus *apud Roſſium opuſc.* 3. *cap.* 12. Angelos vocat ſpiritus divinos ſemper ſpirantes eloquia veritatis *eructantes è corde verbum ſalutis , verbum dignum auribus Dei , ora & linguas magniloquas magnalium Dei, increatæ lucis ad humanas mentes prima vehicula ſacratiſſima.*

Si facundus in via comes pro vehiculo eſt eunti, inquit idem ad Angelum Cuſtodem, quis mihi facundior accidat in via, quæ ducit ad vitam, comes , quàm tu Angele diſertiſſime, qui me protectionis tuæ umbrâ ab æſtu & imbre defendis, & dirigis ſuaviſſimis colloquijs internis ad patriam Paradiſi? Quàm ſuave & quàm dulce eſt cum amico loqui, quantò dulciùs & ſuaviùs cum amico loqui, quem bonitas divina dedit & tutorem fecit? ita ille.

3. Et certè Angelica videtur eſſe converſatio, quæ eſt de ſcientia Sanctorum,

rum, de lege Dei, de divinis. Ita *Malach.* 2. Sacerdoti officium de his loquendi imponitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Atque omninò qui de divinis loquitur, Christo in colloquentium corda illabenti locum præparans, prodromus Angelus est. Nec est infima benevolentissimæ in Deo beneficentiæ pars tales dari, qui profutura loquantur. Dum te, aut alium cœlestia locuturum mittit Deus, videtur illud facere, seu ipsis factis dicere quod *Malach.* 3. dixit: *Ecce ego* (in hoc vel illo de rebus divinis locuturo) *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum* (ad hominem ista libenter audientem) *Dominator quem vos vultis. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, inquit Matt. 18. 20. Christus, *ibi sum in medio eorum.*

4. Neque abesse Angelos testatur vulgata illa *in vitis PP.* sancti senis visio. Videbat ille, quoties de divinis colloquia miscerentur, præsentes cœlesti quadam hilaritque majestate Angelos Dei ostendentes se colloquijs illis mirum in modum oblectari. Si verò in alios anfractus deviabat à cœlo colloquium, statim S. Angeli recedebant longiùs: veniebam autem porci sordidissimi & volutabant se inter eos: Dæmones enim in specie porcorum delectabantur eorum vaniloquijs. Unde Sanctus ille per cœnobia circumiens quasi encyclicam hanc ubique faciebat exhortationem è viso illo haustam: *Cohibete à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus hominibus generatur.*

5. Non tantùm passus, verùm & verba nostra adnumerat & adnotat Custos noster. *Malach.* 3. *Scriptus est liber monumenti:* Hebr. habet: *liber memoriæ & recordationis.* Omnia tua verba scribuntur in libro Dei, ubi non tantùm è factis, sed è verbis tuis judicaberis rationem de singulis redditurus, ut coroneris aut luas.

6. Atque ut videas, quàm delectetur cœlestibus hisce colloquijs Angelus, memento illius Angeli, qui *apud Raderum p. 1. Virid. pag.* 34. Marcianum è sua cella raptum, sublimémque in S. Joannis Cherubitæ specum delatum, deposuit, eo qui secutus est fine: nam ibi ambo mutuùm complexi cœlesti inter se colloquio ad satietatem pasti sunt.

7. S. Felix per sex totos menses Angelum habuit qui mensam instruebat, & à quo ipse cœlestibus colloquijs ad liquidissimam tenerrimi animi voluptatem recreabatur. Videtur certè Angelorum esse chorus seu circulus, ubi nobilissima de Deo divinisque colloquentium corona circulum facit Angelis, eorum qui colloquuntur custodibus, longè gratissimum. Illi circulo aptè daretur illud è Tertull. ore de orat. cap. 3. elogium: *Nos Angelorum candidati.* Qui cum Deo & de Deo libenter loquitur, est candidatus ad Angelorum dignitatem elevandus.

HEB-

# HEBDOMADA XLII.

## *Obedientia Angelis placet.*

1.

OMnia ideo agenda sunt quia Deo placent, & quia nobis placet Deus. Ideo etiam Angeli ad parendum alati & volucres, quicquid Deo placere intelligunt, agunt toti; adeóque tam libenter tuus tibi Angelus Custos assistit, quàm Pontifici vel Cæsari aut Principum ulli assisteret, quia Deo ita placet. Imò & ipsi Angeli alij alijs subordinati sunt filiali quadam submissione, & parendi studio. *S. Hieron. in cap. 3. ep. ad Ephes. Puto,* inquit, *& Angelos, caterásque Virtutes habere principes sui generis in cœlestibus, quos Patres gaudeant appellare. Archangelus enim, nisi Angelorum dici non potest, & Dominatio, & Principatus, & Potestas, nisi inferiores subjectos habeant, non vocantur.* Hæc Hieron.

2. *B. Francis. Sales. Epist. de Amore Dei lib. 12. cap. 5.* S. Franciscæ tum adhuc conjugatæ obedientiam narrans ait, eam orando intentam officio mariti avocantis jussu statim preces interrupisse, & se adad, ad quod vocabatur, contulisse. Iterum se cubiculo ac relicto versiculo orando reddentem Franciscam conjunx iterum, & tertiò, & quartò avocavit; & illa prompto alacríque parendi studio iterum, tertiò, & quartò inchoatum illum versiculum interrupit, ut obediret. Reversa invenit versiculum illum, quem totíes avocata interruperat, pulcherrimis characteribus aureis exaratum. Quis scripsit? Juratæ illustri matronæ Vannocianæ, quæ S. Franciscæ fuit socia, si credimus, vidit illa versum illum à Custode Franciscæ Angelo conscribi; quod ipsum Franciscæ à D. Paulo Apostolo postea revelatum est. *Gianottus 4. parte, praxi 8. pag. 454.* ait, hæc verba auro scripta tunc ab Angelo Custode: *Deus illi benedicit, qui promptè obedit.* O præclaram, luculentam, & solatij plenam testificationem! Jam verò adducor è recenti hoc, ut libentiùs credam etiam vetus illud adeo decantatum, avocatum ab O scribendo cœnobitam, imperfecto majusculæ illius literæ circulo relicto se ad jussa exequenda contulisse; & à reduce repertam illam literam Angeli operâ auro completam.

3. At filialem erga parentes observantiam, quæ certè non rarò cum insignibus patiendi exercitijs conjuncta esse solet, quàm amet Angelus, hinc adverte. Anno 1599. refert *Barry pædag. c. 13. p. 223.* juvenem omnes optimi filij partes modestiá parendíque studio implentem, à patre tamen verberibus malè mulctatum, cùm æger decumberet, à geminis Angelis visitatum. alter Angelus erat ipsius Custos, alter Sodalitatis, cui ille nomen dederat, tutelaris. Gulielme, inquiebat illum compellans Sodalitatis custos genius, » bono animo esto. Nos duo adsumus » à Deo & Dei Matre ad te missi, ut ægrotanti tibi solatio, & morienti auxilio » simus. Hæc verò felicitas tibi ea de » causa potissimùm obtigit, ut ita tua erga majores tuos reverentia, parendíque » ac patiendi promptitudo coronaretur. » Ad hæc placet Deo vitæ tuæ integritas,

& reli-

» & religiosa legum Sodalitatis observatio, ac frequentata synaxis Euchatistica. Neque priùs hinc discedemus, » quàm te ad Dei ac tuæ Matris dulcissimæ solium evehamus, felici morte defunctum. jam proximo Mariano Sabbathi die ad primum Vesperarum signum obibis. Rem omnem ubi parentibus retulit, egit gratias, etiam deprecatus si quid deliquisset. Se verò cùm ultimus esset ac unicus ita moriturum, ut cœlo potitus masculam illis prolem à Deo impetrare velit. Tum evocato Patre Gareto Soc: Jesu rem omnem & conscientiam totam aperuit, atque id quod illi vitæ reliquum fuit usque ad Sabbathum, consumpsit lætus in colloquio Angelorum sibi unà cum Dei Matre præsentium. Anno post hujus mortem evoluto Mater masculum enixa est.

# HEBDOMADA XLIII.

*Angelis valde placet, dæmonibus displicet fervens & frequens pro agonizantibus & defunctis oratio.*

1.

Sancta illa Theresia felici cœlestis amoris cuspide ab Angelo vulnerata, in vita sua testis est, se dum cor coram Deo inter orandum pro defunctis effunderet, vidisse dæmones libro suo insidentes; ut ne illo ad precandum uti posset. Neque priùs potuit, quàm infelices illos invidiæ genios, aquâ lustrali conspergens librum, abegerit. Et tum demum vidit animas è Purgatorij flammis certatim exire. Hoc nimirum agit immundus ille, ut quia æternam illam Dei visionem tollere animabus illis extra omnem damnationis æternæ aleam in tuto positis jam non potest, remoram injiciat: ut quam nunquam amissuri sumus gloriam, saltem tardiùs acquiramus. Angelus è contra totus pro illis animabus est.

2. B. Veronica Virgo *Vitæ lib. 5. cap. 10.* vidit die Assumptionis B. Virginis animas è purgatorio exeuntes coloris ignei: mox verò nivis instar candicantes, fronde viridi coronatas ab Angelis duci ad thronum Dei. Triumphant nimirum beati Angeli, quando illas cœlo jam beandas vident. Hunc tu triumphum illis procurare, calidis precibus pro animarum illarum liberatione fusis, si vis, potes.

3. S. Onuphrio, & pluribus alijs mortuis lessum Angeli cecinêre. Angelicum tuis mortuis lessum canes, quando fusâ pro illis oratione illos excitabis ad vitam æternam citiùs adeundam, ad capessendam Societatem Angelorum. Vide hæc prolixiùs in Anno Morientium *hebd. 10. totâ, & pag. 112.*

4. Cura verò eorum, qui in agone sunt, maxima est Angelis tutelaribus, quia sciunt punctum illud esse punctum centri in circulo æterno, unde valde æstimant, si pro id genus hominibus ores. Eadem B. Veronica Virgo *Vitæ lib. 2. cap. 14.* Seraphinæ sororis agonem vidit, ubi Angelus tenebrarum respondente Angelo lucis Seraphinæ moribundæ objectabat fractum silentium,

tium, respondit Angelus custos, esse id confessam. Ita confuso dæmone, & læto Angelo expiravit Seraphina; & fracti silentij pœnam in purgatorio nocte sequenti visa est expiare. Ita læti sunt Angeli, quando suprema cum dæmone colluctatio nobis cedit ex voto; unde illis pergratum est, si ad eam rem alter ab altero calidis ac sinceris precibus adjuvemur.

5. Præiverunt nobis exemplo sæpiùs Angeli in ijs faciendis, quæ moribundis solatio sunt. Quid verò majori solatio est morientibus, quàm si pro illis ores, *Ut non pereant in tremendo judicio.* » Gaudete fratres, inquiebat » cineri suo post extremam unctionem » immoriens Guilielmus Sacerdos pijssimus, quia gaudium est in cœlis, & vos » omnes eritis in gaudio illo. Ecce totus chorus plenus est Angelis, qui vos expectant. Ita accepto ab Angelo custode dulcissimo æternæ pacis osculo, id quod Priori dixit, mortuus est in osculo Domini, sicut Moyses. *Vide Spec. exemp. p. 5. cap. 3.*

6. Angelus Custos S. Lydvinæ, ut refert *Ribad. p. 2. 14. Aprilis.* ad excitandam in illa majorem erga patientes in Purgatorio animas pietatem, & culpas & pœnas illi animarum ostendit: è quibus illa multas redemit.

7. Celebre est illud, & multorum passim ore vulgatum, sed scribi dignum, quod è *Iano Nicio* narrat *Hautinus Eucharistiæ num.* 997. circa annum Christi 1620. Italum juvenem curandis pro animarum illarum ope sacrificijs liberalem, cùm vesperi eques iter haberet penes infamem quercum, è qua frustatim discerptus latro pendebat, preces pro anima penduli de more fudisse. ita pietas illa juvit ab exitio. Repentè sponte suâ conflari visæ partes; & latro ille jam integer stare. Jussus equo descendere adolescens paruit: & latro equum conscendit, atque ad 60. passus abijt ad locum, ubi paratæ adolescenti ignaro insidiæ illum expectabant ad mortem. Ibi disploſis sclopis latro humi ex equo dejicitur; & sicarij se rem ex voto confeciſſe rati diffugiunt. Redit latro ad juvenem, & illum à Deo illi ereptum periculo refert, ac ut vitam emendatiùs instituat, monet, & equo reddito iterum in quercum frustatim spargitur. Adolescens verò monitus, Deo religiosus vixit. Putant aliqui Custodem alicujus animæ illius adolescentis operâ liberatæ fuisse. Quidquid sit, certum est illud officium & liberatæ animæ, & nostro Custodi Angelo esse longè gratissimum; & animabus, ac nobis utilissimum.

8. Plurima & celebratissima sunt Angelorum erga pios illos manes officia. Quin & secundum Novembris diem, ut juvandis illis animabus sacrum faceret Ecclesia die post institutum omnium Sanctorum festum, Angelus nunciavit Pontifici. *Vide Equilin. Cat. SS. lib. 10. Cranorius p. 3. pr. 18. pag. 358.* ait Beatæ Agathæ de Cruce à Christo dictum, ut unam quotidie horam precibus pro Purgatorij animabus daret. Quid mirum placere Angelis, quod adeo placet Angelorum Regi?

9. De Rosario, quæ dixerit Alexandra Virgo à morte ad vitam redux, ita describit *Maracius in lilijs §. 12.* Hæc » ut primùm à morte postliminio ad mor- »

„ tales reversa est, sanctissimo Eucharistiæ
„ Sacramento refecta, mira dixit, & vive-
„ re iterum desijt. A morte S. Domini-
„ co stellæ instar visa, dixit, fungi se lega-
„ tione animarum, quas ignis expiatorius
„ perpurgaret. Jussam se ab illis anima-
„ bus, mortales admonere, ut se Rosario
„ pro animabus illis orando impendant,
„ hoc enim Rosarij orandi genere & An-
„ gelos admirabiliter recreari, & ipsam
„ Angelorum Reginam suavissimè exul-
„ tare. Age itaque, & beatas illas ani-
„ mas Angelos, atque adeo ipsam divi-
„ nam Matrem fac fusis his pro animarum
illarum libertate maturanda precibus
exultare. Exultabis unà cum illis ex-
altatus in æternum.

10. *Fabius Ambrosius Spinola lib. 2. cap. 14. p. 253.* in vita Mariæ Victoriæ Stratæ, ait, felici illi Dei Ancillæ prædictam à Beatissima Virgine Joannis Thomæ religiosi filij sui mortem; dixisseq; illum electum esse ad gloriam, & jam à se SSS. TRINITATI oblatum. Interea dum expiraret Joannes, visa est Mariæ Victoriæ Stratæ Joannis anima instar radij in corona Angelorum, præsente & semper comite Angelo Custode, qui animam illam per Purgatorium duxerit transeuntem, post interpositum tamen aliquod temporis intervallum. Triduo verò elapso eundem filium suum sacerdotali splendidum apparatu in paradiso canentem spectavit. O semper fortunata felicissimi nostri Custodis Societas! Conjuravit ille cum MARIA cœli Regina in salutem nostram. Desiderat, ut absque ullo, aut saltem cum brevissimo Purgatorio ad superos transeamus, aliósque ad id juvemus. Sed de hujus hebdomadæ argumento plura *hebd. 45.*

# HEBDOMADA XLIV.

## *Inspirationibus divinis fortiter & constanter obedias.*

1.

*Sanctarum appellatio Virtutum*, inquit *de cœlesti hierarchia c. 8.* Dionysius, *fortem quandam & inconcussam denotat virilitatem in omnes deiformes earum actiones redundantem, ne quidquam admittant, quo ipsis insita divinitus illustrationes imminutæ deficiant; quæ magnis viribus ad Dei nititur imitationem, neque motui divino ignavia sua deest. sed constanter ad supercessentialem ac potentificam virtutem intuens, nec non ipsiusmet virtutis quantum potest effecta simulachrum, ad eandem quidem ceu virtutem principalem valide convertitur.* O si nos tam non deessemus nobis, quàm nobis non deest Deus! Fontalis ille radius, inquit idem divinus vir *cap. 9* jugiter est expansus. & *cap. 10.* per illustrationum ductus unaquæque mens pro suo captu quàm nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæque perfectionis fit particeps. & *cap. 15.* Angelicam autem describens, divinam, inquit, scitè suscipit inspirationem: gustum vocat divinorum atque delicioforum rivulorum susceptionem. Pectus autem designare virtutem indomabilem, & quæ vivificam quodammodo suppositi cordis distributionem tueatur. Isti sunt rotæ alatæ, & ad anteriora irremeabili atque irreflexo motu tendentes: & sempiterno motu circa idem summum bonum versantur.

2. *Fran-*

2. *Franciſcus Ximenius* Patriarcha *lib. 2. cap. 15.* Prælati meminit, qui teneræ, quam erga Cuſtodem Angelum habebat, obſervantiæ hoc pretium tulit. Hunc tempeſtas horrenda in ſchola obſcœnitatis invenit apud lupam ſuam. Ergo Angelo ſuo ſupplex, opem implorat tremens, ac putans jam ſe ab irato cœlo fulminandum in tartara. Adfuit vultu ſereno trux Angelus, & enormitatem inviſæ Angelis luxuriæ illi verbis ad increpandum appoſitis exprobrans, illum Angelico indignũ patrocinio dixit. Si tamen ad cor reverteretur, miſericordiam promiſit; ſin, mortem à fulmine certam minatus eſt. Admiſit monentis Angeli verba fulmineaque uſque ad cor, & adeo ſanctus vixit, ut morienti obvij Angeli illum ad perennis felicitatis aulam comitatu triumphali deduxerint. Tantum fuit Angelo paruiſſe. Jam enim ſuaviter inſpirat nobis ea, quæ ad ſalutem ſunt, per Angelum Deus; jam monet fortiter. Bene nobis, ſi aure pronâ obedivérimus. Pretium operæ quale ſit, audi è S. Macario homil. 22. *Cùm anima deceſſerit è corpore*, inquit ille, *tunc magnum quoddam peragitur myſterium. Nam ſi fuerit illa peccati rea, accedunt chori dæmonum, apprehendunt animam illam & imperio ſubjugatam in ſuas partes pertrahunt. Si enim dum viveret homo ſubditus fuit, obtemperávit, & inſervivit illis, quantò magis cùm egreditur ex hoc mundo, detinetur ac poſſidetur ab illis?* Sanctis Dei ſervis aſſiſtunt Angeli, & circumdant eos, & cuſtodiunt; cúmque exierint è corpore, chori Angelorum aſſumunt animas in ſuam partem in ſeculo puro. Illis itaque Angelis cedes in præmium, quorum inſtinctibus hìc obtemperâſti.

3. Subſcribit his *Origenes* in cap. 25. Numeror. hom. 20. *Si homo non acquieſcit monitis Angeli, qui ſibi deputatus eſt ad ſalutem, auferetur maceria ejus, & erit in conculcationem. Quod ſi princeps meus, Angelum dico, qui eſt mihi conſignatus commonuit de bonis, & locutus eſt in corde meo, ſed ego contemptis ejus monitis, & ſpreto conſcientiæ retinaculo, præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris, vel pro facinore commiſſo.* Exodi 33. hoc unum petit Deus, ut Angelum tuum audias, & minatur, nì audias. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi. Obſerva eum & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo. Quod ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te: præcedetque te Angelus meus.*

4. Lege ſuper hoc aureum Angelici Aloyſij documentum, quod *in M. S.* ſuo reliquit in hæc verba: Perſvaſum habe, perinde te Angeli ductum ſequi oportére, atque cæcum quempiam, qui viarum diſcrimina ignorans, ejus qui baculo greſſum ipſius regit, providentiæ in omnibus confidit. Beatiſſima certè Virgo Deo per Angelum admirabilia nuncianti annuit, cum reverentia tanta, ut *S. Chryſologus ſerm.* 143. dixerit: *Turbata eſt caro, concuſſa ſunt viſcera, mens tremuit, tota cordis obſtupuit altitudo: quia in ingreſſu Angeli Virgo ſenſit divinitatis ingreſſum.*

5. Planè alta & Angelica res est cœlestem ductum sequi. *S. Dionysius* cit. cap. 4. *Sancta*, inquit, *cœlestium essentiarum dispositiones, divini principatûs munere ac participatione antecellunt. Uberiore gaudent ejus participatione, quòd sint assiduè ac semper ad anteriora, quantum fas est, divini nunquam fatiscentis amoris contentione extendantur, & primordiales illustrationes immaterialiter liquidòque suscipiant, atque ad eas componantur.* Unde cap. 4. Angelos vocat *Chiragogos*, seu *Manuductores, ad divinum accessum, & illustrationem, atque communionem.* Sequere ergo, da manum Chiragogo Angelo manuductori tuo, ut te ad divinum accessum perducat.

6. Ita cor tuum divinis inspirationibus aptum, thronus erit Dei. Nam idem divinus Dionys. c. 7. *Thronorum sublimissimorum & excelsorum nomen*, inquit, *denotat id, quod divinum sinè ulla motione atque materia recipit, ac Deum portat, officioseque ad ea quæ divina sunt capienda propensum est.*

7. Quod si verò te ad intimos Dei nutus duriorem reperias, pete urgeri ab Angelo. Certè Natalius *apud Spondanum Anno Christi* 207. *num.* 1. cùm esset tardior ad divina, tandem cùm frequentibus Domini visionibus atque monitionibus, tum maximè gravissimis flagris à sanctis Angelis nocte quadam illatis sui compos redditus, cilicio & sacco indutus, ac cineribus aspersus, ad Zephyrini Pontificis pedes se supplicem abijciens, patrati sceleris exomologesin egit. Sed ad parendum satis est amâsse illum, qui loquitur. Nam veteri Gregorij effato hom. 30. in Evang. *Amor magna operatur, si est: si autem operari desinit, amor non est.* Cave, quæso, cave, quisquis Deum seriò vis quærere, ut inspiranti Angelo difficilem te ne præbeas: ne in duræ cervicis pœnam relinquaris, & desertus percutiaris horrendâ illâ cæcitate cordis. Unde sæpe corde versanda est illa petitio Eccl. 23. 3. *Ne adinvescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea.*

---

# HEBDOMADA XLV.

## *Circa piam erga moribundos & mortuos curam, Angelos Custodes imitare.*

1.

APud *Hautinum in Eucharistia num.* 1259. Luxemburgi Anno 1640. anima fœminæ per sacrificia, jejunia, peregrinationes tandem è Purgatorio liberata, puellæ, cui sæpe apparuerat, adfuit, & pro opera gratias egit; promisitque se pro illa, pro matre item illius, Patre, & omnibus precaturam, qui vel unicum *Pater* & *Ave* pro se dixissent. Aderat felicem animam in cœlum ducturus Angelus Custos, & vale puellæ dictura anima dicebat, se gaudio immenso circumfluere, quòd esset filia beatitatis æternæ: addit, etiam ipsam eò perventuram. Tum hæc ei præcepta pro mnemosyno dedit:

1. Cave, ne inaniter inde glorieris.

2. Vide, ne deinceps ad preces divinas

nas pigra sis: quin potiùs virtute & pietate indies crescè.

3. Cùm integrum erit, quotidie missæ intereris.

4. Cave sis, ne diaboli nomen ore tuo unquam excidat: nam nominari gaudet nequam iste spiritus, indéque nocendi ansas arripit.

5. Denique MARIÆ Matris Dei memoria semper in mente tua versetur, nulli deest ipsa, qui prior illi non defuerit.

Ita gratijs illi actis, *En*, ajebat, *faciem Dei contemplatum eo, en ad cœlum propero.* Ita illam brachijs mollibus, & materno velut in gremio blandè recumbentem in cœlum subvexit Angelus Custos. Plura id genus in Anno morientium reperies.

2. Circa morituros autem quanta Custodis Angeli soleat esse diligentia, multa sunt experimenta. Recentius est illud, quod refertur *in Paraquariensibus fastis*, in Colonia B. Virginis Lauretanæ, ubi Indum adolescentem musicum variolis exhaustum, neque se satis movere valentem, Angelus Custos ad templum visitandi sanctissimi Sacramenti gratiâ, quod unicum expetebat Indus, duxit conscio nemine, id quod P. Antonio Ruiz Societatis JESU ipse adolescens narravit, & quidquid in templo tunc agebatur retulit, atque Antonio quòd tunc penes aram pro se ardentiùs orâsset, gratias egit, & illâ nocte vivere desijt.

3. Antiquius, at ad rem nostram est id, quod memoriæ prodidit *Pomer. lib. 12. & Vincent. lib. 8. cap. 96.* Decumbebat ultimo affixa lectulo tam piâ quàm pauper fœmina; & in haud minore vitæ periculo versabatur in palatio suo avarus dives. Ad divitem ipse Curio, ad fœminam is qui Parocho à Sacellis erat abijt. Jacebat illa humi nudæ, morti proxima, & deserta ab omni ope mortalium. Sed adesse vidit Sacerdos Reginam Angelorum, cum frequentissimo cœlestium spirituum choro, qui humi prostrati accinebant sanctissimo Sacramento, quod infirmæ pro viatico porrigi jusserat præsens Deipara, quo etiam triumpho anima felicis illius pauperculæ ab Angelis, & Angelorum Regina cœlo invecta est. Interim plenus harum lætitiarum Sacerdos ad divitem morientem abit: videt lectum splendidum, sed à teterrimis undique dæmonibus circumsessum, & infixo in morientis pectus ferro exhaustum inde à gigante formidabili infelix cor, unáque animam miserandam. Tremebat ad hæc visa Viduæ illius mortem cum morte divitis hujus conferens Sacerdos, & à MARIA hæc audijt: Nihil est, quod timeas. Sathan servis meis nocere non » potest. Deo & mihi fac servias diligentiùs. Præclara tibi in cœlo corona » reposita te expectat. Plura sunt, quæ » hinc pro fucco sugi possunt. Tu à Regina Angelorum, & ab Angelis piam circa moribundos curam disce. Optima est illa, quâ primò illis Sacramenta ultima procurantur, & deinde omni illis ope assistitur. Hoc est divinissimum quoddam eleemosynæ genus.

4. Solet verò magnæ hujus moribundis impensæ eleemosynæ præmium esse mors felix. *Martyr. Francisc. 25. Julij*, B. Petrus alteri cuidam morienti dum adesset, repente cœlesti quodam impul-

impulsu quasi entheatus altâ voce succlamabat: *In Paradisum* ! *in Paradisum* ! *in Paradisum* ! Ita inexplicabiliter admirabili gaudio exultantem absque ulla infirmitate spiritum mox exhalavit. Ecce dum summam quam poterat misericordiam impertiretur morienti, moriens summâ, quam quidem desiderare possumus, misericordiâ coronatus est, morte scilicet fortunatâ.

5. Age ergo, & te moribundis impende arte, ingenio, viribus, quibus potes. Esto Angelus Agonizantium. Eris, si illis Sacramenta, si reliqua illi tempori opportuna curaveris. Einolphus puer (*apud Cæsar. lib.* 12.) morti vicinus extremam unctionem ab Angelo Custode accepit. B. Stanislao Kostkæ Soc. Jesu Viennæ ægro Eucharistiam ab Angelis porrectam, præsente apud Clientem suum unà cum Angelis S. Barbarâ magnâ illâ agonizantium Advocatâ, referunt omnes, qui illius vitam recensuêre. Addo plura, ut te incitem.

6. *Martyrol. Francisc.* 26. *Julij*, B. Joannis meminit, quem Angelus ad Constantiam monialem in cubiculo animam agentem cum sanctissimo viatico duxit, ut illam pœnitentiæ & viatici Sacramentis instrueret pro itineribus æternitatis. Mortuâ Constantiâ Joannem Angelus per 15. millia passuum domum reduxit. Ecce felicem hunc Habacuc ad morientem illam, veluti ad Danielem in leonum spelæo ab Angelo ducto cum prandio Angelorum.

7. Pulcherrimum est illud, quod uni è P. Camilli de Lellis Socijs à S. Philippo Nerio dictum refert *P. Ioan. Rossi Vita Camilli p.* 2. *cap.* 13. §. 4. Patres, inquiebat Sanctus, bono hilaríque animo juvandis moribundis impendere piam operam porro pergite. Ad vestrum ego solatium haud dissimulárim, conspectos à me Angelos verba in os unius è vestris immittentes, dum alterius morientis (apud quem & ipse aderam) animam Deo impensè comendaret. Hæc ad verbum diligens vitæ illius Author Rossius *mihi pag.* 172. ubi *pag.* 173. addit: Romæ è Camilli Collegio duos ad ægram evocatos; at quia qui irent non erant, Angeli supplevêre. Duo enim, inquit, in vestibus cruce signatis per triduum adstitêre, & sedulos piósque ministros gessêre, quoad opus ministerio spiranti fuit.

8. Illud Job. 33. 23. *Si fuerit pro eo Angelus*: Chaldæus legit. *Præparatur Angelus Paracletus.* O te verè Paracletum consolatorem ægrorum Angelum! Unde illa sæpe ægrorum ad venientem vox: *Expectabam te tanquam Angelum Dei.*

9. S. Maria Oegniacensis non infrequenter videbat sanctorum Angelorum choros, triumphantia Dei castra, unà cum Jesu & sanctis cœlitibus ad eum, cui ultima Sacramenta dabantur, effundi. Cogita te tunc stare penes agonizantis illius Custodem inter Cœlites.

10. Elizabethæ Rithæ ipsi Angeli, dum ægra esset, valetudinarij Præfecti fuêre: ipsi lectulum stravêre (*in Vita.*) Sanctus verò Joannes Dei, vir ille misericordiarum Angelos habuit mediastinos circa omnia ægrorum obsequia. Adesto & tu unà cum Angelo illo, qui *Ioan.* 5. §. 5. ad piscinam probaticam descendebat, *ubi jacebat multitudo magna*

*gna languentium.* Descende ad quos potes, ut *hominem* in te habeant, dum è lectulo mortuali ad Purgatorium veluti ad piscinam probaticam descendunt. Adesto quibus potes coràm: adesto alijs per preces, jejunia, sacrificia, pro illis oblata, curata, fundata, & si quidem tantæ animæ capax cor habes, cogitationes, & opem ad omnes per universum terrarum orbem agonizantes, ad omnes Purgatorij animas extende. Ita tibi omnium Custodes Angelos demereberis, & ad suppetias tibi ultimo in agone tuo ferendas hac arte potentissimè invitabis.

# HEBDOMADA XLVI.

## *Erga inimicos in Dei & Angeli tui gratiam amicè te habe.*

1.

FAssus est Consentinus ille *apud Albertinum de Angelo Custode cap.* 15. *pag.* 103. se vesperi sclopetum suum omni ex parte revidisse, & curiosè singula accommodâsse, quò certiore ictu mortem afferret cuidam, cujus morti inhiabat totus. Ita ergo circa illa mortis instrumenta occupatum adolescens eleganti liberalissimæ formæ specie floridus amicè invisit, & amabili quadam gravitate venustus, quid actitaret, rogavit. Dissimulanti verò id, quod erat, quasi zelo ardentior adolescens, Quid est, inquiebat, quòd rem mihi non aperias? An fortasse ignoras me totum id quod agis vidisse, & cognovisse? Tum verò verbis potentibus perrexit dicere, quanta essent quæ pro illo pertulisset Deus, & quàm ingratam illi redderet gratiarum actionem. Ostendit profunda misericordiæ Dei, quòd in sceleribus hærentem æterno supplicio necdum addixisset. Transverberatum illi cor usque ad lachrymas ab Angelico Oratore, adeo ut erumpente lachrymarum vi, mixtísque alto quodam singultu suspirijs se animam acturum crederet is, qui ista audiebat. Pergebat verò Angelus urgere argumentum, & ipsum Christi amorem, quo adeo abusus fuisset, illi exprobrabat. Necdum ille verba, necdum iste singultus finierat, cùm gravissimis verbis imposuit, ut quàm primùm quidam è Soc. Jesu ad illam Civitatem appelleret, integrè confiteretur. Interea audita, est amici hominem ad designatum facinus evocantis vox. Nihil respondendum arbitranti, signum dedit Angelus ut responderet, Respondit ergo: tempus jam non esse. Interea verò dum ab Angelo inter respondendum aversus, ad eundem se convertit, jam Angelus sanctâ illâ præclari adolescentis majestate vestitus abierat. Tum verò ajebat se inter ea dulcissimi cujusdam doloris confinia relictum, corde amaro quidem, sed cum tenero quodam intimæ suavitatis sensu mansisse, & Patris ab Angelo prædicti adventum avidissimè expectâsse. Is ubi appulit, accurrit iste, & re omni ab ovo exactè denarratâ, universalem peccatorum omnium exomologesin instituit. Feliciter! Ita te, dum etsi non sclopos & mortualem plumbi glandem ac pulveres, verùm verba telis prægnantia paras, monet iu-

tus

tus Angelus tuus, ut positis his cogitatorum & jam jam se in linguam jacientium verborum pharetris, arcubus, aut sclopis hosti tuo amicè ignoscas Christi causâ, qui id à te per Angelum tuum petit.

2. *S. Gregorius Naz. orat.* 1. de Pace: *Angelorum illud primum est, quòd pacati sint, & seditionis expertes; quippe qui à SSS.* TRINITATE *hoc acceperunt, ut unum sint.* Unum ergo esto cum illo, qui te offendit, sicut Angelus tuus Custos cum tutelari illius genio sancto unum est. Imò sicut Christus cum Patre unum est. Ita utriusque Custodis Angeli, & ipsius Christi gratiam mereberis.

3. *Offensiunculas statim elide*, scribebat *lib.* 2. *vitæ cap.* 23. Alvaro Alphonso P. Petrus Faber, unus è primatibus Ignatij viris. *Hoc est*, inquit ibidem *colaphum cacodæmoni impingere: cui reconciliatio ac dimissio illa acerrimum dolorem ac probrum inurit.*

# HEBDOMADA XLVII.

## *Aliorum Custodes Angelos honora, eósque pro ijs, quorum Custodes sunt, & pro te invoca.*

1.

PAtris Petri Cotoni, & ejus, cui ille salutem amicam impertiebatur, Angelus Custos visi sunt se invicem amantissimâ benevolentiæ significatione salutare, quasi alter alteri de mutua piorum clientum benevolentia gratularetur. In Cæsareo Comitiorum consessu venienti S. Wenceslao Duci, ut omnes Principes, contrà quàm statuerant, assurgerent, & Imperator ipse illi obviam iret è throno, gemini hinc & hinc conspecti comites Angeli effecêre, quos Imperator & Principes honorârunt.

2. Valet id ad imprimendum cordibus aliorum Deum, si Angelos illorum Custodes ores. Celeberrimus est, *in vita P. Gasparis Barzæi*, Custos ille Angelus, qui unà cum Barzæo apparuit homini, pro cujus conversione per novem dies se Gaspar oratione, lachrymis, jejunijs, cilicijs, flagellationibus, nocturnisque vigilijs attriverat, facto etiam pro illo Missæ sacrificio. Quiescebat noctu pertinax ille in lectulo, cùm ecce ante se Gasparem ipsum vidit, cùm tamen januas omnes clausas esse constaret. Vidit verò ita splendentem, & suavissimum manibus præsertim ac vultu odorem spirantem, ut lumine & odoris suavitate tota domus repleretur, unde facilè apparebat esse aliquid divinum. Resplenduit etiam ad Patris latus pulcherrimus comes Angelus tutelaris, qui durum illum allocutus: Quid agis, inquit, peccator? quid moliris? Quorsum Gasparem tantopere horres, ac dubitas illi animæ tuæ salutem committere? An non vides, quanto eum decore Deus ornaverit? Ibat in Patris amplexus jam non pertinax ille, cùm Gaspar quidem videri desijt, Angelus non item; qui exultanti homini, ne credas, ajebat, Patrem ita fugere te, ut ipsum hactenus tu fugisti:

hac

„ hac enim ipsâ horâ sese ad sacrificandum in Nosocomio præparat. Ibi eum es primâ luce reperturus. Flebat ille nocte reliquâ, & ad pedes vocati primâ diei luce chari Patris abjectus, inter pulcherrima contriti cordis argumenta, plenam de vita omni exomologesin dolentissimè texuit, factus postea magnæ in pauperes ac liberalis planè miserationis, & zeli, modestiæ, aliarúmque excellentium virtutum exemplum magnum. Unde pauculos intra dies in pauperes disperšit eleemosynam quinque millium aureorum. En quantum hic Angelus Barzæi comes potuit! Pete à Deo & tu tuum, & illius pro quo laboras Angelum comitem tibi, ut ille conatibus & verbis ac scriptis tuis sacram quandam imprimat energiam.

3. S. Lidvina Virgo & suum & aliorum Angelos Custodes noscebat familiariter & colebat. Et verò potens erat in animis accendendis, inflammandis, & in cœlesti ardore fovendis.

4. Familiare fuit pio cuidam viro *apud B. Franc. de Sales, in introd. ad devotionem*, & etiam Joanni Berchmanno, alisque pluribus, eorum quibus obvij fiebant, Custodes Angelos devotâ quadam urbanitate ac reverentiâ salutare, ac in eorum honorem Angelicam Salutationem pronunciare.

5. Patri verò Balthasati Alvarez in more erat, id quod (*Vitæ cap. 25. in fine*) à Deo didicit, Gabrielem Virginis oratorem, item Angelum Christi in agonia sudantis consolatorem, ac illum Angelum, qui nobis ad aras fidelis adest ad reverentiam Sacramenti, quasi aræ custos & sacrificiorum, præcipuis honoribus colere. Ad hæc præter tutelarem suum, quem Custodem animæ suæ vocat, officiorum etiam suorum Angelis, Patrum item ac fratrum suorum, item omnium Angelis devotus erat, & supplex, ut illorum operâ clientes fierent faciles & excitati ad virtutem. Et ab ea horâ, inquit, agnovi me „ teneri ad particularem eorum reverentiam ex obedientia Domini, credens ipsum omnibus illis me commendâsse „ speciali suo imperio. *Vide plura pulchra ibi.* „

6. S. Franciscus Xaverius *lib. 3. ep. 5. ad Soc. Goæ.* Multum etiam spei, inquit, in eo Archangelo ponimus, cujus „ in clientela tuteláq; Japonia est. Quapropter aliorum etiam Custodes Angeli tanquam nostri ad illos, vel illorum „ ad nos adjuvandos adjutores, quantâ „ maximâ fieri à nobis id potest devotione sunt celebrandi. „

# HEBDOMADA XLVIII.

## *Pro alijs ut oremus, nos Angeli monent.*

1.

IN *Vitis PP. lib. de prodig.* Sancto Episcopo sacram Communionem distribuenti, & varios variorum qui accedebant vultus videnti Angelus adfuit, & splendidas esse dixit quorundam facies stolis ac lumine collucentium, eò quòd sincerâ confessione ac eleemosynis conscientiam expiâssent: Eos, qui atrâ facie luridi visi fuissent, obscænitatibus

contaminatos esse: eos denique, qui sanguineis flammeisque oculis horridi essent, esse plenos iræ, blasphemiarum, ac detractionis. Monuit verò sanctum Episcopum Angelus, hæc non absque causa à Deo sibi ostensa patere; verùm ut illorum salutem ardentibus ad Deum fusis precibus procuratum iret, ac delinquentes commonefaceret. Totâ ergo animi contentione & studio suum erga Christum amorem testaretur, ac illorum saluti paternè provideret. Ita illos salutem, illum verò mercedem plurimam consecuturum. Hæc tu tibi de tuis proximis dicta puta.

2. Si discordes aliorum animos videas, illorum Angelos Custodes, ut dæmonem compescant, ora. *Martyrologium Francisc. 4. Martij* ait, S. Franciscum auditis Aretinorum dissensionibus » socio suo dixisse: Vade ad portam Ci- » vitatis, & dæmonibus præcipe ex parte » omnipotentis Dei, ut exeant. Fecit ille: & excessêre, ac Civitas tranquillitati restituta est. Ita tu ad compescendos eos, qui rixas excitant dæmones, cum tuo & dissidentium Custodibus Angelis conjura. S. Francisco de Paula Angelus ostendit scutum cum epigraphe: CHARITAS. Hoc tu scuto orando defende alios. Hæc est verè Charitas, alijs bonam velle, & idem à Deo & eorum Angelis postulare.

3. P. Balthasar Alvarez Soc. JESU (*Vitæ cap. 6. § 2.*) à S. Theresia visus est toto sacri quod celebrabat tempore habuisse diadema quoddam magni splendoris. Et tunc illum Angeli, ut pro quibusdam suis oraret commonebant. Unde commune fuit in ore multorum, quòd scilicet aliquando inter celebrandum ei loquerentur Angeli Custodes eorum, quorum ipse Confessiones audiebat, & cum quibus versabatur; ei revelantes, quâ re indigeret anima illa, quæ ipsi esset commendata. Id quod Patri cuidam secretò referenti, silentio tantùm & rubore, quo perfundebatur, respondit. Psal. 77. *Januas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.* Cùm ergo ad mensam Angelicam educemur cœlo, Angelicam indolem ut imbibamus est necesse. Angelicæ indolis est orare pro alijs, de aliorum etiam salute esse sanctè sollicitum, contra immissiones per Angelos malos.

4. Ne verò quidvis pro quovis petas, disce ex eo, quod *in liliis §. 6.* de Francisca Vacchina refert *Maraccius*. Inter colloquendum cum religioso quodam de eminentissima Deiparæ Virginis pulchritudine, vivum quoddam desiderium pupugit Franciscam pro illo deprecandi, quo illam Deiparæ pulchritudinem oculis usurparet. Priùs tamen se ajebat suo cum Angelo consilium inituram. Angelum ubi consuluit, dixit ille, non mortali hoc sed puro fidei oculo debere spectari augustissimam illam pulchritudinem; ne quid superbè curiosum lateat sub hoc nomine pietatis. Religiosus verò ille ageret, ut se ad videndam MARIÆ pulchritudinem per magis exactum religiosæ disciplinæ studium præpararet.

5. Juvat verò pro illis orare cum primis, pro quibus nullus orat, vel qui maximè indigent. Illi Angeli illi erimus, ad quos *Isaiæ 18.* dicitur: *Ite Ange-*

*Angeli celoces ad gentem convulsam & dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius.* Ita precibus tuis liberabis proximum tuum à malis pluribus, & fortè etiam ab æterno malo, erísque sicut ille *Daniel.* 3. Angelus Domini, qui *descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Nec sciunt aliquando bonæ animæ, quæ in fornace plurium ærumnarum torquentur, unde repentino roris vento afflante illis, discussâ caligine & igne, lux beata affulgeat, cùm interea id tuâ vel alterius alicujus pro illis instinctu Custodis illorum Angeli supplicantis oratione fiat.

6. *Zach.* 1. Angelus Domini pro suis orans dixit; *Domine exercituum usquequò tu non miserebris Ierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.* Exauditus videtur, nam respondit Dominus Angelo verba bona, verba consolatoria. Ora ergo & tu pro patria, pro alijs. Ita *Victor Africanus lib.* 3. *de pers. Vandal.* Adestote, inquit, Angeli » Dei mei, qui nunquam deestis: & vide- » te Africam unáq; Angliam totam dudũ » tantarum Ecclesiarum cuneis fultam, » nunc ab omnibus desolatam: tantis » ordinibus Sacerdotum ornatam, » modò sedentem viduam » & abjectam.

# HEBDOMADA XLIX.

*Respectus humanos, in quantum à divinis te avocant, despice.*

1.

QUid te pueriles hi respectus movent, cùm sicut cœli respectu terra instar grani papaveris est, ita respectu Angelorum homo sit atomus? Certè si coram Dynastis Ecclesiæ vel Imperij stantem te avocaret puer à serijs ad ludicra puerorum, puderet te puerum sequi, & te à Deo, ab Angelo, coram ipso Deo & Angelo ad humana hæc avocet homo pulvis? *S. Hieron. in cap.* 1. Zachariæ, *Ad comparationem*, inquit, *Angelica dignitatis omnis natura humana pueritia nuncupatur: quia non Angeli in nos, sed nos in Angelos proficimus.* At tu ab ipsis Angelis disce Deum, non homines præ Deo respicere.

2. Multum à Magistro tuo Angelo impetrâris, si bonos ab illo oculos, quibus humanos respectus præ divinis contemnas, tuleris. Deum æstimare qui novit, is demum novit humanos respectus Deo postponere. B. Helenæ Paduanæ, teste *Tosunano* Anno 1230. tres Angeli apparuêre. Petente Helenâ, *quid est Deus?* Respondit primus & secundus: *Deus est difficile judicium, magna mensura omnis meta & finis, magna gloria, potens Princeps.* Tertius verò altùm inclamavit: *Deus est super*

*omne pondus & libellam amoris: sinè & super omnem mensuram: super omnem gloriam & dominationem, & in infinitum longè super omnes Principes.* Vide *Balinghen. 4. Novemb.* Super omnes, & super omnia est Deus: meretur ergo ut illum æstimes, illum respicias super omnes & omnia.

3. Quàm verò severa sit Dei vindicta in eos, qui humanis ducti respectibus audent aliquid, quod displicet Deo, luculentâ oratione narrans *ep. ad Lætam* S. Hieron. *Prætexta*, inquit, *jubente viro Hymetio, qui patruus Virginis Eustachij fuit, habitum ejus cultúmque mutavit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & Virginis propositum & Matris desiderium: & ecce tibi eâdem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tunc ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput Virginis Dei sacrilegis attrectare manibus, quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna dueeris. Si autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis, & filijs.* Experta est hæc omnia. Tantum interest humanis respectibus cor non dare captivum! Cave, audeas ullius personam præferre Christo,

4. Ajunt S. Francisco visum pauperem Angelis circumdatum; nobilem vero famulitio licet stipatum solum incedentem. Unde ille pauperi exhibuit reverentiam, non diviti. Discè non acceptare personas, sed Deum. 2. *Reg.* 14. David dictum: *Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus tuus est tecum.* Verè Angelica res est humanis respectibus non moveri. Verè cum talibus est Deus, quem illi præ oculis habent.

5. Cavendum etiam, ne parvulos sive minores quosdam, quos non times, à quibus minus speras, offendas in gratiam ullorum contra æquitatem, sive sis Judex, sive non. Offensis illis offendes etiam illorum Angelos, qui ægrè ferunt clientes suos contra jus & fas vexari. Tertios in 1. hierarchia *S. Gregorius lib. 2. mor.* ponit THRONOS, qui considerant Dei æquitatem, in quibus Deus sedet ut æquitas; quibus assimilari debemus per æquitatem. Præclara Æthiopum consvetudo fuit, ut *apud Bodinum 3. dæmon. cap. 4.* refert *Franciscus Alvarez*, hâc Judices apud Æthiopes subsellijs insidentes, vacuas in editiore loco cathedras duodecim relinquebant, ajebántque illas esse ANGELORUM SEDES. In tali sede sedè, & ex illa fer judicium, si Judex es. Ita humanis respectibus neglectis facies judicium, quale Angelus faceret, è sede æquitatis.

6. Denique quacunque in re humanus te respectus teneat, ut sericeum illud diaboli vinculum abrumpas, ad Custodem tuum Angelum advola, & cor ad æterna converte. Vilnæ Anno 1601. Angelus Custos in Angelorum plurium Solis instar coruscantium corona Lituano Duci hæretico adfuit, saniora dogmata & seriam salutis curam svasit, si dictis pareret, æterna promisit præmia. Rem omnem cuidam è Soc.

JESU

Jesu Dux ubi retulit, effractis omnium humanorum respectuum aliisque moricis ac pedicis ritè expiatus vitâ cessit.

# HEBDOMADA L.

## *Novem choris Angelorum devotus esto.*

1.

Optimè illos colit, qui id quod S. Mechtildem docuit Deus *revelat. cap.* 14. facit: ut per illorum imitationem viam sibi sternat ad Deum, & se singulis Ordinibus inserat.

1. In honorem Angelorum servire peregrinis, & alijs ægris, & pauperibus.

2. In honorem Archangelorum orare spiritu, orare & mente: utrumq; verò attentè.

3. In honorem Principatuum, quiquid in nobis Deo displicet non sinere ut regnet in nobis.

4. In honorem Potestatum alijs, quibus fortè præes, præesse corde amantissimo & vigilantissimo.

5. In honorem Virtutum, paupertatem, patientiam, obedientiam intimè amare.

6. In honorem Dominationum, Dei voluntatis dominio tuam ut devotam ancillam submittere.

7. In honorem Thronorum, Deo thronum in corde parare per contemplationem cœlestium.

8. In honorem Cherubinorum, haustam corde à Deo & Angelis in divinis rebus scientiam in alios effundere.

9. In honorem & imitationem Seraphinorum, Deum, & Dei gratiâ inimicos & amicos amare. Hæc Mechtildis didicit Magistro Deo.

2. Bonum est plures ex illis Beatis Ordinibus imò omnes colere; ideo numerus novenarius in pretio & observatione est apud quosdam, ubi tamen cavenda superstitio. Certè unà cum Custode nostro plures sunt parati nobis adesse ad obsequia, colamus ergo plures imò omnes. Ita *Sit Prædic. cap.* 1. cùm Novitium Bononiæ è Cœnobio S. Dominici extracturi domum circumdarent cognati Novitij, & Fratres S. Dominici vellent ad quosdam potentiores pro Cœnobij tutela mittere, negavit opus esse S. Dominicus. *Quia ego*, inquit, *plus quàm ducentos Angelos video circa Ecclesiam qui missi sunt ad custodiam fratrum.* Panico ergo timore perterriti milites abiére, & Novitius consolatus permansit.

3. B. Aloysius Gonzaga in suo *M. S.* se, & me, ac te instruens: Finges animo, inquit, te novem Angelorum choris Deum comprecantibus, & hymnum illum *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis*, canentibus mixtum esse, quem proinde hymnum tu quoque novies iterabis, & cum illorum precibus tuas conjunges. En facilem & brevem novem illos choros colendi praxim à juvene illo Angelico datam.

4. Solidissimus illos colendi modus est, te in ijs in quibus deficis, emendare, exempli gratiâ: primo die in honorem SS. Angelorum à tali in particulari defectu, v. g. impatientia vel garrulitate, &c. abstinere: altero die in ho-

in honorem SS. Archangelorum; tertio in honorem SS. Principatuum. Altero item triduo SS. Potestatum, Virtutum, Dominationum reverentiæ idem obsequium præstare. Tertio denique triduo idem agere in gratiam & amorem SS. Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum: atque à singulis choris quotidie auxilium ad id quod proposuisti agendum vel cavendum implorare. B. Veronicam, ut habet Bollandus 13. Ianu: lib. 2. cap. 13. in Natali S. Joannis Baptistæ sancti Cœlites visitare, alloqui, cantu recreare, & de erratis etiam commonere cæperunt: & ab illo tempore toto unius anni spatio ab singulis Divis, chorisque Angelicis reprehensionem sustinuit Veronica, quibuscunque criminibus ab se in Deum admissis.

5. S. Gregor. 2. moral. in prima hierarchia primos ponit Seraphinos: *quibus*, inquit, *assimilari debemus per charitatem.* 2. Cherubinos: *quibus assimilari debemus per cognitionem.* 3. Thronos: *quibus assimilari debemus per aquitatem.*

In secunda hierarchia primò locat Dominationes; *quibus*, inquit, *assimilari debemus carnem subjugando.* 2. Principatus: *quibus assimilari debemus, reverentiam majoribus nostris exhibendo.* 3. Potestates: *quibus assimilari debemus, tentationibus diabolicis resistendo.*

In tertia hierarchia primo loco sunt Virtutes: *quibus*, ait, *nos assimilari debere per compassionem.* 2. Archangeli: *quibus assimilari debemus per instructionem.* 3. Angeli: *quibus assimilari debemus per obsequij exhibitionem.*

6. Haymo Episc. *Biblioth. PP. tom.* 3. in expositione *cap.* 15. Lucæ. *Necesse est*, inquit, *ut qui ad cœlum ascendere volunt, hic Angelorum officia in quantum possunt imitari studeant.* Unusquisque quem Ordinem Angelorum imitatur in hac vitâ, ipsi sociabitur post hanc vitam.

1. Angelos vocat eos, qui id quod sciunt alios edocent: hos in cœlo fore cum Angelis.

2. Cum Archangelis eos, qui illustriora, majora quædam alios docent, cum humilitate.

3. Cum Virtutibus, qui mira & signa operantur.

4. Cum Potestatibus, qui orando dæmones compescunt, ejiciunt.

5. Cum Principatibus, qui cum bonis sint meliores, bonos regunt.

6. Cum Dominationibus, qui mortificando se sibi dominantur, & quasi divinam vitam agunt, juxta illud: *Constitui te Deum Pharaonis.*

7. Cum Thronis, qui contemplationi addicti, alios judicandi gratiâ pollent, in quibus velut thronis sedens alios examinat Deus.

8. Cum Cherubinis, qui quia plenitudo legis est Charitas, pleni sunt scientiâ, quia pleni sunt erga Deum & Proximum charitate.

9. Cum Seraphinis, qui amore cœlestis patriæ ardent, aliósque accendunt.

7. Vel si lubet vide, quomodo *serm.* 19. *in Cant.* Deum in Angelis contempletur Bernardus, id quod per modum aspirationum fieri potest in hunc modum, ut Deum ames cum Angelis: Diligo te cum Angelis, Deus meus, ob judi-

» judiciorum tuorum ſummam æquitatem. Cum Archangelis, ob conſiliorum ſummam moderationem. Cum Virtutibus, ob benigniſſimam exhibitionem miraculorum, per quam incredulos dignantiſſimè trahis ad fidem. Diligo te cum Poteſtatibus, ob illam illuſtriſſimæ potentiæ vim, quâ ſoles à pijs malignantium propulſare & arcere crudelitatem. Cum Principatibus, ob æternam & originalem illam virtutem, quâ das eſſe, & eſſendi principium omni creaturæ ſuperiori & inferiori, ſpirituali & corporali, attingens à fine uſque ad finem fortiter. Cum Dominationibus, ob placidiſſimam voluntatem, quâ licet ubique domineris in fortitudine brachij tui, virtute tamen potentiore, pro tua ingenita lenitate, & imperturbabili tranquillitate diſponis omnia ſuaviter. Diligo te cum Thronis, ob benevolentiam Magiſtræ ſapientiæ ſinè invidia ſeſe communicantis, & unctionem, quæ gratis docet de omnibus. Ita ferè Bernardus. Adde tu: Diligo te cum Cherubinis & Seraphinis, ob divinam ſapientiam, quâ te & omnia intelligis; ob amorem, quo te amas & nos.

8. Saluta Beatiſſimam Virginem cum ſingulis Angelorum choris. Ita *apud Maraccium in liljs §. 25. pag. 313.* à Chriſto edocta eſt Mechtildis. Vidit illa tunc Seraphinos, ab Auſtro cum candelis accenſis venientes; Cherubinos cum ſpeculis; Thronos thronum eburneum deferentes; Dominationes coronæ bajulos; Principatus cum ſceptris florigeris; cum gladijs Poteſtates, Virtutes cum ſcyphis aureis. Archangeli verò velo allato JESUM & MARIAM velabant, quibus Angeli aſtantes miniſtrabant. Hos ſecuti Patriarchæ & Prophetæ cum clauſis aureis ſerinijs, Apoſtoli cum libris ſplendidis, Martyres cum ſcutis aureis & roſis, Confeſſores cum thuribulis, & phialis, ac odoribus, Virgines cum lilijs aureis. Ita tu cum omni Sanctorum omnium, & Angelorum choro MARIAM ſaluta.

9. Offer denique cor tuum ſingulis Ordinibus Angelorum, & per illos Deo. *Inſin. diſc. pier. lib. 4. cap. 2.* inter Angelos ſedens JESUS aderat Monialibus orantibus, vidente id S. Gertrude, quæ rem narrat. Singuli Angelorum commiſſarum ſibi è Congregatione perſonarum corda Domino cum gaudio præſentabant. Seraphini aptabant corda earum Domino, quæ amabant ferventiùs; aliarum Cherubini; aliarum Virtutes, aliarum alij chori pro imitatione Virtutis. Corda verò ad peculiarem devotionem necdum accenſa deferebantur per Angelos, ſed apparebant in terra proſtrata. Tu verò ſurſum cor erige, & accenſum per Angelos Deo iſte.

# HEBDOMADA LI.

*In honorem Angeli Cuſtodis præcipuum quodpiam, cui magis obnoxius es vitium cavere ſeriò propone.*

1.

*Angelici* dicebantur olim quidam hæretici, qui Angelos malè colebant,

bant, quia adorabant; & putabant se puritatem Angelicam attigisse. *Vide Corn. in cap. 2. ad Coloss. num. 75.* Itaque non de cultu tantùm, sed de bono & solido Angelorum cultu esto sollicitus. Inter sanctissimos colendi modos est non præsumere quidem illorum ab omni labe puritatem, sed pro modulo imitari. Vide ergo, quid te infestet maximè, & illi insiste.

2. Pronus ille ad mendacium Falcon, Angeli Custodis amantissimus, teste *Ximenio lib. 3. cap. 8.* in tutelaris sui gratiam à familiari illo vitio ita abstinere proposuit animo suo, ut fortissimè constituerit, nullâ occasione, nullo in discrimine mentiri. Accidit, ut Falcon cum nobili quopiam adolescente ad rixas, ad gladium, ad duellum calore juvenili descenderet, & alterum victor occideret. Nemo duelli testis aderat: neque nisi tenuissimum, quod negando facillimè dilui posset, indicium erat, unde Falcon cædis argui posset. Ex illo tamen indicio levissimè argumentati Judices Falconem de cæde interrogant. Ille grandis propositi memor, quod Angelo suo promiserat, etiam in illo capitis discrimine servavit, cædem potiùs ultrò liberaliter fassus, quàm mentitus. Ad supplicium eductо tamen adstitit Falconi suo Angelus, juvenis fulgentis specie elegantissimâ glorioſus, at stricto mucrone formidabilis; qui primò, secundò, tertiò, quartóque carnifici stricto ense Falconis jugulum petituro, ac demum etiam occisi adolescentis cognato vices carnificis acturo visus, mortem, si quid in Falconem auderet, certissimam minabatur. Ita stupente populo universo nemo Falconem ausus est contingere; & Falcon quinque testium, qui Angelum viderant, ac Judicum operâ liber pronunciatus, Falconis nomen cum Angeli nomine, secularem vitam cum religiosa commutavit, æternus Angeli Custodis cliens, & encomiastes; magnúmque omnibus Angeli Custodis clientibus documentum, Angelum Custodem à nobis tunc optimè coli, quando à familiari nobis quopiam vitio, illius ope, maximè cavere studemus.

3. Sicut verò corporum, ita ferè diversa sunt vitia animorum. Quod Falcon operæ adhibuit in cavendo mendacio, id tu adhibe in cavendo vitio tuo, & observa te ab iniquitate tua. Nam tametsi omnes tuæ sint, est tamen una aliqua fibra & radix, è qua ferè pullulant reliquæ, quas in te non amas inclinationes. Angelus Theodosium Abbatem, ut narrat *Pratum spirituale*, dextrâ prehensum, & ad ingens theatrum deductum pugnare jussit. Hinc pulcher candidatorum, inde teter atratorum stabat exercitus. Prodijt enormis gigas, ad cujus conspectum exhorruit pugnare cum illo jussus Theodosius, dixítque, ne omnium quidem mortalium conflatas in unum vires antagonistæ illi sufficturas. Opem & coronam promisit Angelus, & confligere duello jussit. Vix pugnam ordienti Theodosio Angelus coronam imposuit, & omnis illa atratorum phalanx cum ululatu disparuit; candidata verò Cœlitum corona Custodi Angelo pro lata clienti ope laudes præclarissimas cecinit. In theatro fumus spectaculum Deo, Angelis bonis & malis, & Cœlitibus omnibus facti. Atrata vi-

tiorum

tiorum phalanx nobis ſuperanda eſt. Superabitur illa, ſi unum ex omnibus gigantem, id eſt vitium, quod alijs emineat quaſi principatum tenens, cum præſentiſſima nobis Dei per Angelum Cuſtodem ope, duello glorioſo fortiter conſtantérque per particulare certamen, id eſt examen detriumphaverimus. Ita nobis Angelus noſter ſuperato gigante tyranno, vitio noſtro principali, gratulabitur, coronabitque Victores: ita Divi Cœlites & Angelo agonothetæ noſtro, & nobis ſinceriſſimo applauſu accinent epinicion, & Deo *Alleluja*. Ut enim David in uno Philiſtæo cæſo & gratulationem publicam accepit, & auditus eſt in uno illo decem millia cecidiſſe; ita tu uno illo tuo tyranno cæſo omnes militantium in te contra te Philiſtæorum cuneos cædes.

4. Fac ergo hodie ſolidum cum Davide propoſitum Pſal. 17. *Et ero immaculatus cum eo: & obſervabo me ab iniquitate mea.* Cum eo, id eſt in conſpectu Angelorum, cum Deo, & cum Angelo tuo adjutore, obſerva te ab illa iniquitate tua, quæ ferè ſola eſt Seminarium reliquarum. *In manibus portabunt te* Angeli, *ne fortè offendas ad lapidem* (ad illum offenſionis lapidem, in quem toties impegiſti) *pedem tuum. Arbitror ſanè*, inquit Bernardus ſerm. 12. in Pſal. 90. *velut duabus quibusdam manibus ejusmodi homines ab Angelis ſupportari, ut quodam modo non ſentientes tranſeant, quod tantopere formidabant.*

5. In obediendo exercendus erat quidam in Ordine Prædicat. quem ſe noviſſe ait *Cantipratanus lib. 2. cap. 57.* Huic duellum contra inobedientiam datum. morienti enim adfuit præſes & defenſor contra dæmonem Archangelus Michaël; ſed paradiſum intrare volenti cum anima Michaëli dictum: Animam, Michaël, reduces ad corpus: ut cum alijs peccatis præcipuè inobedientiam corrigat. Vivis & tu, & ideo vivis, ut cum alijs peccatis præcipuè illud, quod te præcipuè infeſtat, vitium corrigas, vincas.

6. In vita S. Sebaſtiani Chromatius Urbis Romæ Præfectus podagricus, tametſi ſe unà cum filio Chriſtianum fore ſponderet, & jam idola confringerentur, necdum tamen ſanabatur, id quod Tranquillino factum fuerat, qui unà cum Chriſti fide plenam fugatâ podagrâ & chiragrâ ſanitatem recepit. Ergo ait Sebaſtianus, adhuc latere aliquid. Faſſus id quod præ alijs in delicijs habebat Chromatius: Habeo inquit, cubiculum holovitreum, in quo omnis diſciplina ſtellarum ac matheſis mechanicâ eſt arte conſtructa, in cujus fabricam Pater meus Tarquinius ampliùs quàm ducenta pondo auri expendit. Negavit Sebaſtianus illâ idolorum officinâ non confractâ ipſum integrum eſſe poſſe. Itaque omnia idola cryſtallina, & moles idololatriæ confringitur. interea dum illa frangerentur, flammeo radians aſpectu Angelus Chromatio viſus dixit: *Miſit me Dominus meus IESUS Chriſtus, cui credidiſti, ut omnium membrorum tuorum recipias ſanitatem.* Ad hanc vocem ſanus ex integro factus Chromatius cucurrit, &c. Singula nobis vitia ſingula quaſi idola ſunt: ſat eſt unum inter omnia, quod plurium eſt officina vitiorum, quódque deſerere, confringere, difficiliùs videtur, quàm

alia omnia : cui magis afficimur, & quasi affigimur. Eja generosè contra illud ipsum depugna, & Angelo tuo lætitiam, tibi verò solidam hac arte afferes sanitatem. Valetudinem ergo tuam cura diligenter à morbo illo, è quo alij proficiscuntur. Non absque divino Æsculapio id facies, nec absque Phæbo, Angelo tuo. Aggredere laborem hunc præcipuum, non absque Theseo Angelo.

# HEBDOMADA LII.

*Erga Sanctos, qui sancto Angelo Custodi & alijs Angelis singulariter addicti fuerunt, singulariter esto devotus.*

1.

ITa & Angeli hac tuâ erga suos singulares amicos propensione non ingrati delectabûtur, & Sancti illi in te amabunt id, quod in illis amavit Deus, tibique pretiosum hunc erga Angelos devotionis thesaurum libenter communicabunt. Illustrissima hoc in genere est admirabilis illa Lydvina Virgo *apud Ribad.* 24. *Aprilis*, cui continua suavissimáque cum Angelo Custode familiaritas intercessit. Ajebat illa summas dolorum suorum acerbitates summas sibi videri voluptates, quoties sereniſſimos Angeli sui vultus intueretur. Hierosolymas divino sanguine purpuratas, ardentes apud inferos æternæ damnationis titiones, purgatorij flammas illi ostendit. Neque suum tantùm, sed & aliorum etiam Custodes Angelos videbat, illos familiariter noscebat, colloquebatur, quos clientes haberent, qui vocarentur, sciebat. His recreata favoribus admirabilia & ferè supra fidem horrenda patiebatur. Unde ajebat invisentibus se; Verùm est, mei fratres, quia paupercula Christi catella Lydvina non tam diu durâsset sinè micis cadentibus de mensa Domini sui.

2. S. Theresiæ cor familiare Angelo fuit. De illa ita vita illius *in Append. Ribad.* Vidit sæpè juxta se ad latus Angelum à Deo missum, vultu decorum, ignito jaculo sibi præcordia fortiter ac suaviter nimis traijcientem, ita ut hærentia spiculo viscerum frustra extrahere videretur. Dolor acerrimus erat, ut subtiles quosdam gemitus ejus indices ederet, cùm vires ad clamorem deficerent. Nec tamen dolore carere cupiebat; erat enim ineffabili oblectamento permixtus. Hanc ergo Sanctam ut etiam tuum cor Angelis commendet, roga. Sed instar omnium, accipe ex *Anno cœlesti* brevem Sanctorum Angelis familiarium catalogum, qui ad modum aspirationum legi aliquando per sacrum otium potest.

## IN JANUARIO.

1. *Jan.* S. Concordi post equuleos ab Angelis visitate. S. Clare. cui morienti cum Sanctis Angeli adfuêre.
3. S. Theogenes M. antequàm mari mergereris, cum Angelo collocute.
4. SS. Rufine & Valeri MM. ab Angelis in carcere visitati.
7. S. Raymunde ad preces ab Angelo Custode excitate.

8. S. Lau-

8. S. Laurenti Justiniane, post mortem ab Angelis Musicis honorate.
14. S. Felix, quem vinculis exemit, & sex mensibus cibo & colloquijs recreavit Angelus Dei.
15. S. Paule Patriarcha, cujus animam inter Angelorum choros in cœlum ascendere vidit S. Antonius.
S. Joannes Calybita Angelico pane nutrite.
16. S. Fursee in cœlum ab Angelis rapte, ab Angelis clypeo defense, cantibus Angelicis mundi vanitatem canentibus animate.
18. S. Prisca Virgo Martyr symphoniâ Angelicâ ad cœlum evocata.
20. S. Neophyste adolescentule, qui ab Angelo tuo Custode nutritus, tyrannum illo comite adijsti.
21. S. Agnes parvula, contra impuros ubique ab Angelo custodita.
S. Fructuose Ep. Mart. cujus anima unà cum sociorum animabus aperto cœlo, spectantibus pluribus, ab Angelis recepta est.
22. S. Vincenti inter prunas & laminas ab Angelo confortate.
25. B. Henrice Suse, qui manè quotidie MARIAM cum Angelis canentibus salutabas, & ad cœlum succollantibus Angelis moriens ascendisti.
26. S. Bathildis Regina Monialis, cujus migrantis animam visi sunt Angelorum chori quasi manibus alisque invehentes per scalas cœli.
29. S. Constantine Ep. Mart. ab Angelis curate.

## IN FEBRUARIO.

1. S. Ephrem Angelo Custodi familiaris. S. Birgita Virgo ab Angelis visitata.
3. S. Blasi Ep. Mart. qui Angelum vidisti & audisti hortantem, ut egrediaris, paratam à Deo justitiæ coronam accepturus.
5. S. Agatha V. M. cui Angeli epitaphium posuêre.
S. Gelasi puer, qui fratrem tuum inter orandum stipatum ab Angelis vidisti.
6. S. Dorothea V. M. quæ Theophilo recentes è cœlesti paradiso flores per Angelum misisti, & Martyrem effecisti.
S. Vedaste Ep. Angelicâ in cœlum melodiâ recepte; cujus honori templum Angelorum jussu est conditum.
7. S. Theodore à Cruce ab Angelo solute Martyr.
10. S. Guilielme Dux pœnitens Angelicis solatijs recreate.
12. S. Antoni Ep. cui pro testamenti in pauperes erogandi auctario magnam vim auri addidit Angelus.
13. S. Stephane patientissime, in cujus transitu sancti Angeli, cæteris etiam videntibus, adfuerunt.
15. SS. Faustine & Jovita Fratres, è mari per Angelos erepti, quibus SS. Eucharistiam in carcere ministrantibus Angeli ministravêre.
S. Severe Presbyter, qui fusis lachrymis Angelo ministro defunctum revocâsti ad vitam.

## IN MARTIO.

1. S. Suitberte Ep. ab Angelo è vinculis exempte.
2. S. Ceadda Ep. cui septem ultimis vitæ diebus frater tuus jam antè mortuus & Angeli musici te ad cœlum cantu jucundissimo invitantes adfuêre.

3. S. Winwaloce de morte ab Angelo monite.
5. S. Conon, qui S. Michaëlem Archangelum miniſtrum habuiſti, quomodo ad baptiſmum & ad ſanctiſſimam Synaxim ſit accedendum.
6. S. Coleta V. ſpiritu fervens, dæmonibus exoſa, Angelis amabilis.
7. S. Thoma Angelice, qui victâ inferni belluâ ab Angelis præcinctus es balthéo puritatis.
S. Equiti, cujus linguam ferro purgavit Angelus tuus Cuſtos.
10. S. Franciſca Romana duorum tibi aſſiſtentium Angelorum diſcipula ſancta.
S. Codrate in infantia à Deo per Angelos lacte paſte.
12. S. Gregori Magne, qui Angelos *Regina cœli* canentes audiviſti.
S. Iſidore, cum quo & pro quo Angeli laborârunt.
13. S. Euphraſia in cœlum ab Angelis duci viſa.
14. S. Petre, quem etiamnum Novitium ad preces Angelus excitavit; quique Angelos canentes audiſti.
S. Mathildis Regina, cujus anima ab infinita Angelorum multitudine in cœlos deferri eſt viſa.
16. S. Torelle de morte ab Angelo præmonite.
17. S. Gertrudis V. cui morienti S. Patricius cum Angelis apparuit.
18. S. Prophine M. qui cum ſocijs tuis ante mortem heroum Angelorum choros vidiſti.
19. S. Joſeph, ab Angelo de rebus agendis edocte.
S. Joannes Syre, cui locum habitationis Angelus oſtendit.
20. S. Guthberte Ep. qui ab Angelo curatus à morbo, Angelum poſtea hoſpitem habuiſti.
B. Ambroſi, qui dum pauperes paſceres, Angelos muſicos habuiſti.
22. S. Catharina Sveca V. quæ quotidie confeſſa puram animam inter Angelorum manus Deo tradidiſti.
25. S. Hermelande, qui Maurenti animam ducibus Angelis ad cœlos migrantem vidiſti.
27. S. Ruberte Ep. cui & morienti & mortuo candidati Angeli accinuêre.
S. Iſaac, à tribus candidatis Angelis è ſpinis exempte.

## IN APRILI.

5. S. Vincenti, cui ægro Chriſtus cum Angelis medicus adfuit.
S. Irene V. ab Angelis ex igne educta, & in cœlum inducta.
7. S. Calliopi M. cui Angelus rotam acutam ſtitit, & te ad gloriam evocavit.
10. S. Macari, qui ſub ſaxo ignito ſuper pectus impoſito ab Angelis adjutus es.
11. S. Guthlace quotidie manè & veſperi à tutelari tuo Angelo viſitate, & contra dæmones armate.
S. Carpe Ep. Mart. & ſocij ab Angelis confirmati.
14. S. Lydvina ab Angelo Magiſtro cœleſtibus imbuta ſecretis.
S. Fronto, cui Angelus annonam ab avaro divite procuravit.
17. S. Helene, qui Angelos menſæ miniſtros poſt jejunia habuiſti.
19. S. Elphege Archiep. quem Angelus ad cœleſtem coronam accipiendam animavit.

20. S.

20. S. Agnes, cui Eucharistiam Angelus dedit.

22. S. Opportuna V. quam Cænobium intrantem coruscus Angelus est comitatus.

23. S. Georgi M. ab Angelo splendidissimo à vulneribus sanate.

26. S. Basilee Ep. cujus corpus in aquis, animam in cœlo gloriâ coronatam ostendit Angelus.

28. S. Paphnuti ab Angelo in fide erudite, à plagis curate.

## IN MAIO.

10. S. Glyceria V. cujus tormenta Angelus temperavit, mensam epulis instruxit, persanavit.

11. S. Anthime è Tiberi ab Angelo liberate.

13. S. Joannes Ep. qui quantus apud Deum esses, Angelus declaravit.
S. Alexander M. qui capite plectendus Angelos tibi adstantes téque animantes vidisti.

14. S. Pachomi, qui cœlestem vivendi regulam ab Angelo accepisti.

15. S. Dympna V. candido sarcophago ab Angelis condita, & cujus nomen lapillo pretioso Angelus insculpsit.

17. S. Torpes, cujus cadaver Angelus navi vexit.
S. Restituta V. quæ cum Angelo collocuta, inter orandum extincta, navi ab Angelo vecta es.

19. S. Petre Cœlestine, cui Angelos morum & studiorum præceptores dedit Deus, cui morienti Angeli applaudere.
S. Dunstane Ep. sæpe Angelorum & Sanctorum omnium choris præsens.
S. Ivo, qui Angelum in specie pauperis pavisti.

25. S. Muti, cui per totam hebdomadam jejunanti diebus Dominicis Angelus mensam præparabat.

27. S. Restituta V. M. quæ totam hebdomadam clausa sinè cibo vixisti cum Angelis.

28. S. Helconides M. è tormentis ab Angelo liberata.

29. S. Restitute M. qui unà cum filiolo inter canendum accinentibus Angelis spiritum exhalâsti.

## IN JUNIO.

1. S. Simeon, è mari per Angelum erepte.
S. Caprasi, cui felicem mortem ultimo vitæ biduo prædixit S. Michaël Archangelus.

2. S. Petre à carcere per Angelum liberate.

3. SS. Pergentine & Laurentine fratres in carcere pane Angelico ab Angelis refecti.

5. S. Bonifaci Archiep. cui S. Michaël Archangelus apparuit, & te ad ea, quæ agebas animavit.

7. S. Remberte, qui ab Angelo, cui eleemosynam dederas, felix prædestinationis nuncium accepisti, & à tribus Angelis cœlo inferri es visus.

12. S. Onuphri, cui aquam & Eucharistiam Angeli ministrabant, mortuo verò ijdem lessum cecinerunt.

13. S. Felicula V. parvula M. à vulneribus per Angelum sanata.

15. S. Landeline ab Angelo Custode de perniciosis amicitijs cavendis & multis alijs instructe.
S. Vite M. qui Angelos duces itinerum habuisti.
S. Abraha inter tormenta exultans, ab Angelo liberate.

16. S.

16. S. Ludgardis V. quæ ad SS. Eucharistiam sumendam comitibus MARIA, Joanne, & Angelo Custode processisti.

17. S. Raineri, cui peccatum quoddam ut in confessione ne taceres, Angelus persvasit.

18. S. Osanna V. colloquijs Angelicis exhilarata.

23. S. Maria de Oegnies, cui comedenti S. Joannes Evangelista cum Angelo adfuit.

25. S. Gallicane, qui crucem in bello præferente Angelo Susthas vicisti, Angelis cinctus.

27. S. Ladislaë Rex Ungariæ, cujus in Aula familiares fuerunt Angeli, tibique in singulari certamine strictis gladijs adstitere.

## IN JULIO.

1. S. Galle, cujus pro populo orantis preces exauditas esse Angelus dixit.

3. S. Clara Inda, quam sexaginta quotidie Angeli elevabant in cœlum.

8. S. Landrada V. ab Angelis sepulta.
S. Procopi M. ab Angelis visitate, & curate.
S. Chiliane de morte ab Angelo monite.

10. S. Golinducha à lupanari ab Angelo educta.

13. S. Justina V. M. quæ post mortem Zenoni per Angelum sudariolum misisti, quo ille frontem abstergens, admirabile fidei lumen, & martyrij coronam accepit.

14. S. Henrice Imperator, qui hostes tuos ab Angelo fugari vidisti.

16. S. Raineldis V. cui ad templum aditum Angeli præbuêre.

21. S. Daniel Propheta, cui prandium Angelus procuravit.

22. S. Maria Magdalena, quæ ad crucem ab Angelis acceptam per 33. annos pœnituisti, ab Angelis ad cœlestes gustandas delicias quotidie elevata.
S. Wandregisile Comes, cujus vestes in pauperis obsequio infectas laudator Angelus mundavit.

24 S. Christina V. quæ Angelis tibi accinentibus animam exspirâsti.
S. Christina altera, Catechismum ab Angelo edocta, & e lacu ab Angelo liberata.

28. S. Evotathi M. è flumine ab Angelo erepte.

31. S. Ignati Loyola, qui eâdem quâ Romæ expirâsti horâ, ab Angelis visus es inferri in cœlum, ad cujus tumulum concentus Angelici sunt auditi.

## IN AUGUSTO.

1. S. Felix M. in tormentis ab Angelo visitate, & restitute, cantu recreate; cum Angelis aquis inambulans, littori reddite.
S. Eusebi Ep. qui pudicitiæ tuæ Custodes Angelos es expertus.

4. S. Dominice B. MARIA Virgine comite, & canentibus Angelis in cœlum inducte.

7. S. Alberte, cujus mors fuit etiam cantibus Angelicis pretiosa.

9. SS. Firme & Rustice, in carcere ab Angelis cibati, & post mortem ab ijsdem sepulti.

10. S. Laurenti M. cujus sanguinem vidente id S. Romano Angelus abstersit.

11. S.

11. S. Gaugerice Episc. qui ut vincti è carcere ab Angelis liberarentur, tuis precibus effecisti.
14. B. Staniſlae Koſtka, SS. Euchariſtiæ Sacramento in morbo, & iterum in itinere ab Angelo paſte.
15. S. Arnulphe Ep. cui morienti adfuit S. Michaël.
16. S. Roche, in coxa ab Angelo curate.
17. S. Paule, & Juliana ſoror, ab Angelis viſitati, & eorundem operâ ab igne nîl paſſi MM.
19. S. Sebalde cui peregrino cibum Angeli dedêre.
20. S. Stephane Rex Ungariæ, cui coronam Regiam à Pontifice Angelus procuravit.
21. S. Boſſa ab Angelis cibata in carcere.
22. S. Anthuſa matrona pluribus Angelorum obſequijs celebrata.
25. S. Pontiane & ſocij MM. quorum latera cruciatibus exhauſta, ab Angelo ſpongiâ exterſa ſunt.

## IN SEPTEMBRI.

3. S. Seraphia, cujus Virginitatem ſplendidiſſimus Angelus Cuſtos tutatus eſt.
4. S. Roſalia V. quæ ab Angelis in deſertum ducta, ab illis orandi modum edocta, ab ijsdem canentibus recreata, duce Cuſtode Angelo roſis coronata ſponſa in cœlum deducta es.
7. S. Stephane Angelico ſpectaculo ad orandum excitate.
9. S. Audomare Ep. cui Angeli duces fuêre in cœlum.
10. S. Nicolae Tolentina, ab Angelis canentibus per ſingulas, ſex ultimorum vitæ tuæ menſium, noctes ad æternæ lætitiæ diem ſuaviſſimè invitate.
11. S. Theodora humillima & patientiſſima pœnitens, cui præparata in cœlis gloria eſt ab Angelis revelata.
15. S. Richarde, qui quando, & qui tui eſſent deceſſuri è vita ab Angelo didiciſti.
17. S. Lamberte Ep. cujus cadaver ſanctum Angelica muſica honoravit.
18. S. Terreole miles, qui Rhodanum ſuccollantibus Angelis facilè tranſviſti
19. S. Januari Ep. qui in ardente fornace illæſus lætus cum Angelis ceciniſti.
27. SS. Coſma & Damiane MM. medici fratres ab Angelo à mari liberati.
28. S. Wenceſlae Dux, quem ad comitia ingredientem viſi ſunt Angeli comitari.
30. S. Hieronyme ab Angelis, quòd *Ciceronianus* eſſes, flagellate: ſæpe poſtea ab agminibus Angelorum recreate.

## IN OCTOBRI.

1. S Bavo Angelis in vita & morte familiaris.
3. S. Joannes Cherubita Angelicâ amicitiâ contra hoſtes dæmones victor.
4. S. Franciſce chely cœleſti ab Angelo confortate.
5. S. Charitina V. cui præparatam rotam igneam Angelus disjecit.
7. SS. Sergi & Bacche MM. Angelicis colloquijs conſolati.
S. Oſitha V. ſub aquis ab Angelo triduo conſervata & erepta.
8. S. Birgitta miris ab Angelo arcanis intellectis admirabilis.
S. Demetri, quem coronans cœleſtis

ſtis Angelus dixit: *Pax tibi, Chriſti Athleta, eſto fortis.*

9. S. Dionyſii Areopagita, quo mortuo Angeli *Gloria tibi Domine, Alleluja,* cecinêre.

10. S. Joannes ultimo vitæ triduo ſæpe ab Angelis viſitate.
S. Theophile ab Angelo ad cœleſtem vitam per crucem invitate.

11. S. Jacobe Alemanne, flagellantiſte dæmonis victor, Angelo te hortante & præmia proponente.
S. Gummane, Angelicis revelationibus felix.

12. S. Wilfride Ep. cui moribundo Michaël Archangelus adfuit, & vitam MARIÆ precibus prorogatam ad quadriennium dixit.

13. S. Venanti, qui canentes *Sanctus, Sanctus* Deo in cœlis Angelos audiſti.
S. Romane Ep. Angeli juſſu ſanctè educate.

15. S. Thereſia V. corde Seraphini jaculo igneo ſanctiſſimè vulnerata.

19. S. Amabilis, cui Sanctorum reliquias per Angelum pro itineris ſolatio mittens JESUS te ad gloriam electum eſſe tibi nunciavit.

23. S. Macari pœnitendi modum edocte à S. Raphaële.

24. B. Joannes Angele, cui in venæ ſectione Angeli ſerviêre.
S. Maglori ab Angelis viſitate, & felici prædeſtinationis nuncio exhilarate.

25. S. Minias miles, Angeli conſolationibus in tormentis fortiſſime.

26. S. Demetri miles, ab Angelo in carcere coronate.

27. S. Elesbaane Rex in bello à Gabriele adjute.

29. S. Gmelindis V. in puritate ab Angelo cuſtodita, Angelis quoad vivendi modum conſiliarijs uſa, ab Angelis accinentibus ſepulta.

31. S. Quinctine M. inter agendum gratias pro tormentis, ab Angelo confirmate.

## IN NOVEMBRI.

1. S. Benigne, cujus plagas abſterſit Angelus & ſanavit.

4. S. Carole Cardinalis, qui cor tuum moriens Cuſtodi Angelo commendâſti.

9. S. Theodore in carcere & fame cum Angelis læte M.

11. S. Martine à Chriſto coram Angelis laudate, & ab ijsdem exultantibus in cœlum ſuſcepte.

13. S. Homobone, cui templi portas pandebant Angeli.

15. S. Machute Ep. Angelo conſultore feliciter uſe.

16. S Eucheri in Epiſcopum Angelo id revelante electe.

17. SS. Aciſſe & Victoria MM, Angelorum fidâ cuſtodiâ mirabiles.

22. S. Cæcilia V. M. Angelo & viſo, & alijs oſtenſo feliciſſima.

23. S. Trudo, Angelicis apparitionibus inclyte.

25. S. Catharina V. ab Angelis in monte dati Decalogi ſepulta.
S. Mercuri miles, de hoſte, Cuſtodis Angeli ope, victor.

## IN DECEMBRI.

2. S. Myrope V. audito *Sanctus* ter canentium Angelorum choro felici morte ſopita.

3. S.

3. S. Galgane à Michaële Archangelo conversè, & à Custode Angelo ab eo, quod instituerat, itinere prohibite.
4. S. Barbara V. M. quæ B. Stanislaum & alios clientes tuos cum SS. Angelis visitâsti.
5. S. Saba Angelo familiaritet use, & è cœlo coronate.
6. S. Nicolae Ep. qui moriens Angelos obvios habuisti.
10. S. Eulalia V. parvula, quæ ad certamen Angelis comitibus abijsti.
13. S. Lucia V. quæ S. Agatham in medio Angelorum gemmis conspicuam vidisti.
24. S. Gregori, cui in carcere Angelus pacem & constantiam est precatus.
S. Nicolae miles, cui ob servatam etiam in magna quadam occasione puritatem Angelus victoriam prædixit.
25. Sancte, Sancte Deus Jesu, Angelis tibi gloriam accinentibus nate!
29. S. Marcelle, inter orandum ab Angelis in altum tolli & fulgere vise instar Solis.
S. Ebrulphe S. Angelo Custode duce & magistro sancte.
30. S. Philetære ab Angelis honorari jusse.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, ullius unquam solatio Angeli adjuti, impetrate mihi talem erga sanctum Angelum meum, & omnes SS. Angelos affectum, & cultum, ut ab illis juvari merear, & unà cum illis ac vobiscum & amer à Deo, & Deum amem æternum, Amen.

# Ad Majorem Dei, Divæ Angelorum Reginæ, S. Angeli Custodis & Angelorum gloriam, ac totius cœlestis Curiæ honorem.

# FERIA IV.

SEU

# ANNUS

# PVERI DEI JESU,

## FILII DEI, ET MARIÆ VIRGINIS,

Tenero Amori, Divino Honori

Sacer

*Per singulas Anni totius*

## FERIAS QUARTAS

Varijs, brevibus, & sanctis parvulum DEUM IESUM pro felici morte amandi honorandique officijs & exemplis explicatus.

*Admodum Reverendo Domino, Domino*

# FRANCISCO LEONARDO

## SZEGEDI, PRÆPOSITO B. V. MARIÆ DE ZAMBELE, ARCHIDIACONO ZOLIENSI, E. M. Strigonienſis Canonico, Regiæ Liberæque Civitatis Tyrnavienſis Parocho, &c. Sodali ſuo & fratri veterano Academica Sodalitas Beatiſſimæ Virginis Viſitantis Annos Salutis.

PLatonici adamantes è puriſſima melioris auri exhalatione naſcuntur. *Ecce Tibi adamantem Deum IESVM filium aureæ Virginis, quæ domus aurea eſt. Cinquiſacæ Indorum Civitas Urbs argenti dicitur.* Hiſtoria Soc. p. 4. lib. 2. num. 143. *refert repertum hominem aureum. Caput aureum cum perſona item aurea notis inſcripta, quas nemo unquam potuit explicare. De MARIA dicitur:* Homo & Homo, *imò Deus & homo verè aureus,* natus eſt in ea, *velut in minera beatitatis. Gryphi auri cuſtodes cuſtodiant apud te aureum hunc hominem, quem ſtylo adamantino, arcanis notis, typographicis Reginæ Typorum Antverpiæ primùm, nunc Pragæ characteribus iteratò inſcriptum Tibi legendum, Tuisque amicis offerimus, dum illum à Te legendum accipimus,* Admodum Reverende Domine Præpoſite Mariane. *Illam è Matthæi* c. 10. v. 42. *aquæ frigidæ minimis Ieſu porrectæ mercedem expectas? Vinum ſitienti Ieſu porrigis, dum nobis libellum hunc porrigis. Ita floridè aureus Thomæ à Kempis reſarum hortulus* cap. 17. initio *de Te loquitur:* Qui fratri librum ſacræ lectionis porrigit, vinum optimum ori Ieſu propinat. *Tibi ergo Tyrnaviæ Tuæ Patriæ Parocho, id eſt, Patri*

*damus hìc hoſpitem è cœlo in ſinu Virginis IESVM, Legatum æternitatis. Scis Legatis atque hoſpitibus Romæ olim à Parochis vetus id Romæ nomen liberaliter proviſum. Tibi Parocho IESVM in MARIÆ ſinu, velut in curru triumphali, divinam humanæ naturæ in æternas nuptias jungentem in hoc libello advehimus anni rotis: nam & hoc Tua Te Roma docuit, Parochos fuiſſe auſpices ac Paranymphos nuptiarum; & in Græcia curru nuptiali tantùm Sponſum, Sponſam, & Parochum vectos eſſe. Tibi Tyrnaviæ Poëtæ domeſticis ac reginis Reginæ Margaritæ Ungariæ Virginis margaritis laureato, qui in Sponſæ IESV laudes, impreſſis per Viennenſes olim typos victorum generoſo carmine pedum veſtigijs eleganter viſti, Tibi IEſum Humanitatis divinæ Magiſtrum damus. Nam ſi carmina ſunt verba pedibus alligata, ecce MARIA (quam Romæ ore vulgi* de Carmine *dici non ſemel audiſti) Verbi æterni pedes hìc faſcijs ligat, ut hocce quaſi carmine ſalutari à nobis avertat antiquas lamentationes,* carmen & væ!

*Tibi Tyrnavienſi pro utrisque roſtris laudato ſapiùs Oratori, Rhetorem & Oratorem IESVM, diſertum profectò & eloquentem ac verba vitæ habentem.* Nunquam ſic locutus eſt homo: *Oratoriam tunc docuit, cùm* Matt *6. v. 9. dixit:* Sic ergo vos orabitis.

*Tibi Viennenſi Philoſopho, IESVM Metaphyſicum amoris naturam ſuperantis; Phyſicum, immortalem mortalémque naturam divinâ hypoſtaſi unientem; Logicum & Dialecticum Verbum, tempus æternitatémque conſignificans. Syllogiſmum hìc habes in figura optima. IESVS enim eſt Heb. 1. 3.* figura ſubſtantiæ Dei. *Ne verò Sophiſtæ mundi paralogiſmi aureis fallacijs Te involvant, in hac figura facias argumentum, & vinces.* Præterit enim figura hujus mundi. *1. Cor. 7. 31. & forma illius ſinè forma eſt, contra quam manet figura & forma bene arguendi, quam docuit IESVS. Phil. 2. 6.* cùm in forma Dei eſſet, &c. formam ſervi accipiens. *Forma in ſolido illo principio fundata, de quo Ioan. 8. 25.* Tu quis es? *Dixit eis Ieſus:* PRINCIPIVM.

*Tibi Romano inter Porphyrogenitos Apollinares Theologo, IESVM Deum, Verbum. In hujus Theologi ore ſunt Pſalm. 77. 2.* propoſitiones ab initio. *Et ſi citra ſacrilegam temeritatem licet ſumma illa umbris analogis adumbrare prima æternæ veritatis propoſitio eſt* Pater, *altera* Filius, *tertia* Spiritus Sanctus, *quaſi concluſio ex utroque procedens.*

*At*

*At inter æquales per omnia personas, ubi est* Major *&* Minor? *Ioan. 14. 28.* Pater major me est. *Ecce* Major *Pater, &* Minor *IESVS, ut homo paulò minùs etiam ab Angelis minoratus. Vis identitatem? Ioan. 10. 30.* Ego & Pater unum sumus. *Et 1. Ioan. 5. 7* Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres VNUM sunt. *En Syllogismum IESV!*

*Tibi* FRANCISCO *IESVM parvulum nomini illi jam olim à Græcio familiarem. Tibi* Leonardo *Leonem de Tribu Iuda, & Nardum horti Nazareth, nam & Romæ* Incarnatos *flosculos à colore non semel dici audisti.*

*Tibi* Canonico, *&* Parocho *IESVM, qui idem est cum Sancto Spiritu, quem* Catech. 17. S. Cyrillus Jerosol. *Magnum Præsulem &* gratiarum Parochum *vocat.*

*Tibi* Archidiacono *IESVM præfectum ministrorum, qui venit* non ministrari, sed ministrare.

*Tibi* Præposito *Mariano* IESVM, *qui* MARIAM *&* JOSEPHUM *sibi* præposuit, *quando Lucæ 2. 51.* erat subditus illis.

*Tibi denique* Parocho, Canonico, Archidiacono, Præposito, *IESVM Pastorem, Episcopum, atque Pontificem. 1. Petri 2. 25.* Pastorem & Episcopum animarum; *qui* Hebr. 5. 10. *est appellatus à Deo* Pontifex. *Hunc habe & cum hoc in* MARIÆ *sinu nobiscum vive & morere immortalis Tyrnaviæ ac Viennæ memor, atque etiam Romæ. Dominicâ 1. Adventûs M. DC. LII.*

ANNI

# ANNI PVERI DEI JESU,

## PARS I.

### HEBDOMADA I.

*In honorem pueri amabilis JESV vince te, ut manè citò & devotè surgas.*

1. IPse Sol CHRISTVS *priùs in tui cordis illucescat arcano*, inquit *in Psal.* 118. *serm.* 19. D. Ambrosius, iterúmque dices ad eum: *Exitus matutini & vespere delectabis.* S. Jacopono dicitur puer JESUS, *instar Solis exoriens*, collusisse. Ita tu ad Pharum cordis tui evigila, ad orientem JESUM exorere. Zach. 6. 12. *Ecce vir oriens nomen ejus.* Ad hunc orientem evigila valde manè orto jam in corde tuo Sole JESU: Sole illo, cui matutinis hymnis feriâ 2. ita canit Ecclesia: *Lux lucis & fons luminis, Diem dies illuminans, Verúsque Sol illabere.* Et in Epiphania: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.*

2. S. Mechtildis V. *apud Barrium die 3. solitud.* puerum amabilem JESUM in decennis parvuli forma spectavit, qui sacras Deo Virgines à somno singulari quadam gaudij ab intimo emanantis significatione excitabat in festo S. Joannis Evangelistæ. Aderat illarum cuipiam

piam peculiari sibi devotione addictæ etiam S. Joannes. Horologium vocatur symphonia temporis, sive Solis musica, diei cythara, horarum Psalterium. Ruperto lib. de vict. & verbis Domini: *Christus est Psalterium & cythara Dei Patris. In hoc*, inquit Guilielmus Parisiensis Episc. in Rhetorica divina, in hoc *Pater canit seipsum, & omnes creaturas.* In hoc ergo Psalterio Deum & te tibi, item te Deo, id est sibi canit Deus, ut te excitet. O si tibi pretiosus ille deliciarum parvulus adesset ad lectulum, téque renidente suaviter vultu sancto surgere actutum juberet, quàm facilè, quàm promptè, quàm modestè, quàm sanctè diem inchoares! Exurge! Jesus jubet. Magister adest, & vocat te.

3. Pete à Jesu manè id, quod est 2. Petri 1. 19. ut *dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus*, Jesus est ille, qui Apoc. 12. *Ego sum*, inquit, *stella splendida & matutina.* Matutinis ergo ad hanc stellam surge, & stellam illam pete, de qua S. Laurentius Iustinianus in Epiph. *Est gratia gratum faciens, quadam stella matutina, præfulgida, qua electum quemque præcedens corde ducit ad Christum.* S. Ambrosius in Lucæ cap. 11. *Lucernam*, inquit, *matutinis vespertinisque temporibus, ritu veteris Iudæorum Princeps Sacerdotū solebat accēdere.* Para manè luceruam Christo tuo. Ipse tibi lucerna sit, & tu illi; Deus te vult surgere, ille mandat. Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Ad hanc lucem expergiscere, & te venustissimo Iesu matutinus salutator sifte ad obsequia totius diei & vitæ.

4. Hic est pretiosus ille lapillus, qui matutino oculo est aspiciendus. *Porta lib. 8. cap. 7.* de lapide Pantheræ; Inspiciendi, inquit, in eo colores sunt » Sole oriente, quia in eo renitent omnes. » in omnibus actibus diei illius, in quo eum fers, victor eris. Ita ille jocatur è somnijs quorundam. An non Iesus parvulus est lapillus ille de monte abscissus, qui grandem Nabuchodonosoris statuam contrivit? Matutinus itaque tuus colorum omnium panegyri opulentus, idémque pretiosissimus, & victoriarum ac triumphorum toto die horísque singulis reportatorum lapillus, esto amabilis puer Iesus; ille lucifer oriatur in cordibus nostris, ille lapillus oriente Sole matutino cordis oculo spectandus est.

5. Iesus est cordium, idem & seculorum Rex, immortalis temporum & momentorum Dominus. Manè, inquit *Curopalata de offic. Constantinop.* » tubis clangitur, omnibúsque indicatur » facultas Imperatoris adeundi. Manè ad Imperatorem Iesum, téque coram illo prosterne, ac tuas actiones omnes æterno homagio illius gloriæ dedica. B. Franciscus Borgia Soc: Iesu manè consurgens terram ter exosculabatur, pro submissionis homagio: & ibi Deo horas diei inchoabat, consecrabat. Horæ illi omnes tales, ut diceret quemlibet quater & vigesies, id est, singulis horis mori paratum esse debere.

6. Vide, ne in te manè torpentem, interea dum Iesum Regem omnes Angelorum chori salutant, cadat illa vox exprobrantis Dei Iob. 38. v. 4. 7. *Ubi eras cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei?* Sis matutinum astrum, & ad matutinam

hanc

hanc stellam omnium astrorum Reginam accede. Cogita pastores antelucanis imò nocturnis horis ad adorandum amantissimum hunc parvulum ab Angelo evocatos. Accede ad IESUM, capilli ejus pleni sunt rore misericordiæ. Ros lucis ros ejus.

7. Da parvulo huic Magistro cor pro discipulo, & manè summo ad illum, velut ad Scholas, abi ad cœlum, ad templum, ad preces, valde illius memor Isaiæ 50. 4. *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico.* Pete aperiri tibi, & erigi aurem ab hoc magistro, ne contradicas ijs, quæ apertæ tuæ auri & cordi infundit. Vince te, & habebis IESUM, qui est stella matutina. Ita Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam.*

8. Ita teste *Barrio die 10. Solitud.* P. Balthasar Alvarez Soc: IESU sub oratione matutina vidit Christum plenis ulnis ferentem dona, & quasi pondere opprimeretur, sublevari postulantem. Adest ille tibi donis onustus manè quotidie plenis ulnis. Abi è sinu pulvillorum, & ad plenas thesaurorum Dei IESU parvuli manus convola. Ibi in illis amplexibus reclina caput & cor. Est ille Ioannis lectulus, in quo ille in cœna recubuit. Ibi cœleste ac matutinum manna lege.

9. IESUS est stella splendida & matutina, ut dixi ex *Apoc:* 22. ille est Oriens tuus, ut dixit *Zacharias cap. 6.* Arbor Solis & Lunæ, utraque primo sideris sui afflatu reddebat oracula: utraque in Solis & Lunæ eclipsi uberrimis manare lachrymis videbatur, *apud Causinum parab. hist. lib. 10. num. 17.* Esto arbor Solis IESU, electæ Lunæ MARIÆ, sed arbor matutina.

10. Manè (Iob. 40. 5.) *circumda tibi decorem, & insublime* (in cœlum) *erigere: & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.* Id verò feceris, si manè Dei gloriâ, tanquam vestimento, coram IESU & Angelo tuo, in DEI IESU honorem amorémque, omnes tuas horas, & occupationes singulas indueris. S. Gregorius Nissenus *tract. 1. in Psal. cap. 6.* gloriam hanc hominum vehiculum & alam vocat. Huic gloriæ Dei currui, & alæ impone ad cœlum usque evehendos tuos dies, horas, occupationes, te ad tumulum imò in cœlo expectaturas. Rabbi Hannina: *Est*, inquit, *vestis quædam nectarea, divina. Hanc vestem Deus Summus Messiam induit.* Hac erga Deum IESUM, & homines charitate, veluti veste nectareâ indue manè cogitationes tuas, verba, opera, id est cor, linguam, & manus: atque hac veste paludatus coram Deo & hominibus incede.

11. Fuligattus *Vitæ P. Bernardini Realini cap. 16. pag. 163.* ait, Bernardino in lectulo quiescenti Anno 1598. adfuisse Deiparam, & illi diviniſſimum infantulum in brachia reposuisse, ut illo gauderet. Interea verò dum IESUM admotum pectori cordi adstringeret, jámque surgendi tempus esset, inter illas lachrymas, & cœli solatia ab Excitatore matutino repertus est Realinus ardente vultu, inter singultus testes cordis inter gaudia colliquescentis. O felicem Te! si aurora MARIA Solem talem tibi antelucana excitatrix inter brachia deponat ad cor.

HEB-

# HEBDOMADA II.

*Felices annos hos & æternos à IESV pete; & eidem illos dedica.*

1.

GErardus Cluniacensis, ut Petrus Cluniacensis narrat *miraculorum lib. 1. cap. 8.* ultimâ obeuntis anni nocte, ardenti prece se pro anno sequenti comparabat, & primo Ianuarij die manè inter sacrificandum post consecrationem & elevationem, ad orationem Dominicam pro more dicendam pervenerat, cùm coram se in altari selectissimæ pulchritudinis parvulum, manus parvulas gestiente gestu hinc atque inde cum tripudio jactitantem vidit. Vidit & ad aræ latus Matronam spectatissimæ majestatis, quæ ad parvulum reverentissimè attendens, toto modesti & ad summam reverentiæ significationem compositi corporis gestu aderat, similis parvulum adoranti. Vidit & Angelum Domini, ac Dominæ ministrum, auditque de parvulo sic loquentem: *Hic, quem præ oculis habes, parvulus, cœlum & terram regit.* Et videri puer, Mater, ac Angelus desiêre: neque aliud, quàm sanctam, quam hactenus interea non videbat, hostiam vidit, ac sumpsit. Felices huic anni ineuntis fuêre Kalendæ. Strena felicissima, apophoretum opulentissimum fuit, Rex annorum Iesus. Ille annos felices dare potest.

2. Nota vetustati res, quotannis Jovi ab Arcadibus puerum immolatum, pro Jove per anni decursum propitio. Nobis ut felices fluant anni in annum æternitatis, qui est annorum omnium veluti fluminum mare magnum, Deum ipsum factum pro nobis puerum Deo æterno immolamus, sacrificium propitiationis. Felicissimè facit, qui annos, menses, hebdomadas, dies, horas suas, totam denique cordis ac anni quasi anatomiam huic Regi seculorum scit consecrare.

3. Vetus illud & præclarum Venetijs horologium id docet, dum priùs quàm horam sono edat, tres Reges ad Beatissimam Virginem cum parvulo in sinu puero Iesu gloriosam procedunt in fine horæ labentis, & profundâ reverentissimáque factâ corporis inclinatione Jesum & Mariam honorant, quasi illis exactam jam horam deponant ad obsequium, & jam jam inchoandæ horæ totius decursum offerant. Felices anni, quos ita oblatæ per Mariam puero Iesu horæ implent!

4. Ita in Mariæ sinu, in Iesu complexu annos suos deposuit *in Vita S. Xaverij lib. 5. cap. 4.* ille ab extremis Indiæ finibus ad Patres Soc: Iesu religionis causâ veniens, affectâ jam ætate, & grandi macie torridus Anachoretæ instar Indus. Is, ut ibi loquitur Turselinus, Christianis præceptis breviter eruditus, cùm puerum Iesum lactentem in gremio Matris depictum conspexisset in tabula, extemplò divinum puerum venerabundus amplexari cœpit, & protinus quasi alter Simeon in Christi complexu de vitæ exitu admonitus, urgere Patres, instare vehementiùs, ut nullâ interpositâ morâ fieret Christianus, imminere sibi mortem, adesse su-

premum diem. Ergo quàm primùm baptizatus, postridie primâ luce moriens, cùm jam Dei salutare suscepisset, est dimissus in pace. Boni anni, quos amplexu excipit suo novorum omnium, & antiquorum annorum Rex.

5. *Ginnarus Xav. Orient. lib. 2. c. 1.* fabulam refert, quam Chinæ narrant. Ajunt illi in occidentali Chinæ parte Regi Gioimbondardo ter per quietem visum gratiosum infantem, qui se ajebat debere in Reginæ illius Conjugis alvo manere. Peperit illa infantem *Sciaca* dictum, id est, *sinè principio*, quem divinitus concepisse putabatur; sed partui immortua est. Noster certè Reginæ cœli filius *sinè principio* est ab æternitate, quà Deus; in tempore à Matre Virgine quà homo; quem Ecclesia in officio dierum natalium *magnum principium* vocat. Huic principio commendanda sunt annorum, imò horarum omnium principia & fines, atque omnia dirigenda ad unum finem. Iste parvulus est ille, cui postea *Ioan. 8. 25.* cùm dicerent: *Tu quis es?* Dixit eis Iesus PRINCIPIUM, *qui & loquor vobis.*

6. Addamus pro anni solatio id, quod de B. Henrico Susone refert *Chronicum Prædicat. p. 2. lib. 2. cap. 9.* & *Bonifacius lib. 4. hist. Virg.* Ajunt more fuisse receptum in Svevia, ut leviſſimi ac procaciſſimi quique ultimam anni noctem vigiles canendo agerent, ab ijs quas amabant, corollas & xenia accepturi. Vigilabat & Henricus coram Dei Parentis imagine: & Iesulo ac Mariæ cantabat lachrymans. Preces & cantus ita claudebat: *IESU Pascha meum; cordis mei verna & amæna temperies, serena lux, dulcis anuce: quem unum diligo, sitio, concupisco, cujus causâ terrena despexi. Peto suppliciter, ut mihi coronam illam dones, quam castus adipisci amor solet. Noli me in hoc anni vestibulo vacuum, inanemque dimittere.*

7. Ut autem ab illo felix anni æterni Xenium accipias, da illi pro apophoretico munere cor tuum totum. Qui Catharinæ Raconisiæ vitam diligentius sunt prosecuti, *apud Maracium lil. §. 9. p. 53.* ajunt illam à B. Virgine visitatam ipso Pentecostes die. Candore cœlesti nivea illi vestis, corona gemmis veluti totidem sideribus collucens. Hortabatur illa Catharinam parvulam, ut Iesu parvuli Sponsa esse vellet. Cùm verò se dote omni destitutam utpote fabri filiam diceret Catharina, respondit Mater pronuba, pro dote opulentissima si cor daret, daturam id, quod Sponsus Iesus unicè amaret. Tum ingenuâ simplicitate Catharina; Ecubi esset suum cor, se verò id nescire ajebat: si illud reperiret, haberet illud sibi, & filio pro dote daret, per se id enimvero licere penitus. Arrisit ad innocentem parvulæ simplicitatem Virgo, & pectus Catharinæ, manu contingens: Hic est, ajebat, cor tuum. Cor verò filio meo consecrare est ea factis exequi quæ mandavit, & si adversi quid patiaris, in illius gratiam pati libenter. Tum demum ejusdem cum quinquenni Catharina ætatis parvulus coràm constitit, facies illi humanæ venustatis gloriam prætergressa, vestis nivea, cervix & collum lacteolum, & auro pretiosè torquatum. Pendebat è torque in pectus monile gemmei numismatis instar pretio & arte mirabili imaginem flagellati

Iesu

Iesu præferens. Adfuit Angelus Paranymphus sex aureo igne collucentibus alis præfulgidus, S. Hieronymus, S. Petrus Martyr, & gloriosa Seraphica Senensis Catharina, quam Catharinæ Matrem & Magistram, Petrum verò Patrem esse jussit Sponsus Iesus. Tum parvulo & Catharinæ annulos digitis inseruit Virgo, Mater, annuente utroque, & dicente Iesu: *Sponso te mihi in Fide, Spe, & Charitate. Vide, mea Sponsa, ut mihi per omnia consentiens Vivas. Cupio dilectissima Parens, ut Sponsæ meæ tibi cura sit, eámque uti filiam tuam habeas.* Seraphina verò illius Custodem Angelum esse jussit. Renovata 4. Idus Septemb. 15. ætatis anno iterum sponsalia; & dato tertio annulo tertium 25. Decemb. præsentibus præter memoratos Cœlites, etiam S. Josepho Sponso Sponsorum, S. Ioanne Evangelistâ, S. Magdalenâ, & S. Dominico. Aureo annulo primo inscripta erat: *Fides*, secundo *Spes*, tertio *Charitas*.

# HEBDOMADA III.

## *In cor, si quando desolatum sit aridum, volandus parvulus IESVS.*

1.

Hic est ille, qui verè delicium est orbis terrarum, & cœlorum. Fœcundo gaudiorum corde sunt præditæ devotæ pueri huic amabili mentes. *Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est Vitæ*, inquit in Natal. Domini serm. 1. S. Leo Papa. Ab hoc Sole est illa semper explicati ad lætitiam cordis serenitas. Pumicem alicubi refert Plutarchus coloris adeo parum retinentem, ut uno die colorem quater mutaverit. Hoc faciunt sicca corda, quæ olim saxum fuêre, nunc sunt pumex. Tenere constantiam nesciunt pumiceæ istæ animæ, nisi illis illabatur tenerior Iesus, & illas cœlesti nectare plenis flammis iterum involutas solidum perenne dulcis ille magister docuerit, ut delicijs fluant.

2. Discant colorem non mutare pumicosa illa ingenia ab illo adolescente, quem ejus, quo semel à Deo tinctus fuerat, coloris retinentissimum scribit *in Delicijs* Bidermannus, & alij. Affluebat ille divinioris ambrosiæ torrentibus, in quasi colliquefactum sese illi infundebat cœlum, pulcherrimo cataclysmo. At ille rivis his non contentus, in prodromis advenientis Iesu ferijs, fontem ipsum, ipsum illum immensum suavitatis oceanum, ipsum puerum Iesum, cœlesti quodam quasi hydrope, sitiebat. Manabant nunc impetu erumpentes, nunc leni lapsu euntes lachrymæ liquescentis cordis nunciæ, & ornando nascenti puero Iesu liquidi adamantes. Et jam nox illa Deo genethliaca illuxerat, quâ, ut illâ nocte canit Ecclesia, *per totum mundum melliflui facti sunt cœli.* At adolescenti nostro in attentissima hiantis in corde spei expectatione, præter expectationem omnem, in pumicem exaruit cor, & clausis cataractis cordis atque aquæ ductibus oculorum, ahenei facti sunt cœli.

Neque tamen bonum colorem mutavit hic pumex. Institit in illo etiam desolati cordis deserto de genibus expectare parvulum puerum Iesum; & siccâ licet, quasique invitâ, sed tamen constanter attentâ precatione, ad cor velut ad frigidas plenásque straminis sicci cunas, invitare cœlestem infantem perrexit ardentior. Ita humi genibus, corde cœlo affixus, audit quasi circa portam foris nonnihil adstrepentis, & portâ pulsu tenero pulsatâ ingredi postulantis cujuspiam signum. Jubet ingredi. Ingreditur expectatus ille amoris, ille deliciarum Deus Iesus. Radiabat ab hospite parvulo conclave felix. Flectebat adhuc admiratione & amore quasi alatus, at jam in parvulum velut involaturus adolescens, nisi celeritate amabili parvulus prævertisset. At frigore rigidulus, utpote propè nudus, tremebat, accedebat, gemebat gemmantibus oculis, & se frigere singultu tenero acerbissimè querebatur cœlestis hospes. Quare extremam vestis, quâ felix adolescens tegebatur, oram molli manu prehendit, séque illi insinuans, illâ se quoquo modo contexit. Petebat calefieri; sed ille interea adolescentem pulcherrimo calore penetrabat toti refusus cordi, cui se tunc typis immortalibus imprimebat, fruendum illi, legendum nobis! Ita ex illa vestis lacinia, & ex oculis discessit; in corde mansit nunquam oblito illius faciei, illius vocis, semper suspirante: *Vox tua dulcis, & facies tua decora.*

3. Neque quàm tenerè, sed quàm solidè rem salutis agas, attende. Actus fidei, spei, charitatis elici possunt etiam absque lachrymis. Omnia hæc in Theologo hoc Dei Verbo, in puero Iesu, ostendit è S. Augustino D. Thomas 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *in* ⊙ dum dicit: *ut homo fidentiùs ambularet ad Veritatem, ipsa Veritas Dei filius, homine assumpto constituit atque fundavit* fidem. *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam* spem *nostram, quàm ut demonstraretur nobis, quantùm diligeret nos Deus. Quid verò hujus rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium? De* charitate *denique; si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* Et verè è tribus his Theologicis fontibus bene apprehensis ajo ego ituros ab oculis lachrymarum exundantium rivos. Quomodo enim illum non ames, aut quid ab illo non speres, quem è Virgine ita natum credis verè hominem, verè Deum?

4. Atque hoc ex capite proficiscuntur ea, quæ de Christi Nativitate *serm.* 2. loquens Bernardus: *Hæc nativitas,* inquit, *intuentium pectora concutit, & irrorat oculos, & beatis fontibus cultus amantium perfundit.* Et serm. 3. *Vidi ego,* ait, *senes senectutis oblitos adstare sacris juvenili alacritate vigiliis, & juvenes juventute sepultâ senili gravitate reverentiæ divinitatis assistere.* Adest Deus & homo, Mater & Virgo, caro & Verbum, æterna novitas, nova æternitas, divina humanitas, humana divinitas. Ita ille. Utinam ita & te concutiat, ita irroret oculos, ita vultum omnem perfundat nova ista æternitas, Deus homo!

5. Nunc ille se in nostro conclavi ostendit nobis interdum, sed ita ut se abscondat. Erit cùm in suo se nobis conclavi

clavi ostendet, & abscondet nos in abscondito faciei suæ Iesus. *Tristatur aliquis vestrùm*, inquit idem Bernardus serm. 15. in Cant. *veniat in cor IESUS; & inde saliat in os. Nonne si invocet nomen vitæ subitò respirabit ad vitam?*

6. Pretiosum, & solatiorum plenum est Sacramentum amoris Iesu. 1. Timoth. 3. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne. Deus*, inquiunt quidam cum Syro, *quasi sub diaphano crystalli apparuit, & effulsit in carne.* Aspice tenerâ carne veluti crystalli diaphano, vestitum Iesum. Vix est magis tenerum dulcioris pietatis Sacramentum, quod cor aridum ad pietatem emolliat magis, magisque aperiat, & impleat succo cœli. Ergo in corde etiam arido Jesum colloca. Ita ille jacebit in præsepio, in fæno.

# HEBDOMADA IV.

## *Prompto exactè parendi studio bene colitur puer IESVS.*

1.

*Joannes Picus* in vita Catharinæ Raconisiæ Virginis refert, illam dum suaviſſimè in oratione caleret, ad quodpiam charitatis officium evocatam sese excusâsse. Verùm ab ipso Domino Jesu ut iret jussam, cùm illa diceret non decere, ut in creatæ rei cujuspiam gratiam deseratur Creator Deus, audisse à Christo; Libenter se ita deseri, ut indigentiæ proximi per charitatis obsequium subveniatur. Et verè summus obedientiæ canon fuit puer Jesus, de quo *apud P. Athanasium Kircherum in Prodromo Copto. p.* 110. in Meliaporana sancti Thomæ cruce scriptum repertum: *Natus est Deus ex Virgine MARIA, & sub ejus obedientia* 30. *annis morabatur; & erat Deus sinè fine.* Ponderentur singula, ut virtutem hanc in cor adigant.

2. Vetus ac passim jam notum est, refertúrque à *Nigronio Reg.* 15. §. 19. ab alia quadam Iesu Sponsa cum parvulo Iesu in conclavi cœlestibus recreata favoribus parvulum illic Iesum relictum, ipsam verò eò, quò majorum voce vocabatur, abijsse; En, inquiebat » discedens illa à parvulo, dulcissime Domine Iesu mi, pro explenda obedientia » abeo. Tu interim me hìc expecta, donec ad te redire liceat. Redeunti radiantissima in luce, in cubiculo venustulus amabili jam non pueri, verùm adolescentis formâ Iesus; Filia charissima, inquiebat, profunda velocis ac impigræ obedientiæ tuæ humilitas me talem fecit. Ita tu apud me hoc tuo facto crevisti. Æstima ergo æstimatam adeo à Iesu hanc virtutem. *Bernardus* de Nativitate Domini. *Universa* inquit, *in nascentis Dei obsequium juraverunt.* Jura & tu. Obedi obedientissimo Iesu. Illi obedis, dum in illius gratiam & gloriam es subditus illis, qui tibi præsunt.

3. Non multùm à priore abludit id, quod habet *Rodriquez p.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. Adfuit cuidam pulcherrimè coruscus Iesus, dignum quovis optimi cordis theatro spectaculum. At frui

diu

diu non licuit. Imò licuit. Nam dato ad vespertinas divini officij precationes æris campani signo, felix ille à Iesu hospite visitatus hospes, relicto pretiosissimo parvulo, ad id ad quod vocabatur se contulit: Et tamen à vesperis redux expectantem Iesum parvulum ibi adhuc reperit, ubi illum ante preces reliquerat. Et reduci ac de sua felicitate triumphanti dixit divinus puer: Nisi vocatus ad templum abijsses, ego à te abijssem. Cave itaque, ne te humanus quispiam respectus ab ijs avocet, ad quæ te vocat vellicans auren Deus. Abijce te ad ejus pedes, & cogita: ó quàm vera sunt magna illa! Exinanivit semetipsum factus obediens, usque ad præsepe, usque ad illud; *& erat subditus illis*, usque ad mortem, mortem autem Crucis. Hæc obedientia illum exaltavit, & adorando cœlis, terris, inferis Iesu nomine coronavit.

4. Bene *Augustinus* serm. de Nativit. Domini. *Ut exhiberetur homini, quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Dulcis est illa in obedientissimi Iesu in sinu Mariæ sedentis contemplatio, quâ suavissimè ebrius Beatissimus Pontifex *Franciscus de Sales lib. 9. de amore Dei cap.* 14. ita puerum Iesum inde velut è pulpito loquentem facit: Videor mihi esse proprium Mariæ Matris meæ cor in medio pectoris, vel ipsius animæ in ejusdem cordis centro constituta. Hinc est quòd ficut ejus gressus & incessus sat est pro illa & pro me; ita voluntas ejus sufficit pro illa & pro me. Ita ibi. Hoc est esse in gremio Matris obedientiæ. Hic est genius fratrum Iesu. Sedeas in corde sanctæ obedientiæ. Illa sæcurum tui portabit te. Ita imitabere sedentem in sinu ad cor Matris infantem Iesum: qui te in fratrem suum recipiet, imò Matris suæ instar te amabit, si voluntatem Patris feceris, id est, si vitam & horas tuas juxta divinum illud horologium digesseris & gubernâris, cujus horologij sanctus & infallibilis index est declarata tibi superiorum voluntas. Eja frater Iesu parvuli disce à Iesu dici: *alter ego.*

5. *Choquetius de Visceribus maternis Beatæ Virginis erga Ordinem Prædicatorum*, & ex illo *Maraccius Liliorum* §. 8. Agnetis Zamorrensis meminit. Hæc à Tyronum præfecta jussa est ad incunda die altero cum Iesu per votorum nuncupationem religiosa sponsalia sese quàm accuratissimè præparare. Totam ergo noctem Agnes coram imagine sedentis in Mariæ sinu Iesu vigilem egit inter innocentes preces dulcibus lachrymis teneræ irrigatas. Vidit demum parvulum è materno sinu ad se delabi Agnes, & annulum amoris Virgineæ arrham digito suo ab illa impositam accepit, parvulo ad maternos amplexus reverso. Tum verò nunquam satis explicatæ voluptatis teneritate admirabili tota suspirans, tota gaudio lachrymans à novitiarum præside reperta, & num se Sponso suo vigili & attento precum studio comparâsset, interrogata est. Respondit illa enimverò, ostenso cœlesti annulo, ac dixit hanc se amoris tesseram in obedientiæ præmium reportâsse. Omnino inquiebat, & quidem maximo meo bono tuis dictis obtemperavi. Etiam tu felix obedientiæ pretium feres, à parvulo omnino, & quidem maximo tuo bono, si majorum dictis obtemperabis.

[6. Idem

6. Idem obtemperandi ſtudium valde arridere puero amabili IESU adverte ex eo, quod *Gonzaga de origine Ordinis* narrat *in Cajetano Conventu pag.* 525. Duo Religioſi ab ipſo ſacræ Synaxeos apparatu avocati exire ad ſtipem corrogandam juſſi ſunt die cænæ Domini. Ubi majorum imperio fecêre ſatis, rediêre ad ſacellum, ubi ſanctiſſimum Sacramentum aſſervabatur, & deplorabant miſerrimam ſuæ ſortis aleam, quòd die tanto à ſacra illius diei cæna jejuni manſiſſent. At quia Superiorum juſſu hilares paruerant, non caruêre vivo illo cœli pane fame tantâ optato. Nam ex ipſa arcula Euchariſtica graviſſimus quidam, ut Author loquitur, pulcherrimus, ac compoſitus juvenis proſilijt, qui aſſerens ſe IESUM eſſe, eorum utriq; ſacram Communionem porrexit, ſtatimque locum unde prodierat, repetijt. Ait exſtare adhuc veſtigia pedum IESU Sacelli pavimento impreſſa. Quid ſunt illa impreſſa veſtigia, niſi obedientiæ typus, ut in via obedientiæ Dei IESU veſtigijs lubentiſſimi ac volentiſſimi inſiſtamus?

7. At quidſi averſus à Superiore animus obturbetur? Reſpondeo, parendum omnino in gratiam Dei IESU. Finio, ſi unum addo pro his. *Piſenus in Paralip. Florum Leod. pag.* 588. de Lamberto pœnitente ex Catalogo Abbatum S. Huberti, Tranſibat, inquit, Lambertus, & malignos in Abbatem (à quo averſus erat & ſtatuerat nullum illi venerationis ſignum exhubere) dum conijcit oculos, inter ejus ulnas puerum videt ſpecie venuſtiſſimâ, & aliquid ſupra humanum ſpirantem, arridentem quidem Abbati ſvaviſſimè, ſe verò minas irato oculo, manúque intendentem. Ita cervicem illam Superiori ſuo tandem inclinavit, & ſubegit puer JESUS.

# HEBDOMADA V.

## *Neceſſarium ad optimam confeſſionem apparatum pete à puero IESV.*

1.

*Fuge peccata*, clamat ad IESU præſepe proſtratus corde Bernardus ſermone 3. de Natali, *poſita eſt mors ſecus introitum delectationis*. Age pœnitentiam. Hoc tibi prædicat ſtabulum iſtud, hoc præſepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeſtè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. Ita evangelizaverunt Benedicto Goëz, cujus mentio eſt in *Annuis Goanis* 1609. in *hiſtoria Societatis*, & in *Balingen* 11. *Aprilis*. Hic Anno 1583. miles perditus, templum cum alijs ingreſſus, viſâ parvuli IESU in ſinu Virginis imagine, teneriſcentibus in lachrymas oculis, & corde doloris vi perculſo, projectus jam non militariter tantùm, verùm ſeriò ingenua, anhelo cordis ſingultu rugiebat à præteritorum conſcientia peccatorum. Ita lachrymanti & pro erratorum venia apud filium per Matrem ſupplici Benedicto, collachrymari viſus eſt puer JESUS. Nam tenerrimis, iſ-que quaſi lacteolis lachrymis adeo exundabant parvuli IESU oculi, ut ſubjectam aram

ram omnem voluntariâ illâ misericordiarum pluviâ largè humectârint, & pretiosas ac mirabiles lachrymas stupentes qui aderant strophiolis ex altari legerint. Quis ibi Benedicto dolentissimi cordis fuerit sensus, præstaret experiri, quàm dicere. Ecce quomodo amabat eum IESUS! Hoc loquuntur fusæ pro Lazaro Christi lachrymæ. Ergo Benedictus factâ universali totius vitæ exomologesi apud quendam Patrem Societatis IESU, eidem Societati addicendi voto se obstrinxit, & voto potitus, Coadjutorum albo adscriptus est. Templum verò illud pompâ solenni celebratum, & super peccatore pœnitentiam agente, parvulo IESU actæ gratiæ, factæ displosiones crebræ, publicum è IESU lachrymis natum gaudium, & literis consignatum.

2. Ælei, ut est in Gregorij XIII. emblematibus Anno 1588. Romæ sculptis, Pausaniâ teste, infantem quendam Sosipolim Servatorem dixêre. Illum infantem Æleis Matrona quædam obtulerat contra Arcades pro patria pugnaturis. Productus in aciem parvulus hostes omnes fugavit ipso aspectu. Bene sub hujus parvuli anteſignani conspectu pugnâsti, & capitales tuos hostes funditus profligâsti Benedicte! Hoc est pro æterna patria pugnare, hostes illos intestinos, qui nos ab æternæ patriæ possessione avocant, proterere. Ita è matrona cœli MARIA natus JESUS infans Benedictum è maledictionibus exemit. Potentes etiam parvuli IESU lachrymæ thaumaturgæ sunt ad mortuos æternæ vitæ reddendos. Verè jam tum in præsepio, & MARIÆ sinu (1. Corinth. 5.) *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

3. Antiquius est id, quod *serm. 18. de Natali* de moniali ab apostatico lupanari reduce narrat *Pelbartus*. Nesciebat quò verteret malè inquinatos hactenus oculos. sub natales IESU dies in parvuli è sinu Matris blandientis IESU imaginem incidit, & pœnitentialibus lachrymis cor contritum coram parvulo effundens, per omnes tenerrimæ illius infantiæ delicias, per dulcissimos vagitus, per nunquam satis admirandam & amandam divinæ majestatis ad infantiam usque se exinanientis humilitatem, per illam, cujus filius esse dignatus est, Matrem Virginem, per omnes facilè ad miserationem flexanimæ infantiæ titulos obtestata est, ut etiam sibi parceret tenellus ille Dei agnus ideo nobis natus, ut peccatores salvos faceret. Valuit sincera dolentissimi cordis oratio, & vox divinitus missa dixit, ob allegatam in misericordiæ argumentum infantiam Dei peccata illi esse dimissa.

4. O bene sit illis lachrymis, quæ claves habere videntur ad conclave cordis pueri IESU! ad cujus etiam tu præsepe prostratus dum confessionem meditaris percusso pectore dic ad parvulum: Domine amabilis puer IESU, propitius esto mihi peccatori. Ita Atheniensis ille apud Thucididem Dux capitis reus, Reginæ consilio Regulum infantem accepit, & Regi obtulit, per illum parci reo suo capiti impetravit. de quo *hebdom.* 12.

5. Indulgentiarum etiam oblivisscendum non est. Confessio ad culpam, illæ ad pœnam abstergendam valent. Æstima illas, quia æstimat illas Ecclesia, tanquam thesaurum meritorum IESU, & Beatæ Virginis, ac Sanctorum

rum omnium. Æstimârunt illas sanctissimi quique, neque ullus contempsit, nisi Ecclesiæ Dei contemptor. *In Martyrologio Francisc. 26. Julij* dicitur super Ecclesiam B. Virginis de Angelis esse imaginem Virginis Matris filium parvulum sinu complexæ. Hunc Iesulum semel atque iterum stantem, populóque, qui lucrandarum indulgentiarum gratiâ templum ingrediebatur, benedicentem vidit Baldus Eugubinus, séque Fratribus adjunxit, quos inter per annos 50. usque ad mortem sanctam vixit. Indulgentiæ sunt privilegia, quæ tibi impetravit Iesus. Toties ille tibi benedicit, quoties illis bene uteris. ille est Deus Indulgentiarum Dominus.

6. Colmariensi Gertrudi *apud Choquetum*, & *Maraccium in liljs* §. 3. peccatorum veniam lachrymabili supplicis cordis ardore poscenti, se in materno gremio ostendit in imagine, & manus porrigens dixit puer Iesus: *Soror Gertrudis en fidem meam obstringo, te nunquam à me vel à matre mea deserendam. Ego verò jam propitius sum tibi, & peccatis tuis.*

# HEBDOMADA VI.

## *Viam purgativam ut bene mundo etiam à venialibus corde decurras, IESVM parvulum roga.*

I.

UTinam vel enormes peccatores tantis grandia sua scelera lachrymis desleant, quantis deplorant minimas suas labeculas teneræ animæ, quas sibi in sponsas elegit pulcherrimus puer Iesus. In svavi doloris deliquio seu amoris extasi aberat à sensibus peregrina felix illa *apud Herolt. pag.* 27. Virgo, cujus dolenter & amanter lachrymantis guttæ videbantur quidem in subjectas genas ab oculis depluere, verùm parvulus Iesus illas, ita ut ab oculis adhuc calebant, manibus excipiebat, fovebátque quasi liquatas in cordis officina gemmulas, & amabile cordis balsamum. Ubi tenero illo rore plenam manum collegerat, quasi cœleste balsamum collegisset, illo sibi totum pectusculum & cordis regionem perungebat, ô quantâ intimæ dulcitudinis significatione! Sciebat illas à corde fundi, ideo refundi volebat per pectus in cor illas imbibens. Tum deinde intellexit felix hæc Virgo pretiosas esse in parvuli Iesu conspectu lachrymas erumpentes è *fonte odij peccatorum*, at longè pretiosiores illas, quæ scaturiunt *ex amore Dei.*

2. Tu funde quas potes. Certè quas amor fundit, illæ præ alijs quàm maximè cor mundum reddunt à nævis etiam minimis, à quibus toti in eo sunt ut abstineant in gratiam parvuli Iesu ij omnes, quos tenero hoc erga puerum Iesum amore donavit Deus. Talis fuit *in Martyrol. Francisc. 22. Novembris* Beatus ille Joannes à Ponte hoc erga Jesum parvulum amore maximus vir, qui & perpetuis manare lachrymis videbatur, neque mensæ pransurus assidebat unquam, nisi conscientiâ priùs per confessionis Sacramentum perpurgatâ. *Sit in corde justitia*, inquit in vi-

gilia Natalis S. Joannis Bernardus, *sit etiam in ore confessio ad salutem, & securus jam suscipe eum, qui in Bethlehem Judæ nascitur, IESUM Christum filium Dei.*

2. Neque itaque tantùm mortalia ejeciſſe contenti ſunt ij, qui ſe Deo integre dediderunt, verùm etiam eas, quæ in corde manent, reliquias, & quaſi muta præteritorum peccatorum idola exterminare contendunt. Atque ut hoc poſſint, hunc parvulum advocant in auxilium. *Apud S. Epiphanium lib. de Vitis Prophetarum* naſcente in Galgalis Eliſæo bovem auream in Selom adeo acutè ſonoréque mugiſſe, ut etiam Hieroſolymis audiretur, ubi intellectum eſt, prodigium interpretatus Sacerdos, dixit eo die naſci Prophetam idola contriturum. Ita naſcens plus quàm Propheta Jesus Rex Prophetarum idola tua, ſi quæ adhuc in cordis tui lario ſuperſunt, è fundamentis ipſarum baſium evertet, & everret.

4. Sunt *apud Senecam epiſt.* 113. qui & virtutes & vitia dicant eſſe animalia. Quid dices de hominis animo, niſi ſtabulum eſſe, in quo virtutes aut vitia ſtabulentur? Jacet Jesus in ſtabulo. Vide ut hic Hercules Augiæ in te ſtabulum perpurget: vide, ut non animalia, verùm veras ibi virtutes reperiat. Eliminanda inde primùm ſunt immunda animalia vitiorum, quæ fecerunt, ut homo comparatus ſit jumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis.

5. Plenè autem te mundum vult innocentiſſimus parvulus noſter. Unde *Bonifacius hiſt. Virg. lib. 3. ex hiſt. Collegij Dolani* ait, puerum parentis optimi non optimum filium Scholis Societatis in diſciplinam datum, & Deo poſt Communionem commendatum intimè. Ipſo die puerum Iesus acriter increpuit, ſe illi viſendum oſtendens, & ut parentis monitis pareret, ut totam vivendi rationem plenè mutaret, ac Deo corde purgatiſſimo ſerviret, atroci minarum intentatione adhibitâ commonuit.

6. Cogita diem tuæ à nævis etiam minimis purificationis eſſe diem oblati à Maria Jesu. *Leander in Vita Jordani* ait viſam à Jordano die Purificationis templum cum Iesu ingreſſam Dei Matrem. Reſedit illa prope aram cum filio, & apprehenſâ parvuli dextrâ diem Purificationis cum devotione celebrantis benedixit. Tota vita noſtra eſt quidam dies Purificationis. Ardent in ſanctis Jesu aſſeclis virtutum lumina in ſplendoribus ſanctitatis, tamen ipſe luminum dies dies eſt Purificationis. Viæ purgativæ, purificantis oblivíſci debemus nunquam: ita ut ipſum purificationis nomen viam *purgativam* nobis in mentem revocet; ardentes cerei *illuminativam*; parvulus verò in Mariæ ac Simeonis conſummati ſenis ſinu, *unitivam*. Tu autem cum illa quæ drachmam perdidit ad accenſa hæc lumina, domum tuam everre, cor perpurga, gratiæ peculium auge. Ardeant licet virtutum lumina in te collucentia, & ipſa tamen, ut meliùs ardeant luceántque frequentiùs perpurganda, emungenda ſunt. Cereus, qui rarò emungitur, laboriosè & quaſi dormiendo ardet, quin & nonnunquam extinguitur. Purificationis ergo diem optimè celebrabis, cùm te ampliùs totum purificaveris. Ita tibi plena benedictionum

Dei

Dei JESU parvuli manu MARIA benedicet.

7. Ad venialia quæ vocamus peccata vitanda, facienda sæpiùs coram JESU cordis renovatio est. Rosa Hierichuntina spinosis ramulis, foliis olivæ similibus flores violæ candidæ habet, neque altè assurgit à terra. Hæ rosæ tametsi jam centies vetulæ & excussæ, tamen nocte Christi nati sensim sese adaperiunt: post eam noctem hiare desinunt, & se in glomum colligunt. Si quotidie rosam illam apertam velis, id est quasi quotidie noctem Christi nati celebrare, sit licet annorum centum, tamen aquæ impositæ se aperiet. Id se expertum per annos plures circa noctem natalis, & in aquam impositionem ait *Drexelius Aurifodinæ part. 2. cap. 6.* Ecce spineola, humilis in viola, pacis olivâ virens, pœnitentialis cordis renovatio. Felix nox, quæ corda aperis, ut ad accipiendum illius noctis Solem JESUM expansa hient! Felices aquæ lacrymarum, quæ corda à situ, ab exsucca siccitate, ac vetustate renovatis in florem quotidie! Ita nocte nascentis Christi in Judæa vineas Engaddi floruisse intelleximus. Tuæ ut floreant, non tantùm ferus aper occidendus est; verùm age etiam ut capias vulpeculas illas parvulas, (peccata venialia) quæ depascuntur vineas.

# HEBDOMADA VII.

*Sacro, & omnibus pietatis officijs ut te paret, atque tibi illis intento assistat, Iesum ora.*

1.

SAnctus Augustinus 1. Confess. c. 6. *Sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram & cinerem.* Pete & tu, & impetrabis, si cordatè, seriò, constanter petas. Ità suum sibi Wallenum parabat JESUS parvulus, de quo *Martyrol. Francisc. 9. Augusti* sic habet: In natali Domini Missam celebrans, puerum JESUM in manibus suis coronâ aureâ gemmis stelliferis rutilante redimitum vidit. Adest coronaturus tua & Sacra, & alia pietaris officia Iesus. Tu illa coronis illis erudi. Demulcere etiam nonnunquam Wallenum, & osculari visus est puer ille divinus. Et inter orandum, apertum Walleno ostensum est cœlum. Ita Sacro, ita divinis alijs interesto, quasi cœlum apertum te orantem, Sacróve aut alij pietatis officio intentum aspiciat; quasi te Iesus molli mulcens manu roget, ut exactâ rem diligentiâ peragas; quasi pro bene exacto opere auream tibi stellisq; micantem coronam promittat, ac te divini sui oris osculo osculetur, dérque amplexum tuo spiritui, qualem P. Cajetano celebranti dedisse narrabo *hebd. 26. num. 8.* Ille plenis cordi tuo radijs te illuminans & calefaciens affulgebit, qui Tertulliano dicitur *Radius Dei Patris*, ut justè quod jussum est executus ne sis maledictus, tanquam qui opus Dei fraudulenter negligentérve perfeceris. Denique ita te osculabitur, ut in officijs pietatis magnam experiare suavitatem ac facilitatem. Tunc enim in Sacro, in oratione tua omni, ex ore divini hujus infantis perficiet in ore & in auribus tuis laudem suam Deus, si sancto osculo inter oran-

dum os tuum, preces tuas, ori hujus infantis conjunxeris.

2. Ita optimo quo poterat conatu Sacro aderat illa Virgo, cui teste *Holeno* è D. Augustini familia Doctore *sermone* 100. *æstivo*, cùm sub sacro teneram pretiosi Iesu infantiam ruminaret, dictum est à sancto quodam Religioso: Ego ab Angelo cœlitus demisso candidis rosis vidi cingi caput tuum. Utinam te in Sacro, in concione, in oratione castissimis rosis coronet quotidie sancta hæc de dulci parvulo Deo meditatio! Ita parvulo isti affixus in Sacro mira è Iesuli corde hausit solatia P. Sebastianus à Campo Soc: Iesu, in cujus corde tenerè vivebat semper Iesus Maria, sancti Cœlites, & animæ Purgatorij. Singultiebat suavi lachrymarum torrente plenus in Sacro, & hæc verba singultiens tertiabat: *O Iesu, quàm dulcis es amantibus te! ô Domine satis est! Iam cor non est ferendo.* Versa illi post elevationem in vivum pulcherrimúmque parvulum hostia totum illum liquidâ dulcedine implebat. Ubi verò jam sumendum erat Sacramentum: *O nobilis parvule*, ajebat, *ô dulcis Iesu! Revertere iterum in specie panis, ut anima mea citiùs fruatur te!* Inter has cordis delectationes elevabatur sæpiùs sublimis, & coruscantibus circa totum caput radijs pulcherrimè collucebat. *Vide Vitam, & Balinghen 3. Julij, & 6. Augusti.*

3. Examina itaque ad hujus parvuli libellam Sacra, & omnes sacras occupationes tuas, & quidquid ibi deprehenderis, quod chariſſimis parvuli oculis existimes displicere, illum & cum illo, ac per illum æternam Trinitatem roga, ut demoliatur in te, quidquid illi displicet in te, quod tu hactenus demoliri aut non valde voluisti, aut non satis potuisti. Authore *Surio 26. Februarij*, S. Porphyrius Gazæ Episcopus Constantinopoli difficilem impetratu, & tamen necessariam rem ab Arcadio Imperatore per libellum supplicem petiturus, Theodosium Arcadij filiolum tum recens natum à baptismali fonte referri vidit, & ingenioso commento libellum supplicem purpuræ quâ parvulus tegebatur imposuit, quasi recens à materno utero, & lustrali fonte Theodosiolus Imperatorius infans supplicem illam chartam Imperatori Patri offerret pro prima gratia impetranda. Persvasit Arcadio ingenium advertenti nova illa & apposita inventio, ut quam in porrecto illo per infantem Cæsareum mediatorem supplici memoriali petebat, idolorum demolitionem Porphyrius impetraret. Utere Porphyrij ingenio, & Sacra tua, orationes, & quidquid est quod exerces officij pietatis velut libellum supplicem, porrige SSS. Trinitati per parvulum mediatorem Iesum. Ita felix eris legatus omnium sub lethalis peccati jugo gementium, omnium in omnium terribilium terribilissimo tremendæ mortis agone palpitantium, omnium in acerbissimis Purgatorij tormentis opem tuam implorantium. Demolietur Deus in te, quidquid scit sibi displicere in te: ut idola tua etiam minima corruant à facie Virginei hujus pueri simulachra impia conterentis.

4. Indefessos illos quotidiani Sacri auditores & sæpe ministros, quorum *Anno* 1240. meminit *Chronicon Praedicatorum*

*catorum*, dulce est cogitare, quomodo cum parvulo in sinu Matris picto Iesu comederint innocentes convivæ, & demum ad sanctum Ascensionis diem ad cœleste prandium seu convivium æternum invitati unà cum Magistro, cujus quotidiano Sacro audiendo assveverant, felicem ad mortem apparatu præmisso, Sacro ultimo adfuerint ministri (quà verò & Magistri celebrantis & horum ultimo vitæ suæ sacro adstantium devotione!) & post Sacrum unà cum Magistro fortunatissimi expirârint. Ita, Sacro si adsis, quasi verè illud sit ultimum, aderis magno tuo bono, maximo tuæ mortis solatio.

5. Clara Virgo Regina, Indiæ gemma, de qua *Vide Maraccium liliorum* §. 16. *p.* 82. depositâ veste regiâ sub religioso S. Catharinæ Senensis flammeo vixit. Sexaginta illi Angeli è cœlo submissi illam quotidie sublevabant in cœlum: ubi illam auro ac lapillis eleganter collucente Mariæ Matris paludamento induebat Jesus. Hæc Jesuli Sponsa dum Sacro adesset, crebrò videbat sub elevatione parvulum, dilectum suum quasi nunc recentem ab utero Virginis Matris: & suavissimo illius aspectu pasta redundante mille lætitijs purissimo pectore, majores in Sacro unico lætitias hauriebat, quàm suis mundus vel dederit, vel dare unquam possit. De S. Nicolao Tolentino *Vide hebdom.* 42. *num.* 3.

6. Adesto! expectat te in Sacro gratiarum dives & prodigus Jesus. Jesus ille sub velo & nube lucida ac rotunda, Sol in sphæra panis. Videbis postea in ipso amoris revelationis, ac Sacri æterni Sanctuario, in sinu Patris luminum, quem nunc in sinu Matris, & in hostia Patris celebrantis in manu latentem supplex adoras. Huc panis, huc vini gratia velut in molendinum confluunt ac torcular Jesu. Hic ager, spicilegium, messis, vinea, vindemia est parvuli, & in minimam quamvis particulam integrè collecti Jesu. Fruere his privilegijs amoris, istis compendijs breviati Jesu, qui est quasi anima hostiæ, in qua tota totus est, & totus in qualibet illius parte. At nos à Sacro nunc ad Synaxim Jesu.

# HEBDOMADA VIII.

*Ad Communionem corde quàm emendatissimè mundo, tanquam verè ad ipsum parvulum accede.*

1.

Hic tibi in hoc orbe quotidie quasi nascitur Jesus. *S. Chrysologus* serm. 140. *Satis*, inquit, *modò sit oculorum nostrorum pura acies, ut possit divini ortus intendere claritatem. Nam si nascentis jubar Solis oculorum nostrorum vix suffert sanitas tota, vel puritas, quanta interni visûs est præparanda sinceritas, ut splendorem sui ferre possit orientis & radiantis Authoris?* Ita ille. Hic est Moyses noster, sed sub velo. Altare est plus quàm ille mons, in quo Moyses à Dei facie glorioſus adeo resplenduit, ut populo nonnisi sub velo faciem suam ostenderet. Windekindus Saxoniæ

xoniæ Dux vidit Carolum Magnum à sancta Synaxi lætissimum, narravítque pulchellum puerum à se visum, quem Sacerdos purpuratus in Synaxi omnibus porrigebat. Puerum quibusdam ludibundum arrisisse, ab alijs verò vultum avertisse. Ira *Crantzius hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 9. Paratus est lætus ad te donis suis abundè ornandũ venire, modo purus adsis. Illum accipis, quem MARIA sub corde gestavit. De qua ibidem Chrysologus: *Turbata sunt viscera, mens refugit, ipsa est tremefacta conditio, cùm Deus, quem tota creatura non capit, totum se intra pectus recepit, & condidit humanum.* Et serm. 142. *Æstimate fratres, quâ reverentiâ, quo tremore nos tanto interesse deceat Sacramento, quando ipse Angelus non sinè metu discutit audientia.* Quod Chrysologus dicit de Sacramento Incarnationis, idem intellige de Eucharistico Sacramento incarnati Dei. Ubi verè, ut idem *serm.* 144. expressit, *venit, ut sit nobiscum semper, ut nostra sit semper in oculis, qui nunc nostris tantùm habetur in cordibus.* Verè & ad cor locutus *Rupertus in Cantica*, dum dixit hunc puerum esse *Ferculum divitiarũ.*

2. *Dorlandus Chron. Carthus. lib.* 3. *cap.* 8. meminit Clerici, qui inter castissimos Hugonis Episcopi celebrantis digitos vidit Jesum in specie illustrissimi pusionis Episcopo dulcissimè arridentis. Liquefiebat etiam Clericus à Divino illo Sole in lachrymas totõ illo tempore, quo admirabile illud Dei in Sacramento cum homine delicias suas habentis spectaculum corde & oculis hauriebat. Verus & sanctum est id, quod *Martyrologium Gallicanum* narrat 25. *Decembris*, scilicet natalem Christi diem instar Paschatis celebratum, & indelebili Agathensis Synodi lege præceptum fuisse, *Laicos omnes in hac celebritate divino altari communicare. Quotquot autem à mensa Domini abfuisse constaret istâ die, deinceps inter Catholicos esse minimè habendos.*

3. Subit hic mentem, & calamum ad se non invitum abripit dilecta illa Jesu parvulo, adolescenti, Crucifixo, S. Catharina Senensis Virgo undequaque admirabilissima. Hæc producto quadragesimali jejunio usque ad Christi ascensionem, ipso die Jesum in Eucharistia parvuli specie speciosum sumpsit: quo tempore scintillarum è cœlo in caput decidentium imbre illustrata & accensa est. O quàm non arido corde colitur ibi Eucharisticus puer Jesus, ubi caput talibus imbribus irrigatur.

4. *D' Assignes annal. Cisterc. tom.* 2. *cap.* 18. author est, quòd nocte Christi nati Ida Monialis Virgo sub Sacro inter Sacerdotis manus elegantem formâ infantem conspexerit. Eundem sub altero Sacro vidit. Sub tertio verò jam nonnihil major se ipso puer Idam accessit, ac dixit: En ego me tibi dilectissima, panis involucro tectum detego; non quòd fidem tuam in dubium vocem, sed ut amorem erga te meum hoc notum faciam argumento. Rogatus ab innocente Ida puer, ut etiam divinitatem suam dignaretur ostendere, discessit ab oculis: & Ida Sacramento refecta est sensu tanto intimæ pietatis, ut per 40. ipsos dies sentiret se tenerrimè afficiente quadam intimorum animi motuum amænitate inexplicabiliter delec-

delectari. Hæ sunt illæ deliciæ, quibus in natali suo convivio suos tractat nascens Jesus, ac æterno illi præludit.

5. *P. Messelius* de Eucharistia *strophâ* 14. ait, sanctum quendam Sacerdotem Ægidium sæpe ardenter orâsse, ut Christum puerum in Eucharistia videret. Jussus ab Angelo oculos elevare vidit desideratum parvulum corde toto palpitans inter dulcia quædam deliquia cogitationum: & datum sibi in manus totis manibus toti pectori admovit amantissimè inter oscula cordis cum ore ac oculis ad amplexus intimos conjurantis. Repositus super aram infans in speciem panis reversus est. Verè ex altari tuo, Domine, Christum sumimus, in quem cor & caro nostra exultant!

6. Narrata jam semel Catharina Senensis illa *Cherub* & *Seraph*, in sacrosanctis Eucharistiæ adytis Jesum nunc parvulum, nunc adolescentem, nunc majorem videbat; & sæpe odores inæstimabiles hauriebat. Sancta verò Lydvina Virgo, Surio id referente, in specie speciosuli pusionis Jesum vidit in formam pulcherrimæ hostiæ mutatum. Radiabat hostia illa admirabilis, & intus habebat effigiem Crucifixi cum cruentis vulneribus, quam illa à Parochi manu sumpsit. Quid nos frigemus inter ista incendia, quæ parvulus hic accendit, cùm verè tamen eundem planè ibi Jesum sumamus & nos?

7. Incredibile est, quàm vivum & fundatum Communionis principium, sit non tantùm habitu, ut ajunt, credidisse, verùm verè vivos & frequentes fidei actus elicuisse. Inde nascetur spes fundata: charitas verò mala tua detestabitur, & Deum illum, bonum illud oprimum in Eucharistia totum præsens desiderabit, amabit, amplectetur, & mille benedictionibus ditabitur. Ita Edvardo Angliæ Regi, & Leofardo Comiti visus est in altari, & Regi extensâ manu benedixit. (*in ejus Vita*) S. Birgitta *lib. 6. revelationum cap. 86.* vidit ignem de cœlo super altare descendere, & in pane agnum vivum, & in agno faciem quasi hominis inflammantem, & denique in elevatione juvenem miræ pulchritudinis, qui dixit: *Benedico vos credentes; non credentibus ero Iudex.* Excita itaque fidem, & per hanc desiderium charitatis, ut benedicaris à Jesu.

8. Ibi pro rebus quas interdiu acturus es, lumen pete & dic: *Illumina tenebras meas.* Quoties visus est, vel ferè semper, vel planè semper pulchro perfusus lumine conspectus est puer Jesus! Ita de S. Maria Oegniacensi Vitriacensis Cardinalis *lib. 2. Vitæ cap. 8.* Interdiu vidit, inquit, Virginis filium » sub forma pueri cum immenso lumine » circa arculam, ubi Eucharistia reponebatur. Cúmque ex ea quæreremus, » cujusmodi esset illud lumen? respondit: quantum lumen Solis candelæ lumen superat, tantum imò plus etiam » lux ista vincit. Accende ergo in corde fidei lumen, & accede ad sumendum Jesum, sicut lucerna fulgoris illuminabit te, benedicet, ditabit te ita ut à nulla Communione redeas, quò minùs plus semper inde luminis feras & benedictionum. Eris plus quàm domus Obededom: eris plus quàm diversorium Jesu. Gerson *apud Rainaudum*

*in heteroclitis ſerm. 1. p. 5. num. 25.* morem ait in Livonia inoleviſſe, nulli Ruſticorum præbendi divinam Evchariſtiam, quod inhonorum atque indignum videretur ad ignobile hoſpitium Chriſtum demittere. O immemorem ſtabuli Bethlehemici conſvetudinem! Tu tamen vide, ne ignobili corde accedas. Verùm D. Catharinam Senenſem, aliósque cœlites ac cœli ephebos Angelos omnes, potiſſimùm autem Virginem Reginam Matrum omnium atque Virginum, ut filio ſuo Regi Regum in ignobili tuo pectore & animo plus quàm regium apparet apparatum, quantâ maximâ obſervatione potes contende. Da te totum parvulo. Ille Deus eſt, ac proinde ignis conſumens eſt, da te illi ſumendum, conſumendum, conſummandum, dum illum ſumis. quam in rem accipe id, quod ſubjungo.

9. Gvalterus Gvaſcognenſis Epiſcopus Arnoldo Abbati & pluribus Ciſtercij Religioſis retulit è Concilio redux, Guilielmo Scotiæ Regi optimo id moris fuiſſe, ut nullum diem abire ſineret, abſque eo, quòd ſacroſanctis Miſſæ myſterijs intereſſet, & ſæpe etiam ipſo diviniſſimo Sacramento paſceretur. Fuit cùm ſolito tardiùs è lecto ſurgeret Rex, & interea Sacrum pro aulicis poſtea occupandis celebraretur. Regi per quietem viſum quaſi Sacro adeſſet, & columnam ab hoſtia ad cœlum ad Dei thronum uſque porrectam videret. In columnæ apice parvulum elegantiſſimæ formæ ſedentem vidit, facie totâ ſupra Solis gloriam radiantem. Reflexit ad Sacerdotem oculos Rex, & illum in lucidiſſimam cryſtallum converſum aſpexit ubi *Agnus Dei* tertiò pronunciavit, *pacem* precatus Sacerdos pro more Miſſæ, elevatis oculis Rex infantem illum cœleſtem Sacerdoti benedicentem obſervavit. ſub tempus communicandi pavidus videbat Sacerdotem à parvulo ſumi, & tamen manere illæſum: & exclamans ad Sacerdotem: *Quid moraris ſumere corpus Chriſti?* Sacerdos verò: *Ille primò, ut vides, debet me in ſe recipere.* Tum dicenti Regi: *Ecquis eſt infans iſte?* Reſpondit Sacerdos: *iſte eſt meus, tuúsque Dominus, Rex Regum, Dominus Dominantium, & omnium ſeculorum.* Projectus ergo humi Rex ab infante adorato miſericordiam implorabat. *Exauditus es*, inquit dulciſsimis oculis & facie glorioſâ pulcherrimè renidens puer; & benedictionem petenti, dextrâ bene precatus ajebat: *Sis benedictus à Patre meo, & à me, & à Spiritu Sancto, qui à Patre meo, & à me procedit.* Quibus dictis videbatur infans in cœlum unà cum Sacerdote aſcendere, & illum paternis æterni Patris oculis unà cum ijs omnibus ſiſtere, quorum facta erat à Sacerdote mentio in Miſſa. Excitatus Rex deliciarum cœli plenus, nunquam rem ulli narrare voluit, antequam reſciret, quis ille Sacerdos eſſet, cui hæc amabilia & mirabilia contigiſſent. Roga ergo parvulum, ut ipſe benedicat, ille comedat te; ſicut olim zelus domûs Dei comedit Davidem.

HEBDO-

# HEBDOMADA IX.

## *In honorem & amorem pueri IESV ſæpe ſpiritualiter communica.*

1.

JOanna de Orvieto *apud Balinghen 24. Julij*, è D. Dominici gynæceo, cùm urgentes ob cauſas unà cum alijs aliquando menſæ cœleſti accumbere non poſſet, idéoque dolentiſſimè ingemiſceret, MARIAM Deiparam pretioſum amabiliſſimæ hilaritatis parvulum ſinu geſtantem aſpexit, & pueri blandè loquentis vocem ſuaviſſimam in hæc verba audivit: Joanna, licet me hodie non receperis in venerabili Evchariſtia; nihilominùs me ſemper habes intus in animo per gratiam, & amorem eximium, quo me proſequeris. Ama ergo & deſidera, & habes JESUM.

2. *Imago 1. ſec. Societ. IESU lib. 1. cap. 5.* ait, quòd Mater Virgo IESUM ſuum, ut olim Simeonis, ita Ignatij brachijs aliquando impoſuerit, ſupremum ſupremi agonis pignus. Hoc facit Spiritui tuo quotidie ſpiritualis Communio. Actus fidei, actus deſiderij communicandi, actus amoris faciunt ſpiritualem communionem. *S. Auguſtinus* 1. Confeſs. cap. 1. *Da ut quæram te Domine, invocans te; & invocem te credens in te. Invocat te fides mea, quam dediſti mihi, quam inſpiráſti mihi!* Et cap. 2. *Et quis locus eſt in me, quò veniat in me Deus meus? quò Deus veniat in me, Deus qui fecit cœlum & terram? Itáne Domine Deus meus eſt quidquam in me quod capiat te?* Et cap. 5. *Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud? Anguſta eſt domus animæ meæ, quò venias ad eam; dilatetur abs te! Ruinoſa eſt, refice eam. Habet, quæ offendat oculos tuos, fateor, & ſcio. Sed quis mundabit eam; aut cui alteri clamabo: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo?* Hæc cum Auguſtino ora, dum ſacro illo deſiderio hias.

3. At dices te indignum eſſe, qui quotidie divinæ illi menſæ etiam ſpiritu accumbas. Nemo eſt indignus, niſi qui vult eſſe indignus. Dole quòd dignus non ſis quotidie manducare, deſidera dignus eſſe: deſidera omnem Angelorum, Divorúmque omnium puritatem: deſidera accenſa illa Jeſum ſuſcipiendi deſideria, quibus olim arsêre Sancti: abijce te quàm procul potes, & iterum ad amandum eleva quàm altiſſimè potes. *S. Petrus Chryſologus* ſerm. 159. *Bos & Aſinus ad unum præſepe Domini epulaturus acceſſit, epulaturus non fanum mortis, ſed cibũ ſalutis.* Et converſo ad nos ſermone; *Edite*, inquit, *edite, pia animalia, æternæ vitæ cibaria, & perpetuæ retributionis eſcam, avidis quantum poteſtis faucibus occupate. Integer in ore cordis recipitur Chriſtus.* Hæc ipſe. Et quid eſt ſpiritualis communio, niſi communicare ore cordis? Dole, ama, adora in cœlo regnantem, & in Evchariſtia per orbem terrarum undique latentem dilectum Ieſum; deſidera eſſe dignus illum ſumere; deſidera illum manducare ſi poſſibile eſſet quàm frequentiſſimè, etiam millies in hora una; deſidera illum & hìc velatum & in cœlo re-

velatum adorare, amare, &c. & jam cordis ore communicâsti.

4. Ita eris argumentosa Dei Jesu apicula, non fucus. Rusticus apud Arxernenses magico documento instructus sanctissimam Evchariſtiam ficte accepit ore sacrilego, neque glutivit, sed domi ne apes obirent, aut ne abirent, seu casu seu sponte prope alveare humi abjecit. Apes à melleo illo conclavi certatim foras egressæ sublatam è terra in suo illo mellis collegio, convictu, seu seminario condidêre. Abierat conturbatus Rusticus, at redijt conscientiâ flagellante. Ju mirabili mentis æstro æstuanti occurrit, ut apes omnes aquâ enecaret. Hoc ergo sacræ illius opellæ pretium pijs apibus fuit *mori*. Rimatur Alvearis adyta sceleratus, & ecce videt corpus Dominicum in formam speciosissimi pueri, veluti qui recèns nascitur, immutatum inter favos & mella jacere. Intremuit! Exanimis illi parvulus videbatur. Ergo rudi manu sublatum clàm ad templum deferre, clàm sepelire volenti, & jam illum ferenti elapsus puer videri desijt. Hæc ille Rusticus Presbytero suo, ille Episcopo Claromontensi, Episcopus Petro Abbati Cluniacensi, Petrus *lib. 1. miraculorum cap. 1.* nobis retulit. Fac Domino Jesu apicularum officium. Quidquid dulcium salit affectuum sub corde tuo, tanquam sub alveari Jesu favos tuos, mella omnia, omnes operas, quas illius honori collocâsti, convoca; & illum inter dulce fidei, spei, charitatis, desiderij, adorationis, gratiarum actionis, demissionis, intentionúmque sanctarum mellificium spiritu colloca. Vivat in te Jesus! Moriatur in te, quidquid vivit in te, quod non amat Jesum! Dicam ego de sic argumentosis Jesu apiculis: *Sic vos jam vobis mellificatis apes.*

5. Huc pertinet frequens Evchariſtici Jesu visitatio, ubi spiritus tuus cordis ore sæpiùs communione sanctâ refici potest. Ecce, inquiebat Sacerdoti *apud Vincemala mir. 39. pag. 241.* Beatissima Virgo parvulum sinu gestans, & Evchariſtiam in ara ostendens, ecce ille, quem Virgo gestavi; ecce ille, quem consecras; filium meum tibi trado. Vivis ergo fidei actibus inflammato corde illum hauri toties, quoties illum visitas humanissimâ urbanitate.

6. Ibi in spirituali communione accipies lumina cœlestia à fonte luminum Jesu. Ipse est lux lucis & fons luminis. B Felix Capuccinus sæpe se parvulo huic sistebat supplicem, sæpe illo non corde tantùm, sed & brachijs potitus. Hic sub sacras Adventûs ferias nocte intempestâ se in templo totum securè in Deum effundebat, & affectu vocem senio defessam animante cantabat suavissimè: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* At illud deliciarum tempus fuit uberiorum, quando post dulces inter nocturna silentia fusas in templo preces ad sanctissimi Sacramenti aram accessit, illud identidem corde accenso ingeminans: *O dilecte mi IESU! ô dulcis mi amor!* Dixit, & talem expertus est, quando in ipsis altaris gradibus stantem vidit dulcem illum parvulum, omnibus beatorum dignum amplexibus, pulcherrimis undique circùm luminibus collucentem. Ibi verò concidit, cùm tantis æstibus ferendo par non esset. At quasi vires à terra hau-

hausisset, reverentissimis puerum amplexibus ligare ausus, ausus etiam est postea eundem innocentissimo simplicissimi oris osculo revereri, manantibus interea uberrimis lachrymis, quibus illum plenum reliquit discedens non longam post mortem pusio ille cœlestis. Hæc tu experiére in spirituali communione & frequentiùs & ardentiùs facta. Dabit se tibi faciendum pro præda cordis puer ille pulcherrimis collucens luminibus, téque sicut lucerna fulgoris illuminans. Stat ille pro aris, ut visitatus à te, præclara illa lumina tibi impertiatur. *S. Ioannes Chrysostomus* tom. 2 hom. 4. in Matth. col. 39. *Ut*, inquit, *Sol nondum radijs ostensis, eminus tamen splendore suo maximam orbis partem illuminat; ita & Christus ex utero Virginis jam jam progressurus universum orbem etiam priùs quàm prodiret luce illustravit.* Ita ille. Ab hoc ergo lumine lumen accipis, quoties Jesum visis, quoties illum spiritualiter accipis. & Joan. 1. *lux vera*, dum est in te, sit lucerna non Cleanthis, sed Jesu.

# HEBDOMADA X.

## *Imagine dulcis IESV te ad fervorem accende identidem.*

1.

Nierembergius *hist. nat. lib.* 10. *cap.* 99. ait Anno 1628. in Libu sublatam noctu pueri Jesu imaginem à fure, qui tamen ab obvio anserum grege magno in se impetu irruente mordicus detentus est, dum anseres alij ad Cœnobij campanam avolarent, & illâ pulsatâ, ac sublato quàm maximo poterant clamore homines excitarent & furem proderent. Ita apud furem inter anserum excubias imago pueri Jesu reperta est. Utinam bonum nobis Iesum nemo furto surripiat! Invito te certè non potest. Habe illius imaginem, quæ illum tibi identidem in mentem & cor revocet,

2. Elegantissimè id fecit *apud Rho Virtutum lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 28. parvuli Dei Iesu amantissimus Joannes à Cruce discalceatus Carmelita, cùm teneriore subsultans gaudio hæreret totis amplexibus in imagine pueri dulcissimi Iesu, & cantaret: *Si me amores occidere debent, amore moriamur. Amor flores incolit*, ait Plato; hic verè & flores incolebat & ignes. Ah! infelix cor, quod rigidam glacialis pertinaciæ duritiem ac frigus necdum potuit hoc amoris telo perfringere, domare, liquefacere! Provolvamur corde tenero, supplicabundis oculis & osculis ad pedes sedentis in Matris sinu pueri amabilis Dei Jesu, & id, quod *cap.* 4. *de cæcitate* monebat Augustinus, dicamus: *Amo, amo tenelle IESU, amorem tuum, qui amore amoris mei descendisti in uterum Virginis, & amorem tuum amori meo copulâsti, humiliando te, sublimando me; conjungendo lumen æternitatis tuæ limo mortalitatis meæ.*

3. B. Franciscus Borgia primùm Gandiæ, deinde universæ Societatis Iesu Dux magnâ quondam pietate perfusus est intuens in gremio Matris Iesum infantem, ut author est *Sachinus hist. Societ. part.* 3. *lib.* 8. *num.* 148. se-

cúmque disquirens, cuinam Regina cœli talem filium educaret, subijciebat: *Mihi educat! mihi illa famulantur obsequia, mihi paratur sanguis, mihi corpus acquiritur, mihi vita proficit.* Maximè autem commovebatur perpendens, quantâ se voluntate Deus puer jam tum sacrificio dedicaret, & in victimam adolesceret. Supplex precabatur sibi concedi, ut omnes & omnia videret in Christo, próque eodem oblivisceretur omnia. His nimirum, non verò otiosis oculis aspicienda est imago parvuli magna in tuo pectore molientis, si tu id velis.

4. *Joannes Bonifacius hist. Virg. lib. 1. cap. 2.* ex *Cassanæo* refert Carnotense in Gallia templum ædificatum fuisse ante natam Beatissimam Virginem, *Virgini paritura.* Inventum etiam apud Heduas Galliæ populos sepulchrum vetustissimum, in quo nati è Virgine parvuli Jesu imago inter bovem atque asinum, & ad infantuli pedes homo gestu supplex genibus manibúsque, cum inscriptione supplicem illum ambiente: *Credo in IESVM inter animalia è Virgine nasciturum.* In sepulchro Platonis laminam auream ipsius Platonis pectori adhærentem repertam ait *Cassanæus in Catalogo gloriæ*, & in aurea lamina scriptum: *Credo in Christum nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, die tandem tertio resurrecturum.* Apud *S. Thomam 2. 2. quæst. 2. art. 2. ad 3.* ex *S. Augustino* memorabilis est lamina illa ex auro solida, super cadaveris antiquissimi pectus reperta sub Constantino & Irene Imperat. cum hac epigraphe: *Christus nascetur ex Virgine: & ego credo in eum. O Sol! sub Irene & Constantini temporibus iterum me videbis!* id quod videns Judæus quidam unà cum domo sua tota conversus est. Etiam Toleti Judæus in rupe concava librum reperit foliis quasi è tenuissimo ligno lævigatis, Hebraicè, Græcè, Latinè conscriptum: ab Adamo usque ad Antichristum ibi triplex mundus describitur, & in tertio libro additur: *In tertio mundo CHRISTUS nascetur ex Virgine MARIA.*

5. Magis ad cor facit id, quod *Bivarius* de S. Bernardo *lib. 1. §. 5.* & *Menol. Cisterc. 13. Maij* habet de imagine Beatæ Mariæ Virginis, quæ Bernardo puerum Jesum porrigens dixit: *Bernarde susscipe puerum meum totius mundi Redemptorem;* & datis illi in os tribus Virginei lactis guttis è purissimo pectore, dum ille *Ave Maris stella* canens diceret: *Monstra te esse Matrem*, se verè benignam ostendit Matrem. O quot sunt imagines etiamnum, quæ dum Jesum, dum Mariam bonis oculis ingerunt, corda lactant pietate dulcissimâ & in puerum & in Matrem!

6. Scalabiscana illa Jesuli crescentis imago parvulos ad cœleste convivium invitavit, ut *cap. 13. lib. 1. de mir. Europæ* refert *Nierembergius.* Triduum datum erat & Bernardo Magistro, & pueris, intra quod ille se artibus omnibus ad felix æternitatis iter composuit. Ipso die sacris ultimùm operatus, ministrantibus ijsdem parvulis imaginis Jesuli amicis, post sacrum sublatis in cœlum manibus, humi fixis genibus & Bernardus Magister, & ministri duo discipuli felices Deo animas reddidêre, miraculis etiam postea à Jesulo hospite honorati. *Vide hebd. 7. hic.*

7. Verè

7. Verè JESULUS est imago bonitatis Dei! Benedictiones æternas à parvulo in imagine JESU petere, res non nova est, & *apud Turſellinum hiſt. Lauretana lib.* 1. *cap.* 2. in domûs Lauretanæ imagine inſiſtit maternæ dexteræ puer JESUS mortali auguſtior, divinæ cujusdam majeſtatis indolem vultu præferens, priores dextræ digitos benedicentis in morem tollit. O quot ab illa dextra benedictiones animæ, quot corpora acceperunt! Et nos hìc benedicentis geſtu viſum non rarò divinum noſtrum parvulum non ſemel retulimus. Quoties itaque Matris & filij vides, vel manu oſculóve tractas imaginem, ita tracta ſicut Helena illa Ungarica Virgo mirabilis, & amabilis Deo, de qua *ex Razzio lilia Mariana-Maraccij* §. 2. ita habent. Die S. Catharinæ Virginis & Martyris ſacro, dum ſacroſanctiſſima hoſtia inter Miſſarum ſolennia elevabatur, imago quædam Deiparæ devotiſſima natum complectentis, ex altari in Helenæ manibus ſe poſuit.

8. Valde ſanctum etiam eſt, identidem ſeſe ac ſua omnia Matris & Filij, quem in cubiculo in imagine veneraris, aut in templo quopiam pictum vides, obſequijs devovere. Sic *ibidem* §. 4. de S. Catharina Virg. & Mart. narratur illam ex occaſione viſæ JESU in MARIÆ ſinu imaginis à gentilitate converſam, & visâ pulcherrimi pueri & Matris Virginis inter Angelorum choros gloriâ recreatam, puero ſponſo æterno à Matre oblatam, acceptatam, cœleſti annulo deſponſatam.

# HEBDOMADA XI.

## *In itineribus, in diverſorijs comitem adſciſce* IESVM.

1.

FAc iter cum Maria JESUM portante ad templum. *Adventante MARIA cum Filio*, inquit ſerm. de Purificat. S. Laurentius Juſtinianus, *obviàm ijsdem occurrat in ſpiritu anima, ſuſcipiat ſincero puritatis affectu in ſpirituales cordis ſui ulnas vagientem infantem.* S. Antonius de Padua cùm apud virum nobilem per iter diverteret, ut *Maſſeus in ejus vita* narrat, in aſſignato ſibi conclavi vacabat Deo. Ibat per domum pro more Paterfamilias, quietâ jam nocte, & ubi ex Antonij ſancti hoſpitis cubiculo præclarum quendam ſplendorem advertit erumpere, cum admiratione accurrit, tacitúsque quâ poterat per foramen ſeu rimam vidit Sanctum in oratione Dei, & ſuper librum apertum cœleſtis venuſtatis parvulum Sole ipſo beatiùs radiantem, qui dulciſſimis pulcherrimi amoris ſignificationibus ſeſe in collum conijciebat Antonij, eúmque ſæpe repetitis ſtringebat, & ab eo viciſſim ſtringebatur amplexibus. Neque prohibitus à ſpectaculo eſt Paterfamilias, tametſi ſciretur ubi eſſet, neque ipſe ſe prodidit, uſque dum demum ex Antonij amplexibus, & è libro ac hoſpitis oculis diſceſſit hoſpes infans. Tum conclave ingreſſus Paterfamilias, & viſa tacere juſſus, ea non niſi extincto poſtea Antonio juratis cum lachrymis

mis, illius etiamnum plenus jucunditate spectaculi, narravit. Tales ego hospitibus hospites opto, qui suos quos domo accipiunt videant in amplexibus Iesu, non verò in infamibus illis. Verè non est Iesu parvulo ibi in illo diversorio locus, ubi scelera. Utinam ad te divertat in diversorio divertentem!

2. Tenet fama, nec vana est fides, inquit *historiæ Lauretanæ lib.* 1. *cap.* 6. *Tursellinus*, venienti Deiparæ domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinâsse se: ac deinde pronas perstitisse, quoad ævo, ventis, ferro procumberent. Habe comitem itineris illum Iesum, quem omnia reverétur, in cujus gratiam per iter Nazarethana domus adeo est honorata? & sic nihil time.

3. P. Raymundo de Prado Soc: Iesu iter facienti, pro certum habitum apparuisse puerum Jesum Crucem humeris deferentem. *Quocunque loco fuero, mecum IESUM desidero*, ait devotissimus Bernardus. Hunc desidera, & age, quod egit S. Joseph, *Accipe puerum & Matrem ejus*, & ita itineri te accinge. *Vide Ann. Philippin.* 1604.

4. Hieronymus Gratianus Hispanus Carmelita *lib.* 5. *de S. Ioseph cap.* 4. ait, addictissimum meditando Jesu, Mariæ, & Josepho virum è Cænobio Montis Serrati, cùm in via ignota & feris obnoxia aberrâsset, periculum augente etiam nocte, quæ illum errantem oppressit, à S. Josépho, qui Mariam, Jesum puerum sinu complexam jumento vectam ducebat, inter calentissima de rebus divinis colloquia, latronum ac ferarum & noctis discriminibus ereptum, ad optatum terminum secuto calle perductum. Ibi postea dulces illi itineris duces, & colloquiorum cœlestium fatores, Jesus, Maria, Joseph videri desiére. His his comitibus utere. Iucundi & facundi sunt, erunt tibi pro vehiculo.

5. Iuvat etiam in itinere amissum duodecennem Iesum contemplari, cum illo, ad quem *serm. infra Octav. Epiphan. col.* 1764. scribit Bernardus: *Sentio, fili mi, cum quibus lachrymis ab ipso IESU soleas excitari, cùm ante oculos cordis tui illa dulcis pueri dulcis versatur imago: O dulcis puer, ubi eras? ubi jacebas, quo utebaris hospitio?* Hunc ergo hospitem in hospitijs habe. Alijs lubet Iesu parvuli primum in ipso virgineo Matris utero diversorium meditari, atque illa perpendere, quæ *serm.* 140. dixit S. Chrysologus: *Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pavet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & una puella sic DEUM in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut panem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrena cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat. Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris!*

6. *Martyrol. Franciscan.* 12. *Aprilis* duos ex itinere reduces à Jesu puero Evchariſtiâ refectos ait, & nos *Hebd.* 4. retulimus. Ita te ab itinere fessum recreabit Iesus, qui è cœlo in Virginis uterum iter illud grande perfecit. Ibi sub corde virgine menses novem delituit, tanquam Sponsus è thalamo in thalamo est egressus, cùm non esset ei locus in

in diversorio. Deinde in ætate parvula in Ægyptum usque fugiens peregrinus, ibi exul hæsit, ut ærumnas tuorum itinerum, & hospitiorum incommoda, hospitum verò seu Cauponum inhumanitatem pati te doceret. Tum domum redux iterum cum Matre in Ierusalem peregrinus, ibi triduo hospes & fortè mendicus mansit. Denique toto prædicationis triennio vix eodem in loco persistens, circuibat civitates, & castella, neque ubique receptus, prædicans verbum Dei. Quin & ab itinere fatigatus sitivit. Denique itinerum finis illi crux, mons Oliveti, &, relictis ibi pro iter agentium imitatione excitanda vestigijs, cœlum fuit. Utinam omnia & singula omnium nostrorum vestigia eò tendant, ubi demum ab exilio, à via perveniemus in patriam, futuri è viatoribus exulibus, comprehensores *domestici Dei*!

7. Denique illi comes est itineris Iesus, cujus iter comitatur oratio. *Vincemala lib. 2. Mir. 51. pag. 167.* refert, quendam, quem centum salutationes Angelicas in itinere orantem videbat in sylva prædo vitæ illius machinatus insidias. At è prædone alius effectus est, invenítque vitam suam, ubi mortem quærebat alterius. Religiosum enim vitæ genus amplexus est, viso cœlesti circa orantem illum viatorem spectaculo, quando oranti viatori formosissimus puer obviàm se dedit, qui ex orantis ore rosas prodeuntes colligens contextâ nobili è centum rosis corollâ, coronariâ illâ hecatombe glorioſus, eâ capiti impositâ, se in cœlum sublimis dedit. Sunt ista coronamenta itinerariæ pietatis, quibus etiam te coronare paratus est puer Iesus.

8. Itineris negotium consulto custode Angelo tractandum, & illo Angelo itineribus Iesu, Mariæ ac Josephi Præfecto. Accipe puerum & Matrem ejus pro viatico felici. Non erunt oneri sed facilitati. *B. Franc. de Sales Episcopus lib. 9. de amore Dei cap. 14.* ait Matrem Beatissimam nihil oneris, plurimum verò gaudij habuisse ex bajulatione chari sui, & parvuli Iesu; sicut ex gestatione fruticis, dicti *Agni casti*, viatores levamen habent & recreantur.

# HEBDOMADA XII.

## *Scrupulos conscientiæ ad pedes IESV depone.*

1.

Molesta illa cordis tormina, sæpe quidem occasio sunt, ad conscientiam penitus emundandam, & ad ediscendam artem conscientias gubernandi; non infrequenter tamen & mala nostra augent, & à bonis præpediunt, dum homines excruciatos modis miserrimis ad incitas propè redigunt aciémque novaculæ. Faverio ascete rij Carthusiani Priori religiosissimo è religiosa conscientia scrupulosam facturus malignus genius, illud tempus elegit, in quo & phreneticâ lætitiâ sibi blandiens malesana securitas, & nodum in scirpo quærentes scrupuli plùs quàm aliàs poscunt. Iacebat inter ultimos imminentis jam præ foribus mortis terrores Faverius, jámque conscientiam

Sacra-

Sacramento expiârat; cùm ſutelas mille verſans dæmon, confeſſionem illam adeo parùm exactè factam eſſe objectavit, adeo paventem Faverij animum inter pungentes conſcientiæ tribulos ſcrupulósque in omnem partem verſavit, ut à periculo haud multùm abeſſet conſilij & opis inops, ac omnia tuta timens in agone Faverius. Heu! perditum tot annorum operæ pretium, ſi vincatur! At ne mortuo illo deſperatæ tempeſtatis mari hauriretur, adfuit pulchellum ſinu parvulum Filium ſuum Deum IESUM complexa Virgo Mater, & ore ad ſereniſſimam hilaritatem compoſito, beatum illi pignus oſtentans, ſvaviſſimas in lætiſſimo parvulo lætitias afflabat cordi mœrentiſſimo. Ecquid, inquiens, animum deſpondes? In portu navigas. Omnia tibi ab hoc pulcherrimo puero peccata condonantur; tibíque remiſſa eſſe affirmo. Ita ceſsêre infelices ſcrupuli, & ſerenato corde affuſa animo ſvavis quædam voluptas eſt. Humberto ſuo hæc viſa mille plenus delicijs narravit Faverius, & oratis ſeptē pœnitentialibus Pſalmis ad illum Litaniarum verſum, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei*, extenſo monſtrante indice, *Omnes* inquit, *Sancti & Sanctæ Dei, qui hìc adeſtis, intercedite pro nobis*, migravit. *Annal. Carth. apud Boniſ. hiſt. Virg. lib. 4. p. 760.*

2. Habent hoc ſcrupuloſi, ut ſemper ſe in periculo capitis, id eſt, ſalutis æternæ ſuſpicentur, etiam ibi, ubi nullum ſubeſt peccatum. Agant illi cum Iesu parvulo id, quod apud Thucydidem Dux ille Athenienſis egit. Is cùm ſe capitis reum eſſe ſuſpicaretur ad Reginam adijt, & humi ad pedes provolutus, Reginæ apud Regem interceſſionem fuſis lachrymis imploravit. Unicus Regis filius in ſinu Reginæ tunc erat, ísque & Regi & Reginæ longè chariſſimus. Illum illa parvulum in trepidi Ducis ſinum reponit pro argumento, & ſimul pignore veniæ impetrandæ. Iret, Regulum à Regina tantiſper ſibi conceſſum Regi oſtenderet: illum pro argumento ad veniam perſvadendam fortiſſimo adhiberet. Abijt, & Regi amantiſſimum parvulum regium ubi oſtendit, potentiſſimè peroravit, argumento tam dulci, támque ad perſvadendum appoſito. Et verò perſvaſit feliciter. Facilem veniam tulit. *Vide Marchant. in præf. B. V.* Angit te reus olim animus, & triſte peccati veſtigium velut ſpectrum? Cogita id, quod Faverio Maria dixit. Iesulus imperabit ventis, & fiet tranquillitas magna.

3. Angebatur ipſo natali Chriſti die S. Gertrudis, *Inſin. Divin. lib. 4. cap. 2.* & cum mœrore cordis defectum ſuum recogitabat, quòd ob modicam ſibi ægræ ſervientium negligentiam in magnam commotionem ſeu impatientiam exarſiſſet. At à miſericordia Dei inſtructa, perpurgata, præparata, & virtutibus, velut ſtellis mirificè radiantibus, perornata eſt ab æterno Patre. Tum ad florida Iesu vulnera ſalutanda acceſſit, & ad cor Iesu opulentiſſimum. Age, dicebat, indè tua deprome ſolatia. Ita illa aqua roſea lateris Iesu ſuper nivem candida coruſcabat. Viſo deinde onuſto donis Iesu, ſe ibi collocante cum miniſterio cœleſtium Principum *Laudo, adoro*, ajebat: ídque 225. vicibus repetebat, totam ſe cum ſenſibus omnibus

bus corpore toto & anima sistens in laudem Dei. Hinc etiam videbatur, quòd Dominus per quendam amplexum leniſſimum omnes ſenſus ipſius tam interiores quàm exteriores miro modo purificaret, purificandóq; renovaret, & renovando in unione ſanctiſsimorũ ſenſuum ſuorum ſanctificaret. En conſcientiæ anxiæ exhilaratorem JESUM!

4. Effunde afflictum ſcrupuloſis mœroribus cor, ſicut aquam in conſpectu ejus, quem tibi à cordis arcanis Patrem dedit IESUS. Efferveſce, & cum Auguſtino 1. *confeſſ. cap.* 5. identidem per modum jaculatoriæ exclamationis ſuſpira: *Quis mihi dabit acquieſcere in te? Quis mihi dabit ut veniat in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, ut unum bonum meum amplectar te? Nolo fallere meipſum, ne mentiatur iniquitas mea ſibi.* Ita ille. Ita tu reſpira, & cogita illud *D. Chryſol. ſerm.* 158. quaſi tibi dictum ad præſepe IESU: *Sic nasci voluit, qui amari voluit, non timeri.* Ah! quàm amaro ſuſpirio dicit homo illis conſcientiæ amaritudinibus merſus, illud Jobi 17. 2. *Non peccavi! & in amaritudinibus moratur oculus meus!* O quid non amaritudinum exhauriunt ſalebroſæ illæ conſcientiæ! Sed dicat cor ita turbatum id, quod ibi ſubjungit Iob. verſ. 3. *Libera me Domine* (mi IESU puer pretioſiſſime) *& pone juxta te: & cujus vis manus pugnet contra me.*

5. *Razzius*, aliique qui de Paula Camaldulenſi ſcripſére, ajunt illam meditando in Virginis ſinu depicto lactenti parvulo addictiſſimam, inclinatum ad ſe IESUM vidiſſe, & à lacteis illis roſéisque labiolis tenerrimum, & ad cor uſque ſe porrigens oſculum accepiſſe calore cordis tanto, ut ardor ille in omnem illi vitam ſuffecerit. Tum verò à Beatiſſima Deipara ad religioſum quendam virum miſſa eſt, ut ab eo in viam ſalutis dirigeretur. Hoc eſt unicum remedium ſcrupulorum, orare IESUM & MARIAM quàm potes tenerrimè, & ad Patrem ſpiritualem abire, & ab illo in viam ſalutis dirigi, atque ab his amaritudinibus avelli, & ad dulciſſima divini oris oſcula præparari.

# HEBDOMADA XIII.

## *Vide, ne quid in domo vel conclavi tuo ſit, quod parvulo IESV diſpliceat.*

1.

ETiam atque etiam explorandi ſunt omnes anguli, ne quid offendat illos oculos. Felix olim ille ex ævo ſimpliciore ſui conclavis incola, qui parvulum IESUM quotidie hoſpitem habuit, eúmque retibus includere voluit, ne fugeret. Vide ut ponas retia IESU, quibus capiatur; non verò patiaris ea eſſe in tuo conclavi, quibus fugetur. Si hodie IESULUM ad conclave tuum tui viſitandi gratiâ venturum ſcires, paterenſne illa omnia in cubiculo, quæ illic ſunt? il à colloquia? libros? imagines, & fortè neſcio quæ, quæ ſiniſtrè ſapiunt.

2. *Apud Barrium die* 1. *ſolitud.* ſanctus quidam vir refert, IESUM, qui religioſam

gioſam quandam in cubiculo familiariter ſolebat inviſere, noluiſſe reverti, poſtquam illa alias quaspiam ſuas ſocias in cubiculo habuit, fortè ad pretioſum tempus per otioſa colloquia ſolatiolis impendendum. Cave, ne quis, vel ne quæ in cauſa ſit, cur ad te non veniat ſvaviſſimus parvulus Deus Iesus.

3. S. Catharina Senenſis illa Iesuli tota ex aſſe cordis Virgo, ſimul atque ſe in cellam, ſeu cubiculum abdebat, aderat illi Sponſus animæ parvulus Iesus, à quo illa magiſtro exactam ſanctitatis formam accepit theodidacta diſcipula Magiſtri Iesu. Interdum Beatiſſimam ſuam Matrem ſecum ad illam ducebat: interdum Sanctos. Adeo illius colloquio delectabatur, ut ſæpe ac diu in illius cubiculo maneret, & non rarò cum illa inambulans in cella, ſeu conclavi Pſalmos diceret. *Vide Raymund. Surium, Ribad. in ejus vita.* Hoc ille apparatu cubiculi delectatur.

4. Evſtochium Dominicana circa Annum 1500. extincta eſt, ut 24. *Ianuarij* refert *Balingh.* hæc poſt ardentes totius tridui preces, plena deſiderij videndi talem Iesulum, qualis olim naſcebatur, abrepta ſpiritu, in admirabili quodam cubiculo vidit Mariam ſupplici reverentiâ adorabundam coram jacente ſuper fœnum parvulo Iesu. Amplexa & Matrem & Filiolum, & exoſculata tantum ſe tunc in intimis cordis ſaporem, calorem, voluptatem expertam dixit, ut niſi à Sancto illo, quo ſopita tunc erat, ſomno fuiſſet excitata, morituram ſe certò præ inexplicabili dulcitudine affirmârit. Nullum enim eſt illarum adeò exquiſitè eminentium, adeò arcanâ amœnitate intus afficientium deliciarum ſat capax cor. Rogata, qualis fuiſſet Deipara Virgo, id verò ſupra omnem humanorum verborum ſignificationem eſſe dixit: neque noſtris his verbis explicari poſſe. Adorna cubiculum tuum ad modum illius cubiculi, in quo hæc acta ſunt, & clauſo ſuper te oſtio ibi ora Patrem tuum, qui in cœlis eſt; & Iesum jam fratrem tuum, qui in ſtabulo eſt; & Mariam Iesu Matrem.

5. Habes quod cogites in conclavi tuo ſecreto. Cogita divinam in infante hoc Majeſtatem. S. Zeno Epiſcopus Veronenſis *Biblioth. SS. PP. tom. 2. ſermone 2. de natali* ita habet: *Inſuſpicabilis ſecreti, reverendæq; majeſtatis vera cognitio eſt, Deum non noſſe niſi Deum.* Meditare ergo in tuo conclavi, quomodo in primo virginei uteri cubiculo per novem menſes habitârit Iesus. *Diſſimulatâ interim majeſtate*, inquit Zeno ibid. *ab æterna ſede profectus, in prædeſtinata Virginis templo ſibimet caſtra metatur, ibidemque, ſalvo quod erat, meditatur eſſe, quod non erat.*

6. Iesus eſt *clavis Davidis.* Ille ſit clavis, & præfectus januæ cubiculi tui, ille admittat eos, qui illi placent. *Apud Cauſinum Aula lib. 1. cap. 1.* ajunt conclave Davidis, & altare Domini, unico fuiſſe diviſa pariete. Davidem per occultam portam è ſuo conclavi ſe ad altare recipere conſveviſſe: clavem portæ ſecretæ poſteris reliquiſſe. Clavis David Iesulus in ipſo tuo conclavi portam ad cœlum aperiet. Age ut in cubiculo tuo omnia amet cœlum, infernus nihil.

ANNI

# ANNI PVERI DEI JESU,

## PARS II.

## HEBDOMADA XIV.

*JESULO seriò serviendum, & hæc temporalia adijcientur nobis.*

1.

CAtharinæ Racconisiæ, quod in ejus vitâ narrat *Ioannes Picus Comes Mirandulanus*, devotæ, & ad futuram sanctitatem jam tunc ire incipienti parvulæ, cùm nihil haberet quod comederet, adfuit parvuli necessariam eleemosynam flagitantis specie parvulus IESUS. Angebatur corde ad misetendum inclinato Catharina, quòd parvulo roganti nil haberet quod daret. Tum opulentissimus æquè ac liberalissimus parvulus humanissimè benevolentissiméque stipem Catharinæ dedit, quando tantum illi pecuniæ, quantum ad succurrendum necessitatibus abunde sufficiebat, porrexit. O svavem deliciarum Deum! Eleemosynarius factus est parvulus Deus IESUS. Tantùm deest, ut petas. Dabit, potest, & vult.

2. Ex literis ex Anglia datis Anno 1637. collige fidelem & utilem domûs reíque familiaris custodem IESULUM. Vir illic nobilis domi suæ Christo in Evchariſtia habitanti Sacellum posuit, & in ará thronum. Hujus filia 13. annos nata Virgo Sacellum istud domesticum transitura adorat Deum hospitem pro more. Factáque jam salutatione sese in genua erigere non potest; id dum molitur, advertit se nihil videre, præter unum Evchariſticum tabernaculum in aëre quasi pensile intermicantibus radijs coronatum. Illâ arto-

nitâ panduntur tabernaculi fores, & supra humanam formam elegans parvulus, ore venustissimo, labijs rubicundulis, subflavo crispóque capillo adest. Caro illi tenerrima & adeo pellucida, ut crystallinâ quadam perspicuitate oculum in se omnia intima perspicientem admitteret. Major quidem ille erat tabernaculo, ita se tamen intra illud continuit, ut patellæ quæ calicis oras integebat insidens nec summum tabernaculi capite, nec imum pedibus contingeret. E quinque parvuli stigmatibus radiabant quinque radij. Vidit subinde parvulum mæstissimè lachrymantem. Iterúmque sereniore fronte lætioris vocem audijt: *Accede propiùs.* Acceſſit, & caput super imum altaris gradum reverentissimè reclinavit, oculis tamen semper in pulcherrimi spectaculi aspectu defixis. Tum elevatâ dexterâ bene Virgunculæ precatus parvulus, lachrymarum paulò antè fusarum sibi causam fuisse lethale dixit cujusdam peccatum, illo ipso tempore perpetratum. Ajebat illa pulchritudinem parvuli tam eximiam fuisse, ut collecta omnis orbis pulchritudo & majestas efficere id haud potuisset, ut ab illo parvulo oculos vel paululùm averteret. At Iesulus: *Si pater tuus*, inquit, *& mater tua divitijs aque affluerent ac alij, essent frugis non melioris quàm alij.* Et ore venustissimè renidente cum emphasi svaviore hæc addidit: *Nunc verò pluris à me fiunt ijs omnibus, qui divitijs & honoribus affluunt.* Plura deinde dixit pro privato Virgunculæ in spiritu progressu Eas inter spiritûs delicias humi projectam, & svaviter undantibus lachrymis plenam ancilla cum matrona quadam reperit. Ergo deliquium suspicatæ, medicatâ aquâ recreatam in lectulo collocant, negantem se ægram esse, verùm glorioſum omnino spectaculum se vidisse, glorioſius in tota mortalitate nihil esse. Patri è Soc. Iesu, qui ea in domo residebat, & Matri visa examinantibus constanter eadem semper absque ulla variatione vel hæsitatione narravit. Biduo pòst decennis ejusdem Virginis Germanus ipso Purificatæ Deiparæ die, in manibus sacram Synaxim distribuentis Patris hostias omni auro fulgentiores vidit, unam præcipuè uni nescio cui illic porrigendam. Exclamavit: *O spectaculum, spectaculum præclarum!* & visa exposuit. Denique ab habitante illic illo deliciarum Deo Iesu copiosæ ubertim benedictiones in illam domum fluxére. Absens Paterfamilias cor sibi sub id tempus ad Deum sursum surrigi svavissimè sensit, & intricatas cum potente hoste quodam lites feliciter superavit. Mater à gravi periculo liberata evasit: familia omnis aliam se ac illa, quæ fuerat, obstupuit. Denique domus à periculoso incendio liberata est, quia est domus habitantis ibi parvuli Iesu, qui maximus ignis est. Ecce quomodo quærenti primùm regnum Dei, cætera in re domestica per modum auctarij seu mantissæ adijciat optimus rei nostræ Paterfamilias Iesus.

3. *Raderus Virid. p. 2. cap. 5. pag.* 171. ait, S. Hermannum Iosephum innocentem parvulum, cum effigiato puero Iesu à Virginis collo pendente in imagine, in templo panem, fructus, & reliqua, quæ à paupere Matre suppedita-

tabant-

tabantur, communicâsse. Delectatum eâ innocentiâ Iesum, cum eo sæpiùs comedisse, id ubi egentior Mater ex » Hermanno intellexit: Age, inquiebat, fili; quia natum Virginis sæpiùs » convivam habuisti, precare Matrem » ejus, ut & ipsa nobis esurientibus & ope nunc omni destitutis epulum paret, » victúmque suppeditet. Dixit, & legationis pretium retulit Hermannus, sub lare domestico reconditum laterem aureum. Repertum aurum, & Matri, & Filio ea, quibus egebant, suppeditavit. En præclarum nostrum Patrem familias, in Matris familias manibus confidentem puerum Iesum!

# HEBDOMADA XV.

## *Eleemosynis cole parvulum IESVM.*

1.

Eleemosyna à Deo nobis data facta est ipse puer Iesus. Ipse quà Deus dedit se quà hominem. Quidni ergo nos illi demus nostra, cùm ille dederit seipsum? S. Thomas 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *Cùm ipsa*, inquit, *Dei natura sit essentia bonitatis, atque ad rationem boni pertineat, ut se alijs communicet, perspicuum est, decuisse Deum, summo modo se creaturis communicare, quod in opere incarnationis impletum est.* Implevit ergo incarnatus Iesus summam sui tibi factam communicationem. Imple & tu, & te, tuáque illi liberaliter communicando.

2. Quidquid minimis Iesu facis, ipsi parvulo in minimis suis Deo facis. Valentino illi mercatori *apud S. Vincentium serm. de nat. Domini*, qui sub natales Christi ferias in honorem Iesu, Mariæ, Ioseph parvulum in pauperculæ Matris sinu, & senem quempiam è pauperum turba lautè habere, ac largâ eleemosynâ donare consveverat, adsuére sub mortem Iesus, Maria, Ioseph, & dixêre: Quia nos » hactenus per annos singulos tam grato » animo suscepisti in hospitium tuum, nos » vicissim te in æterna tabernacula susci- » pimus regnaturum. *Carolus Stengelius c. ult. hist. S. Iosephi, & Gratianus lib. 5. cap. 4. pag.* 309. O nunquam decepta solida erga liberalissimum nostríque amantissimum Iesum devotio! Hæc una si in te radices figat, Lector mi, certò tibi & eleemosynas & sancta omnia etiam, quæ nunc tibi videntur usque ad quandam impossibilitatem difficillima, persvadebit.

3. *Surius* 29. *Decemb.* narrat, S. Ebrulphum Abbatem bis quotannis tributi nomine centum argenti solidos dedisse pauperibus. Sacri illius tributi pendendi tempus erat alter nascentis, alter morientis Christi dies. Haud magno pretio pretiosam potes facere mortem tuam per pretiosissimum Iesum. Ecce *per quem nec ales esurit*, modico cœlestis Virginis Matris lacte pastus est. In illius ergo gratiam pasce illum, qui in minimis fuit, maximum. Memor erit, & se id à te accepisse testabitur in illo die, quando tu in extrema eris necessitate. *Salmeron t. 3, tr.* 34. ait, S. Franciscum ipsâ nati parvuli Dei Iesu nocte copiosum frumen-

mentum per agrum sparsisse, ut manè illo vescerentur aviculæ, & IESULUM cantilarent.

4. Cisterciensis ille in Brabantia Religiosus, quem in Adventu *Kaarnatus ex Cantiprat.* memorat, elegantem in via super nives parvulum reperit dulcissimis lachrymis amarissimè lachrymantem. Unde amplexu sancto illum sibi arctè adstringens, ubi & ipse collachrymatus est pulcherrimè lachrymanti, interrogabat; quid ita fleret, atque num Matrem amisisset? Tacebat parvulus, & pium illud pectus ac oculos lachrymante silentio ampliùs vulnerabat. Iterum eadem quærenti, majore ploratu sublato, lachrymarum argumentum esse respondit, quòd omnium egentissimus, quòd solus, quòd in frigore gelido sederet, neque esset ullus, à quo colligeretur, & benigno acciperetur hospitio. Iterum oscula, iterum lachrymas ignoto adhuc parvulo dedit candidi pectoris ille vir. Jámque parvulo omnia ad amussim nutricationis officia affatim adpromiserat, jam illum in equo auferre parabat, cùm è charissimis brachijs evanescens hospes parvulus & videri desijt, & incepit agnosci. Ibi verò pretiosa sui in amante illo sinu reliquit vestigia, quando ita tenerè delusa viri pietas, admiratio, & lacrymarum plenus amor humi hominem inconsolabilem abjêcere inter acerbissimos de amisso nec priùs agnito Deo absconditо ejulatus. In equum ergo ægrè sublatus à famulo, qui illum diu & multùm quæsierat, rogatúsque domi, ecquid esset, quòd adeo plenis & semper in plures plurésque lachrymas sufficientibus oculis deploraret, totus adhuc in parvuli hærens amplexibus, mente totâ nil aliud potuit respondere, neque nocte unâ integrâ aliud proloqui, quàm: *Heu me! puer bone, puer pulcherrime; quare me dereliquisti? cur abijsti tam citò? cur te perdidi?* Tum demum, ubi respirare anhelum nonnihil permisit beatus ille dolor, rem omnem cuidam fide sanctâ aperuit; ille alijs, è quorum ore hæc Thomas Cantipratanus, nos ex ejus calamo *apum l. 2. c. 1.* habemus. O frigidas aliquando etiam meliorum cordium nives! Placet cor niveum, purum, sincerum, innocens? at vestienda est eleemosynis innocentia. Eja vel nunc latentem in orphanis Christum nudum fame, frigore, ærumnis enectum, cibo, veste, domo, solatijs sancto ingenio inventis, pro tuo modulo recrea. Vestiet ille te honore & glorià, veste immortalitatis, quæ nullum admittet frigus, quæ nunquam lacerabitur, quæ corpus tuum & animam teget.

5. Eleemosynas in honorem parvuli procuratas claris indicijs juvit ipse *Ioseph, à MARIA, IESU, in vita Francisci à Puero IESU lib. 1. cap. 56.* ait, illum in die natali Christi, Equitatui & Militiæ JESU, id est, pauperibus convivium instruere consveviſſe. Anno quodam angustæ valde annonæ dum alij solitum eleemosynæ convivium desperarent, JESUM oravit parvulum, & ecce ad fores ignotus homo cum aureis eam in rem illi largè datis, & additâ exhortatione, ut ne consvetam JESU eleemosynam omitteret. Bos deerat: adfuit, qui bovem dedit, neque pretium aliud postulavit, quàm pro se orari. Alijs eandem in rem pinguem bovem emerat

in

in agro ab ignoto viro, cui pretium omne numeravit, & bovem sibi ante natales Christi ferias sisti jussit. Ridebat alter simpliciorem viri mentem, quòd nummos dedisset ignoto, nec bovem accepisset. Ante natales Christi ferias ab invito, & nec bovem nec pecuniam daturo Domino emptus ille bos profugit Complutum ad illum, cujus verè jam erat. Secutus bovem Dominus, ibi assecutus est, ubi jam occidebatur, utpote pretio depositio emptus, & fassus est bovis Dominus, se bovem illum dolo malo retinere voluisse, nec potuisse, tametsi mansvetissimum, ultrò enim quasi ad Jesu victimam properâsse. Ergo uterque ad templum ad pueri Iesu genua supplices abiêre; Franciscus gratias pro beneficio ut referret; alter ille, ut culpam pœnitentiâ expiaret.

6. Magnus Monomotapæ Rex glorioso nec novo elogio dicitur: *Imperator auri.* Rex nobis natus Iesus, verè ille est omnis auri Imperator, sive illud adhuc in mineralibus terræ venis delitescat, sive jam erutum splendeat. Huic auri Imperatori ut serviat aurum tuum, impera & auro, & tibi, ac liberalem manum egenti in minimis suis parvulo Iesu porrige, sic vere auri ipse futurus imperator, quia & auro imperare, & auro imperium æternum emere scies. Aurum est fulvus quidam è terræ venis sanguis. Sanguinem pro sanguine! Da hunc sanguinem in egenis illi, qui suum pro te redimendo sanguinem dedit. Quin & ipse in hoc tibi præluxit Iesus puer, dum *apud Nierem. de amore IESU pag.* 139. pulcherrimus ac manu vultúque liberalissimus pusio eleemosynarius factus est porrectâ eleemosynâ indigenti. Eroga ergo quam potes eleemosynam, & reconde in manu Jesu: atque sic opertâ multitudine peccatorum, pro supremo agonis tui articulo, illam, illam quam tibi maximè necessariam fore in eo statu gratiam novit Jesus, ex illius thesauris infinitis, pro ultima extremæ necessitatis eleemosyna instanter pete, accipies.

7. Cogita, dum pauperem vides, eleemosynam à te petere pro suo Jesu Matrem Virginem. Jacoba Aquilana, *in Chron. Francisc. p.* 4. *lib.* 4 Jesum in Mariæ sinu vidit inter myriades Angelorum; & petitum pro parvulo à Matre aquæ frigidæ haustum ori infantis, & adorandæ illi siti levandæ obtulit. Illi parvulo haustum, illi nummum, illi panem das, dum das pauperi, quem nec Jesus erubuit vocare alterum se, & Maria pro filio agnoscit, ac beneficium accipit quasi filio suo factum.

8. Agatha de Cruce, ut ex illius gestis refert *Gianottus pag.* 4. cùm adhuc esset quinquennis, Beatissimam Jesu Matrem, instar Matris pauperrimæ cum nudulo in sinu parvulo Deo Jesu vidit, & intimo cordis innocentis calore ac miseratione exarsit; simúlque detractum è capite velum, tegendo parvulo, Matri Virgini porrexit. Quapropter illâ Agathæ erga Jesum infantem liberalitate delectata infantis divini Mater, illam futuram sui verè dilectissimi Jesu Sponsam declaravit. Nescis quid facto uno sæpe liberalioris eleemosynæ actu lucrorum facias; nescis, quid neglecto actu tali damni accipias. Tametsi enim id genus inspirationibus omnibus

mnibus semper non obedire peccatum esse neges, ipsum tamen lucrum cessans, damnum emergens censeri non rarò potest.

# HEBDOMADA XVI.

## *Cubitum concessurus parvuli IESV in lectulo ne obliviscere.*

1.

VIsus est ille aliquando Elzeario castissimo Comiti benedicere in lectulo quiescenti, ut est in *Martyr. Franciscan. 25. Novemb.* Etiam B. Ritha Jesulum in lectulo cubantem reperit. Itáne cubat in tuo? éstne aliquid in illo vel circa illum, quod ipsi displiceat?

2. Sunt qui parvuli Jesu iconem habeant pro custode, & scintilla devotionis ad lectum. De Alphonso Barzana Soc. Jesu *in Biblioth. Script. Soc. IESU* hæc habet in rem nostram *P. Philip. Alegambe pag.* 17. Infantis Jesuli memoriam gratâ veneratione recolebat, habebátque semper signum ipsius arte sculptoriâ formatum, quod per noctem sibi ad lecti caput admovebat. Id cùm in extrema ægrotatione fuisset noctequadam oblitus, & infirmorum curatorem inclamaret, ut suum sibi dilectum porrigeret, ipse se stitit coram Patre infans dicens: *Ne fatigêre, en hic ego tecum sum!*

3. Dic ergo cum devotissimo Bernardo: *IESUM quæram in lectulo, clausò corde cubiculo.* Tunc verè erit lectulus tuus floridus. O quàm procul indè nocturnus ille animarum fur propulsabitur! Melior est unus custos Jesulus, quàm omnes illi *sexaginta*, qui custodiebant lectulum Salomonis. Hic te ad svaves nocturnæ quietis quasi interpunctiones, & intercalares jam pro defunctis, jam pro ijs, qui in mortali peccato sternunt, jam pro felici tuo ultimo lectulo mortuali aspirationes excitabit.

4. Non ita multis abhinc annis parvulus, qui in effigie sua per omnia Monialium cubicula seu cellas, ordine, de die in diem circumferebatur, & in quovis cubiculo die uno morabatur, & ab omnibus invisebatur puer Jesus, cùm apud quandam esset, & illa post prolixas preces ejus effigiem ex altariolo depositam, intra oratoriolum pro nocte condidisset, séque in lectulo collocâsset ad somnum, tenellis digitis portulam oratorij, quasi dimitti inde peteret, pulsavit. Surrexit illa, & ex oratoriolo exemptum in altari collocavit, orationémque iterum eò ardentiorem fudit, quò svaviùs recordabatur se ad eam ab ipso Jesulo excitatam. Posteaquam oravit, iterum parvulum intra oratoriolum, séque ad somnum composuit. At svavissimus parvulus quasi necdum satis ab illa oratum fuisset, portulam iterum pulsavit, idque etiam tertiò factum, donec tandem post calentissimas preces fusas illam suam, apud quam velut hospes eo die fuerat, dormire permisit. Hæc ab illo habeo, cujus authoritas, doctrina, virtus fidem facilè reperit; ille ab ipsis habet, quibus plura & clara tum corporis tum animi beneficia à parvulo obvenisse felix

loqui-

loquitur experientia, ut illa quæ Romæ & circa Romam in pluribus Monialium cœnobijs constanter floret erga parvulum Jesum devotio. Stat Jesulus etiam noctu ad ostium tuum, & pulsat. Aperi! ora! excita cor!

5. Observatum est non malè id, quod *Tursell. hist. Lauret. lib. 1. cap. 9.* refert de Lauretana Beatissimæ Virginis, & parvuli Iesu imagine: Sub occasum, inquit, Sol per fenestram ingressus ad Beatam Virginem velut vespertinus Salutator accedit, quando matutinus esse nequit, objectu parietis exclusus. Tu verò, qui intra astra matutina sedentem in Virginis complexu Iesulum salutâsti, vespertinus etiam cum Sole salutator accede. Imò & nocturnis vigilijs splendentia astra, quæ noctem distinguunt, æmulare, & Solem Iesum in Mariæ sinu saluta. Certè sancta illa Iesuli & Mariæ domus *lib. 1. cap. 15.* nocturnâ luce conspicua fuit, quando visa non semel est per noctem subitâ de cœlo effundi flammâ, quæ primò velut pluribus sparsa lotis coruscabat, deinde uno quasi facto agmine, ad Deiparæ cellam tendens omnia circùm cœlesti luce complebat.

6. Veni cum puero tuo Iesu, & tu Edmunde; & quid ab illo didiceris, nos edoce. Deambulabat S. Edmundus etiamnum parvulus, dum alij interea luderent, cùm parvulus illi niveo quodam rubore, elegantiâ venustissimâ spectabilis, aspectu arridente, & ore quasi salutabundo apparuit, & dixit tandem voce ad suavissimam urbanitatem compositâ; *Salve, dilecte mi.* Attonito ad spectaculum Edmundulo, & ignotum sibi esse hospitem illum fatenti, *Quomodo ita tibi sum ignotus*, inquit puer Iesus, *præsertim cùm & in Scholis ad latus tuum sedeam? In faciem meam respice.* Aspexit; & in fronte radiante Iesus Nazarenus Rex Judæorum cœlesti charactere scriptum legit. Tum puer Iesus Edmundulum, ut verba illa ore pronunciaret vesperi cubitum concessurus, & frontem cruce muniret docuit: fore hoc illi, & ijs, qui idem fecerint, contra mortem subitaneam præsentissimum amuletum *Vide Vitam 16. Novemb.*

# HEBDOMADA XVII.

## *Quidquid bonorum decretorum designas, id omne coram IESVLO & Virgine illius Matre concipiendum.*

1.

*Coram sacratissima Virgine MARIA, & curia cœlesti universa*, sua vota concipit Societas Iesu. Catharina de Raconis, dũ vota palàm in Parthenone S. Dominici nuncupavit, ut refert *Barrius 8. die Solit. pag. 440.* audita est è cœlo delapsa vox, & visus illi Iesus, Maria, & cœlestis curia universa. Solidiùs ea, quæ proponimus, servaremus; si hunc propositorum testem, & executionis præsidem præ cordis oculis collocaremus.

2. Teste *Cæsario mirac. lib. 8. cap. 3.* Christianæ Virgini Moniali, ut illam in

suscepto proposito firmaret, & religiosæ vesti addictam teneret, cum Matre, & Josepho apparuit pannis involutus, & in præsepio reclinatus IESUS. Panni erant ejusdem coloris, cujus panni Ordinis. Pannos suos pannis Ordinis conformare dignatus est, ut ampliùs illa de suscepto Ordine gratularetur. Vix dies elabitur, quo bonis quibusdam desiderijs & propositis nobis non turgeat incalescens cor. At felices illi calores intepescunt brevi, & in glaciem abeunt adeò, ut verè ipsi miremur id fieri potuisse, & verum esse illud: *Intepui: quorsum, cordis bona flamma, volâsti?* B. Magdalena Pazzia IESUM totum vidit annulis adornatum. Desponsa te illi. Renova sopitos ignes tepentis cordis.

3. *Cantipratano* authore *lib. 2. cap. 29.* Religiosus è D. Dominici familia Prior apud Turinum, nocte in preces toto cordis æstu effusus ad IESUM, Virginem Deiparam, & vivum in ara parvulum Deum IESUM vidit, super caput septem globis pulcherrimo igne coruscantibus coronatum. Tota illa illi nox dulcis illuminatio fuit in delicijs deliciarum. Ab illis se globis igne aureo, seu auro igneo collucentibus ad maxima, ad pretiosissima quæque animo destinanda, & facienda incendi expertus est. Accendere! solida te in solidis ardentibúsque propositis. IESULUS *lux ipse lucis & dies* est, corona est dierum. Ecce gloriosa è septem lucentissimis globis corona IESULI totam tibi illustrabit, accendet, coronabit hebdomadam. Eja, colloca te coram IESU, & devotas cordis tui deliberationes expone. Quàm diu pones consilia in anima tua? Exardesce tandem & cor tuum super murum adamantinum solide fundari pete. Dabit ille tibi petitiones cordis tui. Reponet in locum suum, quæ luxata, adstringet suaviter, laxata, solidabítque quæ debilitata sunt.

4. *In vita Catharinæ Riccia, Florentiæ* ab Inquisitore & alijs approbata, *cap.* 40. Beatissima Virgo, dum *Salve Regina* caneretur, Moniales exhortabatur, ut officium ardore majore dicerent, evigilarent animis, totísque cordibus erga IESUM flammas conciperent, eúmque imitarentur. Priusquàm abiret, singulis, rogante id Catharinâ, dedit Iesulum in osculum. Ita te ad fervorem, ad concepta sancta proposita exequenda hortatur MARIA. Summum ad persuadendum argumentum depromit è sacro suo sinu, parvulum infantem filium suum. Hoc argumento vide, ut omnia tibi persvadeat.

5. Iuvabit etiam dum proposita concipis, aliquo munusculo constantiam à Iesu petere. Ita *Tursell. hist. Lauret. lib. 5. cap, 24.* ait armillam auream à Beatrice Romana Matrona oblatam suâ sponte Christi pueri in sinu imaginis Lauretanæ Virginis sedentis manum ultrò occupâsse, ídque ita aptè, ut aptiùs non posset. Alteram etiam armillam, & ipsam auream gemmeámque & antiqui operis, repentè vidit Sacelli custos à manu altera ad alteram delapsam, dejectóque in sinum Virginis aureo globo, quem manu puer Iesus sustinebat, illi manui insertam aptè atque eleganter. Tactam tunc enimverò cœlesti numine mulierem, ingemuisse, & ingentem inter singultus lachry-

lachrymarum vim profudisse, adeo ut in Sacello reliquo audiretur. Ibi tunc illa coram parvulo sanctioris quàm hactenus, vitæ proposita solidè concepit, firmavit, fundavit, servavitque fideliter.

# HEBDOMADA XVIII.

## *IESVLVS asylum tentatorum. turbatus illum statim invoca, illuc convola.*

1.

TOtum pectus, & sensus omnes illi aperi. Visitet ille singula, & confirmet. Ita mœnia urbis visitat militum Præses. *Apud Herodotum lib.* 1. Meles Rex, recèns natum filium suum Leonem per muros quacunque circumtulit, expugnari urbs illâ parte non poterat. Capta quidem postea urbs illa fuit à Persis, at illo in loco, in quo infans regius non fuerat. Roga puerum Iesum, ut te totum visitet, ita eris inexpugnabilis.

2. In S. Raymundi sacris operantis manibus visus à tentato quodam fratre Iesulus, ipso suo aspectu totam periculosis intemperijs agitati cordis composuit tempestatem, adeò ut illa nunquam postea redierit. *In Vita 7. Ianuarij.* O quàm ille te molli sinu excipiet! quàm blandietur cordi tuo mille osculis! Ille enim est veri ac verè æternúmque dulcis amoris Magister unicus: ille divinitatis & humanitatis horizon pulcherrimus. Ibi finem invenient umbræ tuæ, quas times. Ita spectra fugabis.

3. *In Chron. S. Dominici*, Dominicana Virgo Stephana de Soncino, dum sacrosancto Sacrificio adesset, vidit in hostia veneranda puerum pulchritudinis admirandæ, à cujus facie procedebant radij, qui cor Stephanæ penetrabant. Ita oculis, ita corde plena deliciarum omnium, cantus etiam ad modulos cœli audivit: quæ omnia sibi ideo facta intellexit, quòd tentantem se circa Sacramentum altaris dæmonem superâsset. Tuas verò pro superato tentatore coronas tibi in cœlo reservat Deus, ibi tuas coronaturus victorias.

4. Interea armamentarium habes in corde Iesu: à quo visus est Henricus Suso, ut est *cap. 36. apud Bolandum*, rosis affatim obtegi, ob cruces fortiter toleratas. Perfer, vince, ut his à Iesu flosculis obtegaris. Magna crux est tentatio; sed volenti victoria est, & corona.

5. Infans Ducis Brabantiæ filiolus, ut est *in Fastis Brabantiæ*, Patre mortuo in cunis ex arbore appensus in sublimi ostensus est, ut ejus aspectu ad fortia incitatus miles eò fortiùs contra ejus & suum hostem rem gereret. Appende, si lubet, ex alta crucis arbore cunas Iesu, & cogita hunc ita nascentem in stabulo, moriturum pro te in cruce. Ergo cor generosum in pectus collige. Aude aliquid Christi imitatione dignum. Tuum & Iesu hostem vince. Nunquam ille te nolentem vincet; semper verò à te volente vincetur, archistratego tam ardui pro æternitate certaminis parvulo Deo in cunis Iesu.

6. Quasi de præsepiolo te tentatum alloquitur *serm. de Natal. Dom.* S. Leo: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divina consors factus natura* (in Iesulo scilcet) *noli in veterem vilitatem degeneri conversatione recidere. Memento, cujus capitis, & cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia eruitus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen & regnum.* Idem inculcans D. Thomas 3. *p. q.* 1. *art.* 2. ait, nobis in parvulo Iesu datam participationem divinitatis, juxta illud Augustini: *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.* Ita ille. Invidet huic tuæ dignitati tentator, qui tamen olim dicebat, nesciens quid diceret: *eritis sicut Dij;* Factus est Deus homo, & homines sicut Deus. Sed vide, ne te ab hac dignitate ad indignas hac tuâ gloriâ fæditates deturbet. Audi *ibid.* D. Thomam, quasi Augustini ore loquentem: *Per hoc,* inquit, *homo instruitur, ne sibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui est actor peccati. Quandoquidem sic potuit Deo conjungi humana natura, ut fieret una persona. superbi illi maligni Spiritus non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem. Secundò per hoc instruimur, quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Demonstravit nobis Deus, quàm excelsum locum inter creaturas humana natura in hoc habeat, quòd hominibus in vero homine apparuit.* Sic ipse.

7. *Surius Anno* 1541. *pag.* 366. Ioannis Ungariæ Regis filiolo parvulo, & Reginæ Matri, post Patris mortem regia à Solimanno dona missa narrat. Persvasit etiam Reginæ Solimannus, ut puerum in castra ipsius mitteret. Allatus est verò puer, inquit, ad Solimannum regalibus crepundijs exornatus, carpentóque aurato impositus, comitantibus Proceribus. Ubi in tabernaculum Solimanni ventum est, ille quidem puerum humaniter inspicit, blandè cum ejus nutrice loquitur, liberos suos Selimum & Bajazetem, qui aderant, puerum complecti & amanter exosculari jubet. Ita ille. Sed hæc per astum facta, ut Buda occuparetur. Nos ad occupandum cœlum, Reginam cœli, divini infantis Iesu Matrem rogemus, ut dum in castris contra hostem nos tentantem sumus, regium illum parvulum nobis tantisper concedat, ut illius ope vincamus. Ita pictor *Anthol. lib.* 4. *cap.* 24. Christum natum depinxit in scuto. Nascebatur ut esset scutum pugnantibus, vincentibus nobis, & triumphantibus. & nos *scuto bonæ voluntatis suæ* coronaret.

8. *Floridi prati lib. cap.* 17. *extmplo* 3. tentatus ad Ordinem Prædicatorum deserendum quidam, in templo se coram Beatissima Virgine MARIA parvulum sinu IESUM complexa prostravit, & lachrymis, osculis, precibus, per sanctissimæ Nativitatis mysterium oravit, ut adjuvaretur. Interea dum ita parvuli pedes osculatur, abripitur in extasim & lachrymas. Redditus iterum sibi se liberum deprehendit, factus etiam postea in omnem vitam ab id genus perturbationibus liber.

HEBDO-

# HEBDOMADA XIX.

## *Opera, quæ agis, & facienda offer, & facta dedica IESVLO.*

1.

ITa thesaurum congregabis tibi in sinu Jesu. Intentio enim ista & dedicatio pretium faciunt etiam rebus, quæ sinè pretio adiaphoræ sunt, de quibus postea *hebd.* 30. dicemus. P. Balthasar Alvarez Soc. Iesu referente id *Barrio die* 10. *medit.* 1. cùm quodam die aliquid boni operis peregisset, postridie sub oratione matutina vidit Christum plenis ulnis ferentem dona, & quasi pondere premeretur, sublevari postulantem. Ita manè hesterna offer, & pro hodiernis fac intentionem, quòd illa unicæ Iesu gloriæ velis dicata, ut per nomen Jesu, SSS. Trinitati acceptissimum des holocaustum in singulis, quæ cogitatione, dicto, facto acturus es die toto, hebdomadâ totâ, mense, anno, vitâ totâ. Vesperi verò totum diem in parvulo Iesuli pugno conclude; & noctem ad illius gloriam offer.

2. Ita illum manè toto sinu cordis donis onustum reperies, quem in veteribus tabulis legimus Rosaliæ Virgini auream coronam, & postea rosis atque auro texta serta imponentem. Est ille ditissimus coronarum, modò caput ne subtrahas coronandum. Erudies verò ad coronas caput eò magis pretiosas, quo magis ardenti ac purâ divinæ gloriæ intentione, in unione pretiosissimorum Dei Iesu meritorum, ea quæ moliris omnia, per ipsius Jesu, Mariæ, ac totius curiæ triumphantium cum Deo Angelorum & hominum manum obtuleris. S. Joan. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Deus in hoc est totus, ut etiam pro exiguis te coronet, undique occasiones requirens, per quas te de gehenna possit liberare supplicio.* Quare tesseraria sit nobis illa Bernardi vox serm de Nat. col. 1263. *Surgamus, nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis.* Ita tu quidquid agis, age illi, nec parce cordi.

3. Et omnes, & singulæ actiones nostræ, respirationes omnes, passus, & ipsi cordis atque oculorum motus omnes cum omni corporis animique motu & quiete offerendi SSS. Trinitati per Christum, & ejus omnia merita. Ita facientes rectâ ad cœlum viâ sinè purgatorio abituros ajebat B. Magdalena de Pazzis, ut *in ejus vita* ait *Ceparius*; hanc esse præparationem ad purgatorium evadendum edocta divinitus.

4. P. Franciscum Riberam Soc. Iesu ad concionem intentione hac sanctâ verba facientem, ajunt *Annales*, *Vita P. Alvarez*, & *Alegambe*, *Bibliotheca scriptorum Soc. Iesu*, *pag.* 132. visum ingenti circùm splendore micare, cujus dicentis humeris Christus Servator sereno vultu innixus, eum velut complexu foveret, Scripturas vero sensu explicare doceret, atque eum Confessarij etiam in officio eximiè laudaret. Hanc intentionis puritatem in illo ostendit Deus etiam die post ejus obitum tertiâ Anno 1591. in Novembri, quando visus

sus in cœlo est sublimis, ac Dei solio propinquus, multâ conspicuus gloriâ, cujus in pectus derivabatur à pectore Dei radius lucis, qui pulcherrimâ cum specie simul & gaudio perfundebat: quod illi præmium ideo attribuebatur, quia nihil in suis lucubrationibus fluxum ac caducum, sed unius divinæ Majestatis cultum atque obsequium spectâsset. Innitatur utinam tibi, & oranti, & in templo, & domi, & foris, quidquid demum agas, occupato JESUS, téque complexu foveat suo, & ad præsepe suum (quod nunc solium illius est) aut ad Matris beatissimæ sinum admissum disponat pro solio æterno: derivétque è tenero suo pectore, è corde amabili in pectus, & cor, & linguam, & manus, & omne corpus tuum, & in spiritum tuum atque omnes internas externásque occupationes tuas radium lucis, cujus luce perfundat oculum intentionis tuæ, ut cum lucido intentionis tuæ oculo totum omnis tuæ actionis corpus sit lucidum, & ille radius, ille amor, illa lux sit tuæ anima actionis. Utinam ita illustres à corde JESU essent omnes actiones nostræ, tum demum magis opulenti admitteremur ad lumen gloriæ Dei, & hominis JESU!

5. Opus etiam postquam absolutum est, offerendum Deo Iesu per manus MARIÆ. Et sic horæ nostræ deponendæ in manibus Regis seculorum. Ita in horologio Veneto ad finem horæ cujusvis tres Magi Reges prodeunt, & se JESULO in MARIÆ sinu sedenti cum profunda inclinatione sistunt; quasi exactam illi horam dent in holocaustum, ut aliàs refero *hebd. 2. num. 3.*

# HEBDOMADA XX.

## *IESVLVS parvulus in alijs, etiam minimis, honoratur ab ijs, à quibus amatur.*

1.

JESU vox est Matth. 25. *Quàm diu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti.* Quàm diu fuisti apud ægrum illum omni mortalium solatio destitutum, horâ dimidiâ; horâ dimidiâ fuisti apud Jesum. Quàm diu refecisti cibo, potu, solatijs miserum illum in carcere squalidum, horâ unâ quotidie; unâ quotidie horâ refecisti Jesum. Quàm diu accensâ in illum alium bile stomachatus es, quartâ horæ parte; tanto planè tempore stomachatus es in Jesum. *Thomas à Kempis* in hortulo rosarum: *Qui fratri contristato solatiosum verbum respondet, osculum amorosum IESU oris tribuit: qui alterius culpam plangit, & pro eo veniam petit, pedes IESU lavat & extergit: qui irascentem ad pacem reformat, lectulum floridum IESU in anima parat, &c. qui mala alterius audit, & multùm inde dolet, & gemit, sacra IESU vulnera tangit, & perungit, &c. qui pro infirmo & tentato fideliter orat, cum IESU Lazarum excitat, &c.* Ita ille.

2. *In Martyr. Francisc. 17. Decemb.* legò B. Petrum eos, quibus præerat, reverentissimè alloqui consuevisse. Placuit Deo Jesu exhibitus ille sibi in minimis honor; unde ibidem additur: *Quando infantis IESU apparitione dignatus*

*gnatus est honorari: cum quo & loqui nonnunquam audiebatur.*

3. Non nisi sanctissimo collyrio divinitus illuminati oculi est, Iesum in minimis quibúsque agnoscere latentem; velut in nube olim latuit Æneas apud Virgilium. Ibi verè proximum æstimas, & revereris propter Christum. Revereri enim magnos non est adeo arduum aut artis tantæ; at verò minimos quosque & abjectissimos in Jesu gratiam venerari, nullo impatientiæ aut displicentiæ signo contristare in illis latentem Christum, non est nisi perspicacis mentis. Sap. 12. ℣. 18. *Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia dispones nos.* Deus! nos! cum reverentia, & quidem reverentia magna! Et, nos, Deum, quomodo in minimis? Cave ergo, per ipsius, qui quod minimis fit sibi fieri ait, reverentiam te rogo, cave minimum ullum vel in minimo despicias; sed sinè ullo elati vel felle tincti cordis aut oculi signo, cum magna reverentia disponas quidquid cum illis agis, ad quos despiciendos tua te vocat superbia, ad quos in sui gratiam honorandos te minimus, id est exinanitus Jesus invitat.

4. Raynerus ille à Burgo Capuccinus, quem aliàs narro, ad fellis receptaculum lapillum habuit, qui post mortem erutus est, & reperta in illo est imago parvuli in materno Mariæ sinu quiescentis Dei Jesu. Bene cum magna reverentia disponit omnia sua cum infimis quibusque, bene in patientia possidet animam suam is, in cujus pectore cordis & fellis moderator habitat humillimus, & patientissimus Jesulus.

5. *Ira* Galeno cap. 2. de morborum causis. *est fervor caloris, qui circa cor est.* Et quid est superbus elatorum sanguis, nisi quoddam pus è tumido superbiæ ulcere profluens, & sub elato corde stagnans? hinc irata illa infimorum despicientia. Dulciore calore implebit totam cordis Diœcesim seu Provinciam *Episcopus animarum nostrarum* dulcissimus cordis parvulus Deus Jesus.

6. Eos itaque, quorum cura tibi incumbit, in gratiam parvuli Iesu, tanquam ipsum Iesum tracta, & pro illis ora. Accersamus in hanc lucem, latendi cupidum Fastredum *ex Annalibus Cistercienſium cap.* 30. Hic in Clarævallis Abbatem invitus ac reluctans electus onus omni quâ potuit contentione recusavit. Ergo latenti, suspiranti, hæsitanti, oranti, & à sensuum usu erepto, divina Mater cum infante inter amplexus Dei visa, & ingemiscenti atque auxilium unicè exposcenti sic loqui audita est: *Quid turbaris? Accipe Filium meum, illiusque fidelem curam age.* Dixit, & relicto in Fastredi amplexibus parvulo (qui unus omnium ejus Cœnobij personarum personam gerebat) discessit. Intellexit nimirum jam ad paternum Superioris onus promptior Fastredus, Deum ita velle, Deiparæ ita placere, omnes denique quibus præficiebatur Mariæ filios, & totidem quasi repositos in paternum suum sinum Iesulos esse.

7. *Insinuat. divin. lib. 4. cap. 3.* S. Gertrudis in nocte Natalis Domini, cùm se indignam reputaret, quæ pro suis Monialibus oraret, audivit à Iesu, se in sinu paternæ benignitatis Christi collo-

collocatam, ad obtinendum omnia. *Commenda singulas*, inquit, *cognitioni meæ, & amori, quarum ductu in terras descendi.* Vidit deinde Beatissimam Virginem, quæ circumponens brachium suum dextrum humero unius è Sororibus in choro, & suaviter eam constringens, impressit animæ ejus generosum infantulum. Ita illum al js in blandos porrexit amplexus. Ama, æstima, complectere illos, quos adeo amplectitur Iesus, & MARIA. In horum gratiam minimi sunt maximi faciendi.

8. *S. Thomas* 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. cum S. Augustino negat, quòd ita sit Deus infusus carni humanæ, ut curam gubernandæ universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractum transtulerit. *Deus enim non mole, sed virtute magnus est; unde magnitudo virtutis ejus nullas in angusto sentit angustias.* Sicut ergo ille donando se nobis parvulum, gubernationem suam non abbreviavit; ita tu donando te Domino Jesu, gubernationem tuam perficies. Donando enim te illi eris aptior ad omnia, si tamen te nulli præruleris prælatus omnibus.

9. Denique ita te erga omnes minimos gere, ut illos fovendo, tuum facias illud Simeonis elogium Lucæ 2. ℣. 28. *Et ipse accepit eum in ulnas suas.* Ita etiam te in ulnas suas accipiet pueri Iesu Mater Virgo, sicut S. Comitem Eberhardum erga suos atque etiam egenos comem, urbanum, suavem, post mortem in cœlis materno sinu tanquam filium fovere, & cœlesti nectare visa est recreare. *Vita* 1. *Julij.* Adeo libenter suaves hos ad suum illum in sinu Virginis thronum in ejusdem complexûs societatem admittit is, qui infimos quosque suavissimè alloquebatur Iesus.

# HEBDOMADA XXI.

## *Felix mors erga IESVLVM peculiariter devotorum; præmium teneri cordis.*

1.

MOrientium ori & cordi familiare est nomen Iesu. S. Ioannes Chrysostomus hom. 4. in Matth. *Nomen IESU*, inquit, *de cœlo Angelus venit ferens.* Et ipsum vocabulum non inaniter positum est, quod certè mille continet thesauros bonorum. Habent ergo moribundi in corde & ore thesauros mille bonorum, dum Iesum corde & ore volvunt. Addunt MARIAM, ut habeant Filium & Matrem. Tenero Iesu & MARIÆ immori quàm beatum sit, expertus est is, qui tenerrimo in Iesulum & MARIAM corde ferebatur S. Andreas Corsinus. Iam septuagenario senior, ipsâ Christi natali nocte, dum effuso in nascentem Iesum corde sacris operaretur, adest illi felix illius noctis puerpera MARIA, & ab hac ad æternam vitam sextâ proximi Ianuarij die significabat transiturum. Composuit ille se ad migrandum sanctè: & moriens visus est per cœlestes scalas cœlum inscendere. Scalas has, Iesulum in MARIÆ sinu invenerat. Quidni enim scala sit humanitas Iesu, & quidem Iacobi scalâ nobilior.

bilior, cùm hanc verè terminet seu sustentet ipse Deus?

2. Huc etiam pertinet visus à S. Magd. Florentina Monialis cujusdam sanctè inter Angelos mortuæ os cœlesti nectare recreans Iesus. S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 10. sic concludit: *Indiget homo in gratiâ constituto ad hoc, ut usque ad finem vitæ suæ in bono perseveret, speciali quodam divino auxilio, contra tentationum impulsus illum protegente.* Et postea: *multis datur gratia, quibus non datur perseverare in gratiâ.* Atque hoc agè per Iesum, ab illo enim & per illum omnis gratia. Huc facit id, quod 2. *miraculorum cap.* 22. narrat *Petrus Cluniacensis Abbas*: Matthæus Albanensis Episcopus, vir sanctus, nocte Christi nati mediâ, dum ære campano resonante canitur *Gloria in excelsis Deo*, collectâ in exultationem voce, *Christus*, inquit, *natus est nobis, gloriâ in excelsis Deo.* & reliqua ad finem usque pertexuit. Aurorâ suboriente ad Crucifixi conversus imaginem: Eja, inquit, amantissime Domine mi, hanc mihi gratiam impertire, ut hac nocte, quâ natus es, moriar. Hæc ultima loquentis verba, & illa aurorâ ultima fuit illi viventi. Ah quàm suave est, caput morieus ad pedes parvuli, ad præsepe ultimùm reclinare!

3. Infelicissima è contrà illius, *apud Guagninum in Philippo*, aleatoris mors fuit, qui ubi sua in alearum lusu omnia serio perdidisse se vidit, perire & ipse voluit. Ergo in omnia, quæ itatæ menti occurrebant, blasphemus, in Deiparæ parvulum ulnis gestantis imaginem projecto lapide, brachioli partem à Iesu parvulo abrupit. Fluens indè prodigiosus sanguis ægris quidem salutaris fuit; sed latelles ille aleator blasphemus, percussor, abreptus à dæmone, suam erga amantissimum Iesum impietatem morte horrendâ concluſit.

4. Suavior mors est illa, quam *lit. N. exempl* 4. narrat doctus *Discipulus*. Devotissima quædam erga infantiam Christi, cùm sub natales ferias videre Christum puerum vellet, adfuit illi elegantissimus parvulus, quem illa nondum quis esset notum, num *Ave MARIA* sciret, interrogat. Orabant, & cùm ad illa verba ventum: *Benedictus fructus ventris tui IESUS; Ego sum ille*, dixit puer, & videri desijt. Illa verò inter miros cordis æstus relicta, clamabat: *Revertere, charissime, dulcissime, amantissime puer!* Ita illi triginta dies inter sancta hæc suspiria languenti abiêre. Adfuit iterùm Iesus, &, *Ego*, inquit, *vocatus venio ad te! Modò autem tu venies post me, ut mecum unà regnes.* Ita illa in dulci jubilo in mortem vitalem elanguit.

5. Ad Yolantam Jesulo, S. Josepho, & mortuis pro Jesulo Innocentulis sanctis devotissimam, Jesulus, S. Josephum, & sanctos Innocentes pro ultimo agonis solatio ablegavit. Ita *P. Joannes à S. Maria.*

6. Jacoponus verò ille ab amato Jesulo celeberrimus pretium amoris tulit, quando ut 25. *Decemb.* habet *Martyr. Francis.* In solennitate natalis Christi cùm in choro audiret intonari *Gloria in excelsis Deo*, ex memoria mellifluæ Nativitatis Christi ex Virgine, præ dulcedine scissum est illi cor ejus, & plenus jubilo ac suavitate migravit ad Dominum.

7. Quid verò à dulci hac bene in Iesu & Mariæ sinu moriendi spe trahendum sit in rem nostram accipe è *Dorlandi Chronico lib. 5. cap. 5. p. 271.* Ruremundæ Religiosum sibi ex integro addictum Deipara suo parvulo commendavit eo fructu; ut ille se prædestinatorum felicium morte moriturum intellexerit, & inde maximos ad egregiè in via Dei progrediendum stimulos acceperit. Atque hic esse debet spei nostræ, & nostræ erga Matrem & parvulum devotionis fructus, ad alta virtutis incitari. Orabat religiosissimus ille vir aliquando coram Deiparæ parvulo suo gestando totis amplexibus occupatæ imagine, in hæc verba: O rosa Virginum! ô Philomela cœlorum! ô charissima in deliciis suavissimè fragrans, quam Deus oris sui osculo est osculatus! Tu scis quid maximè cupiam ô mitissima! Tu cordis mei vota serutaris! Præsta nunc mihi, te deprecor, sicut nosti cor servi, atque humilis amatoris tui! Dixerat, cùm vidit Virginem depositò tantisper è sinu parvulo ab altari descendentem. Veniebat illa vultu hilariter amabili, & explicatis molli ac suavi flexu brachijs velut alis, orantem æstuantémique complexa, osculo materno dignata est. An non felix ille tunc desiderare poterat in osculo Dominæ emori? At vitæ fuit illud osculum, non mortis; aut si mortis, ad vitam perennem fuit. Nam osculo sacratissimo hæc etiam verba addidit Virgo Mater: Ego te, fili mi, & tua vota lubens accipio. Dilexi te, & in miseratione cum filio meo recolligam te. Mecum regnabis; mecum gaudebis, mecum & semper epulaberis. Et manu amicissimè prehensum ad filiolum pertraxit, qui in altari puer dulcissimus residebat. Ac, oro te, inquiebat, mi Nate, qui semper amatoribus meis faves: huic misero servitori meo te ipsum præbe benignum, ut hic tuam gratiam, & pòst tuam gloriam valeat consequi. Annuit, inquit Author, lætus parvulus Salvator precibus Genitricis; & illum in fœderis sui vincula constringens cœlestem illi beatitudinem repromisit. Hac gloriosâ visione Dei famulus magnificè roboratus, semper se ipso melior reddebatur. Ita *Dorlandus*. Sic ad Iesum accede, ut redeas semper te ipso melior, & Maria te Jesulo, ille æternitati per mortem felicem sistet; quando etiam expirantem diliget te, & in miseratione recolliget te. Regnabis, gaudebis, epulaberis! interea ad teneros nascentis Iesu pedes provolutus, ac Mariam inter & Josephum medius, gratiam illam unicè necessariam, agonem felicem, quanto quanto potes cordis & lachrymarum calore pete, & sæpe & diu. Attende! dum mortem felicem petis, à morte æterna liber esse petis, vitam æternam petis, Deum petis. Ita Romæ sancta Agonizantium, ut vocant, Archiconfraternitas, Iesu nascentis titulo amabili est dedicata.

## HEBDOMADA XXII.

*Placet IESVLO, qui erga illius passionem tenero fertur affectu.*

1. San-

1.

SAnctæ Coletæ Virgini à S. Joanne Evangelistâ annulo desponsatæ Christo, IESULUM à sinu suo Mater Deipara in sinum dedit, sed totum plurimis & cruentis vulneribus coopertum, ut est *in ejus vita 6. Martij*. Conquesta simul est graviter, Christum ab heri natis pueris juxta ac maturis tam fædè tractari. O carnifices Iesuli cogitationes, linguas, actiones nostras! quando tandem hanc in illum tyrannidem exercere desinent & pueri & maturi! Tu si quid apud utrosque potes, prohibe ne illum vulnerent. Interea illum & cruci parvulæ indormientem, & quasi è crucula jam pendentem etiam parvulum contemplare. Amaritudo passionis eò dulciorem tuum erga illum amorem reddet! Ita ille suam passionem totam Coletæ distinctè narravit. Est ista passionis & mente & linguâ sermone versandæ devotio illi gloriosa, nobis verò cumprimis potens ad magna calcar.

2. Fuit Coleta Sponsa Christi Iesuli, Joanne Paranympho: fuit & Stephana Soncina, ut ex illustrium S. Dominici virorum fastis patet. Hæc Anno 1530. felix abivit ad Sponsum, & ipsa Sponsa sanguinum. Nam & pronubo pulchritudinis admirabilis annulo est Deo parvulo coram Matre Virgine desponsata, & ornata quinque ejusdem vulneribus. En utrinque & annuli & vulnera passionis.

3. Annales Avenionenses Anno 1604. viri primarij, sed tum necdum Catholici filiæ meminêre, in qua & Crucifixi, & parvuli Iesu beneficentia triumphavit. Viam rectam, per quam ad æternam salutem certo calle evaderet, ostendi sibi flagitabat precibus ardentibus. Annuit precibus in Cruce illi visa Christi effigies, coram qua sibi visa consistere, per apertos cruentos pedes ac manus, pérque hians sacrosanctum latus, & omnia corporis universi vulnera instabat coram Iesu, ut ne solus ille in cruce penderet, verùm & se in sociam admittere dignaretur. Tum quasi annuisset ille refixo brachio adstringi se à Christo sibi visa est, & in illam crucem sublevari. Ibi inter illas elevati cordis divitias ac delicias omnis illi de Ecclesia, quæ vera esset, absterso dubitatio est. Deinde per quietem iterum suæ illi jam in fidem suam & crucem receptæ Virgini apparuit in Virgineo Matris sinu sedens dulcissimus puer Iesus. Illa admirabili & Filij & Matris pulchritudine in ardentes preces, in gaudia, in lachrymas resoluta, & Filium rogat, & Matrem, ut ne se ancillam miseram unicò illorum servitio immori anhelantem despiciant atque abijciant. Admissa est; & postea Catholicæ Virginis cadaver ad sepulchrum cum quinque alijs Virginibus pro more bajulans, jurata affirmavit, vidisse se columbam eximio candore ori ejus totâ viâ alludentem, donec terræ mandaretur. Ita hanc & è cruce cruentus, & è sinu Matris candidus, fide illustravit, spe erexit, charitate accendit Deus amor Iesus.

# HEBDOMADA XXIII.

## *IESVLO tenerè affecti suum ergà illum amorem etiam teneră Rosarij recitatione contestantur.*

1.

OBservatum id est in pluribus, vel omnibus. Inveniunt nimirum ibi velut in favo mellis Jesum benedictum fructum ventris Mariæ. P. Bernardino Realino coronam Beatissimæ Virginis attentâ cordis applicatione dicenti, Beatissima Virgo una cum filio in ulnis adfuit, illúmque ad illius Jesuli Societatem invitavit. *In Vita*.

2. Nota est felicissimi & beatissimi Felicis Capuccini tenerrima erga Jesulum, & Mariæ coronam propensio. Semper illi Rosarium è manibus pendebat, semper sedebat in ore Jesus. *Vide illius Vitam, & Marian. scal.* 18. *Maij.* Mariæ Jesulum parienti tenerrimis cordis delectationibus afficiebatur, ad quam velut viva Urbis tuba omnes, omnes, Romam totam vocabat. Præparabat ipse præsepe quæsitissimis exquisitæ devotionis artibus; & ipse illud vivo exemplo suo animabat sanctâ quadam corporis compositione, genibus terræ fixis, orante vultu toto, lachrymantibus ubertim silentio oculis. Ausus etiam à felicissima Virgine puerpera Jesulum petere ad restinguendum, aut saltem quoquo modo componendum æstuantis cordis calorem. Adfuit illa, & porrecto in Felicis amplexus parvulo, illum pulcherrimi æstus teneríque amoris calorem accendit magis. Adfuit etiam morienti Virgo Mater, atque ut illi Rosariorum tot pretium redderet, illum ad æternæ beatitatis præmia invitavit. Felices manus, quæ quia ferendo semper Rosario assveverant, in præmium portati Rosarij Jesulum bonorum cordium delicium portavêre. *Beroa in literis Paraquariæ annuis* 1637. refert, quinquennem parvulum inter summas spiritûs delicias à Beatissima Virgine in ulnas acceptum, unà cum Jesu parvulo, recreatum, quòd Rosario recitando assveviſſet. *pag.* 257.

3. Etiam Columba de Riet, quæ sub Annum 1510. in Parthenio S. Catharinæ Senensis asceterio vitam sanctè concluſit, & Jesuli & Rosarij adeo amans fuit, ut posteaquam se quinquennis etiamnum parvula, Reginæ Matrum omnium Virgini in filiam dedicâssset, Jesuli & electæ à se in Matrem Mariæ honori plura quotidie Rosaria flexis geniculis peroràrit. Quæ res usque adeo placuit Jesulo, & dæmoni displicuit, ut illi Rosaria sæpe absconderit, sæpe lacerârit dæmon. Jesulus verò ipso natali suo die illi unà cum Maria & Josepho, & gloriam in excelsis Deo canentibus symphoniacis Angelis apparuit, ac teneram illius pietatem cumulatissimis divitijs condivit. *Vide Vitam*, & 10. *Maij Kalendarium Marianum.*

4. S. Franciscus Xaverius *lib.* 4. *epist.* 1. ait, Japones omnes uti ad preces serie orbiculorum bene longâ, atq; inter orandum gradatim ad singulos suæ sectæ implorare Authorem *Xacam* & *Ami-*

*& Amidam*: Xaca octies millies natus perhibetur. Noster ab æterno ex Patre, semel in tempore ex Matre Virgine natus, author religionis Iesus in rosario ad singulas sphærulas nominatur; ut dum Matrem salutamus, filium benedictum pronunciemus, sitque plenior laus alterius à laude alterius.

5. *Apud Orosium lib. 6. cap. 28.* aureus globus è cœlo in terram descendens, & hinc rursum cœlum repetens, ac Solem contegens nascentis Christi symbolum fuit. Huic tu aureo globo auream tuam in Marianis Rosarijs globulis consecra pietatem. Coronanda est his rosis Maria tanquam & Mater & Sponsa Iesu. S. Chrysologus sermone 140. *Pervolat ad Sponsam festinus interpres Angelus, non ut auferat ad Ioseph Virginem, sed ut reddat Christo, cui est in utero pignorata, cùm fieret. Christus ergo suam Sponsam recipit.* Ita ille. Corona ergo Sponsam & Matrem *Ad te*, inquit ad illam ibidem Chrysologus, *non visi andi studio venit, sed in te novo nascendi illabitur Sacramento.*

6. Inter recitandum Rosarium dum *Ave MARIA* oraret P. Emmanuel Fernandez Soc. Iesu, de quo *historia Abyssina lib. 3. cap. 76.* solebat coronarium illud Angelicæ Salutationis epiphonema, *Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen*, Ignatiano quodam orandi modo quasi in libella cordis breviter suavitérque meditando pronunciare. Intellexit, & prædixit se natali Dei Iesu moriturum. Ea verò dum nobiscum esse incipientis Emmanuelis Deirecoleretur memoria, Pater Emmanuel vale omnibus facto visâ Dei Matre plus quàm regiæ, plus quàm imperialis pulchritudinis Virgine desijt esse mortalis. O sic Rosarijs seu Coronarijs nostris panegyricis Iesum, sic nobis Mariam demeremur, ut sicut Iesus est Emmanuel nobiscum Deus, ita nos æternùm simus cum Deo!

7. S. Rosalia thesaurus ille cœlestis in specu repertus, parvulo in sinu Matris Iesu, & orando Beatissimæ Virginis Rosario addictissima, ut est *in ejus vita*, & Romanis iconibus, tabulísque veteribus, posteaquam sua divinissimo parvulo & Matri Virgini Rosaria dedicavit, ab eodem in sinu Matris velut in throno sedente, aureis corollis ac floribus semel ac iterum coronata est. Veni & tu, coronaberis à Iesu; ut impensus à te Virgini Deiparæ honor, & coronæ in te redeant coronandum.

---

# HEBDOMADA XXIV.

## *Antiphonam* Salve Regina, Ave Maria, *& preces alias Dei Matri attentus funde. Placebis parvulo.*

1.

HAnc Antiphonam canentibus Divi Dominici Sodalibus visa est misericordiæ Mater, quæ eos, a quibus salutabatur, suavissimè resalutabat, atque ad singulos sanctæ illius Antiphonæ versus novo gestu sese illis placidè benignam ostendebat. Ad imprimendam

dam verò, ut opinor, noſtris mentibus ſuæ erga nos pietatis imaginem, viſa eſt etiam pro orantibus coram parvulo Iesu procumbere ſupplex; viſa eſt oculos cœleſti quadam ſuavitate plenos in illos convertere; ſingulísque oſtenſo illo pulcherrimo parvulo, felicem ejusdem pueri poſt hoc exilium viſionem polliceri. *Vide acta Ordinis Prædicatorum.*

2. *Balinghen* 15. *Iunij* ait, Beatiſſimam Virginem viſam in gloria, dum *Salve Regina* cantaretur, & auditam dicere: *Salvete & vos electi filij mei*, quibus etiam filiolum ad oſcula porrexit.

3. *Philippus Gvidius cap.* 40. in vita Catharinæ Ricciæ ait adeo placuiſſe Deiparæ Virgini Antiphonam *Salve Regina* corde toto cantatam à Monialibus, ut viſa ſit læto geſtu Beatiſſima Deipara Monialium ſingularum corda in aureum quoddam vaſculum delicatè ordinéque colligere, & ita collecta Filio ſuo pro dono ſingulariſſimo & pretioſiſſimo quàm reverentiſſimè amantiſſiméque deponere, accipiente avidâ utráque manu illa orantium corda è dilectæ Matris manibus benigno puero Iesu. Nunquam, ah! nunquam deerunt Deo modi tuas erga hunc puerum, erga hanc Matrem devotiones, modò ſolidæ, attentæ, probatæ ſint, modis tibi nunquam cogitatis, ſupra captum tuum, ſupra condignum coronandi. Tu cor mundum collige, ut illud Maria colligat in ſinum Iesu.

4. De Salutatione Angelica vel aliud ab eo, quod *hebdomadâ 21.* dedimus, refert, vel idem aliter narrat *Ioan. Gavaſton* in vita Bienevenidæ de Auſtria Virginis. Hanc, ait, ſummo deſiderio flagrâſſe puerum Iesum eâ ſpecie videndi, quâ ille triennis cùm eſſet, cum Matre verſabatur. Annuit curioſis, at ſimplicibus & pijs illis deſiderijs pijſſimus puer. Cùm enim in templo tota oraret Bienevenida, ecce illi adfuit pretioſus, exquiſitâ formæ ad omnem triennis infantiæ venuſtatem elegantiâ parvulus; & à Bienevenida quis eſſet, non ſatis agnitus, atque ad orandum Salutationem Angelicam invitatus ipsâ Virgine Catechiſtâ præeunte jucundiſſimâ modeſtæ compoſitionis religione ac reverentiâ, *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus*, exprimebat. Pergebat Bienevenida præire, & dicebat: *& benedictus fructus ventris tui.* Tum verò & loqui & videri deſijt ſuaviſſimus diſcipulus puer Iesus; & Magiſtram ſuam, ſeu diſcipulam veriùs Bienevenidam in ſolatiorum delicijs reliquit. Collige ergo animum, & ad demerendum tibi filium die Matri: *Salve Regina, Ave MARIA.*

5. Quia verò Maria communem cum *Patre luminum* habet Filium, atque adeo & ipſa quâ talis Filij Mater, *Mater luminum* dici poteſt, dum illam *gratiâ plenam*, dum *miſericordiæ Matrem* ſalutas, vide ut intimum illud cordis lumen ab illa, & per illam petas. Ex illa nata eſt Ioan. 1. *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ora, ut te illuminet etiam abeuntem ex hoc mundo. Hic Epiphaniam tuam celebra in Mariæ ſinu, velut in altari Dei. Ita *nox* tibi *ſicut dies illuminabitur.* Et matutinâ ergo & veſpertinâ formulâ dic Mariæ *Ave*, & *Salve*, & utráque matutinum & veſper-

& vespertinum ab ea & per eam lumen pete. Admirandum, & nunquam satis æstimandum, ideóque per ipsam Dei Matrem à Deo semper efflagitandum. Dei donum est interna illa capitis & cordis, intellectûs & voluntatis lux. Dic ergo parvulo: *O IESU, per MARIAM te rogo, sis mihi lux viva, aterna; illuceſce, & mihi illumina tenebras meas.*

# HEBDOMADA XXV.

## *Impetrandi aliquid à IESVLO, compendium est petere per MARIAM.*

1.

SAncta Abundantia etiamnum ostentis pomum aureum ab aureo hoc parvulo & sinu Beatissimæ Virginis impetravit; & ipsa flores hibernos pro dono reddidit. Ita extraordinaria inexpectata quædam, & adeo heroica opera, ut secundùm modũ quasi miracula videantur, sunt optimæ gratiarum actiones pro ijs beneficijs, quæ è IESULI manu, è MARIÆ sinu accipimus. Verè in MARIÆ sinu invenitur IESUS. Accede ad MARIAM. Non otiosus tibi illic sedet IESUS Unicum quotannis pomum edit Malabarica quædam arbor *apud Causinum in planis num. 63.* adeo immensum, ut unicum oneret quamvis robustum hominem. Pomum hoc vix non est annus pomorum, nam trecentos intra se continet fructus, & pellicu-lis suis distinctos singulos, & tantos, ut singuli poma nostra singula æquent mole, in quibus alij iterum clausi sunt fructus. IESULUS est unicus, & benedictus fructus MARIÆ. In singulos anni dies, imò momenta fructus ex hoc fructu habemus. Sed arborem hujus fructûs ne neglige.

2. Aureum Fenella Kenneto Regi Scotorum pomum proposuit in manu Statuæ, distinctum gemmis. Attigit pomum Rex, & plurimis indè veluti è mortis penu prosilientibus sagittis confossus est, ut *ibidem est in Lapillo n. 5.* Abundantiæ IESUS unicum pomum aureum dedit, sed è sinu MARIÆ, & vitalibus jaculis prægnans, pretiosum lapillis ad orandum cor. His gemmis adeo pretiosa fuit reddita mors Abundantiæ IESULO semper totâ cordis teneri devotione addictissimæ, ut morienti campanæ omnes ultrò applausérint, quòd nimirum Abundantia ad æternos Dei Sponsi IESU autumnos in cœlestem hortum ascenderit, ubi poma omnia bona sunt & æterna. En quomodo ista primò in MARIÆ sinu, postea in sinu æternitatis beatæ IESUM suum invenit, & in pomo regnum aureum impetravit.

3. *Ronifacius historiæ Virginalis lib. 2. ex Iaponicis historijs* refert, mulierem puerulum infantulum complexu tenentem à Japonibus solere depingi, ad eámque tanquam ad communem Patronam in afflictis rebus eos confugere.

4. Fecit id P. Emmanuel Sá Soc: JESU, & per MARIAM obtinuit, quod petivit. Is cùm sub Adventûs ingressum ad Beatissimæ Virginis iconem prostratus quereretur, quòd in omnibus Christi mysterijs tenerâ flexanimi cordis

dis dulcedine abundaret, circa nascentem tamen Iesum durus esset ac pumex, petijt ab illa & per illam à Iesu per intimas preces, per lachrymas, per acres sui diverberationes, ut tenerior esset in devotionem, in calores cordis, in virtutem. Sentit respondentem cordi suo Virginem, & petita promittentem. At spes præter spem longior differebatur, ferè ad periculum spei. Quare in ipso nascituri JESULI pervigilio preces & flagella ingeminat Emmanuel: sed præter spem adhuc nihil. Tandem ipsâ divinâ illâ nocte priùs quàm ultimum ære campano signum daretur ad matutinas preces, audit Pater molliculo indice leniter pulsatas cubiculi sui fores. *Ingredere*, inquit, & videt! Ingrediebatur ad Emmanuelem EMMANUEL tenerrimæ pulchritudinis puer, cordis desiderantis magnes pretiosissimus, & ab omnium oculis & cordibus amari dignus Jesus, ajebátque ardenter: *Quaso, Pater, tege me, quia frigore totus algeo.* Sensit se arcanissimo calore mirè affici, totúmque intimè impleri inexpertâ quadam beatitate; & vestem hospiti parvulo injecturus accurrit. Sed momentum id fuit! Nam parvulus modicùm visus, æternum deliciarum pondus reliquit in corde Emmanuelis, discedens. Nox illa unica totius vitæ Emmanueli oriens fuit; illa omnes illius dies adeò illuminavit, & oculis tantum affudit jugiter manantium lachrymarum, ut hac visi semel frigentis parvuli cogitatione percussa mens, aut visâ imagine irritati memores oculi usque ad mortem aquas darent affatim salientes in vitam æternam. Vide, quid apud JESULUM MARIA non possit exorata! Vide, quid apud illam non possint flagris armatæ preces & lachrymæ! Sic pulsa portam JESU; sic pulsabit cordis tui ostium JESUS. Verùm vide, ut dicas: *ingredere*! & confestim aperias ei, quando se in secretissimam aurem tuam, in pectus, in cor inspirat, & petit à te jejuniolum, communionem, eleemosynam, cor mundum. Semper ille est Emmanuel *nobiscum Deus*. *Allegambe* de Emmanuele Sà *in Bibliotheca pag.* 103. Conjecturis, inquit, haud obscuris putatur aliàs sæpe, sed primâ præsertim ætate cœlesti viso, divinâ infantis Iesu, divinæque Matris, erga quos fuit affectu semper singulari, præsentiâ, speciéque recreatus. Ferunt obitûs sui diem prænunciâsse, quòd ei se Beatissima MARIA Virgo, & S. P. N. Ignatius visendos objecissent. Ecce iste per MARIAM quanta obtinuit! JESUM, MARIAM, IGNATIUM, id est, Filium, Matrem, Patrem vidit, & oculos satutos clausit.

5. *In Menologio Cisterciensi 19. Martij.* B. Abundus celebratur extasibus mirus; aperto cœlo Beatissima Virgo manum illi ad osculum dedit, & ipsa illum aliquando osculo dignari visa. Per hanc ad Iesum parvulum invenit aditum, unde Iesulus illi sæpe inter Angelos adfuit Consolator, & Beatissima Virgo illum amicum charissimum, filium dilectissimum non semel compellavit. Denique per MARIAM venit ad nos Iesus, & nos ad Iesum eamus, manuducente nos MARIA.

6. *S. Laurentius Justinianus* de casto connubio Verbi & animæ cap. 23. fol. 132. *Qualis tunc Sancta Genitrix esset*

*esset animus, qualis affectus, qualeque incendium charitatis, nullus sufficit cogitare.* Et post plura. *Undique inflammabatur amore, in omnibus sapientiæ splendore illustrabatur, fovebat puerulum in gremio, & à Verbo amplexabatur: lactis poculum præbebat Filio, & devotionis nectare pascebatur; oscula imprimebat infantulo, & dilectionis jaculis vulnerabatur, &c. redolentes carpebat amoris flores; non advertebat, ubi erat nimiâ ebria charitate, dulcisque habitabat in filio, quàm in se.* Per illam ergo ad IESUM via est brevior, ut impetres, quæ petere animo destinâsti. Jesus est MARIÆ; eapropter facilior per hanc ad illum aditus, ut accipias, quod petis. Nam ut *lib. de carne Christi num.* 15. ait Tertullianus: *fructus uteri Virginis, in utero radicem egit;* Ejus est, cujus est uterus. Et si quàm reverentissimè tamen & sobriâ interpretatione è Juristarum gymnasio licet aliquid mutuari, *partus sequitur ventrem.*

# HEBDOMADA XXVI.

## *Amor erga Beatissimam Virginem ut solidus sit, petendus est à parvulo Deo IESV.*

1.

S*Anctus Augustinus* hom. 32. inter 50. *Ipse* ait, *tanquam Sponsus processit de thalamo suo, de utero scilicet Virginali, ubi sancta nuptia factæ sunt.* Ideo eum, quo erga MARIAM ardebat, cordis calorem, à Jesu hausit B. Hermannus è S. Dominici cœtu sancto, circa Annum Domini 1245. divino parvulo ejusdémque Matri devotissimus. Hic in honorem pueri Iesu materna Virginis viscera per menses novem parvuli divini bajula, manus item, quibus ille ab illa gestatus; virgineum pectus, quo lactatus fuerat, ex Angelicæ Salutationis formula salutabat, adjiciebátque pro intercalari quasi suspirio: *IESU suavissime, dignare me, meam ac tuam Matrem super omnes speciosam, ore laudare, corde admirari, & imitatione subsequi.* Eundem verò jam virum, & è cruce pendentem sæpe in hæc verba cum lachrymis salutabat: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Ita precantem suis vulneribus veluti totidem uberibus, dulci sanguine lactavit Iesus (*In Vita.*)

2. S. Franciscæ Romana, ut habet *Vita illius lib.* 3. *cap.* 16. videbat se à sedente in sinu Matris Virginis puero Iesu aspici oculis cor dulcitudine penitissimâ inenarrabiliter possidentibus. Tum se luce vidit amictam, & parvulum è materno sinu abeuntem, & ad suos sinus convolantem. Inter illos ergo amplexus cœlestium osculorum in hæc à præsente ibi Confessario audita, & scripta erupit: Gratias tibi reddo, alma Virgo Regina cœli, quòd tibi placuerit non pro meritis meis, verùm pro benignitate tua me beare favore tanto. Et ad puerum: Dulcis amor, ardentis charitatis focus, quæso, si ita placet bonitati tuæ, fac, ut nullo modo discedam à te. Concede mihi, ut possim te ita amanter tenere in brachijs meis,

„ meis, usque dum finitis ultimis diebus
„ hujus vitæ meæ mortalis veniam ad te.
„ Tu itaque Mater Dei, posteaquam te
„ liberalem erga me ostendisti, ne, quæso,
„ tolle mihi jubilum cordis mei, cujus tu
„ fuisti causa, &c. Et *cap.* 18. vidit Franciscа in tugurio mysterium nascentis Iesu, & geminatam longéque quàm hactenus dulciorem cœli harmoniam audivit. Ibi à Matre accepit puerum tunc natum, ut velo suo illum veluti fasciolis involveret. Interea dum Franciscа parvulum fovebat sinu, audiebat de illo loquentem MARIAM; ô quàm admiranda & penetrantia usque ad cor! Disparuit postea, in materno sinu iterum visus puer, & auditæ musicæ voces dicentes: *O anima pauperccula, quæ à Deo electa es, & jam admissa, ut gaudeas festis cœlestibus, &c.* Tum se ad accipiendum iterum puerum parare jussa, illum ad se iterum venientem amantissimè accepit ulnis totis. Dixit illi tunc JESULUS, ut procuraret correspondere amori, quo amata est à Deo, & à Dei Matre: & continuam beneficiorum, quæ ab utroque accepisset, memoriam retineret.

3. *Petrus Damiani serm. 2. de Natali Virginis* ita illam alloquitur: *O beata ubera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum & hominum pascunt!* Quam puer JESUS cum lacte ipso erga Matrem suxit pietatem, sicut Hermanno & Franciscæ dedit, dabit & nobis lubens.

4. Expende illam S. Catharinæ Bononiensis felicitatem, quâ in medio sanctæ nascentis Jesu noctis silentio, pulchra in luce tenellum parvulum vidit, & à MARIA accepit. Expende tot alios aliásque, quibus MARIA JESUM porrexit in sinum & cor! & disce, quòd sicut JESULUS petendus est à MARIA; ita & multò magis MARIA sit petenda à JESULO: id est, sicut illa nobis impetrat singularem affectũ erga JESUM; ita singularem erga illam affectum petamus à Jesu, qui illum nobis dare & potest, & si valde rogetur, dabit libenter.

5. Dedit Columbæ Virgini; de qua *historia Ordinis Prædicatorum* refert, illam à teneris Jesu ac MARIÆ fuisse devotissimam. Certè cùm etiamnum parvula humi provoluta quotidie calentissimo innocentissimi cordis sinu totis totius pectoris viribus unum, alterum, tertiúmque Rosarium orando absolveret, adeo in rabiem egit invidum genium, ut ille illi Rosaria è manibus extorqueret, & grana dissiparet. At verò tantam apud JESUM & MARIAM gratiam inijt, ut amore utriusque magis incalescceret semper, & ipsâ nocte sanctâ, e Virgine nati infantis Dei collectam in parvuli corpusculi quasi compendio pulchritudinem, Virginémque puerperam, ac Josephum viderit, audiveritque è cœli choro musicum Angelorum concentum corda pulcherrimè percellentem. Ita mutua res est JESULI ac MARIÆ amor, ut alter alteri manum porrigat, facem tradat, portam aperiat, ita ut neuter solus esse velit. Decipit te illudens tibi amoris Mariani imago, si putas veram veri erga MARIAM amoris imaginem in cordis tui tabulis ab alio sculpi, incidi, aut pingi posse, quàm ab amore JESU.

6. *Apud Epiphanium in Vita Hieremiæ Prophetæ*, Ægyptijs mos est solennis, Virginem in lecto, & infantem in

præsc-

præsepio collocandi, adorandi. Colloca utrumque in maximè recondito cordis loco. MARIA IESULO, IESULUS MARIÆ parabit te; ut si non digna, certè munda, ornata, grata sis habitatio utriusque.

7. Idem est S. Laurentij Iustiniani Consilium *in Fest. Natalis Domini* te sic alloquentis: *Humilis ancilla implora suffragium, exemplum disce, actus discute, animum contemplare.* Est autem MARIA ad opitulandum paratissima. Ad præsepe igitur perge: ubi Matrem cum Filio, & Filium Genitricis ubera sugentem invenies. Utrumque postulabis: MARIAM voce, Infantem affectu. Te namque ore tacentem, vociferantem corde, puerulus exaudiet IESUS. Nam etsi in membris infantilibus ipsum jacere cernas, hominum tamen scrutator corda, vota intelligit, desideria perficit idem Deus & homo.

8. De Octavio Cajetano *in Bibliotheca Scriptorum Soc. IESU* ita memoriæ prodidit *Alegambe pag.* 359. Imminente consecratione, in Sacro P. Octavij visam accedere Reginam cœlorum pluribus etiam Angelis stipatam, quæ sinu gerebat velut templi cujusdam, vel tabernaculi speciem, ex quo tabernaculo sub consecratione formosissimus prodibat infantulus. Sic adstitisse omnes Sacrificio, donec ad Communionem Dominus arctè visus est Octavij spiritum complecti. Ecce mutuam inter IESU & MARIÆ amores vicissitudinem reciprocationis! Et MARIÆ amor petendus est à IESU, & IESUS formosissimus infans, ejúsque amor petendus est è pectore, è corde MARIÆ, illo Dei cum hominibus tabernaculo: ut nostrum & IESUS & MARIA spiritum quàm arctissimè complectatur.

XX 2 ANNI

# ANNI PVERI DEI JESU,

## PARS III.

## HEBDOMADA XXVII.

*Examen Conscientiæ exactè faciendum præfecto rationum parvulo Deo Jesu.*

I.

CHaldæus *Paraphrastes* illud è Canticis: *Manè surgamus ad vineas*, explicans, *surgamus*, inquit, *manè, & eamus ad domum Ecclesiæ, & ad* domum examinis; *ut investigemus in libro legis.* Et manè & vesperi intra cor tuum, veluti domum examinis; fac rationarium diei totius: horas tuas omnes ad IESULUM convocatas examina, quid singulæ egerint.

2. S. Franciſca Romana Vidua *Vitæ lib. 3. cap. 16.* cum beatiſſima Virgine parvulum IESULUM ſe luce quâdam immensâ jam involventem, jam inde emergentem ſpectavit, & cœleſtem ſymphoniam ita monentem audivit: „ Anima Deo chara ama illum, qui te adeo „ amavit prior. Ecce novus hic qui ad „ te venit amor pellit à te veterem amorem. Amor tui amantiſſimus eſt ille, „ qui in te ordinavit tua verba & facta. „ Amor eſt ille, qui amando te facit, ut „ amorem quæras! Ita ibi. Dum in „ te quotidianâ examinis indagine inquiris, IESUM amorem tuum quæris. Ille ordinabit in te charitatem. Coram illo explica rationarium cordis, & præterita tua dicta & facta, imò & cogitata diſcute; futura verò ordina in ſinu IESU.

3. Ita Joannes à Ponte *in Martyrol. Franciſc. 22. Novemb.* parvulo Deo IESULO

sulo tenerrimis lachrymis addictus plenè, non tantùm diligenti conscientiæ discussione inquirebat in diem & horas suas quotidie; verùm etiam, priusquàm pranderet, eas, quas in tenero conscientiæ Catalogo repererat, maculas confessione quotidianâ eluebat.

4. Vesperi ergo à lucidissimo, qualem S. Franciſca vidit, Jesu radium unum pro corde pete, in quo illius erga te bona, & tua contra illum mala videas. Effunde cor in actionem gratiarum. Pete ab illo lumen, qui est lumen de lumine, ut te videre possis: Inquire in cor per horas singulas: dole, deprecare, veniam pete à parvulo, & mille illius pedibus fige oscula, simúlque seriam emendationem promitte: & si quid procellarum inæstuat cordi tuo, id omne Jesulo explica.

5. P. Alphonso Barzanæ Soc. Jesu, qui in Conchensi Collegio felix excessit è vita 1 Januarij Anno 1598. vesperi initis jam cum conscientia pro more rationibus, quandam cordis afflictionem Deo parvulo explicanti plenum, attulit solatium, quando in afflicti sinum sese admirabili exultantis cordis suavitate imposuit dulcis parvulus Deus Jesus.

6. O utinam id ad beatissimos parvuli nostri pedes prostrati impetremus, quod Jacoponus olim obtinuit. Datæ sunt Beato illi duæ à Deo visiones: altera, quâ cognoscebat Iesum; altera, quâ se ipsum; per illam perfectum erga Christum amorem acquisivit, per alteram adeo perfectum sui odium est adeptus, ut nihil in votis haberet magis quàm pati; nihil majore cum tranquillitate ageret, quàm cùm patiendum erat. Felices nos, si se ipsum & nosmetipsos ita nobis ostendat Jesus! Et sic ut in illo unita est natura divina humanæ per hypostaticam unionem; ita nos homines uniat Deo ostendendo nobis, quid nos simus, & quid sit Deus. In illo lumine omnes nævos, omnes atomos Deo in nobis displicentes respiciemus: & nos verè judicantes non judicabimur. Accersamus ergo nos ad judicium nostri domestici & quotidiani tribunalis. Nam si coram eo & cum eo quotidianas rationes nostras bene composuerimus, in supremo judicio coram eodem judice parati consistemus, & ad stateram appensi non inveniemur minus habentes.

7. Denique bona etiam opera, si quæ in te repereris, repone in sinu Jesu. Ita *lib. 3. cap. 4.* S. Gertrudis vidit orationes aliáq; bona opera à quibusdã congesta in sinum pueri Jesu, quem Beatissima Virgo visa est ad accipiendum componere, coaptando illius sinum & manus.

---

# HEBDOMADA XXVIII.

*Verbo Dei in concione ac lectione sacra bene accipiendo ut te IESVS parvulus paret, ora.*

1.

ET in libris, & in concionibus loquitur Jesus; amátque illos, qui hæc amant. super explicatum S. Antonij

tonij Paduani librum sedentis Iesu pueri meminimus. Eandem ego libris quos legimus opto sortem, ut illis non Diabolus, verùm Iesus insideat. Quàm attentâ devotione librum spiritualem legeres, si Iesum illi insidentem vel assidentem spectares! Ille est *qui aperit librum, & solvit signacula ejus*, ut legas æterna.

2. *Menologium Cistercienſe* 24. *Julij* ait, Alphonsum religiosum virum dum anxius cogitaret, num concionibus tot fructum aliquem feciſſet, vocem audiſſe, quâ jubebatur pendentem ibi ſitulam in puteum ad hauriendum aquam demittere. Fecit, & ecce 24. lapillos ſubalbos Iesu nomine insignitos juxta numerum 24. ſermonum, quos de nomine Iesu habuerat, in ſitulæ fundo reperit. En quot concionibus ades corde & aure attentâ in nomine Domini Iesu, id eſt, ad illius nominis gloriam, tot lapillos ponis in urnam felicis æternitatis tuæ.

3. Familiare fuit morienti B. Antonio (de quo *Martyrologium Franciſcan.* 30. *Novemb.*) ſuſpirium: Iesus, Maria, Ioseph. Hic etiam dum in ſeculo degeret, ſanctè doctus Eccleſiaſtes, in more habuit, ut ſuis concionibus exordium hocce præmitteret, quod tibi uſui eſſe poterit concionem auditu-
» ro: Mors, gaudium, infernus, vitium,
» & virtutes. Emitte, Domine, ad iſtos
» homines radium de cœlo, non igneum,
» ut illos comburat, & perdat; ſed luci-
» dum, ut ipſos illuminet ad te cogno-
» ſcendum, Amen. Dixi è Tertulliano *hebd.* 7. Iesum dictum eſſe *radium Dei Patris*. Hunc radium pro te, pro illo, quem auditurus es, pro iis, qui tecum adſunt, à Deo pete, illum corde apertiſſimo hauri. Aderit ille, & ſuos in te radios colligens, te uret, ac te faciet ſpeculum urens corda. Ita magno illi, & ab ipſo Iesu laudato Eccleſiaſtæ P. Franciſco Riberæ Soc. Iesu in cathedra dicenti viſus eſt Iesus dare amplexum, & jam mortuo videbatur lucis divinæ radius à Dei corde in pectus fundi. Vide *hebdom.* 19. *num.* 4. Derivabis illum radium in te, ſi concioni puriſſimâ illâ intentione adfueris.

4. Præter intentionem ſanctam etiam conatus quidam attentionis & executionis requiritur ad ea, quæ in libro ſpirituali legis, & quæ pro concione audis. Ita *apud Binet. Magnetis cap.* 12. *num.* 9. citatus S. Thomas *opuſc. de SS. Sacramento*: Verbum incarnatum eſt *quidam Dei exceſſus, & ultimus divinitatis conatus*. Maximum & tuac optimum ad lectionem ſacram & concionem conatum adhibe.

5. P. Fabius Ambroſius Spinola *in vita Mariæ Victoriæ cap.* 14. ait, viſam ab illa aliquando Deiparam cum Chriſto in ſinu infante, quæ Monialem in choro, pſalmorum libris legendis cantandisque intentas inviſebat, & ſingulis in os liquorem pretioſiſſimum infundebat, ita tamen ut alijs plus daret, alijs minus pro menſura devotionis, quam in legendis illis verſibus exhibebant. Lectio orationis eſt ſoror, & vox loquentis Dei. Quod illis libros Pſalmorum legentibus factum à Iesu & Maria, idem tu habebis in lectione ſpiritualium librorum, & experieris eloquia Dei, & audita & lecta cum attentione & devotione eſſe dulciora ſuper mel & favum.

6. Mar-

6. Margareta Oynia Ordinis Carthusian. semper sibi præsentem videre videbatur IESUM clausum manu libellum gestantem, ut memorat *Barrius tridui die* 3. Apertus illi aliquando hic liber duabus tantùm constabat pagellis, aut potiùs pagellarum loco purissimis duobus speculis. At quid ibi legisset, negabat se verba reperire ad explicandum. Lege libellum tuum spiritualem ut speculum in manibus IESU, ita proficies.

# HEBDOMADA XXIX.

## *Bonorum propositorum tenaces amat IESVLVS.*

1.

AMavit & ornavit B. Stanislaum Kostkam, qui dum conceptum Societatem IESU ingrediendi desiderium solo interea corde suo debere esse contentum, neque ultrà procedere posse videret, voto firmavit id quod in votis habebat; ut Sacramento autoratum cor eò solidiorem teneret constantiam, etiam inter quotidianas, quæ illi objiciebantur, difficultates. Tum ægrum Stanislaum terno insultu, rictu hiante præfocaturus teterrimi specie molossi Sathanas invadere conatus, ter à ter felici adolescente cruce & ardenti oratione victus est. Ita Victori huic verè adolescenti desideriorum desideratum manna absconditum, manna Eucharisticum, præsente S. Barbarâ Stanislai Advocatâ ab ipsis Angelis ministratum. Victori ter Christo cibum Angeli ministrabant; ter ope Christi victori Stanislao Christum in cibum Angeli ministrabant. Certè hic pretiosior erat, qui Stanislao tunc dabatur cibus.

2. At illic velatum accepit. Vidit postea eundem absque Evcharistico velo in specie parvuli, quando ægro, ut 3. *part. historiæ Societ. lib.* 4. *num.* 52. refertur, Virgo Clementissima Dei Mater parvulum filium in sinu gestans præsens adfuit consolans Clientem suum, quem ut uberiori suavitate perfunderet, puellum IESUM in ejus deposuit lectulo. Inde ægro Stanislao lectulum suum tam pulchrè floridum contemplanti, non mirifica solùm allata consolatio, sed etiam Salvatoris accessu afflata est salus. Et cumulavit cœli Regina munus. In digressu nominatim admonuit, ut Societati se traderet. Ecce fortem & tenacem propositi adolescentem de dæmone molesto victorem, imò & de fratre domesticisque triumphantem, primò se ipso per Angelos quasi Diaconos pavit; tum unà cum dulci Matre invisit, séque in ægri lectulo deposuit dulcissimus IESUS. Cor propositorum bonorum tenax est floridus lectulus flosculi Nazareni Dei IESU. Hunc florem ut aper ferus de sylva ne proculcet, ut inimico amici ungue ne dæmon decerpat, etiam atque etiam vide.

3. Dominicus Valesius præclarum illud in Societ. IESU inter Ascetas nomen, cùm inter nova novi ardoris proposita sanctitatem altam quandam rem esse conciperet, dubiúsque penderet, ut ejus acta ferunt, Sabbatho, quod erat Beatissimæ Virginis præsentatæ Pervigilium,

gilium, non carneis quidem oculis, sed subtiliore quadam & incognitâ hactenus ratione, augustâ specie Dei Matrem vidit, suavissimum puerulum lævo brachio gerentem. Ibi proposita solidavit, ubi etiam illud hausit lumen ad propositorum sanctam soliditatem. Expertus ipse est, gravitérque affirmabat, nihil ad figenda altiùs in animum heroica cogitata, & ad eblandiendas copiosiores Superûm divitias esse pollentius, quàm si ea Superioribus explicentur: si nihil fiat, nihil ad supinam eorum oblivionem, & ad quandam Gazæ divinæ inopiam proclivius. Quare rationale cordis sui Superiori quot mensibus explicabat, ita Iesum in Superiore agnoscens.

4. Placet hìc attexere, quantos ille viso in Mariæ sinu Iesulo spiritus, & quàm generosas hauserit resolutiones circa proposita. Indè illi nata magna quædam heroicæ mentis in operibus perfectiori vitæ militantibus clàm, palàm, prout res ferret, aggrediendis libertas sui, Deique inspectoris secura: nihil pensi habens, quidquid homines existimarent. Gnaris & videntibus socijs, spiritui ad exequenda interiora dictamina obsequebatur. Pande, pande, ajebat, in suo se soliloquio alloquens, pande vela spiritui. Afflet ille quàm large vult. pelli te sine: & Deum sequere. Videant, non videant homines: perinde habe. Tu modò ne videri appete. In annuis suis exercitijs, Mariam suorum propositorum ac spiritûs Matrem, Iesu bajulam ita alloquebatur: Tene Mater, quod tenes: stringe fortiter: quia magnum thesaurum invenisti. Abrumpo. Tantùm hoc ut expendas & penetres vide: Propositorum sanctorum bases qui solidare scit ad pedes Iesuli, posuit sanctitatis basim. Alia proposita sunt aurea capita fundata super testaceos statuæ Nabuchodonosoris somniantis pedes. Quàm sancti essemus, ô puer Iesu! si dulcia, quæ nobis indidisti proposita & fovere & exequi perrexissemus. Iam tandem nos solida in te! ô unice adamas, qui amas animas! Da quod jubes, & jube quod vis.

---

# HEBDOMADA XXX.

## *Omnes, etiam externas occupationes offer in honorem IESV.*

1.

*Quod concipit Virgo non terrenum germen est, sed cœleste*, inquit S. Chrysologus *serm.* 144. Ita cœleste ferri debet, & ad illud cœleste germen referri, quidquid agis; ex ejus enim meritis velut è radice germinat quidquid crescit in cœlum. Crescunt verò in cœlum etiam terrestria hæc, si honori cælestis hujus germinis dedicentur. Quare non ea tantùm quæ sacra sunt, offerenda sunt Deo, ut *hebdom* 19. diximus, neque manè tantùm, sed & aliàs, atque etiam illa, quæ ex occupationibus externis quasi ad internum & supernaturalem quendam statum transeunt. Ita Teresia de la Cerda, ut *in historia Ordinis D. Dominici* refert *P. Ioannes à S. Maria*, tenero planè studio

studio lavabat linteà, corporalia, & quidquid erat ad obsequia SS. Eucharistiæ. Ne verò importunà muscarum cohors aliquid illis labis aut sordium aspergeret, dum siccarentur, aderat semper. Pretiosum autem sanctissimæ operæ pretium tulit, quando ipsum plenum deliciarum Iesum parvulum mundis linteolis insidere, ac demum ad majores cordi Teresiæ delicias faciendas illi sese tanquam suis linteolis admirabili suavitatis significatione involvere conspectus est.

2. Æstimat, amat, delectatur tuis, quas illius gloriæ offers occupationibus Iesus. Vide ergo, ut non in templo tantùm illum tecum habeas, verùm corde reconditum etiam domum feras; ut tecum sit in oratorio, tecum in conclavi, tecum in omni pia, literaria, politica, in alia quavis occupatione. *Balingh. 15. Novemb.* Luciæ Narniensis Virginis meminit, quæ Anno 1545. felici morte concessit. Hæc etiamnum quinquennis cùm ad templum profecta Matris Deiparæ parvulum filium sinu amanter complexæ iconem intueretur, ardebat vivis flammis erga parvulum glorioſum. *Visne*, ajebat Luciæ loquens ab imagine Maria, *visne tradam tibi filiolum meum?* Annuit innocentissima cum reverentia Luciola, & acceptum è sinu porrigentis Matris parvulum secum domum abstulit, obstupescentibus ijs, qui parvulæ flebant obvij, quòd puella tam tenera speciosum adeo infantem portaret, & illi vires suppeterent ad portandum. Domum ergo allatum parvulum super lectum collocat; ubi inter suavissimos amplexus, & innocentes preces ac lachrymas pulcherrimo Luciolæ solatio per triduum mansit, cùm interim Mariana in templo imago per totum illud triduum parvulo suo carere visa est. Beati, quibus oneri non est Iesus! Felices vires, quæ illius gloriæ impenduntur! Idem tu age, cùm occupatio quædam te premit, offer illam parvulo Iesu, cogita à te illum portari, dum illam pro illius gloria peragis. Ante somnum super lectulum illum depone, ut ille cum corde tuo vigilet, ac singulos cordis motus, ac singulas respirationes, & somnum totum, horas quietis omnes illi offer in unione somni, quem ille hìc habuit. In agrum, in consilium, ad iter abeunti ille sit comes. Adsit scribenti, legenti, jubenti, parenti, omnia facienti. Ille sit occupationum tuarum & finis & canon sanctus. Ita facies, ut etiam in his externis occupatus, ipso opere dicas illud pretiosi pueri Iesu: *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Dedica omnia Patri cum Iesu, per Iesum, & in Iesu, & jam sunt omnia Patris tui, unà tecum.

3. Romæ in Ara Cœli, ut etiam *Gonzaga de Origin. Ordin. Seraph. pag.* 135. meminit, Tiburtina olim Sybilla Virginem glorioſam aureo circulo insidentem juxta Solem, puerúmque ulnis gestantem Octaviano Imperatori ostendit, dicens, illam Virginem Aram Cœli esse; caveret ne sibi aram erigi sineret, potentiorem esse illius Filium. Cave tu aram vili rei creatæ ponas. Omnes etiam externæ occupationes tuæ tibi sunt gradus ad aram cœli, si sanctâ intentione animentur. Sine aliorum intentiones ad aras vanæ gloriæ, vel etiam ad aras inferni. Inten-

gio tua, thus mentis & cordis, sit Aræ Cœli. Ipsum cor, si thus esset, contritum, in igne amoris, intentione purissimâ illi illud adolere totum deberes. Jesulo ergo tuo tanquam verè vero & unico Deo tuo in Mariæ sinu; velut in Ara cœli, quidquid agis offer: orationes, tanquam aurum optimum; intentiones tanquam selectum thus; mortificationésque corporis animíque tanquam myrrham regiam.

4. *Maraccius liliorum §. 26.* de S. Mechtilde, ait visam Beatissimam Virginem in medio Congregationis sedentem, habentémque in amplexu puerum elegantissimum, cujus brachia gemmis & auro erant ineffabiliter ornata. Apta brachia ad labores, ad scribendum digitos, ad ambulandum pedes, membra omnia, exrernas occupationes omnes ita expedi, ut memineris aurea & gemmea esse brachia pueri Jesu, ut labores tuos & occupationes omnes, viles aliàs ex se, à te tamen intentione sublimi elevatas, opulentâ remuneratione coronet, qui est in omnes dives.

5. Offerebant labores suos parvulo nostro Virgines geminæ, virtute spectabiles & oratione, ac pijs colloquijs condiebant labores suos. Quin cùm inter fæmineas occupationes considerent, pulvillum in medio pro divino parvulo collocabant, ut refert hilaris *Gazæus p. 2. pag. 100.* Et certè super pulvillum in medio piarum Virginum dum laborarent, consedit spectabilis utrique puer Iesus, ac se in genua proijcere parantes prohibuit: pergere porrò in labore jussit, & suavissimo nunc in hanc, nunc in illam conjectorum oculorum aspectu illas ad laborandum & orandum pulchrè animavit. Quo verò sensu illæ, dum se ab illo aspici & amari viderent, laboraverint, hoc tibi arbitrandum & experientiâ probandum relinquo; simúlque voveo, ut ita te occupes, quidquid demum agas, ut memineris te ab illo aspici.

---

# HEBDOMADA XXXI.

## *Omnium Sanctorum cultum cum tenero erga puerum IESVM amore conjunge.*

1.

AMor amoris cos est & pretium. Appetentibus ergo natalibus Iesu ferijs, aut sanctæ communionis die, cogita illud Zach. 14. 5. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo.* Hic est ille agnus, coram quo 24. Seniores procidunt & ponunt coronas suas. Hic est ille Rex Sanctorum omnium, & corona: cui debent Sancti, quòd sint Sancti. Solatio fuit Sanctos cum Iesu Rege, & Maria Sanctorum omnium Regina coluisse Bogunido, quem *Anni Ecclesiastici tom. 13. Anno 1287. num. 15.* è Poloniæ fastis narrant. Hic è Gnesnenſi Archiepiscopo Camaldulensis Asceta factus, vir fuit & corpore per severissimam castigationem, & animo in Iesu & Mariæ sinu defixo, mirabilis magis, quàm cùm pede sicco aquas calcavit, & alia admiranda patravit. Hic supremo jam senio confectus ultimùm cùm spiraret, assistente

Divâ

Divâ Deiparâ Iesu puero onustâ, in Sanctorum nec non Divorum Regni tutelarium comitatu animam felicem efflavit, postquam dixit: *IESU fili Dei & Virginis MARIÆ susceptor esto anima mea.* Fuêre complures, qui pulcherrimæ instar Columbæ in cœlum inter Angelos evolantem illius animam se conspexisse testati sunt.

2. Etiam ille Jacobus in hoc albo meritò commemorandus, qui ut est *in Martyrologio Franciscan. 25. Julij*, dum ultimo in morbo decumberet, visi sunt super ejus conclave SS. Angeli, & aliorum Cœlitum multitudo: & ipse postea se cum pulcherrimo puero Iesu ad cœlum abire dixit post mortem.

3. S. Franciſca Romana, quod narrat *Vita illius lib. 3. cap. 16.* vidit Sanctorum choros, Ducem S. Joannem Baptistam sequentium, & gratias canentium pro electione ad beatitatem; alios deinde rubro signo insignes, gratias Deo accinentes, & Franciscam ad amorem & gratias adhortantes; fœminas denique S. Mariam Magdalenam sequentes in gloria. Vidit Mariam Electorum omnium Reginam coronâ tergeminâ coronatam cum parvulo quasi octo mensium Iesulo. Vide quàm libenter secum in corda, quæ possidet, invehat Sanctos Iesus! Non vult esse solus etiam apud te. Si illum colis, & omnem illius aulam cole. Ita cor tuum vocabitur aula Dei, & quasi Prytanæum Sanctorum omnium, sive Pantheon Divis Cœlitibus omnibus & per illos Deo Iesu dedicatum.

4. Ita non incomitatus venit Iesulus in sinu Matris ad Catharinam Ricciam, quando plurium secum Sanctorum coronam adduxit, ut habet *ejus Vita.* Ita ille *apud Cæsarium lib. 8. c. 5.* Religiosus per omnia fervens petitam in festo omnium Sanctorum pro die Nativitatis Christi visitationem impetravit, & se à torpore, quo nocte illâ se pressum sentiebat, excitantem Virginem, & incomparabilis pulchritudinis infantulum, & S. Josephum senem vidit; & exhilaratus ac magis accensus est.

5. Felix etiam in hoc P. Claudius Panceottus, de quo Anni 1609. monumenta loquuntur. Huic ultimùm ægro prodromis Angelis adfuit Regina cœli cum Rege cœlorum infante Deo in sinu, & BB. Claudio, Ignatio, & aliquot alijs è triumphante Iesu Societate Beatis, qui omnes Claudij lectulo adstitêre, polliciti, parvulo illo & Maria duce, hisque Divis comitibus cœlo brevì potiturum. Voluptas ei inde concepta totum doloris fastidium ex fundo exhausit, & febrim fregit. Triduum superfuit, sperante Medico vitam; moriturus ecquid molestum haberet rogatus, hoc unum respondit; *quòd in his, quæ Dei fuerunt, totus ego non fuerim.* Ab Angelis deinde exhilaratus aspectu, tandem pansis brachijs: *Lætatus sum*, inquit, *in his, &c.* Sanctósque complexu anhelans, *Venite*, ajebat, *Sancti omnes! Adeste omnes Angeli Dei! &c.* S. Maria! Rogatus quàm speciosa esset illa, sacrâ illâ interrogatione, respondit: *Quàm pulchra es amica mea!* Et, ô Iesu! ô Iesu! & ut erat è corporis compositione gestúque colligere, intelligere videbatur arcana quædam, quæ nec homini loqui, nec calamo scribere licet. Ita

in Iesu, Mariæ, ac Sanctorum amplexu ad omnium Sanctorum Civitatem discessit.

6. Imprime & tu hodie cordi tuo efficaci animi decreto, & statue sacrosanctum illum cœli Senatum; illam Rempublicam, illos Patres in cœlo conscriptos uno cordis amplexu venerare. Ita nocturnis suis precibus ad Iesum Regem aspirat Ecclesia: *Ad Societatem Civium supernorum, perducat nos Rex Angelorum!* Manè verò prægnantibus magno sensu verbis, *Sancta MARIA*, inquit, *& omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari & salvari.* Ut ergo mereari à Iesu servatore adjuvari, & tandem salvari; per Mariam & per omnes Sanctos ac Sanctas Dei peculiari posthac illis devotissimi cordis nisu & attentione colendos hoc age, ut quod ego, quod tu unus non potes, efficiant illi omnes; quod possibilitas nostra non obtinet, eorum omnium nobis intercessione donetur.

7. *Insinuat. divin. piet. lib. 4. cap. 1.* S. Gertrudis vidit in genethliaca Iesu nocte à corde floridi Iesu splendorem erumpere, qui viam quandam illuminabat. Per illam viam ibant ad Iesum ij, qui se disponebant ad festum, intellexitque illa, quòd illi qui se aliorum orationibus humiliter commendaverant, quasi quibusdam manibus ducentium subvecti, ac ex utraque parte vallati, sinè omni errore ad Dominum recto tramite in splendore cordis divini properabant, alij verò quandóque deviabant. Accipe ergo sanctos omnes cœlestis aulæ Principes, quorum quasi manibus ducentium subveharis, ac ex utraque parte vallatus, recto calle ascendas usque ad splendores divini cordis Iesu. Putas, indignabuntur aut dedignabuntur adesse invitati? Te illuc deducere, tecum amare, laudare in beata illa visione Deum, *hæc est gloria omnibus Sanctis ejus.* Nimirum quod *sermone de Mart.* dixit S. Maximus: *Sancti eos, quibus cum ijs familiaritas est, & in corpore viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.*

8 *In Vitis Fratrum Eremitarum S. Augustini* fuit, qui devotione tenerrimâ ferebatur in puerum Iesum nascentem, adolescentem, & per singulos ætatum gradus prout illum illi festa referebant. sub festum nati Christi (idem de alijs Christi festis intellige) coram imagine festi illius dulcissimi sedebat, suspirabat, flebat, preces indefessus fundebat, ardore cordis & lachrymarum ubertate singulari. Præter Iesum etiam Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium festum celebre habuit. Ad festa Virginis millies Ave Maria dicebat. Omnium Sanctorum festo se per integram hebdomadam per orationes & severam ac devotam corporis castigationem præparabat, & festum illud per totos octo dies devotione quâ poterat maximâ celebrabat, lachrymarum plenus. Hic ergo tantus Iesu, Mariæ, & Sanctorum omnium Cliens, ipso Sanctorum omnium die festo finijt mortalitatem, & post mortem cuidam per quietem pulcher & jucundus apparuit, ac dixit se felici Sanctorum omnium Collegio ac Societate gaudere, gavisurúmque æternùm. Eja Regem Sanctorum omnium, puerum Iesum, & Mariam Reginam, totámque illam ævi beati

Rem-

Rempublicam jam tandem corde dilatato amplectere, ama, cole; ut ad Collegium, *ad Societatem Civium superno-rum perducat nos* Jesus *Rex Angelorum.*

# HEBDOMADA XXXII.

## *In morbo te totum dedica parvulo* IESV.

1.

*Apud Granatensem*, oculatum rei testem, *symb. lib. 2. cap. 27. à pag.* 386. Crevera Monialis pedibus capta, & primo cujusvis Mensis die epileptica, ipso natalis Iesu die à puero
» Iesu sanata dixit: Ego pueri Iesu ma-
» gnâ bonitate, & misericordiâ sana sum. Et verò quæ annis duodecim ægra, per 8. annos incedere non poterat, sed repebat, tum repentè & postea coram Granatensi ipso recta incessit.

2. Alteri post Communionem Sacerdos puerum Iesum porrexit; & illa ubi primùm parvuli vestem contigit, internam sibi vocem audire visa est dicentem: *Surge.* Sana surrexit, quæ totis quatuor annis in lectulo jacebat, & ad sacram Synaxim gestabatur in sella. Ita Medici, ita Granatensis, ita testes plurimi oculati. *pag.* 377.

3. Ibidem Monialis duodecim annorum puella à S. Martini festo ad natalem usque Christi diem, epilepsiam & horrendos dolores perpessa sinè quietis parte ullâ, ad præsepe parvuli deducta, Iesum parvulum sinu tenens, & Beatissimam Virginem oculis quàm devotissimis intuens, dicebat ea, quæ illi affectus suggerebat. Tum humi abjecta, quasi indormisset, jacebat. Erecta verò, cur me, inquiebat, excitatis? Nunc enim aliam videbam Dominam, alium infantem, aliud præsepium. Dixit, & sana in omnium oculis surrexit. Vidit hanc puellam sanam Cardinalis Infans Henricus postea Hispaniarum Rex.

4. Quàm sanctè verò ægros recreet Iesulus, expertus id est B. Bonifacius, de quo *Menologium Cistercience* 19. *Februarij* ait, eum ægrum natali Domini die visitatum à Deipara. Depositus à Matre in Bonifacij lectulo Iesulus, manu è fasciolis extractâ velum de facie reduxit, séque ægro videndum dedit. Tum beatus æger: Si nihil aliud, inquit, esset in paradiso, nisi facies ista benedicta, dignum esset pati omnes tribulationes, ut possemus videre faciem tuam gloriosam. »

5. P. Petrus de Anasco, ut habet *Alegambe in Bibliotheca pag.* 370. cùm juvenis gravissimo teneretur morbo, Beatissimam Virginem, quam impensè colebat, invocavit. Illa visibili specie mox adstitit Filium suum ulnis complexa, & suavissimis Clientem suum verbis solata, sospitatem pollicita, ut per vitæ perfectæ rationes Filio suo militaret in Societate Iesu. Pulcherrimè floridum ægri B. Stanislai Kostkæ lectulum describit *in ejus vita* & *in historia Societatis* Sacchinus. *Vide hic hebd.* 29.

6. S. Adelhardus, de quo Joannes Severamus & alij *in vita*, morti licet paulò pòst obeundæ proximus, nocte tamen Christi nati cum alijs in templo adfuit, ubi quantò altiùs canebant chori,

ri, eò ampliùs flebat in jubilo. Ita omnia componebat domi, ut mors nihil imperfectum reperiret, & viso in morte Christo animam dedit.

7. S. Clara Virgo tot Virginum Mater sancta, per morbum non potuit ad sacras beatæ Christi noctis preces ire cum alijs. Absens tamen totam se ad intimos pietatis sensus excitabat. Sororibus è templo reversis, quidquid egissent retulit, adfuisse se spiritu, & vidisse Puerum JESUM sibi apparentem ipsâ natali sibi olim horâ. Hoc agunt melioris notæ infirmi, ut quantum per morbum licere potest, spiritu ad præsepe se sistant, & cor per omnia orbis totius templa & præsepia circumferant, omnes omnium bonorum aspirationes in unione tenerrimi cordis dulcissimi JESU Deo trino & uni offerant. Unde plus longè inde & voluptatis & commodi referunt, quàm fortè sani, qui corpore toto adsunt, mente totâ absentes.

8. Cogita æger parvulum, de quo in S. Mechtilde, *liliorum* §. 25. *Maraccius*, ait, visum esse à Matre Virgine in medio devotarum JESULO animarum altissimè elevari, quo tempore è parvulo, velut è fonte, pretiosi balsami odoratus liquor in omnes exundabat. Hoc balsamo ungere ad sanitatem, ad quietem: hoc odore fætores recrea, quos hauris. Ad amaros autem animi facilè effervescentis motus permoveri si te persentiscas, ut ægris longè facillimè amat contingere, cogita ibidem eandem Deiparam divini pueri gerulam, devotas filio suo animas sub pallio collectas habere, & cordi sui parvuli applicare, ac dicere: *In hoc fonte omnem amaritudinem vestram dulcificate: & omnia tentamenta vestra devincetis.*

9. S. Pachomio, id quod *ejus vita* refert, cùm in petendis Dei miserationibus esset totus, hoc allatum solatium, quod etiam pro ægris est. Adfuit illi spectabilis inter duos Angelos medius pulcherrimæ, ac liberalis indolis adolescens JESUS, è cujus capite augusta quædam, at suavis lux fundebatur; sed idem caput cingebat horridum è spinis sertum. Prostrato ad hæc Pachomio, Angeli manus ut assurgeret præbebant, simúlque dicebant: *Ecce venit tibi misericordiæ, Deus gloriæ IESUS!* Ab hoc adolescente petenda est misericordia, Deus gloriæ JESUS.

10. B. Magdalena de Pazzis *vitæ parte 4. cap. 17.* in extasi accepit imaginem Beatissimæ Virginis, Christi parvuli, & Crucifixum. Et, Ecce Verbum, inquiebat, loquitur animæ dicens: Quàm suavis Crux mea rectis corde! Recti diligunt me: & ego diligo eos. Manus Verbi distillaverunt aurum purum, & manus MARIÆ lac. Manus Verbi in Cruce distillant mel ijs, qui amant crucem; sed ijs, qui sunt procul ab illa, distillant myrrham. Hæc tibi à IESU parvulo dicta puta, mi æger. Dirige cor, & illud resigna in manus JESU aurum, & in MARIÆ manus lac distillantes. Sit sub Cruce lectulus tuus, ut stillantes inde mellis dulcedine sopias amaritudines tuas. Ad hoc ipsum quia durum est, & ista tunc haud occurrunt, pete ab eodem opem cum eadem. Tu loquere, pergit illa ibi, tu loquere ad animam meam. Et quid dicis, ô dulce Verbum? Nihil scias, nihil velis, nihil possis, nihil sis: & omnia

„ mnia possidebis. Dura est portatu nu-
„ da crux absque Crucifixo: sed verum
„ est etiam quòd præmium sit majus. Da
„ mihi vires, dulcis parvule, ut possim
„ illam portare.

## HEBDOMADA XXXIII.

### *Orandi studium disce & pete à puero IESV.*

1.

ILle Magister est orandi. Attenta verò mundi cordis oratio, quàm placeat parvulo Iesu, & Patri æterno patet ex *Annalibus Ecclesiast. tom.* 13. *Anno Christi* 1219. *num.* 18. ex *Cæsario*, ubi Richmundis Virgo imaginem devotæ ac veræ orationis vidit. Orabat illa ipso Epiphaniæ die tota, neque ullam mentis evagationem passa est, nisi illam, quâ in cœlum est abstracta dulci mentis excessu. Tunc illa Christum infantem pannis involutum, & in præsepio positum coram se vidit, ac circa illum thronum quasi aëreum in similitudinem iridis. Erátque ex utraque parte illius multitudo Angelorum manibus extensis eum adorantium, & oculos in eum indeclinabiliter defigentium. Exemplar illud erat attentæ & ab ipso cordis fundo profectæ orationis. Tandem admirabili suavitate vocem æterni Patris audivit dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Interrogata à Cæsario, qui hæc narrat *lib.* 8. *cap.* 7. Angeli quales fuissent, respondit; fuisse effigie hominum, specie Virgineâ, genis roseis, cæterà nive fuisse nitentiores. Habes parvulum nostrum orantium cordium longè amantissimum. Proijce tè ante thronum aëreæ illius iridis, coram jacente in præsepio Iesu. Cogita illum esse Filium Dei verè, Angelos illius famulos esse. Accendat te exemplo suo cœlum.

2. Ad S. Claram de monte Falcone. totâ cordis contentione orantem venit unà cum divina sua Matre vultu amæno arridens Iesus; & à Matre Virgini in arctos amplexus datus, illam corde toto accendit. Tenebat parvulum innocentibus ulnis circumplexum Clara: sed ille elapsus ad Matrem, se quidem è manibus & oculis abstulit, at in corde Claræ reliquit. Sexennis tantùm tunc erat Clara: & tamen ab unico illo pij Iesu amplexu tantum orandi spiritum concepit, ut ad orandum tota exarserit, dies ac noctes totas perseverans in oratione Dei, nunc nudulis humi genibus provoluta, nunc in crucem expansa, nunc prono in terram osculo supplex. *Chronicon Francisc. lib.* 5. *capite* 40. Verè Iesus infans facundissimus empyreæ Seraphinorum Rhetoricæ Professor est. Nemo adeo infans est in orando, quem ille optimè orandi artem docere aut non possit, aut nolit. Ut Præceptor manum characteres formare discentis pueri; ita cor tuum orare incipiens manu ducit Iesus. Ille, ille Iesus, quem cum sanctissima Virgine Catharina Senensi horas divinas orâsse non semel audisti.

3. Ablatum aliquando è sinu effigiei Marianæ IESUM puerum à Maria Pal-

Palmensi refert *in liliis Maraccius* §. 17. Ajebat illa innocentissimæ erga Dominam Deiparam confidentiæ Virgo, se Filiolum Virgini nonnisi recepto ejus ope Fratre suo absque ulla culpa ad carceres condemnato redditurum. Accepit ergo parvulum, & inter mille oscula domum ablatum arcæ inclusit. Tum iterum instantissimè oranti divina Mater adfuit, & Filium repetens de Fratris libertate securam esse jussit. Ita Palmensis Mariæ Filium, & Maria Palmensi Fratrem reddidit. Quid non audent candidæ atque ardentes preces!

4. Oraturus ergo corde collecto, preces tuas dulcissimo Iesu cordi offer accendendas, & perficiendas, id quod à Iesu ipso didicit S. Gertrudis. „ Dulcissimi Filij (ajebat Beatissima Virgo „ apud orantes quosdam *apud Vincemala miraculo* 13. *pag.* 196.) frequentes & „ assidui estote in Filij mei laudibus, „ quem ego vobis & hic & in cœlo ostendam. Et simul ostenso illis cœlesti puerulo, illos ad ardentissimum orandi desiderium accendit. Est ille nimirum immortalis quidam cordium igniculus, quo in pectus injecto, & cor & lingua conspirant ad preces frequenter ferventérque fundendas.

5. Idæ de Lewis *apud Maraccium in liliis* §. 3. cùm aliàs nocte Christi natali ad oscula datus est plenus radiorum puer Iesus à Matre Virgine, tum maximè eundem cœlestibus lætitijs gestientem eidem in choro oranti ita porrexit, ut cum illa cantaret, & manus pro more Ordinis Cistercienſis, in quo ipsa erat, explicaret; è canentis collo Virginis tenero brachiorum amplexu se illi alligans pependit dulcis infans, illa interea solitò facilius & suavius canente, & finito versu quem cantaverat iterum considente, ac dulce colli pondus in gremium reponente, séque puris illis delicijs oblectante. Utinam tale & nobis orantibus è cordis amplexu pondus pendeat, & nos sursum ad centrum nostrum premendo elevet! Certè opulentissima orandi minera est Iesus. Tametsi enim lacteolus sedeat ad Virgineum Matris pectus, hic est tamen ille, qui postea *Matth.* 11. ℣. 27. dixit: *omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c. Venite ad me omnes.* Sedet ille in sinu Matris; at hic est ille Joan. 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Nunc ergo ad illum in Patris, nunc in Matris sinu sedentem accede, adora, & pete id, quod optimum tibi esse novit optimus Deus. Joan. 3. 35. *Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.*

---

# HEBDOMADA XXXIV.

## *De puero IESV sæpe loquere.*

1.

TOtus cordi erat parvulus hic noster B. Margaretæ à Castro Dominicanæ. Huic cœlesti pusioni meditando cor, huic orando vel alijs narrando lingua acquiescebat, ut centro sancto. *O si scirem!* inquiebat identidem ad socias, *quantus in corde meo lateat thesaurus!* Et verò latuit in pretioso lapillo sculptus recens ab utero parvulus Jesus, Maria in altero coronata, Jo-

Joseph in tertio chlamydatus. Hi tres lapilli in cordis illius latomia cœlesti reperti sunt. O utinam ita lapideum mihi ac tibi cor det, séque illi penitus unà cum Maria & Josepho ita insculpat parvulus hic, ut & meditantis cordis, & loquentis linguæ ille sit thema dulce. Granatensis *Concione* 3. *de Natali Domini* ait unionem illum è cordis Virginei officina quasi posthumum unà cum admirabili Nativitatis Iesu imagine etiamnum asservari. Hæ sunt mineræ cordium, & linguarum amicarum Iesu.

2. Socrates *in Apologia* ait esse homini hoc maximum bonum, *singulo quoque die de Virtute habere sermonem.* Et omnino advertere est pretiosioris mentis homines divina colloquia non horrere. Certè Ferranti Osorio Soc: Iesu magnæ operæ pretio stetit sanctum de Iesu colloquium. Ait enim *Alanus Coptus* 4. *dialogorum cap.* 17. Patri huic coram Rege Bassano Anno 1662. de Iesu loquenti narrâsse Regem, apparuisse sibi nocte infantem cum cruce, jubentem ut sibi eam sumeret: fore enim eam sibi maximo honori. Rex ergo sacris Christianis Christo auctoratus, adoratam priùs in conclavi, quam in pueri Iesu humeris viderat, crucem per Urbem propalàm deportat, & certo in loco adorandam defigit, submittentibus genua omnibus. Sancitum deinde, ut capitale sit Crucem non adorare.

3. *Mel, & lac sub lingua ejus*, de quo colloqueris Iesu. Ab illo ergo & cogitandi & colloquendi gratiam, suavitatem, copiam uberem pete. Multi tenerioribus his mysterijs capiuntur primùm, tum demum ad austeriora descendunt. *Balinghen 6. Ianuarij* meminit B. Paulæ Florentinæ, quæ imaginis Beatissimæ Virginis, puerum Iesum amplexu foventis, amantissima cùm esset, Virgo Mater illi apparuit spectabilis, & ut ab ore dulcissimi Iesu suavissimo osculo lac deguslarer, fecit.

4. Videntur mihi cum Bernardo Virgineo lacte lactari, aut cum Paula hac ab ore divini infantis cœleste gustâsse lac illi & illæ, quibus de cœlo, de infante Deo, de Dei Matre loqui & audire dulce est super mel & lac. Pergite porro, felices linguæ, gustate nunc lac ex ore Jesu, & alijs propinate. Erit cùm inebriabimini ab ubertate domûs Dei Jesu!

5. Bernardus ille mellei calami & linguæ Doctor Marianus, illos quos nobis reliquit favos mellis optimi ex ipso Jesu hausit etiamnum puer, quando illâ nocte, quâ *melliflui facti sunt cœli*, ex temporali somno inclinavit innocens caput, & apparuit ei quasi iterum ante oculos nascens ex utero Matris Virginis Verbum infans, *speciosus formâ præ filijs hominum*, & pulcherrimis delicijs implevit illud pectus; fecítque ut Bernardus & ore, dum de Jesulo sermo esset, & calamo argutè suavitérque argumentosa esset apicula. Deus Verbum illi silentij, calami, colloquij dulce ac plenum argumentum fuit.

6 *S Gertrudis lib. 4. cap. 1.* ad pedes floridi Iesu prostrata nocte natali: Et quæ, inquiebat, nunc amantissime, » Domine mi, esse poterit præparatio » mea, vel quid potero Beatissimæ Matri » tuæ in festo isto sanctissimi partûs exhibere obsequij? Sedebat Virgo Mater

in gloria. Et Iesulus dulcissimæ illi puerperæ jussit offerri omnia spiritualia colloquia, verba singula, quæ de divinis locuta fuit Gertrudis per totum adventum. Amæniſſimo vultu & amplexu accepit donum MARIA, IESULUM pro Gertrude orante precatâ! Offertur colloquia: sed priùs ita verba singula in corde elabora, ut mereantur offerri. Gratum planè munus Virgini parienti.

7. *S. Augustinus Confessionum lib. 1. cap. 4.* se totum immergens in Deum videtur se illic amisisse. *Quid es ergo*, inquit, *Deus meus? quid rogo, nisi Dominus meus? Et quid dicimus, Deus meus, Vita mea, dulcedo mea sancta, aut quid dicit aliquis, cùm de te dicit? Et væ tacentibus de te! quoniam loquaces muti sunt.* Ne itaque mutus væ illud incurras, habes colloquiorum themata, & altissimum & dulcissimum Iesum. Fœdis verò colloquijs non secus atque olim dum nasceretur, dæmonum simulachris, altum imponat silentium Jesus. Ita fiet, ut everso Adonidis amasioli simulachro, cor non jam Adonidis, verùm IESU sit specus.

## HEBDOMADA XXXV.

*IESULO placet, ut agas omnia, memor præsentis tibi, quem amas Dei.*

1.

SAncta Mechtildis *lib. 1. cap. 6.* felicissimis oculis cœleste planè hausit spectaculum: vidit amorem divinum pulcherrimo splendore collucentem Christo recèns nato parvulo unà cum Virgine puerpera, ipsâ Iesulo natali nocte assistentem. Tum Mechtildis: Amor dulcissime, inquit, doce me, quid faciam pro parvulo. Respondit Magister Amor: Accipe me in socium tuum; & quæcunque agis, mecum agas; & in mea unione illi offeras. Age ergo cum Iesu, quidquid agis. Quidquid agebat ille, semper fruebatur beato aspectu Patris sui. Alloquebatur Patrem sæpe. Ita tu ad præsentem tibi ubique Deum aspira. Cum Iesu, & in unione singulorum & omnium actionum Iesu surge, vigila, dormi, tracta negotia, ora, & age denique quidquid agis.

2. Dum MARIA JESUM in utero suo clausum se circumferre sciret, quomodo se habuit! sciebat se coram Deo esse, sciebat se gestare sub corde Deum. Imitare tu, qui verè coram Deo semper es, illam stupendam reverentiam, collectum agendi modum, divinos mores. Plus MARIÆ nascendo attulit cœlestium deliciarum Iesus, quàm ulla unquam Mater dolorum senserit in partu. Sed & tunc *Emmanuel* vocari voluit, *nobiscum Deus*, ut ipso suo nomine te ad sanctam Dei ubique tibi & intra te præsentis memoriam invitaret. Accipe ergo illũ in socium cum Mechtilde; & quæcunque agis, cum illo age; & in unione omnis meriti, gratiæ ejus & gloriæ offeras, ad impetrandam illam gratiam, quam ille scit tibi nunc & in hora mortis esse ac fore quàm maximè necessariam, in satisfactionem peccatorum tuorum, & pro animabus quæ purgantur igne Purgatorij; in gratiarum actionem

onem pro donis omnibus, quæ Iesu humanitas, quæ MARIA cum electis & unà tecum à SSS. TRINITATE unquam acceperunt.

3. Sunt qui assurgant altiùs, & dicant: Domine, utinam utinam licerot » non tantùm modicum hoc facere pro » gloria tua, verùm etiam hoc agendo » agere ea omnia, quæ egerunt pro gloria tua omnes Sancti & Sanctæ tuæ, » fundere sanguinem, & in elevatissimis » charitatis erga te actibus vitam hanc » totam & vivere, & finire! Accipe hanc » voluntatem, & me tibi amplius semper » accende. Amore amoris tui hoc facio: » & desidero amore amoris tui mori.

» 4. Venit unigenitus meus, velut igneus currus igneæ meæ charitatis, universum orbem accendere, inquit apud S. Catharinam Senensem *tract.* 1. *cap.* 57. æternus Pater. O esto Elias semper in hoc curru, in sinu præsentis ubique Dei! Ex illo, & in illo sinu age omnia.

5. Catharina Riccia, ut est *in ejus Vita*, vidit Iesulum in communione ad quosdam hilarem, ad quosdam cum quadam aversionis significatione ingredi. Adsis tu illi: non deerit ille tibi. Et in communione, & aliàs lætus habitabit in te, si tu cum illo habitaveris. Neque enim habet tædium convictûs illius.

6. Visus est Iesus à S. Gertrude, *lib.* 4. *cap.* 2. in medio Angelorum sedens in supremo loco, ubi moniales convenire consveverant, & præstolans quasi cum ingenti gaudio adventum congregationis, cui postea benedixit. S. Basilius *lib. de Virginitate* ante medium, *Reverentur*, inquit, *ipsum Sponsum ubique præsentem* (id est Iesum, ut est Deus ubique præsens) *& hujus Patrem, ac Sanctum Spiritum, Angelorum innumerabilium multitudinem.*

7. Tametsi nescias, tamen te aspicit, te juvat, amat ubique puer Iesus, quà Deus est. *Annales Ecclesiastici* Anni 1442. ajunt invocatam Beatissimam Virginem resplenduisse præsentem cum puero IESU in sinu. Visam circa navem dæmonum vim maximam, quos omnes, alterâ candelam ardentem, alterâ puerum Iesum tenens Virgo fugavit. Affulgebit cum beato lumine ac puero suo & tibi Virgo. Audiet te vocantem, ubicunque fueris. Adhoc numen & lumen dirige cursum tuum. Semper tibi ope suâ aderit, si tu ab illo non absis, IESUS.

---

# HEBDOMADA XXXVI.

## *In difficultatibus recurre fidenter ad parvulum IESVM.*

1.

CLemens Alexandrinus pæd lib. 1. cap. 6. pag. 131. *Nutrimentum*, inquit, *est lac Patris. Ad mamillam Patris, qua curarum oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus.* Bene ille quidem: at tu ad inducendam curarum oblivionem, imò medelam, nunc ad Patris, nunc ad Matris mamillam recurre, ad lactentem Iesum. Nihil adeo impeditum est, quod iste non expediat, ita ut aspera omnia sint in vias planas.

2. *Annales Capuccinorum* Anno 1589. præclara hanc in rem habent de innocentissimæ erga puerum Iesum teneritatis sene F. Raynerio. Is in suborientibus quibuslibet difficultatibus invocabat infantulum Iesum, qui frequenter miraculo illi adfuit. Nata est illi illa confidentia è suavissimis, quæ de parvulo habuit experimentis. Vidit illum aliquando eâ prorsus corporis parvuli amabilitate ac specie, quam nascens habuit. Tunc amplexus, tunc oscula! Ita verò ab impresso pulcherrimo dulcissimi parvuli vultu facie totâ exhilaratus est, ut arderet, cœlesti quodam calore afflatus ab illo vultu, *in quem desiderant Angeli prospicere.* Inde factum, ut à dulci illo puero disceret puer esse, quærerétque frequenter infantem divinum, an non in quopiam. Cænobij recessu latitaret absconditus. Et latebat in intimis Raynerij unà cum Matre Deus puer. Tudertini enim Episcopi jussu apertum à peritis Raynerij pectus, ut taceam mysteria passionis, amabile nati Jesu theatrum fuit. Inter reliqua repertus in illius fellis ventriculo lapillus, in quo Beatissimæ Deiparæ puerum Jesum sinu materno complexæ admirabilis effigies visebatur. Mira de illo in processu adnotata sunt, sub mortem illum, quem charis ulnis foverat puerum Jesum, sic allocutus est: *Veni, puerule! suscipe me, parvule!* & susceptus est. Adeo promptus nimirum ad opem nobis in difficultatibus ferendam est benignissimus parvulus noster, ut in suprema etiam difficultatum omnium difficultate facilem se nobis præbeat & benignum. Hoc totis intimis præcordijs nobis loquitur expertus ista Raynerius. Quare si difficultates premant, vide ne fellis ventriculus in te assurgat usque ad cor, usque ad caput, ac te in furiales actus agat. Compone te ad invocandum intimis præcordijs amantissimum Iesum.

3. Animavit ad difficultates omnes magno animo ferendas B. Henricum Susonem parvulus Iesus, quando Henrico Bacchanaliorum tempore, dum alij lautè genio indulgerent, fame se ac siti excrucianti, ut hæc & his postea majora ferret facilius, nocte intempestâ musicam animo intimè recreando aptissimam fecit. Canebat illi Iesus æterni Regis filius voce altissimâ, & per Angelum Henrico ramum oleæ misit. Porrexit ramum Henrico Angelus, & decantante adolescentulo Iesu loquens, *O quantopere*, inquit, *te amat!* Tum ad omne quod arduum est alacri corde pervincendum animato Henrico Iesus parvulus benedixit, & abijt. O si non surdâ aure audires canentem intus tibi Jesum! Hic verè esset verus Orpheolus tuus, qui difficultates tuas velut saxa prægrandia, juberet ambulare ad nutum tuum, & conflari in pretiosos æternæ, quam tibi ædificas Civitatis muros.

4. Certè contra omnia mundi difficilia Martinum illum *in Martyrologio Franciscan.* 30. *Decembris*, & ad pervincendas difficultates omnes optimè animavit Deipara, quando puerum dilectum Iesum illi ostendit, & dixit: *Fili mi, perseverа! præstóque præmium recipies.* Hoc argumento solvantur omnes difficultates, juxta illud quod ex Evthymio

thymio aliàs diximus, *IESUS est solutio omnium difficultatum.* Vide ut illum bene possideas.

# HEBDOMADA XXXVII.

## *Vt te vincas, id est, solidè mortifices, à IESV parvulo vires pete.*

1.

ANno 1585. Sodalis Taurinensis religiosis duorum, quibuscum iter habebat, colloquijs, gliscente in corde sensim scintillâ incensus, ignem concepit, Christum sequendi. Dormienti avus jam vitâ antè functus occurrit, qui, ut *Orlandinus Anno illo* refert, ante oculos rerum humanarum vanitate propositâ author juveni esse videbatur, ut cuncta despiceret, & puerum Iesum, quem præsentem exhibebat, sedulò sequeretur. Evanuit senex: parvulus non item. Variè hic aspectus infantis Iesu animum adolescentis affecit. Miri dolores de noxis: mira amoris suavitas, ita ut vi amoris à corpore mens avulsa, Christi charos inter amplexus conquiescere dulciter videretur. A parvulo ad patientem progreditur *Orlandinus*; & objecit, inquit, sese mox „ Christus câ specie, quâ quondam in „ cruce fuerat; & ab illâ suavitate, ad tri„ stitiam suæ necis crucisque traduxit: „ cujus recordatione sic animus figeba„ tur, ut doloris vim consequi oratione „ nõ posset. Monuit è cruce Christus: non „ magnum aliquid facturum, si corpus „ tantùm doloribus ac morti traderet. „ Gratissimam autem ipsi crucem fore, si „ se interioribus cruciatibus ac morti de„ deret, quæ cum cæteris cupiditatibus, „ tum liberæ voluntati maximè necem „ atque interitum afferret. Hanc, aje„ bat, crucem tollendam in humeros, „ hanc alacriter in omni vita gestandam. „ Vidit, fecit, se vicit. Ita te amor ad dolorem, ita dolor ad amorem, ita uterque ad tui victoriam & triumphum mittit. Ita magnos facit suos hic parvulus. Seneca *in Hercule furente* actu 2.

*Hac te manent exempla, dominare ut lubet.*
*Non est ad astra mollis è terris via.*
*Sollicita tanti pretia natales habent,*
*Semperque magni constitit nasci Deum.*

Dominare tui post tot exempla. Ideo natus est Iesus, ut cœlum vincendo expugnares. Pergo cum Seneca ibi:

*Evincas utinam jura feras Stygu!*

Ut verò id facias robustiùs, nunc incipe. Nam bene idem ibi:

*Odit verus amor, nec patitur moras.*

2. B. Agneti de Monte Politiano datus à Matre Virgine in Virginis amplexus Iesus, crucem pro collo è filo serico pendentem pro mnemosyno memorioſi amoris dedit. Verè vera crux, mortificatio vera, est verum amantis Iesu mnemosynon. Politica tantùm & semi-Machiavelisticè spiritualis est ea, quam de parvulo Iesu absque ullo te mortificandi studio habes, memoria.

3. Reportatâ verò quapiam de te ipso victoriâ, vide uti ut scias. Militare apophthegma est: *Victoriâ, quâ victor*

*ctor uti scit, aliam sibi parit oppignorátq; victoriam.* Modus utendi erit, ut demississimo ac prostratissimo ad Iesuli pedes corde gratias agas; illi adscribas gloriam, coronam cum 24. senioribus ad pedes illius deponas. At hæc non Pharisaico illo fastu; *Gratias ago tibi, quòd non sim sicut cæteri, &c.* sed corde ex corde projecto ad thronum misericordiæ Dei IESU. Ita Anno 1450. *Ægidius Corrozetus in antiquitatibus Parisiensibus* ait ob victoriam Formignanam Caroli VII. Galliarum Regis contra Anglos, Parisienses 12. millium puerorum cereis instructorum pompam è cæmiterio Innocentum ad templũ cathedrale duxisse, ut alibi referimus.

4. B. Henricus Suso, ut est *in Chronico Prædicatorum p. 2. lib. 2. cap. 9.* & *apud Bonifacium lib. 4. hist. Virg.* Dominicâ post Epiphaniam cùm se siti valde cruciaret, è mensa tandem sitis exacerbatæ haud patiens surrexit, & in templo abjectus humi, se accusabat, quòd id genus asperitatis ferre non posset. Et ecce in manu magnæ Matris parvulum puerum Iesum, qui capacius, quàm ordinarium pro potu in triclinio vasculum esse consveverit, poculum seu cyathum ferens, ad solandam Henrici sitim vasculum illud divinæ Matri dat; illa Hentico porrigit, & sitim sanè extinguit. Iterum aliàs poculum Henrici ori admovit admirabili Henrici suavitate. Pretiosa omnino sui victoria, pretiosa sitis, quæ à tali manu propinatum potum bibit.

5. Age, fac pretiosas mortificationes tuas. Cogita id quod *Syderius*; seu *Caraffa Viæ cœlestis p. 3. de mortificatione cap. 1.* affert, quando, ait, devotæ cuidam animæ petenti Christum videre infantem, apparuisse Christum in specie infantuli in fasce acutarum spinarum involuti. Involve te non rosis, sed spinis. Melius est esse in spinis cum Iesu, quàm sinè illo in rosis. Vince, vince spinas: & sic te rosis para, Certe ditiores sunt mundi spinæ, quàm rosæ, quando spinis involutus est parvulus Iesulus, & spinis coronatus est magnus Iesus.

6. Vincenti dabitur manna absconditum. Vince, quidquid carni molestum est. Affligit, sed ut reficiat. *Iacobus Fuligattus Vitæ P. Bernardini Realini cap. 16.* ipsâ, ait, nascentis Dei Iesu nocte, cùm pro sacro tribunali in templo pœnitentibus operam daret Bernardinus, totus frigore diriguit, cùm nonnisi æstivis vestibus uteretur. Ad conclave reductus mentem ad suavissimum nascentis Iesu mysterium elevavit; & ecce divinam cœlestium Spirituum Reginam gloriæ comitantium melodiam! Inter dulces Bernardini lachrymas, & conatus Angelicos Virgo Mater parvulum dilectum suum eâ nocte natum infantem Bernardino in ehatos, & jam in non ignotos amplexus concessit. Plus quàm dimidiam horæ partem in illis cum parvulo delicijs posuerat felix Bernardinus, cùm superiorum jussu adfuit quispiam è domesticis, qui seni calefaciendo ignem afferret. Videbat ille senem in admirabili quodam situ, & corporis compositione quasi à seipso absentem & dicentem: *Adhuc modicum Domina; adhuc modicum!* Adeo verò illum dulcis ille è MARIÆ sinu igniculus calefecit, ut non solùm corde toto arderet, verùm

ne

ne corpore quidem quidquam eo anno à frigore pateretur. O felices corporis afflictiones, quas adeo exaggeratis delicijs compensat dulcissimè liberalis Deus!

# HEBDOMADA XXXVIII.

## *In dubijs utere consiliario puero IESV.*

1.

HIc est ille maximus magnî consilij Angelus, *Eubulus*, consultor cordis tui, & consul. Historia Societatis *lib. 16. num. 22.* Anno 1556. narrat consiliarium Iesum. Adalbertus Bauzek Pragæ in templo Societatis Iesu dum orat, & divinam circa dubium quoddam suum explorat voluntatem, videt pulcherrimum in sacra hostia parvulum, & Iesum agnoscit. Petit consilium, imò imperium, quid à se fieri vellet? Respondet divinus puer: Volo, ut ibi sis, ubi es.

2. Anno 1614. vitâ functus est Limæ 9. Feb. Martinus Pelaez Soc. Iesu, hic incertus consilij, quod vitæ genus sequeretur, in bivio Pythagoræ, fratrum tandem suorum exemplo arma secutus, Christum vidit, à quo latinis literis mentem excolere, ac tandem Societati nomen dare jussus, consilio seu imperio paruit, sæpe interstudendum etiam amplectendæ Iesu militiæ commonefactus à Iesu. Et verò eum se in Societate gessit domi & foris, ut re ipsâ ostenderet cujus fuisset usus consilio, seu à quo missus esset. Ægro postremùm Christus in præcellentis elegantiæ pueri vultu cultúque apparuit; & Martinum consolatus, pro maximo solatij auctario mortem illi vicinam imminere dixit. Vide quàm felicj exitu suo iste consiliario Iesu sit usus. Contra hunc, imò sinè hoc nullum consilium est, quod vel illum cui datur, vel ipsi consultori prodesse possit. Absque illo sumus gens absque consilio. Ille est sapientissimus consultor cordium dubiorum.

3. *Apud Cœlium l. 29. cap. 24.* Hali Abaragel ait se in Regia vidisse infantem 24. horas tantùm natum, terribilia manu signa facientem, & Regi perterrito ita cum clamore loquentem: *Sum infeliciter natus ad prodendam Regni amissionem, & gentis perniciem ac desolationem.* Dixit; & exanimis concidit. Ita consternatos aliàs majore terrore prostravit. Felicissimè natus est puer Iesus, ad ostendendam Regni æterni acquirendi viam, & modum, & gentis consolationem. Ad hunc parvulum accurrunt Magi tres Reges, & gaudent gaudio magno valde. Quidquid ad publicæ ac privatæ rei bonum est, id omne hic est. Hic armata auxilijs dat consilia, & certo exitu felicia. Decipi aut decipere, nec potest nec vult: juvare consilio & ope, & potest & vult. Omnes labyrinthorum ambages novit. Quisquis hujus consilio usus unquam est, bene illi cessit consilium. Omnes nodi Gordij coram hoc aperti sunt. Neque ullus est aut adeo abjectus, aut adeo labyrinthis intricatus, quem juvare, si rogetur, aut nolit, aut non possit. Hinc lucem tenebris

tuis

tuis pete; & tum age id, quod *in proœmio Constitutionum* dicit S. Ignatius Loyola: Hinc exordium sumetur eo favore, quem lux æterna nobis ad honorem & laudem suam conferre dignabitur.

4. *Lib.* 1. *cap.* 15. Gertrudis, Christum de ijs, à quibus consulebatur, consulentis linguam retigit Christus, & dixit: *Ecce, dedi verba mea in ore tuo*; & securam esse dixit; fore ut salutare omnibus consilium sit datura quicunque super dubio quopiam illam consuluerint. Hoc nimirum agit Iesus, ut vel per se, vel per suos bene consulat petenti.

5. E fideli ore habeo, Romæ Virginem ingenio, nobilitate, opibus, & familiæ nobilitate pollentem, cùm demisso sibi à Patre Spirituali Iesulo versus elegantes ingenio & venâ felici pangeret, amore pueri Iesu adeo accensam, ut nunquam hactenus mente conceptas de mundo muliebri, cui plus æquo addicta erat, atque adeo de mundo seu seculo deserendo cogitationes tum læta susceperit. Imponebat oratorio suo è Patris, à quo hæc habeo, consilio illum à se tenerè ac ingeniosè laudatum Iesulum, & coram illo fusa in preces cum illo sua dubia conferebat. Responsi loco erat è parvulo pueri simulachro à digitis pendens libellus Thomæ à Kempis *de imitatione Christi*. Quidquid ergo parvulo dubij proponebat libellum aperiebat, & quod ibi primò se oculis legendum objiciebat illud habebat pro responso, quasi illud ore suo pronunciaret Iesus. Denique omni objecto dubio, deliberatio in decretum conversa est, & illustrissima Virgo nostra Virginum ingressa cœnobium totis primis octo diebus, quibus jam in religiosa vestte illic morabatur, tota intus plena tenerrimis delicijs undante corde experiebatur ea, quæ lachrymis & selectissimis quibusque verbis adumbrabat tantùm, cùm explicare non posset. Totis denique ijs diebus non in rudi cœnobij amictu, sed in splendidissimo pretiosissimóque quodam ornatu sibi esse videbatur nova hæc nostra Agnes, à Sponso Iesulo inæstimabilibus margaritis adornata. En quàm solidè, quàm sanctè cedant petita à Iesu consilia. Felix illa anima, felix cordis regnum, cujus Consiliarius, cujus Rex hic puer est.

6. Austriacæ Soc. Iesu *Annuæ Anno* 1601. adolescentem excelsæ indolis, & dubiarum cogitationum exhibent; qui cùm nobilitatis avitæ insignia & ea denique quibus capitur hians mundus fastidiret, seriò ad quærendam Dei voluntatem per fusas preces & lachrymas, per catenatas flagellationes, per chaumenias, seu humi cubationes, per duras in cineribus noctes, per cilicia & jejunia incubuit. Jacebat cogitationibus & somno pressus, cùm illi visa augustissimæ Reginæ cœli species, cingentibus latus hinc S. Joanne Baptistâ, qui radiantissimum Jesu nomen gerebat manu, indè D. Jacobo, qui rosarium. Tum Clientem de nomine compellans Domina; En, inquit, signum tibi datum est, ut succenturiatus Filij mei auspicijs milites. Fluctuantem è certo reddidit amici consilium, plurima in Societatem ore irato bacchantis, & eremum svadentis. At à Virgine monitus dicente: *Quamdiu claudicabis? quo-*

*quousque me tentabis?* resolvit se facturum id, quod cœlum vellet. Rem omnem absolvit puer JESUS, quando juveni sub sacro Missæ Rosarij recitationi intento obtulit se se eadem Virgo, parvulo Iesu stipata, ac benedictione illi largissimè impertitâ *in locum tabernaculi admirabilis* cœlestium mansionum revolat, relicto jubilo, quem novit ille, qui calculum accepit. Instante verò amico illo hoste novis artibus, nocturna vox è cœlo audita; *Fac citò quod debes*; Fecit, ut ad Austriæ Provinciæ Præpositum abiret, ac re narratâ illi succenturiatus Nomini, voto feliciter potiretur. Vide quò dubiæ inter fluctus naves dirigendæ. Sedens in MARIÆ sinu puer JESUS (*ecce plus quàm Salomon hic!*) ille est *emporium consiliorum.* Isaiæ 9. ℣. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. & vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius. Ille,* inquit *serm. de Natali Domini* mihi *col.* 1261. Bernardus: *Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cœlos, & fit Consiliarius hominum; qui mirabilis est in cœlis, consulere venit in terris.*

## HEBDOMADA XXXIX.

*Si quod te fastidium capiat pietatis, à parvulo Deo IESV remedium pete.*

1.

O Lysippone, ut *annus* 1614. fert in suis fastis, deploratâ jam nauseâ depositum Sodalem suum invisit, parvulum in sinu medicum morborum omnium gerens, cœlestis Mater. Pulcherrimus ille JESUS puer è calatho pomis divite unum alterúmve pomum ægro porrexit. Jam se Sodalis æger in genua dederat, quo potuit virium conatu: & totus in Matrem, totus in Filium oculis animóque defixis, dulci impetu se in parvulum præcipitaverat; sed inter deceptas manus elapsum dulcissimum illud delicium Sodalem valentem quidem à fastidiosa illa nausea, sed pueri, Matris, ac pomorum è cœli hortis allatorum desiderio æstuantissimum reliquit. Fastidiosa res est hæc vita. Nauseat etiam cœleste manna, supercilioso quodam tædiique pleno fastidio. Habes in MARIÆ sinu parvulum, qui magna tua spiritûs corporísque fastidia tollere; suavíque cœlestium donorum calatho recreare possit, ac velit.

2. Certè P. Joanni Baptistæ Carminatæ Soc. JESU ægro graviter adfuit parvulus JESUS, & suâ eum benedictione sanavit. Sanabit tua fastidia, tædia, animum nauseantem. Tantùm id age, ut ab illo non invito benedictionem extorqueas. Dicere Dei est facere. Benefaciet tibi, si benedixerit tibi.

3. O quàm feliciter fugarentur tædiosa illa tua fastidia, si id quod Alexander Bertius expertus est, experiri liceret & tibi! Hic in MARIÆ JESULUM in templo Deo sistentis festo, inter communicandum inter Angelos conspectus est medius, & visus est videre JESUM in corde suo quasi scisso se medium collocâsse. Fortunatissimus ille

ignis, illa voluptas, illud solidum perenne quàm procul à corde propulsat, quidquid est nauseæ, quidquid molestum occurrit. O talem nobis hospitem in discissi cordis medio! quàm non tepida, quàm non oscitabunda nobis iret vita, quæ nunc oscitat inter somnolentissimas pandiculationes!

4. Ita Catharinæ Ricciæ, *vita c.* 15. Maria à Jesulo cœleste cor impetravit: ita ut jam facillimè ac libentissimè sursum cor ad cœlum attolleret, divinóque cordi penitus affigeret.

5. S. Gertrudis Virgo *insinuat. divin. piet. lib.* 2. *c.* 6. sacrosanctâ nati Jesu nocte haustas è cœlo divitias ac delicias ad longum explicat. Sensit illa sibi porrigi, & recipi à se tanquam in parte cordis tenerum quendam puerulum, quem cùm intra se teneret, anima tota mutata videbatur cum ipso. Ibi ille cordi promittebat emissiones illas divinitatis. Ibi illa in illo balsamo, in illis cordis impressionibus, in illa intellectûs luce, in illo ardore voluntatis tota Deo plena exultabat quasi jam recepta cœlo. Ad has beatorum delicias mittenda sunt torpida nostra tædia, & cœlum illis quasi per rimam ostendendum, ut in alijs videamus, quid habituri simus æternùm.

6. Quando itaque dormitat præ tædio anima tua, hoc age, quod *homiliâ* 2. *in Matthæum* svadet Chrysostomus: *mente consurge, nihilque humile suspiceris, quia cùm verus & dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam Filius David esse dignatus est, ut te filiũ faceret Dei, &c.* Non enim semetipsum ita humiliâsset, nisi nos esset exaltaturus.

7. Excitet dormientem animam tuam à somno tædij id, quod *Ioachimus Millerus* narrat de S. Menrado, ad quem orantem descendens exaltari candidissimus infans Psalmos unà cum illo orare est visus. Excitet Augustini de S. Stephano *serm.* 4. *pag.* 405. ita loquentis vox: *Christus & modò orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Ut Sacerdos noster, orat pro nobis; ut caput nostrum, orat in nobis; ut Deus noster, oratur à nobis.* Ut verò sinè tædio & tu ores, ora ut te excitet. Nam tu tanti momenti rem agere nec scis, nec satis potes. Unde *lib.* 1. *cap.* 1. Augustinus in hæc erumpit: *Magnus es Domine, & laudabilis valde! Et tamen laudare te vult homo aliqua portio creatura tua, & homo circumferens mortalitatẽ suam &c. Tu excitas, ut laudare te delectet. quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

8. Quàm dulci arte excitavit Maria Arnulphum illum, de quo *Fisen 30. Iunij* refert, oranti Arnulpho in ea ad quam in pœnam innocentiæ suæ abjectus fuerat casula, porrectum à Deipara infantem Deum. At Arnulphus quasi illud Petri diceret: *Exi à me Domine!* mille delicijs ebrius ac plaudens manibus; *Tolle*, inquiebat, *tolle Domina filium tuum. Mihi suavitas ista est satis.* Et conversò ad nos omnes sub tædijs nostris gementes sermone dicebat: *O quicunque Deum amatis, hìc adeste, si Deo frui vultis, Deus hic est. Hic est Deus, adeste omnes, adeste, adeste!* Hîc ejus vobis fiet copia.

ANNI

# ANNI PVERI DEI JESU,

## PARS IV.

## HEBDOMADA XL.

*Parvulus Deus puer Iesvs pro animabus Purgatorij tenerè rogandus.*

1.

SAnctus Bruno tom. 3. serm. de Natali Domini: *Ecce puer noster! Ipse est qui Ægyptum, & postea infernum expoliavit.* Gen. 49. *Ad prædam fili mi ascendisti, &c.* Extende te, & accedens usque ad thronum gloriæ ibi videas puerum istum, qui hodie est natus, qui modò ad prædandum & spoliandum venit, in sinu & corde æterni summique Patris regnantem & gloriantem. Illum ergo roga, ut Purgatorium exspoliet. Placebit id parvulo, placebit Virgini parvuli Matri. *Spinellus cap. 16. Dionysius Carthusianus*, & alij narrant, amicum amico mortuo tenerrimis lachrymis diu ac liberaliter parentâsse. Unicè flenti amico adfuit à Purgatorio chara amici anima, & flebili lamentatione conquesta est contra crudeles amici lachrymas, utpote quarum loco maluisset castissimas calentissimásque preces pro se fundi. Adfuisse ipsâ humanæ felicitatis nocte, parvulo puero JESU natali, MARIAM, & plures è Purgatorij flammis animas exemisse. Fuisse quidem se etiam spei plenum, fore ut eâdem sorte beareturamici adjutus precibus, piáque suffragiorum industriâ: verùm heu! ad longiora adhuc tormenta ibi relictum. Abducendum se fuisse, si tantum parentalium suffragiorum habuisset, quan-

tum habuit lachrymarum. Quare lachrymas in sacra suffragia commutaret, séque inde tandem, tandem eriperet. Venturam ad animas secum abducendas Deiparam etiam morientis Christi die, sicut venerat nocte nascentis. Ageret, ut sibi saltem tunc Virginis comiti esse liceret. Impetratæ libertatis signum fore, si ampliùs non rediret. Nec redijt. Nox ergo Christi parvuli nox est pretiosissimæ ac super omne aurum exoptatissimæ libertatis. Habes aliquos fortasse captivos in cæco illo carcere tormentorum; advolvere teneris Jesu plantis, & gratiam illis impetra à puero illo pleno fonte omnium gratiarum. *Vide anni morientium hebd.* 31.

2. *Petrus Venerabilis lib. 2. cap. 17.* in vigilia Christi nati magnum cuidam pro animabus in Purgatorio patientibus ait stimulum accessisse. Meditabatur eâ nocte pius inter Religiosos parvulus. cùm ecce adest illi loci olim Prior, Aichardus patruus jam ante annos aliquot mortuus, & puero huic nunquam visus. Ab illo ad cæmeterium ductus pius puer, plena omnia sellis, & sedentibus undique Monachis vidit. Vidit Monachos per ignem transeuntes, alios præ alijs citiùs, alios tardiùs transire. Hæc parvulo patruus ubi ostendit, ad quietis locum illum reduxit. Non debemus nimirum nocte illâ in qua cœli stillant dulcedinem obliviſci animarum in Purgatorij amaritudinibus, in igne moras trahentium, & plenum illud desiderij ô! ô! ingeminantium.

3. Quia verò quò magis piè morimur, id est quò magis intensos charitatis & virtutum aliarum actus ante mortem elicimus, eò Purgatorium brevius habemus, aut illud penitus delemus, orandus est per Matrem Virginem puer Jesus pro agonizantibus frequenter. Ita *in Menologio Cisterciensium 24. Novemb.* Antonia ultimum agens spiritum vidit Mariam à Filio suo Jesu, quem inter ulnas fovebat, famulæ illi suæ inter ultimas agonis angustias requiem æternam petentem. Impetravit: & Antonia pretiosâ morte vitam illam ingressa est. Et quidni animarum illarum meminerimus, dum cum puero Jesu in delicijs sumus? Cum illo puero, cujus natalis, ut *serm. 1. de Natali Domini* loquitur S. Leo, *consumpto mortalitatis timore nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam.* Addit idem Sanctus, nullum ab hujus alacritatis participatione secerni. An non etiam ad illas animas tibi pertinere videtur illud ejusdem: *Exultet Sanctus, quia propinquat ad palmam?*

---

# HEBDOMADA XLI.

## *Zelus animarum est præclarus Deo puero IESV placendi modus.*

1.

*Filioli mei,* inquit Paulus ad Galatas c. 4. ℣. 19. *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Vellet Christus formari in omnium cordibus, Zelus tuus id faciet, ut id à te impetret parvulus Jesus. At quid inde tibi gloriæ? Audi.

2. *An-*

2. *Annua Provincia Neapolitana* Societ. Jesu *Anno* 1610. *num.* 12. Virginis meminêre, quæ è Societate Jesu nullum unquam viderat. Erat verò puero Jesu, & Matri Virgini eximiè addicta. Hæc parvulum in maximæ Matris sinu confidentem aliquando aspexit, & longam splendidámque sub vexillo uno procedentium glorioſorum ex omni Ordine ac ætate pompam, vexillum ferente anteſignano quodam è Societate Jesu, qui erat fulgentiſſimo ſidere in fronte conſpicuus. Plurimi alij erant in ſacra illa pompa è Societate Jesu, ſinguli ſtellâ in fronte, velut teſſerâ diſtincti. Hi velut ſcintillæ vivæ, toti aciei permiſti ſacram illam multitudinem inſtruentibus ſimiles apparebant. Puer Jesus familiariter interrogatus à Virgine, quidnam id eſſet beatæ multitudinis, Beatos illos cœli cives eſſe, atque ſurſum ad Dei jam tendere Civitatem reſpondit. Viros autem illos aſtris notatos, pullísq; veſtibus gradientes, Jeſuitas eſſe, quorum labore & induſtriâ tot alij ad cœlum deducantur, eáque propter primipilorum ductorúmque in eo ordine officio fungi. Ad Societatis templum ubi poſtea venit Virgo, viſis talibus, quales viderat; *en*, inquiebat ad comitem, *agnoſco habitum: Societatis eſt.* Neque tum tantùm, ſed & poſtea innocentem illam animam ſuâ & ſuæ Matris præſentiâ recreavit puer Jesus. *S. Laurentius Juſtinianus* ſerm. infr. Natal. Domini: *in ſpiritu illum concipe in te, ut parturias ex te.* Ita formabis in alijs Jesum. Diſce ab ipſo Jesu. Ille tuæ ac meæ animæ zelo plenus unde, quò venit? Et te pigebit laboris parvuli pro parvulo Jesu? *Bernardus* ſerm. 2. de Natali Domini col. 1263. *In MARIÆ utero Majeſtas Altiſſimi mirabiliter liquefacta, replevit terras, infudit cœlos, inferna reſperſit.* Sed ut videas unde egrediatur, ſubdit: *Fluvius iſte eſt Dominus meus IESUS, qui de duobus locis voluptatis egreditur: ex utero Patris, & ex utero Virginis.* Delectatur ille ſi nos idem curantes videat, ad quod curandum ipſe venit. Neque altiùs cor poteſt aſſurgere, quàm id agere, ut à quàm plurimis æternùm videatur, laudetur, ametur Deus.

3. Aſſurge ad excelſam illam indolem filiorum Dei, & pro teſſera illud accipe, quod aliquando Theodoricus Rex dixit: *Culpa genus eſt, non te feciſſe, quod ſummum eſt.* Age, facere felicem illum potes, qui fortè infelix eſſet æternùm, niſi te illi æternæ fortunæ fabrum dediſſet per ſua merita bonus Jesus. Decem & quatuor felicitates partim corporis, partim animi ita recenſet *cap.* 48. *de ſimilitud.* D. Anſelmus: *Partes beatitatis ſunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, longævitas, ſapientia, amicitia, concordia, honor, poteſtas, ſecuritas, gaudium.* Omnia hæc merentur laborem; ut æterna ſint in te & in ijs, quos tibi in æternum lucrum, ſi velis, dedit Epiſcopus animarum noſtrarum Jesus. Plutarchus *in Alexandro* ait, illum ſibi Perſas devinctos hac arte lucratum, quòd illorum habitu ſe veſtiverit. Ecce ut te non in ſervitutem, ſed in Regnum lucraretur Deus, habitu inventus eſt ut homo. *Philipp.* 2. 7. Jam ergo cùm tu illi in ſpolium, in lucrum ceſſeris, age & ipſe, ut per te lucretur

cretur plures. S. Hieronymus *lib.* 1. *in Micheæ cap.* 1. initio Christum vocat *templum Patris*. Adduc ad hoc templum tot quot potes. Dabit verbis tuis energiam Deus. *IESUS Christus*, inquit ibi Hieronymus, *verè templum est Patris*: & de cujus ore loquitur Pater, viscera penetrans & medullas eorum, qui attendere voluerint & audire.

4. Expertus id est innocentissimi zeli vir Joannes, *Angelus* dictus à moribus, *in Martyrologio Francisc.* 26. *Aprilis*. Is in Græciam Christi prædicandi causâ profectus est: ubi illi ipsâ Christi nati nocte idiomatis Græci peritia est infusa. Angelus nimirum hic fuit, qui evangelizaret gaudium magnum, JESUM. Linguam ab infante JESU accepit, à quo zeli plenum cor jam antè acceperat. Pentecosten habuit illâ nocte, quâ linguam cordium magnetem futuram è cœlo accepit. Iste est ille, qui ignem venit mittere in terram. Age, unam frigido cordi tuo scintillam ex igne hoc cœlesti pete, ut ardeas, luceas, & accendendo alios nihil ipse deficias, ut ignis solet. Dic cum puero JESU: *in his, quæ Patris mei sunt, oporte me esse.*

## HEBDOMADA XLII.

*Cave astutias tortuosas: simplicitate delectatur parvulus IESVS.*

1.

IDeo simpliciſſimos innocentiſſimósque, quos catechesi erudierat pueros ad SS. Sacramenti aram ablegavit moriens Joannes ille Gerson, Parisiensis Cancellarius, Catechista devotissimus: ut pro se moriente supplices dicerent identidem: Deus meus, creator meus, „ miserere pauperrimi famuli tui Joannis „ Gersonis. *In Vita* 1. *parte operum.* „

2. Successit sancta simplicitas etiam illi *apud Discipulum* puero, *exemplo* 3. qui parvulo JESU in sinu Virginis depicto cùm panem sæpe puerili urbanitate porrigeret, accepit tandem extensâ manu munus parvulus JESUS, & dixit: Ecce panem, sicuti vis, accipio; sed eum post triduum tibi reddere volo. Puer à puero divino lætus discessit. Ægrotavit, & ad puerum IESUM discessit. *Vide hìc hebd.* 14. *num.* 3. Alexandri Bertij Florentini simpliciſſimæ innocentiæ parvuli Matri Deipara nunciavit, ut jam Alexandri Filij sui securæ, ejus loco IESULUM amaret tenerrimè. Eum suum jam esse. Quare Alexandri loco IESULUM acciperet. Quasi dixisset: *Ecce filius tuus.* Nimirum innocentissima Alexandri simplicitas Alexandrum in MARIÆ sinu loco IESULI collocavit.

3. S. Nicolaus Tolentinus ajebat, se cùm puer esset sacris operanti Sacerdoti adfuisse, & in sacratissimæ hostiæ elevatione vidisse IESUM parvulum sibi applaudentem, dicentémque: *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* Psal. 24. eâ tamen adeo jucundâ plaudentis in hostiâ Dei parvuli oblectatione se, ubi ad maturos annos pervenit, caruisse.

Sini-

Sinite parvulos venire ad illum parvulum. Columbas amat simplices; astutos capit in astutia sua, & in sutelis dolosis veteramentarios illos execratur. Amat amorem ex corde candido profectum.

4. Ita ex ore infantium perfeciſſe Dei laudem Pariſienſes, ait *Ægidius Corrozetus antiquitatum Pariſienſium Anno* 1450. quando ob victoriam Formignanam Caroli VII. Galliarum Regis contra Anglos, Pariſienſes gratias acturi ore innocentium, duodecim millium parvulorum cereis ardentibus inſtructorum pompam duxêre ab Innocentium templo ad ædem Cathedralem. En Euchariſticam innocentiæ pompam! Quàm certum eſt Deo imponi non poſſe, tam certum eſt nullius ficti cordis orationem illi eſſe acceptam. Veſtis Iesu inconſutilis has è Machiavelli officina ſutelas non amat. Innocentes & recti adhærent illi, & ille nonniſi innocentibus & rectis adhæret. Non dolos, ſed devotæ ac innocentis ſinceritatis corda amat ſimplex hic parvulus. *S. Laurentius Iuſtinianus* ſerm. in Natal. Domini: *Fide*, inquit, *IESUM concipe, timore concipe, devotione nutri. Eſto devotus ad Deum, fidelis ad Proximum, timore circumſpectus in te, & concepiſti Chriſtum non in utero, ſed in corde.* Delectatur commorari in cordibus meditantium aſſiduè ea, quæ ad devotionem evigilant. Et verè machinatores illos politicos ſi bene expenderis, nec Deo nec hominibus fideliter ſinceros eſſe reperies.

5. 1. *Petri* 2. ℣. 1. quaſi ad parvuli Iesu cunas quomodo nos gerere debeamus absque dolo, cum candore ſinceritatis commonemur: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabiles ſinè dolo lac concipiſcite, ut in eo creſcatu inſalutem; ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Parvulus noſter Virginis lacte lactatur: vult, & nos depoſitâ ſimulatione omni ſicut modò genitos cœlo infantes cœleſte ſinè dolo lac concupiſcere: ut inde ſugamus mores candidos, non vulpinam ſimulationem, ſed purum ſinceri animi candorem.

6. Raderus *Viridarij parte* 2. *cap.* 5 refert ſimplices viduas ablato è Beatiſſimæ Virginis ſinu filio Iesu effeciſſe, ut altera filiam à lupo raptam, altera filium è carcere ab ipſa Beatiſſima Virgine dimiſſum reciperet. Ita Matri Iesum puerum reddidêre. *pap.* 177.

7. Vide alias pueri Iesu cum ſimplici cordis candore delicias: & ad illas guſtandas cor mundum affer. *Gelſominus Theſauri cap* 8. ait, Simoni de Caſſia, Ordinis S. Auguſtini, cùm etiamnum adoleſcentulus innocentiâ ſingulari Theologiæ operam daret, viſum inter orandum ardentiùs puerum Iesum, qui aperto quem manu tenebat aureo calice, illum ad bibendum cœleſtem quendam è calice liquorem ſuavi viſu invitans dicebat: *Puer munde, mecum de calice bibe.* Acceſſit, & modeſtiſſimè modicum inde libavit divinâ cœleſtis illius nectaris dulcedine totus plenus, quæ illi dulcedo in omnem poſtea vitam viva manſit ac recens. Atque ille adeo ſingularis, atque ad viva cordis porrectus liquidæ illius dulcitudinis ſenſus fecit, ut à divino infante gratiam

etiam

etiam pro Sodalibus suis peteret, quò & illi possent illis cœli delicijs ex aureo parvuli calice recreari. Tamen confestim inter abeundum ex oculis evanescens divinus ille hospes cum calice suprema hæc verba Simoni dixit: *Puer munde, si totum ebibisses, universum mundum illustrâsses.* Ab eo tempore divino quodam palato præditus videbatur Simon, adeo ut nullus illi jam in orbe terrarum cibus ad palatum esset. Ipso deinde præsentati in Simeonis ulnis pueri Iesu die mundus iste puer ad immortales deliciarum divitias discessit. Cum simplicibus sermocinatio ejus. Sis mundus puer Iesu.

# HEBDOMADA XLIII.

*Mensæ dum assides, pueri IESV non immemor comede, & bibe.*

1.

SAncta Ida ipso ignearum in cœlo linguarum die, dulci Spiritûs Sancti, & Iesu, quem in Eucharistia sumpserat rore divinitus ebria, mense in triclinio accumbebat inter exundantes è cœlo torrentes consolationum, cùm tantus in illam inusitatæ lucis fulgor jaci ceptus est, ut manicâ oppositâ vultum obtegere cogeretur. Frustra id tamen: nam radij vestem etiam pervadebant. Hic tandem speciosus ille forma præ omnibus omnium mortalium formis, nunquam satis amabili & admirabili totius oris atque corporis majestate & amabilitate eminentissimus, visendum Idæ sese in oculos dedit, & oculos illos beatos fecit. Inde per cænaculum cœlesti quadam passuum compositione inambulans ante diversas subinde Moniales quasi attentus, quâ corporis animique compositione cognoscerent, constitit: ut plurimùm tamen amantissimis Idæ suspirijs velut arcanis magnetibus tractus, in Idam oculos amicè torquebat: à qua postea recessit, quando lectione ab anagnoste super mensam absolutâ in altum sese extulit, capútque inter nubes condidit. Recreatissima in intimo homine Ida, foris tamen corpore toto ita mansit flaccida, ut verè amore langueret. Dicam compendio: Pone te in conspectu Iesu, & coram illo in illius nomine comede & bibe.

2. Quæso te, ne patientiâ & severiore tuo supercilio abuti videar lector. Narro id, quod Cistercienſium vetera monumenta narrant. Fuit ex Ordine illo sancto Superior (*Martyrologium Ordinis 3. Januarij* B. Hostardum vocat) vir meditando parvulo Iesu in materno utero latenti, in præsepi jacenti, ad ubera pendenti devotissimus. Hæc tria illi fons perennium lachrymarum, & summæ erga Deiparam ardentissimæque fiduciæ, ac dulcissimæ cum sapido gustu devotionis. Huic in religioso triclinio mensæ accumbenti adfuit complexa parvulum Virgo Mater adeo vicina, ut puer scutellas teneris pedibus tangere videretur. Non est nostri calami, non est explicare, quid in apto illius cordis fomite sanctarum deliciarum fecerit beatissimus infans, scintilla felix. Porrigebat parvulo bolum,

quem

quem ori tenero aptum putabat fortunatissimus ille senex, & simplicitate amantissimâ inquiebat: *Pappa mi puer! Non pappabo modò*; respondit jam loquens infans; *sed tu post triduum pappabis mecum panem vitæ æternæ in regno meo.* Disparuit visio! & videns post brevem fatisémque ægritudinem post triduum eò, quò invitatus fuerat, dulci morte discessit. Hæ sunt extases abscónditorum in corde Dei: his privilegiorum bullis, & solidis suos coronat omnium gratiarum gratia, puer Iesus. Habere in sinu hunc parvulum, est in tenero illius sinu emori.

3. *Codinus Curopolata cap. 7. de off. Constantinop.* ait temporibus certis Imperatori comedenti, *multos annos accini à musicis.* In fine addunt: *Virgo hodie supersubstantialem parit.* Iterúmque additur, *canticum longævitatis.* Ita ille. Memento & tu longævitatis æternæ, supersubstantialis panis Iesu dum comedis. Quid si verò in honorem parvuli Iesu buccellam unam, aut integrum aliquando ferculum tibi prohiberes, quando id absque valetudinis dispendio fieri potest? Memento etiam scutellæ Iesu, quam vacuam in mensa ponunt quidam, & illuc ea quæ lubet conjiciunt, & parvulo in minimis suis Iesulo apponunt, dum mendico dant. Hoc si feceris nihil feceris novi.

4. *Dorlandus Chronic. Carthus. lib. 7. cap. 2.* Patris Dominici in cella frugali suæ mensulæ assidentis meminit. Illi de pueri Iesu delicioſa infantia cogitanti, & sua peccata deflenti adfuit in mensa pulvillo insidens puer Jesus, & converso hilari in Dominicum obtutu, mirâ illum jucunditate, mirâ divinorum arcanorum cognitione, ac scripturarum notitiâ implevit. Tum demum & multa, & abscondita illi ad cor locutus, cœlesti quadam odorum fragrantiâ recreatum reliquit, & se cœlo reddidit. Quid tibi animi esset, quæ corporis animíque compositio ad mensam sedenti, si tibi ita parvulus puer Iesus coràm arridens assideret?

5. Etiam jejunijs nostris delectatur Jesus. Arnulpho Cistercienſi Beatissima Virgo parvulum in sinum dedit ad oscula. Igneolus ille divini amoris fasciculus adeo illum urebat, ut propè emoreretur. Postea omnem ad suaviores cibos gustum per 40. dies amisit. Facit nimirum parvulus, ut cibis jam ne adeo inhies, atque ut jejunia esurias.

---

# HEBDOMADA XLIV.

*In cubiculo aut alibi dum solus es, vide ut tibi vacet nonnunquam de parvulo piè meditari.*

1.

MEditabatur de dulcissimo hoc meditationum suavissimarum themate, puncto, centro Dominicus ille Trevirensis Carthusiæ devotus Asceta, de quo *Chron. lib. 7. cap. 2.* agit *Dorlandus.* Hunc solum secum in conclavi sedentem, & jam cibo paupere reficiendum, delicatus quidam cordis sensus incessit, ex attentâ & suaves ab oculis lachrymas ciente cogitatione, quomodo infi-

nita illa majestas in parvulo Iesu, velut in pulcherrimo suo compendio abbreviatum Verbum, sese ad profundam adeo dignationem demiserit, ut ligari fascijs, infantilibus munusculis recreari, infantiliter lachrymari, ab innocentissimis intaminatæ Virginis uberibus infantili quadam aviditate aut necessitate pendere dignatus sit, infans licet, tamen Deus! Rogavit itaque beatum parvulum, ut qui pomis, nucibus, &c. munusculis olim placari facilè, & fortè à lachrymis componi potuit infans, dignaretur modicis, tenuibus, tepidis, obsequiolis suis lachrymísque placari: & parva hæc & pauca susciperet pro tanta suorum & gravitate & multitudine peccatorum. Hæc meditanti, hæc flenti ubertim, & tertiata interdum verba singultienti, adfuit delapsus è cœlo pulcherrimè pretiosus parvulus Deus Jesus, ac mensulæ illius insedit super pulvillum specie admirabiliter delectabili venustulus, & gratâ oris lætitiâ deliciosus totus. Dum dulciter in cor quasi insilientibus oculorum radiolis Dominicum aspiciens lumine illum & exultatione arcanâ intus ac foris exhilaravit totum; & explicatis illi quibusdam in adorabili scripturarum thesauro secretis, secretissimâ dulcitudine, ac suavissimis quibusdam radijs imbutum reliquit, & se cœlo inter odores fragrantiæ terris ignotæ restituit.

2. P. Didacus Martinez Soc: Jesu, vir in multis divinitus mirabilis, interpretiosas cùm secum in cubiculo esset, occupationes, etiam hanc habuit, ut in die genuflexus ad dexteram Patris sedentem Jesum centies adoraret in imagine pueri Iesu à Monialibus sibi missa, quam ille in sanctis delicijs habebat. Erat verò adorantis hoc sacrum acroama: *Adoramus te benignissime IESU; qui natus es de MARIA Virgine, in sempiterna sæcula, Amen.* Interpunge & tu occupationes tuas, quibus te ingurgitâsti, ne penitus mergaris, interpunge his si non hecatombis sacrificiorum, saltem unâ, alterâ, tertiâ cordis elevatione. Commonefacient te hujus meditationis horæ, visa Deiparæ cum puero imago, aut sese pio cordi opportunè insinuans nullâ oblivione sepeliendus, nullâ negligentiâ reijciendus Jesus. Sit cubiculum tuum instar palatij Jesu & Mariæ.

3. Certè ut est in elogio Thomæ Achinæ, qui Flexiæ Anno 1620. cessit è vivis, cùm in conclavi suo ille ad Iesum & Mariam se in preces effunderet, die quodam Deiparæ sacro, visus sibi est in luculentissimo quodam palatio, ubi Beatissima Virgo cum Jesulo & B. Ignatio illum bono animo esse jussum, ac in suam fidem receptum B. Patri Ignatio commendavit, Ignatio imperata cum impensa submissione libenter acceptante. Bene cubiculo illi, in quo talia aguntur: cui familiare cœlum se infundit! Hìc verè Bernardus cellam talem cœlum diceret. Et Thomæ quidem eo loco, ubi orare solebat, etiam Angelus Custos sub elegantissimi pueri specie iterum, tertiùm, quartúmque apparuit. At quid mirum à conclavi domestico, ubi Jesulus est, Angelos non abesse? vix circa Bethlemiticum spelæum audita aliàs mentio Angelorum: ut primùm illic adfuit Jesus, subitò Lucæ 2. facta est multitudo militiæ

tiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, &c.*

4. Unus Jesus pretiosius faciet tuum cubiculum seu conclave, quàm Persicum illud fuerit apud Athenæum, in quo semper certum erat reperire auri quinque millia talentorum, id est coronatorum septingenta quinquaginta millia supra triginta tres milliones. Atque huic conclavi nomen fuit *cervical Regium.* In altero conclavi, cui *scabelli Regij* data est appellatio, semper asservabantur argenti tria millia talenta. Supra omnem Persicorum conclavium fortunam assurrexit conclave tuum, si charum est Domino Iesu, si illi se instar scabelli subijcit ad obsequia, & quidquid illic est; si illi cor tuum cum omnibus, quæ in cubiculo tuo sunt, se pro molli cervicali præbet. *Apud Cæsarium miracul. lib. 8. cap. 2.* Sacerdoti cuidam parvuli Jesu infantiæ meditandæ addicto, per quietem in diversorium abrepto, Beatissima Virgo Filium pannis involutum in brachia colligendum dedit. Liberalissima profectò merces mysterij meditati! Ita cella tua seu conclave erit cellarium Jesu. *Accedamus ad Dominum IESUM,* inquit initio lib. *de incendio divini amoris* S. Laurentius Justinianus, *ut cùm ad ipsum pervenerimus, jucundemur & inebriemur ab ubertate domûs suæ.*

5. At si quis opponat, præstare, si cruentum in cruce, quàm si lacteolum in sinu Matris Jesum meditemur; ajo cordis nostri palatum sanctâ varietate recreandum. Inchoandum à parvulo meditandi thema, & finiendum in cruce, in anastasi. Idem est utrinque Iesus, uterque tuus est. Hoc ipsum dubium Catharinæ de Angelis *apud Maraccium in lilijs §. 3. & Chron. Franciscæ* ita solvit Deipara. In sextam hebdomadæ feriam inciderat nascentis Christi festum, cùm Catharina Crucifixo meditando immersa tota dubitabat de argumento meditationis, utrum eligeret, an nascentem, an agonizantem in cruce Iesum. Adfuit parvulo suo instructa Virgo Mater, & inquit: *Tibine deest hìc, Catharina, meditandi materies? Tantum debes filia, nudo Filio meo in cunis, quantum lacero fractoque in Cruce.*

# HEBDOMADA XLV.

*Totam prædestinationis tuæ œconomiam latenti in utero sub corde MARIÆ parvulo Deo IESV ardenter commenda.*

1.

*Paradisum habemus meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt,* inquit D. Bernardus *serm. 1. de Natali.* Ideo descendit è cœlo in Virginis uterum, ut te salvaret. Tunc incipiebat: roga, ut perficiat opus salutis tuæ.

2. *Nierembergius de amore erga Beatissimam Virginem, cap. 13. ex Cæsario* admirabilis cujusdam Virginis meminit, quam de infinita Sacramenti prædestinationis abyssо cogitantem, & cum illa Incarnationis amabilia, admiranda conferentem occupavit excessus, in quo Deiparam Virginem coram se vidit

crystallinam, id est, ad modum crystalli pellucidam? in cujus utero contemplata est infantem pulcherrimum, regio diademate coronatum. Habebat autem idem diadema quatuor flores eminentes, quos illa ait orbem quadripartitum implêsse, ita ut flores crescerent in arborem ramis amplam, & fructibus odore saporéque præstantissimis refertam. Solis tamen electis licuisse pretiosis illis florum illum orbem quaquaversum complentium fructibus vesci. Mira Virgini illi ab illo cœlestis in utero parvuli coronati spectaculo lumina! O illucescat hoc tibi & mihi, ut corde erga parvulum IESULUM coronatum prædestinatorum Regem ita nos habeamus, prout prædestinatos subditos decet. *S. Leo Papa serm. 1. Nat.* ait, quòd Nativitas pueri IESU sit *natalis vitæ, quæ consumpto mortalitatis timore nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam.* Et bene ille. Via enim nobis ad lætitiam æternam ostenditur. *Via hujus vis nôsse vestigia?* inquit D. Laurentius Justinianus, serm. infr. Natal. Domini. *Attende Dominum IESUM infantem in præsenti stabulo, &c.* Sublimiora semper in eo reperies documenta virtutum. Te veluti Magister perfectionis erudit in se. *Gaudeamus*, inquit S. Petrus Chrysologus serm. 144. *quia venit regnaturus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in cœlo.* Nobis natus est, nobis utique venit regnum donaturus. Et verò quid hæres timidus? Audi Bernardum *de Nat. Dom.* mihi col. 1161. *Non habuit* (juxta modernam decretorum suorum seriem) *non habuit*, inquit, *dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei, quia quidquid in divinitatis thesauro pietatis est inventum, totum in utero Virginis est congestum.*

3. Tu interim, ut illud punctum succedat, *ama amorem illius, qui amore amoris tui descendit in uterum Virginis, & amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen æternitatis suæ limo mortalitatis tuæ*, inquit cap. 4. *de Catech. rud.* Augustinus. *Natus est enim nobis in volubilitate temporis*, inquit idem serm. 13. de tempore, *ut nos perduceret ad æternitatem Patris.* Quomodo è profundo isto in altum ascendes? Audi quid de puero hoc Bernardus serm. de Nat. Dom. *Porrigit dexteram, cùm nascitur. Quid tibi mussitabunde Lucifer? Clausum est tibi totum itinerarium Dei. Respiratę perditi*, clamat *in Vigilia Nat.* idem, *venit IESUS quærere, & salvum facere, quod perierat. Quare filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? Gaudeat quisquis ille est, quem perpetuæ damnationis reum adjudicabat conscientia peccatorum. Excedit quippe pietas IESU omnem criminum quantitatem seu numerositatem. Fratres, hic est hæres; devotè suscipiamus eum, sic enim hæreditas nostra erit.* Ita ille. S. autem Leo serm. 2. de Natali. *Si cœlestis militiæ Sacramenta servaveris, non dubites te in castris triumphalibus Regis æterni pro victoria coronandum.* Ubi concludit: *Amplectimini Christum in nostra carne nascentem, ut eundem Deum gloriæ videre mereamini in sua majestate regnantem.* Ne autem excusare te per fragilitatem possis, do *S. Zenonem* eleganti stylo sic dicentem serm. 2. de Nat. Domini. *Mirares! MARIA exul-*

*exultans exponit infantem totius naturæ antiquitate majorem. O magnum Sacramentum! Ideo carnem est dignatus induere, ut nemo se possit per carnem, cùm judicij dies venerit, excusare.*

4. Hæc tenerè intiméque in suavissimo pueri Iesu corde expenderat illa Helena, quam *Martyrolog. Francisc.* ait post præstantissima Virgineæ religiosissimæque patientiæ exempla in repetitione hujus sententiæ dulciter expirâsse, & corpus clarissimum reliquisse: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Sic, sic Deus dilexit mundum!*

5. Expertus id est Iacobus ille post mortem, *ibidem* 25. *Julij*, cujus prædestinatio cuidam fuerat revelata. Is Ioanni cuidam sacro ministranti adfuit, & ostenso pulcherrimo Iesu parvulo in hostia sancta sub elevatione, dixit: *Cum illo puero nunc vado ad Regnum: eádem, quâ tu pro me oràsti, horâ à pœnis Purgatorij liber.* Eamus! Parvulus Iesus est Rex prædestinatorum; & Ruperto Abbati dicitur *Clypeus fortium, & liber prædestinationis.*

6. An non prædestinationis liber fuisse videtur Iesulus mancipio illi Turcæ, cui Neapoli, ut est in literis Anno 1641. ibi datis, sub sanctas nascentis Iesu ferias præsepe atque omnem Nativitatis Christi apparatum contemplanti, animóque mysterium versanti, sacrum accidit prodigium, quando à parvulo illic Iesulo, indice digito, & manu totâ atque invitantibus oculis accersitus, ipsâ etiam infantis divini voce advocatus, ab eodémque parvulo primis catecheseos rudimentis breviter ac dextrè instructus, sacróque fonte lustrari jussus, perfectis ritè omnibus, paucos post dies ultimùm æger negavit se mori posse absque supremo viatico: quo demum accepto ad Iesum discessit; & ostendit Iesum librum prædestinationis unico verbo constantem etiam à rudibus id est cæcis & amusis legi posse.

# HEBDOMADA XLVI.

## *Frequentibus amoris actibus & aspirationibus jaculatorys è corde profectis loquere parvulo Deo IESV.*

1.

JAm passim in calamis & ore omnium est *è speculo exemplorum dist.* 5. atque aliunde nobilis illa 14. annos nata Virgo, quæ ingenuâ simplicitate totâ septem annorum constantiâ importunis quasi obsecrationibus rogabat Virginem Dei Matrem, ut parvulum Iesum sibi videre liceret. Ergo in vigilia Christi nascituri oratorium sola intrat, & inexpectato perculsa spectaculo Matrem cœlestem cum diviniſſimo filio ibi videt, audítque dicentem: *En Filius meus tantopere à te desideratus! Habe illum in ulnis, amplectere, osculare.* Et jam in innocentissimis amplexibus jacens parvulus Iesus Virginem sui videndi sitientissimam suaviter interrogat: *Diligisne me?* Respondit illa: *omnino diligo.* Iesus: *quantum diligis me?* Illa: *Plus quàm corpus meum.* Ille: *An non plus me diligis?* Illa:

Illa : *imò plùs quàm cor meum.* Necdum cessat examinando accendere innocentes calores parvulus. Pergit ergo quærere : *Sed quantum plùs corde tuo diligis me* ? O examen inexplicatæ voluptatis ! O omnia sciens & videns amor, quàm dulci dolo te cæcum & ignorantem fingis, ut profis ! Respondit ergo illa jam conatu ipso respondendi colliquescens corde : *Nescio id dicere : ipsum cor meum loquatur tibi* ! O responsum bene, quod quæstionem atque adeo vitam ipsius Virginis exhausit totam ! Amoris enim vi cœlesti discisso seu disrupto corde, quasi os ad respondendum amori aperiret, concidit victima innocentissimæ felicitatis. MARIA verò quasi novo jam spolio triumphans, amantem illam animam sacro sinu maternè accipere, & in celebri Angelorum panegyri cœlo inferre visa est. Audito Angelorum tripudio symphoniaco, adest nihil eorum quæ agebantur suspicata familia. Et ecce Virgo jacet à Deo amore occisa, & plena odoribus plus quàm sublunaribus omnia. Adfuêre Fratres Prædicatores, & in aperto sacro illo pectusculo dum mortis causam quæri jubent, illam in corde pulchrè hiâte reperêre aureo charactere in hæc verba conscriptam : *Diligo te plùs quàm me, quia creâsti, redemisti, dotâsti me* ! Sic ad IESUM aspira, ut sic tandem aureo charactere inscriptus cordi tuo IESUS te & suspirare aureis suspirijs doceat, & suscipiat expirantem.

2. D. Alphonsus Cortes Soc: IESU in Peru Anno 1616. 17. Novembris obijt, de quo ejus gesta ajunt, ab illo Christum in hostia visum solari majestate resplendentem. Sæpe illum & aliàs inter miras cordis delicias vidit. Sæpe illi intercalaribus illis ac sanctis interpunctionibus occupationum, jaculatorijs precibus collocutus. Unde P. Joannes Sebastianus vidit IESUM pulcherrimè formosum ad latus P. Alphonsi stantem velut illius socium & cum illo suaviſſimè conversantem per orationem, in qua ille erat assiduus.

3. Huc vocanda etiam fortunata P. Bernardini Realini Soc. IESU, puerum IESUM ardentissimis aspirationibus anhelantis, felicitas. Is Anno 1598. dum nocte illâ vigil cœlo inhiat, & totum sursum ejaculatur cor per sacra quædam devoti cordis jacula, ecce videt præsentem unà cum puero IESU Matrem Dei. Porrigebat illa Bernardino parvulum ad lectum ; & tum cum illo de ijs rebus egit, quæ admirabilitatis tantæ dulcedine perculsum Bernardini cor in inexplicabiles suavitates eliquabant, oculos verò lachrymis dulci ubertate manantibus inebriabant. Ita nimirum suos vulnerat sanctis illis cordis jaculis lacessitus puer IESUS. Philippo Macedoni puero stellas sagittis configere tentanti, redux ex alto sagitta exhausit oculum. At nostris his sagittis oppugnatum cœlum oculos nobis per dulces lachrymas illuminat, cor accendit.

4. Nunc ergo ad memoriam, nunc etiam ad amplexum & osculum imaginis IESU excita sopitum cor, & quas à Sanctis factas legisti, aut audisti aspirationes, illas jaculorum cœlestium instar è cordis arcu in IESUM expedi. Ita *apud Maraccium liliorum* §. 25. *pag.* 290. Mechtildi datus à Matre in amplexum IESUS ita illam accendit, ut illa

cum

cum ineffabili amore puerum suscipiens, cordique suo illum imprimens, verbis nunquam ab illa antea cogitatis, sed extemporali Iesu dictamine inspiratis illum salutârit, dicens: *Salve paterni cordis medulla dulcissima, languentis animæ sagina, & refectio beatissima! Tibi offero cordis & animæ meæ medullam in æternam laudem & gloriam.* Idem Iesulus ibidem ab eadem divinæ Virgini Matri loquente vocatur: *Dei Patris unicus, & tui, MARIA, Virginei cordis unicus amicus, & Sponsus dulcissimus.* Denique *ibidem p.* 293. ipsa Dei Mater dicitur eundem sui cordis unicum dulcissimæ vocis modulatione sic salutâsse: *IESU, corona Virginum, Amor, dulcedo, & osculum.* Angelorum verò & Sanctorum accinentium voces hæ erant: *Te Deum laudamus in seculum, quem amor fecit Virginis filium.* Ad hunc etiam cum Augustino *serm.* 5. *de Nat.* aspira, si lubet. *O delectabiles Vagitus, per quos stridores dentium, æternósque ploratus Vasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! ô præsepe splendidum, in quo non solùm jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum.*

5. Jaculatoriæ verò hæ dirigi possunt nunc ad ipsum parvulum, nunc ad felicissimam puerperam, nunc ad præsentem amabili illi mysterio Josephum, nunc ad Angelos canentes, nunc ad Patrem æternum. Ita S. Ioannes Damascenus in Canticis Ecclesiast. Ode 7. *Latum tuæ bonitatis, Domine, nobis mare monstraturus, natum tuum ad nostram demisisti Vilitatem. Erudito me divino spiritu.* Et ad Matrem: *Latus throno qui Cherubico Vectatur, ut omnium Rex, Virgineum uterum tuum, Virgo habitavit.* Præmium verò istorum amoris actuum erit duplex, & è duplici unum, alterum erit ipsum amare Iesum, seu ipse amor quo Iesum amabis his actibus: alterum amari à Patre. Ioan. 16. 27. *Ipse enim Pater amat Vos, quia Vos me amâstis.*

# HEBDOMADA XLVII.

## *Ardenti in via virtutis proficiendi desiderio tuum erga IESVM amorem testare.*

1.

AD puerum Iesum Magos Deus, postquam duxit, & ut *hom.* 6. *in Matth.* Chrysost. loquitur, manuduxit, & ad ipsum præsepe statuit, non jam per stellam sed per Angelum eis loquitur, ita paulatim meliores fiebant. Videsne è Chrysostomi sententia Magos ad Iesulum ductos statim profeciſſe, & à præsepio tanquam ab Academia cœlesti doctores redijsse. Planè appositè huc D. Paulinus epist. ad Sulpitium: *Christus sicut in illo ipso homine quem gessit, ita in nostris mentibus gradus quosdam corporeæ ætatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit.* Sed orandus ne in nobis diu aut jugiter parvulus & infirmus, & pauper sit.

2. Hoc est etiam pueri Iesu elogium: *Proficiebat, crescebat.* Est ille via, & eorum qui incipiunt, & proficientium, & perfectorum. Ioannes Eusebius Nierembergius *de mir. nat. Europ. l.* 1. cap.

*cap.* 13. *pag.* 319. ait constare plurium oculatorum testium fide, Scalabisci seu Santaren iconem pueri Iesu inventam esse, quòd creverit, & quasi adoleverit. Ita oculi, qui modernam imaginis quantitatem cum nupera componunt clarè affirmant: idem thecæ asseverant, quæ eandem quam antea capiebant imaginem, jam præ novo & admirabili imaginis incremento non capiunt: unde novas thecas fabricare oportuit. Sit hæc imago proficientis spiritûs tui in via Dei. Viva Christi effigies esto. Natus est in te Christus! Vive tu non jam tu, vivat verò & crescat in te Christus; & tu in Christo. Hæc est cœlestis illa generositas, quam nobis dat Christus.

3. *Nascitur Christus*, inquit *serm.* 156. *D. Chrysologus, ut jacentes in terreno germine cœlestem tolleret ad naturam.* Macte cœlesti hac indole, quisquis crescere vis usque in perfectum diem. Idem *serm.* 159. de tempore nascentis Christi loquens: Ante hos" dies, inquit, id est diem octavum calendarum hujus, crescere dies cæpit, quia dies verus illuxit. Cresce ergo cum hoc die usque ad æternum diem. Ipse te Sol moneat suis incrementis, ut creseas. *Serm.* 160. idem aurei sermonis Divus sic habet: *Quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur.* Ita est, habent hoc electi Iesu, ut velut ad cotem alienæ malitiæ acuant Sanctitatem; & quò alij altiùs" se in scelera ingurgitare conspiciunt, eò illi sese altiùs in sanctitatis quasi Oceanum mergunt. Impijs verò contrà virtus aliorum occasio malitiæ.

4. Ut autem proficias, pete moneri, & monitus te sincerè emenda in honorem pueri Iesu & Matris. Vitæ S. Francisci Xaverij *S.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. Durus" quidam, inquit Tursellinus, in deserta insula dum in æde quadam sacra moraretur, Dei parentem (incertum vigilans an somnians) ad aram maximam, loco exornato in pulvino sedentem conspicit. Apud eam puer Iesus erat, qui Durum verecundantem ad Matrem suam pellicere conabatur. Illa primò infensæ similis eum aversari ac repellere; deinde pacem ac veniam supplici ter orantem admittere. Ad ultimum certis de vitijs admonitum dimittens, simul cũ puero Iesu sublimis abijt. Siste te coram pusione hoc divino, & benignissima illius Matre. Agnosce magnum esse Dei donum indefessam illam plùs ultrà in spiritu proficiendi voluntatem. Hoc donum ab illis pete. Pete moneri si quid sit in te, quod illis" displicet in te. Roga ut vivat, crescat in te. Nam ut ait S. Bernardus *serm. infra octavam Epiphaniæ col.* 1765. Sicut Dominus Iesus in nobis concipitur, & nascitur; ita crescit & nutritur in nobis.

5. Cor Iesu parvuli, proficere volentis cordis videtur esse imago apud *Nierembergium* de amore Iesu *cap.* 27. ubi S. Mechtildi retulit Iesus, ob concitatissimum nunquam quiescentis in se charitatis æstum, cor suum tenellum in prima ætate incredibiliter subsultâsse, adeo ut in spatio, in quo cor nostrum semel movetur, illud tres easque vehementissimas habuerit motiones", & quartam remissiorem. Durâsse verò hanc micantis & semper currere quasi

quasi gestientis, aut ad cursum exultantis cordis vehementiam non tantùm in tenera, verùm etiam in adolescente & virili ætate. Ecce cor illud velut gigas exultabat ad currendam viam. Discat cor torpidum ab hoc corde exultare in Deum vivum, plùs ultrà sese ad anteriora porrigere, nunquam dicere, satis est: sed moveatur, sed æstuet, sed instar Solis currat viam mandatorum Dei, semitam illam justorum, de qua Proverb. 4. ℣. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Aureus ait D. *Joannes Chrysostomus*, ad virtutem stimulus est *hom. 4. in Matthæum*, ubi postquam de nascituro Iesu loquentem
„ Angelum introduxit, exclamat: Tantâ igitur cœlestis muneris liberalitate
„ donati cuncta faciamus, ne tam grandi-
„ bus beneficijs insultemus petulantérq;
„ irrogemus injuriam. Et *D. Laurentius Justinianus serm. infr. Natal. Domi-*
„ *ni* initio: Efficitur homo tantorum
„ criminum reus, quantorum beneficio-
„ rum convincitur esse ingratus. Tanti
„ est homo, inquit paulò pòst, ut ne per-
„ iret in æternum, Verbum caro factum
„ est.

6. Nobilem proficiendi praxim, esse examen particulare de certæ alicujus virtutis assecutione & vitij illi oppositi victoria institutum, disce à Iesu Matre, *apud Maraccium tilsorum* §. 10. Catharinæ Ricciæ sinum innocentem sæpe porrecto illi parvulo bezvit Virgo Mater. Interrogabat inter illas suas delicias Catharina, quî tandem, quâ demum arte charo illi parvulo placere posset? Pro responso quasi Examen particulare illi assignans MARIA jussit illam eo anno duabus hisce virtutibus potissimùm incumbere; *Humilitati, Obedientiæ*, ut dicetur etiam *hebdom. 51.* futuro verò anno se unà cum dulci parvulo redituram. Et verò stetit promissis, quando vertente anno, in cœlitum comitatu, parvulo suo in sinu dives Catharinæ conclave ingressa est, ac dixit, se venisse, non ut Filium suum modò videndum præberet, sed ut cui virtuti sequenti anno deberet operam navare, eam doceret. Tum illi quasi tyronum Magistra, vel spiritûs Præses, pro examinis particularis argumento, *Patientiam & Charitatem* eo anno singulari studio comparandam assignavit. Ita parvulo placituram, quem etiam ei in amplexus dedit.

7. Inter præclara proficiendi instrumenta etiam hoc adhibendum, ut ad teneros Iesu pedes provolutus illum roges, ut id quod à SSS. TRINITATE in Missa petit Ecclesia, *sua in te beneficia tueatur.* Volo dicere petendam esse pro coronamento omniũ gratiarum, & quasi auctario ac mantissa, gratiam, quâ Deus nos gratijs suis uti doceat, faciátque de nolentibus volentes uti illis cogitationibus congruis, illis gratijs, quas nobis dat Deus. Ut gratia in nobis vacua non sit, sed plena: ne illam instar otiosæ pecuniæ habeamus. Grande omnino Dei beneficium est, non tantùm non abuti, sed scire dextrè uti beneficijs Dei. Imò etiam hìc *qui non utitur, abutitur.* Ita *apud Razzium & Maraccium cit.* §. 2. Felix Venturi, Virgo verè felix, & hoc etiam lumine illustris, morti jam vicinior, supplex ad Patris, cui conscientiam pandebat, pedes, inter amarissimas uberri-

másque lachrymas pœnitentiæ Sacramento ultimùm expiata, & lachrymarum tantarum causam rogata, earum fontem uberem esse respondit, crassam & profundam suam in reddendis Deo gratijs socordiam, pro beneficijs tot ac
„ tantis. Quorum unum, inquit, præ-
„ ter alia innumera, quæ recepi, me in-
„ ejus servitio ferventissimam reddere de-
„ buisset. Hoc autem est, quòd decem
„ ab hinc annis mihi Incarnationis Filij
„ Dei mysteriũ contemplanti, non in so-
„ mno sed in vigilia, ineffabili cordis mei
„ voluptate, benedicta Dei Mater cum
„ suo inter ulnas infante Iesu sese mira-
„ bilem ostendit. Ita abijt ad Iesum Anno 1500. Utinam ipsa Dei beneficia nos in mortis articulo non accusent! Infelicem sortem nostram, si ad proficiendum adeo hebetes simus, ut non à malis tantùm nostris, verùm & ab ijs quæ à Deo accepimus bonis, eò quòd ijs uti per infelicem socordiam nolimus, accusemur, judicemur, atque utinam non etiam condemnemur. Avertat hoc, & artem utendi suis beneficijs nos doceat bonus Iesus!

# HEBDOMADA XLVIII.

## *IESVS parvulus castos amat.*

1.

SAnctus Augustinus in Joan. cap. 1. Verbum Caro Factum Est: *Caro te obcaca verat, caro te sanat, quoniam sic venit Christus, ut de carne carnis vitia extingueret* Heu! nimium quantum *ex Cæsario*, & passim exedris notus ille Juliacensis Comes, comes impurus, homo poreus. Monebatur ille, ut impudoratam impudentiam poneret, sed non movebatur. Stupendam Dei patientiam! Ipso sacrosancto nati Dei Jesu die ad tres missas, ter audivit cœlestem musicam Angelorum, ut cœlestibus voluptatibus terrenas discceret, posthabere. Neglexit infelix. Adeo illi surda fæditas aures cordis obtuderat. In via ergo Coloniam dum pergeret, in sinu infelicis suæ Dalilæ animam vomuit, aliâ apud inferos symphoniâ excipiendam.

2. Felicior Aldegundis Virgo Regia, cujus puritatem stolâ candidâ donavit formosus parvulus Iesus, & monuit, ne alium sibi quam Iesum desponderet. Vidit se postea Aldegundis in comitatu Amandi Magistri sui in candidatorum chore euntem ad cœlum. Serva stolam puritatis tuæ, serva; si illam fædâsti, elue; si eluisti, ne ampliùs commacula; si nunquam maculâsti, serva intactas nives, ignota manibus lilia, nullius ore afflatum speculum! serva te Deo Iesu.

3. Servavit se feliciter Gertrudis ab Oesten Virgo sancta, de qua 6. *Januarij* vitæ illius narratores ajunt, quotidianum illius cordis pabulum fuisse nascentem puerum Iesum meditari, cum quo se oblectabat. De lacte Virgineo, quo à nati Christi die ad Beatissimæ Virginis purificationem abundare dicebatur, mitto dicere. Illud non taceo, adeo suaves puriſſimæ istius Virginis cum Iesu fuisse delicias, ut illa se domi esse negaret, usque dum à Sponso Iesu domum duceretur. Unde moriens ajebat

bat Sororibus: *Ego domum proficiscor.* Domi illam esse dicentibus; *nequaquam domi sum*, inquiebat, *sed illic volo esse, ubi plateæ sternuntur auro mundo.* Hæc nimirum est domus, ad quam illam duxit Iesus castorum amor. Mundo auro stratæ plateæ, nolunt immundis pedibus calcari. Age, mundus esto, domum suam invitat castam tuam animam purissimæ Matris innocentissimus Filius Deus Iesus.

4. Puriſſima, & huic etiam vocabulo (PURITAS) addictissima Virgo B. Magdalena de Pazzis, cùm Iesum suum eo modo videre vellet, qualis è puriſſimo Virginis utero exivit, id illi concessum est, tenuítque in brachijs infantulum Iesum, in quo corde toto, vultu toto accenso pulcherrimè triumphabat. *Vide Vita cap.* 27. & *cap.* 41. Interrogata à Christo, in qua ætate videre se vellet, elegit videre illum 1. parvulum, exulem in Ægypto. 2. perditum, inventum in templo. 3. Patientem. » Parvulum cùm videret: Ecce, inquit, » triennis vel quadriennis parvulus meus. O quàm mira res! Tu adeo parvulus, & tamen Deus es! sed parvitas » tua ducit me ad cognoscendum magnitudinem tuam. O magnitudo & parvitas Dei mei! nunquam satiarer videndo te! O parvule & magne Deus! » pulcher, & attractive! Iterúmque adolescentulum seu puerum videns Iesum; O ecce, ajebat, Sponsus meus in » ætate 12. annorum vultu adeo formoso & admirabili, ut in illo quædam gravitas mansueta resplendeat. O Deus » meus, amoris plene, & suavitatis gustanti te! Inde ad Beatissimæ Virginis aram prostrata illam unicè rogavit, ut vivas divini amoris flammas in corde omnium in cœnobio illo habitantium Sanctimonialium diffunderet. Patientem verò ubi vidit suspirabat in hæc verba: Iesu mi, in hoc ætatis flore a- » spiciam te, laborando méque fatigando » pro te, & orando te! in hac pulchra & » gratiosa ætate tua aspiciam te, in qua » tu pro me patiens reliquisti te! &c. Hæ sunt deliciæ puritatis. At has margaritas in foro Veneris porcis emere non licet. Denique hic est ille puer, de quo S. Zeno Veronensis Pontifex serm. 2. de Nat. *Sacrario templi Virginalis hospes pudicus illabitur.* Requiescit libens florentissimo in domicilio castitatis. Tu ergo talem illi lectulum sterne, in quali ille requiescit libens.

5. Quare nihil verborum blandientium, nihil musicæ parum pudicæ, aut suspectæ in aures admitte. Clemens Alexandrinus in orat. Adhort. *Christus*, inquit, *novum mihi vocatus est canticum.* Quare quando Verbo incarnato novum creavit Dominus super terram, cogita canticum novum. Hoc cantico intus tibi cane, & musis novis relinque veteres cantilenas. Sit tibi in corde & ore novum canticum Iesus.

6. Sed puritas alijs etiam virtutum splendoribus adornari debet, ut placeat. Verecunda est ista virtus, vestiri vult misericordiæ operibus, pro veste nuptiali: ne si illam non habeat, abijciatur nuda in tenebras exteriores. In Petro Abbate sancto tria hæc laudantur: erga Iesum parvulum amor; puritas illibata; misericordia. Unde citatus *in Martyrologio Gallicano 25. Decemb.* Radbodus Adriano Papæ IV. ita scribit: *Recessit Petrus Abbas illâ horâ*

*de corpore, quâ credimus Dei Verbum natum de Virgine Matre. Et bene hanc ut ascenderet horam elegit, qui nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo Virgine de Virgine Matre in terris, Petrus Virgo assumitur in cœlis, ut qui gaudium singulis Nativitatis festivitatibus devotè celebraverat cum peregrinus quamdiu vixerat, horâ & momento ejusdem Nativitatis reciperet devotionis fructum in sede aternitatis.*

7. Certè si ipsa pudicitia, seu puritas loqui posset, gratias amplissimas Iesu parvulo ageret, quod servatis de reliquo naturæ legibus postea esurierit, sitiverit, fessus resederit, &c. Supra omnes tamen naturæ leges & vires esse voluerit filius Virginis Matris. Stupebat id Simeon ille Justus, & illud Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet*, in Synagoga concioni explicaturus, cùm impossibile arbitraretur, ut Virgo conciperet, deleto Virginis vocabulo, substituit: *Ecce adolescentula concipiet.* Ita refert *Petra sancta Thaumasia tom. 1. allocution. num.* 10. Sed cùm semel ac iterum deletum *adolescentulæ* nomen, & adscriptum *Virgo* reperiret, delevit iterum & *adolescentulam* scripsit pro *Virgine*. Tū verò Angelus tertiò adolescentulæ sublato vocabulo aureo charactere eleganter adscripsit VIRGO, & Simeoni sanctum Jesu à Virgine concipiendi mysterium revelavit. Tanta nimirum est Iesu erga cœlestem illam virtutem propensio, ut nullis naturæ terminis potuerit definiri.

# HEBDOMADA XLIX.

## Nox Christi nati.

*Nocte nati IESV, & aliàs, felix vitæ hujus nox ultima est petenda pro morte sancta.*

1.

HÆc est illa nox, quæ est dies Mater dierum nostrorum. Est dies, de quo Joann. 8. 56. *Abraham exultavit, ut videret diem meum.* Hæc est, in qua ille nascitur, qui ut S. Veronensis Episcopus Zeno loquitur serm. 2. de Nat. *humanam vitam mutuat de tempore, qui præstat temporibus æternitatem.*

Hæc est, in qua, ut ait Chrysologus serm. 143. *arcanum Dei, sæculorum negotium, commercium divinitatis & carnis ostensum est.* Fornerus oculatus rei testis, in literis Monachium datis Anno 1608. 4. Januarij narrat Martinum Guttrich hominem de communi populi censu. Is cùm in concione audisset, Deum non permittere, ut is intereat, qui Dei Matri solidè devotus vixerit, rem illam sanctam esse bonâ fide ratus quotidie manè ac vesperi septies ex Angelica formula Beatissimam Virginem salutavit. Quem salutandi morem alijs etiam horis persæpe usurpavit, ultimo vitæ triennio. Interea supremo in morbo depositū invisere dignata benignissima minimorū etiam sincero corde factorum obsequiorum æstimatrix Virgo, ipso Immaculatæ Conceptionis die se illi spectandam in luce amabili præbuit,

buit, blandéque admonuit: ut conscientiam Sacramento pœnitentiæ expiaret, ac se divini usu viatici ad itinera æternitatis robusta accingeret, ritu Catholico; id enim se pro illo à dilecto Iesu Filio suo impetrâsse: mortem verò nihil expaveseeret: Occursuram se illi è vita exeunti, & migrantem è corpore animam suo complexu excepturam eo die ac horâ, quâ Regem seculorum amabilem parvulum Iesum peperisset. Inexpectata hæc maternæ pietatis dignatio lætissimis imbutum delicijs Martinum tantis gaudijs cumulavit, ut neque se satis caperet, & Fornero, à cujus concionantis ore illam erga Deiparam pietatem didicerat, rem enarraret, libentissiméque monenti Virgini pareret. Quare cùm materialis, ut ajunt, hæreticus fuisset ante devotionis illius usum, Sacramentis ultimis Catholicè munitus, post acceptam cœlestem illam annonam expectabat natalem Iesu noctem, tenerrimos inter animæ jam migraturæ sensus, & illâ æternarum deliciarum nocte 25. Decemb. 1607. animam morte dulcissimâ in cœlos transmisit, tunc quando *melliflui facti sunt cœli.*

*Discè à moriente infante parvulo IESU devotus vivere.*

*Prati floridi lib. 2. cap. 16. num. 1.* Religiosus ultimùm æger rogatus quid ita gestiret vicinus morti? Quidni gestiam, inquiebat, cùm eras sit solennissimus dies Nativitatis Domini Iesu? quo die ille Deus carnem nostram induit, ut nostras sibi animas consecraret, mortalis factus est, ut æternam nobis vitam daret? &c. Et nunc mihi à Custode meo Angelo est revelatum, quòd eâ de causa quòd Nativitati mei Iesu peculiari studio fuerim devotus sit mihi facturus gratiam Iesus, ut in pompa solennitatis suæ abeam ad fruendum illâ gloriâ, absterfis penitus peccatis meis per merita sacratissimæ Incarnationis & Nativitatis suæ. Et dico vobis, Fratres mei, quòd qui cum affectu meditatus fuerit, sempérque corde alto condiderit beneficium, quod in hac Nativitate nobis fecit Deus, mortaliter peccare non poterit: semper Dei gratiâ firmabitur; neque dæmoni ulla super eum potestas permittetur. Ipso itaque nati Christi die abijt ad vitam ducendam in cœlo magnâ cordis orisque semper gloriosè subridentis lætitiâ quasi ad epulum abiturus.

2. *Eâdem nocte custos Angelus, & alij Angeli, ut te accendant, invocandi.*

Accenderunt Hugonem senem illum sanctum, de quo *Vincentius lib. 27 c. 7.* & alij ajunt, eum ipsâ nascentis Christi sacratissimâ nocte ad Fratres congregatos ingressum tacito suo nomine dixisse: Frater quidam hac nocte vidit Matrem misericordiæ, ipsúmque Filium, quem præsenti genuit nocte dulcissimo in gremio Matris: eique adstantem cum immenso lumine sanctorum Angelorum multitudinem. Pergebant cantare & flere sancti illi Fratres, cùm Hugo vidit ordinem Angelorum psallentium, & omne genus Musicorum dicentium: *Gloria in excelsis Deo.* Visus est Deus puer parvulus exultare, & intimam cordis lætitiam gestu corporis, & plausu manuum demonstrare, conversúsque ad Matrem dicere: *Vides, Mater, noctem Nativitatis meæ gaudijs illustrandam, in qua & Prophetarum oracula, & Angelorum*

*lorum præconia revelabuntur, & de meo ex te ortu omnia simul cœlestia & terrestria lætabuntur.* Visus etiam qui nunquam abesse conatur dæmon accessum tentans; at adeo calebant ardore sancto omnes, ut nullum apud illum reperirit locum. Ingredere itaque & tu pro felici ad ultimas mortis tenebras apparatu divinâ illâ nocte in lucem empyream, in splendores Sanctorum, téque cum Angelis, cum Joſepho, cum MARIA, cum JESU occupa. Vide, ne quid in te loci dæmon reperiat.

3. *Adjunge te Sanctis, qui hanc noctem quàm sanctissimè exegerunt.* S. Catharina Bononiensis hac ipsâ nocte parvulum, qui natus est nobis è materna MARIÆ Virginis parientis manu talem accepit; qualem infantilibus pannis ac fascijs involutum olim in præsepio inter Angelos accinentes collocârat. Die cum S. Petro Chrysologo serm. 142. *Beata & verè beata MARIA, quæ præter materni dolorûs fastidia tantam germinis pervenit ad gloriam. Divinus habitator est, non humanus: non terrenus homo est, sed cœlestis.*

S. Lydvinam Virginem & alias quasdam in nocte Dominicæ Nativitatis lacte Virgineo abundâsse habent acta ejusdem *lib.* 2. *cap.* 4. citata à Raymundo *in Dyptychû part.* 1. *pun.* 8. *num.* 2. Quidquid sit de his, lactandæ tuæ erga puerum Iesum pietati sufficiat Virgineũ lac MARIÆ. Adjunge te Bernardo, de quo *Martyrologium Gallicanum* 25. *Decemb.* Claræ-Vallis Apparitio Domini » nostri Iesu Christi, quem S. Bernardus » singulari privilegio gratiæ meruit per » revelationem eâdem noctis horâ, quâ » Verbum Caro factum è Virgine inte- » merata prodijt, puerum, MARIAM, cum » Joseph justo præsepio assistentem feli- » cissimo spectaculo conspicere. »

S. Augustinus *serm.* 17. inter novos: *Quomodo natus is fuit*, inquit, *tenebræ tecum loquentur.* Audi ergo tenebras hujus noctis linguis Angelorum loquentes tibi. Audi quid omnipotens Dei sermo de cœlo descendens dicat, Mandatum novum dat nobis. nam *serm.* 16. ibidem Augustinus: *Si mandatum Patris vita æterna est*, inquit, *& Christus Filius ipse est vita æterna, mandatum Patris ipse Filius est. Quomodo enim non est mandatum Patris, quod est Verbum Patris? ergo mandatum Patris ipse Filius est, qui hodie natus est. Mandatum non à tempore datum; sed mandatum natum. Exercet mentes Evangelium Ioannis, limat, & excarnat.* Ita Augustinus. Exerceat ergo te mandatum hoc vivum, novum, sanctum; limet, & excarnet te hac nocte Incarnatum Verbum, ut in luce tenebrarum harum ita hoc mandatum à Deo tibi missum legas, ut serves. Si vis ad vitam ingredi, serva hoc mandatum hac nocte datum. Ita per mortis tenebras ibis in lucem.

4. Hæc est illa nox, quæ illud quod *Nider formic. lib.* 4. *Balinghen* 25. *Decemb.* & alij oculati testes narrant, prodigium vidit non semel, quando ad Norimbergam pomus quædam hac nocte Christi mediâ repente floruit, & statim pomula seu fructus tulit. Ita nox una Ver & Autumnus fuit in hieme. Quid sterili corde vel nihil concipis bonorum, aut semper hæres in floribus nunquam erudiendis in fructus? Nunc disce illos maturare, ut tot cogitationum bona-

bonarum ver veluti paradisus quidam in corde tuo vernans, tunc tandem ut ita dicam autumnescat, sive erumpat in fructus. In morte illorum suavitatem gustabis

5. Hæc est illa nox, quâ sacris operante Roberto extra templum canentes & saltantes quindecim viri, tres fœminæ horribili pœnâ usque ad anni sequentis natalem noctem saltârunt. Tum fœminæ statim expiravêre; alij postea; superstitibus verò horridus membrorum tremor mansit in pœnam irreverentiæ. *Vide Vincentium Belov. lib. 25. cap. 10.*

Hæc illa nox, quæ felici dimidiæ horæ spatio in Bernardini Realini amplexibus hærentem & seni illi delicias facientem puerum Iesum vidit, ut *hebd. 37. num. 6.* retulimus.

6. Hæc est illa nox, in qua ut *parte 2. Floris Sanct. 17. Nov.* adnotat *Ribaden.* S. Gregorius Turonensis Episcopus, fessus & quiescens à viro quopiam apparente audivit: *Surge ocyùs, & ad Ecclesiam vade.* Cúmque negligeret, alapâ percussus audivit: *Tu, qui reliquos dormientes excitare deberes, adeo altùm sternis?* Excitet & te nox ista, ut vigiles oculis cordis totis: & si quid torporis in te hactenus fuit, id omne excutias. Hæc nox dies nostros dormire non sinat, & nos ultimo diei paret.

7. Hæc est illa nox, quæ devotis parvulo Iesu cordibus addit stimulos ad virtutem. *Prati Floridi lib. 2. cap. 16. & 2.* Oranti in templo Religioso viro adfuit cum charo in ulnis filio Deipara, cui parvulus è sinu Iesus ita loquebatur: O Mater dulcissima, quanto hodie gaudio festum hoc celebrant fideles electi mei in Ecclesia mea ob Nativitatem meam, in qua dedi illis infinitum thesaurum donorum meorum. Et conversò ad Religiosum orantem sermone: Ecce, ajebat, charissime, quia semper Nativitati meæ devotus fuisti & memor, sacratissimâ hac mei glorioſi natalis nocte unà cum dulcissimâ mea Matre adsum ad visendum & solandum te: & scias, quòd sicut dæmon hac mea Nativitate sibi adeo admirabiliter damnosâ tormenti sentit plurimum; ita electi mei lætantur in festo Nativitatis meæ. Quare, charissime, perseverain mei memoria, quia & ego recordabor tui. Dixit, & recessit ab oculis.

# HEBDOMADA L.

*Valde gratam rem feceris puero IESV, si alios non crudè, sed suaviter alloquaris.*

1.

BEata Magdalena de Pazzis, *Vitæ parte 1. cap. 64.* quandam, quæ cum alijs semper quadam cordis & oris amænitate suavissimè loqui, cùm loquendum erat, consveverat, Monialem Anno 1598. 29 Octobris morientem vidit expectari à multitudine præsentium Angelorum. Post mortem verò Purgatorium non nisi per quinque dies perpessam in aureo gloriæ paludamento, insigni & præcipuo urbanissimæ illius charitatis præmio aspexit. Os verò illud religiosissimæ dulcedinis nectare

sem-

semper manans, hoc evitatæ per omnem vitam acerbitatis omnis præmium tulit, quòd visus sit cœlestis cujusdam nectaris liquor è dulcissimo pulcherrimi Iesu ore in os illius Monialis admirabili beati cordis voluptate descendere. Hoc ego tibi, hoc mihi morienti & mortuo præmium, sed & hoc tibi & mihi viventi præmij illius pretium opto, ut quemadmodum nascente Iesu, ut canit Ecclesia in matutino noctis Nativitatis Christi per totum mundum melliflui facti sunt cœli; ita lingua nostra cœlos illos imitata non tonet, fulguret, fulminet; sed melliflua sit celeberrimus Iesuli cibus: *Butyrum & mel comedet.* Ita lacte & melle fluat, nastar terræ promissionis benedicta lingua tua, & influat in aures & corda.

2. Sacrilegæ cuidam, quæ sanctissimum Sacramentum sub pede lecticæ collocabat, ut sic illud contereret per contemptum & rabiem, tandem formosissimus puellus Iesus, nudulus, & vibicibus lividulus, ac vulneribus saucius adfuit, & nil tonans aut excandescens, verùm suavis melleis hisce verbis illam sanctam fecit, dicens: *Quid ego tibi unquam nocui, ut in me sævias?* Ita corde percussa amabili hac querelâ, seriò sanctéque resipuit. Ita *litera ex hisp.* & ex ijs *Balinghen* & *Hautinus Eucharistia num.* 870. En tantam injuriam quam non severè & miserè, illi quàm utiliter, ultus est Iesus! disce à Iesu miti suaviter etiam sæpe ac multùm offensus loqui.

3. Eandem in rem facit id, quod accepimus è *Rho lib.* 4. *Virtutum cap.* 4. Catharina Ferrariensis Ordinis Prædicatorum vidit Christum explicatissimâ fronte medium interfuisse inter Virgines de rebus divinis sermonem texentes: at ubi illæ loqui cœpêre contentiosiùs, irato similis è media illarum corona se subduxit, omnem temeræ suavitatis mutuæ speciem detestatus. Et tu illum quoties sic fugâlti?

4. Guerricus *serm.* 1. *de Nat.* dulcissimè in rem nostram: *O puer dulcissime, IESU bone, quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, & perfecisti sperantibus in te, qui tantam exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis, ut Deum, qui creavit me, videam puerum creatum propter me! Deúsque Majestatis & gloriæ non solùm similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis & velut humana indigens opis appareat ætatis infirmitate. Verè tu, puer Deus, salutare vultûs mei, & Deus meus, cùm totus sis dulcedo & desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum &c. Dulce interim & prorsus dulce, & sapidum cogitare puerum Deum: quin etiam efficax & operatorium ad medendum ac dulcorandum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, ubi sensus & memoria fuerit hujus divinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inveniri: sed omnis indignatio & amaritudo cum omni malitia tollatur à nobis.* Hæc ille.

5. Certè pro nascituri Christi symbolo non aceti, sed olei fons fluxisse dicitur Romæ trans Tyberim, cujus etiamnum leguntur vestigia. Et prudentes Virgines, oleum, non acetum habuêre

buêre in lampadibus. Amor Dei, & Proximi suavi verborum lenium oleo alit ignem cordis, velut lampadis suæ, non aceto. Affunde acetum lychno ardenti, & ignem oleo hactenus ali consvetum extinxisti. *Oleum*, non acetum, *effusum nomen tuum*, ô puer Iesu! Romuli palatium, seu pacis templum, Virgine pariente si corruit, nostræ nihilominus inter nos pacis templum ædificaturus venit Jesus, gehennâ dignum pronuncians, qui asperitate loquendi eò usque auderet erumpere, ut alterum *fatuum* nominaret. Venit ille, ut suavis instar olei, mitis & placida sit mutua nostra, quæ inter nos intercedit conversatio. Contra vitia quidem non pacem venit mittere, sed gladium: at inter nos pacem venit mittere, non gladium, quando etiam dum nasceretur, in pace mundi universi factus est locus ejus.

6. Age ergo eum alijs tanquam frater Jesu cum fratribus Jesu. Amalarius Episcopus lib 4. *de Ecclesiastico officio*, cap. 31. tom. 6. *Biblioth. SS. Patrum* col. 1060. *Dei Filius*, inquit, *cùm esset Unigenitus Filius, voluit sibi fratres adjungere. Descendit, ut faceret sibi fratres, nullum despiciens in fraterno loco suscipere.* Neminem itaque dedignare suavi alloeutione, tanquam fratrem Jesu Mariæ filium.

7. D. Justino Iesus est *appellatio continens omnes appellationes*, id est, dulcissima, pretiosissima, selectissima, eminentissima. In hoc nomine include tuorum nomina, ita omnes quàm suavissimè compellabis in amplexu nominis Iesu, quod nomen est nominum monarcha, nomen emptum sanguine pueri Iesu. Iste est ille puer Iesus, qui Irenæo est *recapitulatio omnium bonorum, quæ à Deo facta sunt.* In hujus ergo pueri gratiam age, ut quidquid pro alio facis, sit valde bonum; sicut omnia, quæ pro nobis fecit Deus, vidit *quòd essent valdè bona.* Ita Procop. *in Exod.* dixit Christum esse *connexionem Patris, & Nostri.* Sit ergo etiam nostri inter nos connexio, ut ita nos invicem alloquamur, ita sentiamus, agamúsque pro invicem, ut verè ipse agendi modus cœleste Iesu nectar & ambrosiam spiret.

8. Ne contrista eum, quo Iesus adeo delectatur, ut Clemens Alexandrinus *in orat adhort.* dixerit: *Dei Verbum lyram quidem & cytharam despiciens, cùm hunc mundum, atque etiam parvum mundum, nempe hominem & ejus animam & corpus Spiritu Sancto concinnâsset, psallit Deo per instrumentum multarum vocum; & huic instrumento nempe homini canit: Tu es enim cythara, & tibia, & templum meum.* Ita ibi. Musicam ergo Iesu vide sis ne turbes. Evchariſtia dicitur *Cythara IESU.* Tametsi autem in homine non sit Iesus sacramentaliter, sicut in Evchariſtia, ita tamen in illo est, ut quidquid homini feceris, velit Christus ut tibi persvadeas te id omnino facere ipsi Christo.

# HEBDOMADA LI

## *Humilitate placebis puero IESV.*

1.

SAlve ferè ultima, & tamen verè primaria virtus humilitas virtus Chri-

sti! S. Chrysologus serm. 141. *O homo*, ait, *æstima, quis sis, quantus sis, qualis sis; & tum demum cogita, utrùm possis Dominicæ Nativitatis penetrare secretum, utrùm merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota supremi Regis, tota divinitatis requievit majestas.* Terret ibi, Chrysologus, & superbos. *At verò si te modestè submiseris, videbis humilem in ancilla suæ utero* IESUM, *videbis*, ut ille ibi loquitur, *ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum Genitricis: quemadmodum* IESUS *sacri corporis in illo venerabili utero, præter Virginis conscientiam, lineamenta pinxerit; quomodo præter concipientis sensum manfura seculis ossa solidaverit, &c.* Ita ille. Atque hæc non priùs quàm se Virgo humilis ancillam dixit, quasi Mariæ Virginis humilitas fuerit tesseraria Incarnationis. Illud enim humilitatis verbum prolocutâ Virgine, quasi signo dato, se exinanivit Deus, & *Verbum Caro factum est.* tunc enim verò respexit humilitatem hactenus ancillæ suæ, jam etiam Matris suæ Deus, æternitatem divinitatis suæ momentaneo tempori humanitatis nostræ imparibus planè nuptijs desponsans, & cœlesti matrimonio pronubâ Iesu quasi paranymphâ humilitate conjungens.

2. *Non me capio præ lætitia*, inquit serm. de Nat. Dom. col. 1261. Bernardus, *quòd tanta majestas naturam meam assumens, tantùm me elevat, & me miserum in divitias gloriæ, non ad horam, sed in sempiternum includit.* Lætare cum Bernardo & tu. sed sicut Iesus exaltavit te humilando se; ita tu humiliando te exalta illum, qui juxta Mariæ canticum exaltavit humiles. Nunquam certè sublimiore in theatro triumphavit humilitas, quàm in Deo exinanitæ Majestatis, usque ad infantiam, usque ad crucem. *Exinanivit semet ipsum*, inquit ibidem Bernardus, *& cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosilijt virginali.* B. Angelæ de Fulginio Viduæ, ut est *in ejus opuscul.* cap. 45. Beatissima Dei parens die Purificationis parvulum in sinu reposuit, clausis oculis dormientem. Ubi parvulus postea oculos aperuit, inexplicabilis inde splendor, & ignis amoris ac lætitiæ erupit. Et tunc, inquit Angela, subitò apparuit una majestas, & dixit mihi: Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum. Ego veni ad te, & obtuli me tibi; ut tu te offeras mihi. Aspice ergo & tu cum Angela illum nunc humiliatum & parvulum; ut glorioſum olim videas, & maximum. Disce nunc ab illo vagiente, quia mitis est, & humilis corde. Bernardi vox est serm. 1. de Nat. *Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo: Discite à me!* Et alio serm. de Nat. Dom. *Fit*, inquit, *frater meus Dominus meus.*

3. Honori sibi duxit in honorem humilis pueri Iesu Sigismundus Imperator, ut *Carion lib. 3. Chron.* habet, Natale Domini Evangelium die Christi nati Constantiæ in Sacro cantare: & cantavit: *Exijt edictum à Cæsare.* Quò te demittis magis, eò se magis ad te demittit Deus, & exaltat te. *Emitte manum tuam de alto*, inquit psal. 143. 7. Quem locum tractans S. Joan. Bonaventura serm. 1. in Advent. Manum Dei dicit Filium Dei. *Emitte manum,*

id

*id est, Filium tuum de alto throno.* Ecce ergo ut te ad altum gloriæ thronum erigat Deus, *fecit potentiam in brachio suo,* emisit manum suam de alto, abbreviatam quidem illam in compendio carnis, at re ipsâ verè potestate divinitatis æqualem Patri & Spiritui Sancto. Ergo demitte te.

4. *In Chronico Francisc. lib.* 1. *cap.* 1. narratur S. Franciscus natus in stabulo, ubi nimirum natus erat maximus humilitatis Magister, natos etiam audimus magnos quosdam humilitatis Discipulos & Doctores ac Antesignanos Iesu. Erant illi discipuli humilitatis pueri Iesu. Ita ectypum respondit archetypo ab ipsis nascendi principijs.

5. *Vitæ* Catharinæ Ricciæ *cap.* 21. cùm divinum parvulum in ulnas à Deipara porrectum accepisset Catharina, rogavit Matrem Virginem, ecquid esset agendum ad placendum puero Iesu. Respondit Mater: Filio suo humiles & obedientes placere super omnes. Disce ergo artem placendi Iesulo à Maria. Clarè idem eandem edocuit *Vita cap.* 19. eadem Dei Mater, dum pro religiosa quadam persona efflictim precanti dixit: Secura esto, Catharina, de salute ejus, quia humilis est. De humilibus habe spem semper bonam: sicut & superbi tibi sint suspecti semper, licet illos videres altâ virtute ornatos. Ita ergo è Mariæ sententia in infinitum te dejice, si Iesulo placere, si de salute tua securus esse vis.

6. P. Bernardinus Realinus Soc: Jesu se abijciendi & patiendi causâ vestes habuit tenues & attritas; unde ut pretiosas attritæ vestis divitias æstimemus, ipsâ nati Iesu nocte *puer beatissimus* in Patris pectus convolans ibi velut in vivo cœlestis amoris foco se reposuit, ut refero *hebd.* 37. Ubi denique humilitatem reperit, ibi se amittit, & ibi reperiri vult Iesus. Bene cum S. Augustino D. Thomas 3. p. q. 1. ait, à 2. c. *Superbia hominis, quæ maximè impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari.* Nam ut S. Laurentius Justinianus serm. infr. Nat. Dom. *nisi doceret fides, prænunciâssentque Prophetæ, & testificarentur Angeli, quis crederet vagientem infantem vilibus panniculis involutum, & super fænum jacentem Deum esse?* *Quamobrem adeamus cum fiducia non ad thronum gloriæ, sed ad diversorium humanitatis ejus,* ut inveniamus gratiam in tempore opportuno. *Ibi namque agnoscemus eximiam majestatem, Verbum abbreviatum, Solem carnis nube obtectum, & Sapientiam amoris nimietate fatuatam.* Et de humilitate nostra; *maximis,* inquit, *exuberabis delicijs, si devotioni reverentiam, & humilitatem adhibueris pietati.* Ita Laurentius. Cui non absimile admirationis argumentum adducit S. Zeno serm. 2. de Nat. dum exclamat: *O nova ratio! Amore imaginis suæ coactus infantem vagit Deus! subijcit se gradibus ætatis, cujus æternitas in se non admittit ætatem.* Hic est ille apud Hesych. in Levit. *ineffabilis Dei descensus.*

7. Alexius à Salo, visam scelerato cuidam in sinu Virginis in templo pueri vulnerati Iesu imaginem narrat. Postquam tamen summâ animi demissione, pœnitentialibúsque perfusus lachrymis veniam à puero per Matrem

impetravit, admissus ad oscula vulnerum parvuli, illa ubi summa cum veneratione est exosculatus, puerum illum hactenus vulneribus illis hiantem atque cruentum repentè integrum vidit. Hoc humilitatis oscula miraculum patravêre. Vide Mariani Sabbat. hebd. 19. Quare age id, quod citatus D. Laurentius Justinianus monet: *Nativitati IESU humilitatis diversorium spiritualiter para, tua vilitatu sæno repletum: in quo diversarum virtutum, & spiritualium meditationum contexe præsepe, ubi requiescat Christus.* Taliter quippe menti tuæ compositæ jugiter in te Dominum Iesum senties natum. Illum tunc adora, illi famulare, amplectere, & charitatis brachijs adstrictum tene.

## HEBDOMADA LII.

*Selige tibi festa, in quibus tuum erga parvulum Deum IESVM affectum restaures.*

1.

REnovemur in hunc parvulum. De Beatissima Virgine loquens divus Chrysostomus, serm. 146. *Verè Sponsa,* inquit, *quæ virginali partu novam Christi regignit infantiam. Renovemur, regignamur in infantiam IESU: ut novum hoc quod fecit Dominus super terram, novitate vitæ adoremus.* Festa sunt promontoria pietatis. In vita S. Mariæ Oegniacensis refertur, quòd S. Paulæ, à S. Hieronymo adeo laudatæ, visus sit Iesus aliâ atque aliâ facie, pro diversa varietate festorum, quæ de amabili Christi pueritia celebrare consvevit Ecclesia. Certè annus & nascens, & adolescens, & moriens idem facit, & te ad parvuli cultum invitat. Ab hujus sanguine porphyrogenitæ nascuntur Januarij Kalendæ. Jesu nomen anni epigraphe est, seu titulus, aut tesserarium elogium, Epiphania, Purificatio, Annunciatio, festum S. Josephi, S. Catharinæ Senensis, & aliorum Sanctorum, quorum vita plena est deliciarum parvuli Jesu, denique amabilissima Jesu Nativitas anni totius coronamentum, hanc tibi parvuli memoriam, devotionémque inculcant. *Barrius in Monitis tridui* ait à Venerabili Arbousia delectos dies proximos solennitati Christi nascentis, illa sua deinde cum Sororibus vota innovâsse sub Sacro noctis mediæ, perivisséque, ut Jesus infans in suo suarúmque Virginum corde nasceretur.

2. S. Franciscus ille Seraphicus hîc nos accendat, & ad Jesulum excitandum nos excitet, ut excusso veterno expergiscamur. Contigit, ut est *vitæ* illius *cap.* 10. ut anno tertio ante obitum memoriam Nativitatis *pueri IESU* ad devotionem excitandam apud castrum Græcij disponeret agere, cum quanta majore solennitate valeret. Christum *puerum de Bethlehem* præcordis teneritudine nuncupabat. Ibi præsepe instruxit, & omnia. D. Joannes de Græcio se vidisse asseruit puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem Franciscus bra-

brachijs ambobus complexus excitare videbatur a somno. Ita ibi. Excitare illum vis? excita te; jam illum excitâsti. Excitent te singuli dies quotidie: sed quia festi dies sunt veluti *dynastæ anni*, & *principes mensium* ac *dierum antesignani* reliquorum, illis potissimum diebus te excita: & excitari à parvulo illo pete, Ita JESUM per *Reges* adorabis.

3. Ab ipsis accepi, apud quos factum est id quod refero. Bruxellis, atque alibi aridum quodpiam lignum, ajunt, licet in cista domi servetur, aut alibi, quotannis tamen in festo Nativitatis Christi se se seorsim expandere seu explicare usque ad festum Purificationis Beatissimæ Virginis, nam tunc se iterum in statum pristinum recolligit, idque juxta computum Kalendarij novi Ecclesiastici, servatis festis; decem dierum spatio ante festa juxta computum veteris Kalendarij solita celebrari. Utinam arida nos ligna vel sub ipsis festis nos tandem explicemus in recentem viriditatem, in mores non aridos, in succum sanctum. Festa sint renovatio nostra, & recens ad vitæ melioris fructus viror, ac vigor.

4. Vincentius Caraffa Societatis JESU postea Generalis inter reliqua, quæ observatione sunt etiam digna in illo visa, hoc habuit, quòd puero JESU addictissimum fuisse constet. Unde non obscura fama est, nocte quadam Natalem Christi diem præcedente, obire visum esse ambitum quendam Collegij, infantulum amantissimis brachijs gestantem, qui radijs suis pectus Vincentij illustre reddebat. Illustrabit & pectus tuum & cor renovabit in lucem & ignes novos ille consumens igniculus puer JESUS; modò illum amante adeo sinu foveas, sicut fovit Vincentius.

5. *Lib.* 4 *cap.* 1. *insin. div.* S. Gertrudis in nocte vigiliam sacratissimæ Nativitatis præcedente, cùm bonam noctis partem duxisset insomnem meditando, vidit in spiritu Dominum JESUM in sinu Dei Patris suavissimâ quadam tranquillitate quietissimè accubantem. Ascendebant ad JESUM desideria & præparationes cordium se se ad festum hoc disponentium. Suspiria illa instar sacri cujusdam vaporis elevabantur, sicut virgula fumi; JESUS autem totus floridus & delicatus, de corde suo divino in omnes vapores illos splendorem mirificum immittebat. Ita exaudiet, illuminabit, & cordis sui igne accendet præparationes cordis tui JESUS. Ille puer JESUS, qui cum arcu, & pharetra, & sagittis, adest dilectis cordibus.

6. Antonio Martino, inquit *in arte Volunt. lib.* 4. *cap.* 68. *Ioan. Nieremb.* apparuit cupidineo habitu puer JESUS in pectus jaculatus sagittas. Sagittas arcu jacere, postmeridiana festorum occupatio est non rarò. Felicia festa, quæ his cordibus faciunt ferias, in sagittis amantissimi plùs quàm Jonathæ jaculatoris pueri JESU! O utinam in pharetra sua abscondat nos, & sagittas suas in nos ejaculatus abscondat in cordibus nostris amantissimus hic sagittarius cordium JESUS! *Sagitta Dei Patris* est D. Hieronymo *apud Binetum Magnetu cap.* 14. sub hoc signo Zodiaci felicissimè conquiescès!

7. In

7. In manibus P. Pauli Achillis, qui Anno 1586. 7. Maij cessit è vita, cùm sacris nascentis Christi operaretur, visus est infans lucidus atque pulcherrimus. Ille qui in manibus suis abscondit lucem, ille infans vellem, ut sic & cordibus & manibus, id est omnibus ijs, quæ seu mente concipimus, seu foris agimus, illucesceret, ut in bono illius lumine cor, linguam, manus, corpus, animam ita collocaremus, ut ille nos demum in optimo maximóque, id est, beatifico suæ gloriæ lumine collocaret, id quod ego mihi, tibíque totus opto, mi Lector.

FE.

# FERIA V.

SEU

# ANNUS EVCHARISTICVS,

Per singulas

ANNI TOTIVS

QVINTAS FERIAS

*BREVIBVS*

EVCHARISTICUM

JESVM

Solidè pro felici morte colendi officijs

& Exemplis

EXPLICATUS.

*ADMODVM REVERENDO DOMINO, DOMINO*

# STEPHANO BARTOK,

## CANONICO STRIGONIENSI, ARCHIDIACONO BARSIENSI.

ANnus *hic* Eucharisticus *Regem seculorum immortalem portat*, Admodum Reverende Domine, *veluti si à puncto portetur linea, vel circulus infinitus. Ita & symbolicæ formicæ tuæ majus se onus bajulant. Scutum tuum, seu insignia, Myrmecitis instar gemmæ sunt.* Myrmecites, *inquit Plin. lib. 37. cap.* 11. innatam repentis formicæ effigiem habet. *Agnoscis? Colorem addo.* Apud Strab. l. 16. & Garciam l. 1. arom. c. 8. *formicæ, more apum laccam elaborant in India è quadam arbore. En in hoc libello arborem Eucharisticam, è qua omnem virtutis colorem & succum elabores. Magna Reip. formicarum cum frumento, cum cœlo, cum victimis, cum thesauris cognatio. Prov. 30. 25.* Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. *Ecce messem Eucharisticam pro annona immortalitatis. Supremum circa suarum Sodalium inferias formicarum officium admirandum est. Et nos de supremo nostro, Sodaliúmque lectulo soliciti, viaticum Eucharisticum afferimus morientibus; mortuis verò pretium libertatis. Formicæ Indicæ pennatæ aurum eruunt, custodiunt. En cœlestes quotidiani sacrificij tui mineras, divites auro cœli. Habes hîc non jam candidas Laconiæ insulæ formicas, neque in formicam mutatum Iovem, verùm*

rùm sub candida Eucharistiæ cortinula exinanitum Deum: non immolatas Isthmico Soli formicas; verùm Deum Deo quotidie immolatum à te, qui te modestissimo elogio formicam esse dixisti: non sanatas à formicarum ovis luscinolas; sed te ab epulo Dei: non formicas in Midæ parvuli dormientis os grana tritici congerentes; sed in tuo vigili ore granum frumenti electorum. Formicæ grana frumenti præmordent, ne germinent: tu Virgineo germini, ut in plures effunderetur ejus fructus, ultrò ære tuo liberaliter providisti sponte tuâ. Ajunt illas cœli sapientissimas, grana frumenti si exponant Soli, diem certò sudum fore. Tibi nullus est nubilus dies, quia granum frumenti è Virgine Mariæ agro nati, Soli æterno exponis quotidiè, pro annona cœli in anno æterno. Et verò sic formica es, quam Prov. 6. 6. sapientiæ magistram creavit Deus: Vade ad formicam: disce sapientiam. Ornas Philosophiæ, ac Theologiæ tuæ septennium à quo ornatus es. Pythagoræi ajunt illud animal rationis & orationis capax esse quod sensum habet, atque memoriam. Tullius 3. de nat. Deor. In formica, inquit, non modò sensus, sed etiam mens, ratio, memoria. Cleanthes formicas rationales dixit. Ecce ex Æaci ab aureo igne nati quercinis formicis Myrmidones homines. At, at! supra formicas sapiendum. Providendum illi tempori quando inter mortuales vitæ abeuntis amaritudines formicans idémque lethalis pulsus jam nos vocabit ad tumbam. Tunc draco ille ultimas in nos vires exeret. Sed Svetonio teste, draconem Tiberij à formicis consumptum meminimus. Nos tametsi formicæ simus, cælestis tamen frumenti grano pastæ, exitialem illum draconem superabimus. Cluso teste arom. lib. 1. c. 3. Baneanes formicis aquam sacchâro dulcoratam bibendam præbebant. En Eucharisticas cælestis nectaris dulcitudines. Has bibe, ut formicante olim pulsu quotidiana hæc dulcedo in fonte proprio degustata tibi sit saluti ad annos æternos, ad salutem æternam. Ita Anni olim bibebantur. Bibe felix, ut non sitias in æternum. Ita vovemus tibi & nobis. Tyrnaviæ, 1651.

# ANNI EVCHARISTICI

## PARS I.

### HEBDOMADA I.

*Quintam hebdomadæ cujusvis feriam præcipuo Sanctissimi Sacramenti cultui dedica.*

1.

SAnctus Andreas Corsinus *diem Jovis* seu *quintam feriam* nullam elabi passus est sinè linea. Nam ad sordidos pauperum pedes illo die abjectus, illos abluebat, multâ erga latentem in Sacramento, & ad lavandos Apostolorum pedes se se prosternentem Christum intimæ reverentiæ significatione. Ibi nimirùm illum quærebat illo die, ubi Sanctus ille dies illum primò procumbentem est admiratus.

2. Ecclesia Mater etiam Ascendentis Christi diem semper celebrat feriâ quintâ. Ita nimirùm tunc nubes susceptit eum ab oculis MARIÆ, & discipulorum; & hîc nubes illum sub nivea panis quasi nube susceptit ab oculis nostris & occuluit. Eucharisticus hic dies est. Quo die Sol & Luna creata sint, non disputo: nobis volupe est hujus diei nôsse delicias, quo die primùm candidâ panis nube, pulso pane ipso se Sol Christus induit. Hic ergò primus Deum Solem in orbe parvulo pro cordis horizonte surgentem vidit, & majus quàm ipse mundi natalis dies post se miraculum reliquit in Eucharistia.

3. Hic dies est dies uvæ, dies botri, dies vini, dies Dei, dies supremæ metamorphosis panis in carnem, vini in Sangui-

guinem Dei. Hæc uva, uva Parnassia est, quia verè pro bicolli Parnasso cordis. Uvam Parnassiam Euripides botrum quotidianum vocat, eò quòd, teste Scholiaste Dionysio, quotidie racemum unum darer quotidianâ fœcunditate. Quotidiana est & hæc uva: ibi enim Christus quotidie est nobiscum. Dies tamen hic illam peculiari nomine vendicat sibi.

4. *Plin. l. 2, cap. 103.* author est, quòd Iovis fons gelidus immersas faces extinguat; si verò extinctæ admoveantur, accendat. Dies Iovis, dies fontis Eucharistici extinguit malè ardentes faces, malè extinctas accendit. Quin extinguit & Purgatorium. Unde S. Thom. op. 85. lect. 6. *quintâ feriâ* cejtum dies indulgentiarum concessos ait ijs, qui feriâ V. Corporis Christi usque ad fer. V. in octava adsunt horis canonicis.

5. Alb. Widmanstadius è codice Syro de *die Iovis* ita excerpsit: *Propter Sacræ Synaxeos mysteria DIES SECRETORUM nuncupatur.* Tracta ergo die hoc secretorum secreta cœlestia in secretissimè absconditio illo mysterio. Verè secretum hujus Regis in corde absconderе bonum est. Aperi illi secreta, id est effunde ut aquam cor, ut juvet. Tum deinde pro secretis etiam, seu tibi occultis in te à Deo effusis beneficijs gratias age: & ab occultis etiam peccatis mundari pete.

6. Ita in actis S. Maurini Abbatis, *quintam feriam* cœnæ Domini, *diem indulgentiæ* nominabant. & Ludolphus vitæ Christi p. 2. cap. 56. *natalem Eucharistiæ diem* appellat feriam quintam.

7. *Herodotus lib. 9.* ait quotannis anniversario coronationis die cœnam à Rege Persarum apponi, quam *cœnam perfectam* vocant: & tunc esse neminem, qui quod petat non impetret. Rex noster spinis coronandus, *die Iovis*, qui *dies cœnæ Domini* dicitur, *perfectam* adeo *cœnam* nobis apposuit, ut ne cœlum quidem ipsum perfectiorem possit apponere, si illum spectes quem cœnamus Deum. unde dies Iovis est *dies perfectæ cœnæ*, & nos ad perfectionem plurimùm excitantis & promoventis. Hic est dies *crateris Philotheſij*: ut quemadmodum Græci è cratere Philotheſio eodem omnes bibebant in amicitiæ pignus; ita nos hinc æternam cum Deo & hominibus amicitiam hauriamus.

8. Hic dies, dies est phœnicis, qui pro aris semper consumitur amore nostri, & tamen semper manet vivus, ut semper vivamus. Phœnicem se integrum absumpsisse uno Joviali prandio existimabat Imperator ille apud Binetum, *Magnetis c. 17.* Immortalem Phœnicem edendum nobis dedit dies iste, edendum quando demum cunque esurire libuerit.

9. Hic dies Iovialis est, imò divinus; dies *mensæ Herodum*, seu *Dodecathea*: non qualem suis heroibus Augustus, sed qualem hodie Christus apposuit. Dies hic est mnemosynon valedicentis & manentis nobiscum Christi. Sitiat in et aquas miser Iovis & opulentiæ filius Tantalus: nobis hic Dei dies, non Iovis, sed Dei Filium verum, & omnem in illo cœli opulentiam edendam bibendamque propinavit.

10. Quare hoc die celebratissima est apud plures consvetudo ad Synaxim

Sanctissimam accedendi. hoc die initium dabant tridui præparationis ad communionem die Dominico faciendam BB. Borgias, & Aloysius, ut juxta illud Exodi 19. essent *parati in tertium diem.*

11. Iste est *dies seculi*, sicut *dies cœli*. in quo Rex cœli se in terra reliquit in pane cœlesti, & sibi sub accidentibus posuit solium Rex seculorum immortalis, & invisibilis Deus in panis specie absconditus.

# HEBDOMADA II.

## *Necessaria præparatio; cor à mortali peccato mundum.*

1.

NOn penetrârat hoc punctum nefarius ille, de quo *Domus Prob. Tarraconensis annua, Anno* 1604. Is ad sanctissimum tremendúmque Sacramentum sumendum corde mortaliter saucio impius ausus accedere, *sacram hostiam, cùm eam ori admoebat impuro, nigro tinctam colore cernebat.* Est nimirum calculus ille candidus pro candida conscientia, non verò pro illa quam niger inferni carbo atravit. Emaculatas conscientias amat Iesus, & Iesu Mater. id quod Monacensis ille Sodalis An. 1588. expertus est, cui illa occultum in scheda ex alto delapsa peccatum ita ostendit, ut ab illo unico legi potuerit. item ille in Melitensibus annuis Anno 1610. qui confessionem facturus, vigil vidit Beatissimam Deiparam *suavissimis verbis exordientem, & singula ordine peccata, quæ memoriam antè fugerant, ob oculos ponentem, quæ deinde primo statim diluculo Sacerdoti aperuit.*

2. Hîc peccati, veluti Circei cyathi metamorphoses dilue; & si quod in corde putet catharma, sana. Periaptis, & glutito apumRege, se firmabant magi quidam, *apud Delrium l. 1. cap. 21.* Tu cordi contra infirmitates firmando, en habes præ periaptis omnibus dulcissimum omnium apum Regem, omnis dulcitudinis conditorem, quem glutias, Jesum. *Ibid. lib. 3. p. 1. q. 3.* datam bufonibus glutiendam Eucharistiam horrendo sacrilegio à magis refert; & *ex Bosio*, ait, Anno 1237. Eucharistiam Ausidi in Piceno sublatam, super prunas positam, in carnes conversam, largo sanguine maduisse: in stabuli stercore defossam septennio integram totam ac recentem, illæso etiam cui involuta erat linteo, multis quibus coruscabat admirabilibus, alios atque alios ad spectaculum commoviisse, & etiamnum post annos plus quàm trecentos carnem & sanguinem sinè ulla tabe spectari. Heu! quot sunt, qui corde fædato dum Sacramentum hoc tremendum accipiunt, bufoni illud glutiendum dant, & in corde inquinato, velut in stabuli stercore, sepeliunt vivum Angelorum panem! *Habebit*, inquit hom. 4. de Pascha S. Ioan. Chrys. habebit *debitam cum proditore pœnam, qui ad bonum malam attulit conscientiam. Illis est mors*, inquit Bernardus de modo vivendi, *qui per culpam sunt diabolo membra.* Et Ambros. *in* 1. Cor. 11. *Sic punietur indignè communicans, ac si præ-*

*propriis manibus Christum occidisset.* P. Balth. Alvarez, *Vitæ cap. 6. §. 1.* intellexit post Sacrum, quòd quemadmodum unus idémque Sol atque ignis lutum indurat, ceram verò liquefacit: ita qui hunc Dominum suscipiunt, si sunt tanquam lutum, verè indurentur; si autem tanquam cera, liquefiant ejus amore.

3. Panem, si citreis capsis Indicis asservetur, felle ipso amariorem fieri, testis est *Nieremb. hist. nat. lib. 14. c. 87.* O quàm infelici, quàm amarâ capsâ condit panem hunc dulcissimum, qui corde in amarore iniquitatis constituto illum sumit! Vetustissima olim in januis *apud Clem. Alex. lib. 7. Strom.* inscriptio, hîc locum habet: *Nihil ingrediatur mali.* Acclamandum communicaturo id quod Epictetus literarum studioso moribus improbo acclamabat: *O homo! Vide quò mittas doctrinam! num sit ab omni vas labe purgatum!*

4. Album panem apud Græcos non nisi nobilibus datum ait *Manucius*; servos verò illo ne per somnium quidem unquam saturatos affirmat *Lucianus.* Certè is, qui peccati servus, qui diaboli mancipium est, candidum hunc filiorum Dei panem comedere non debet. Brachmanæ atri sunt, ideóque Deum suum oleo ungunt, & denigrant. Noster verò Deus est candor lucis æternæ, candidus ergo sinè tenebris veni.

5. *Pausan. in Achaicis lib. 7.* ad Cereris delubrum in Achaia speculum fuisse ait demissum in fontem, in quo imagines videbantur, è quibus vaticinium erat, num victurus esset æger, pro quo supplicabatur. En hîc sub Cereris, seu panis specie, Deus est. At cordis & oculorum, amoris & doloris fontes aperi, & speculum conscientiæ inspice. ita vitam invenies ibi, ubi impij mortem.

6. Dies, quo huic mensæ supplex accumbis, est festum hominum cum Angelis convivantium. Persæ festum agitabant, authore ex antiquarijs *Cressolio decade 2. cap. 2. sect. 3.* quod vocabant *malorum extinctionem*: quo die serpentes quàm plurimos, & quicquid virulentum erat, occisum dabant Magis, in argumentum pietatis. Celebra hoc *festum extinctionis malorum* Eucharistico die: & occisis non mortiferis tantùm bestijs mortalium peccatorum, verùm & venialium noxarum similibus vulpeculis, quæ vineas depascuntur, da to holocaustum immaculatum, veluti à facie colubri fugiens peccata. Ita tibi in bono gratiæ lumine collocato, pulsis tenebris omnibus, proderit hoc vivorum Sacramentum. ita *apud Ovid. 15. met.* aquæ Phenei lacus:

*Nocte nocent potæ: sinè noxa luce bibuntur.* Etiam Asbameam aquam, teste *Philostr. lib. 1. Vitæ Apoll.* si quis perjurus aut infidus bibat, oculos illi, pedes, manus, & corpus omne fœdis pustulis vomicisque complet, adeò ut inde ne discedat quidem, sed ibi lessum sibi fleat usque ad mortem: cùm tamen fidelibus grata, dulcis, & salutaris sit.

7. Æon cœlestes imbres flebat, ut est in fabulis quorundam. Verè pœnitentiales lachrymæ, veluti cœlestes imbres, nos lavant. Lava te his, ut glorietur de illis Christus, & dicat Cantic. 5. *Caput meum plenum est rore*: quod Chaldæus ita habet: *Capilli capitis*

*pitiùs mei pleni sunt lachrymis tuis.* S. August. hom. ult. inter 50. *Constituto in corde judicio, quidam sanguis animæ confitentis per lachrymas profluat.* Et Epist. 199. *Sacrifica lachrymas, tanquam vulnerati sanguinem cordis.* Neque id à nobis alienum erit si expiatorijs lachrymis eluamus quæ peccavimus. nam & mirabile illud lutum è quo Prometheus in fabulis hominem finxit, non aquâ sed lachrymis maceratum atque subactum est. Subige ergo cor, & contritum, maceratum, subactum sacrifica Eucharistico Deo.

8. *Nicol. Orland. An.* 1584. narrat, Coloniæ apud Anabaptistas eidem cistæ inclusum hæreticorum panem, & nostrum Angelicum, ut explorarent impij uter esset divinus panis. Altero die apertâ coram omnibus arcâ, reperta est SS. Eucharistia illibata & integra; illorum verò panis in bufonem teterrimum deformatus. Talis arca est pectus immundum, bufone pascendum non Deo.

# HEBDOMADA III.

## *Venialia etiam peccata communio sancta profliget.*

1.

NUmmum, seu siclum veterem habebat Arias Montanus, in cujus parte altera vas erat, in quo unguentum solebat in templo servari, & inscriptio: *Ad Genealogiam.* Torquata pars altera visebatur, constante è tot margaritis torque, quot progenitores in Genealogia sua habuit Christus: ita ut una ipsius Matrem, & altera ipsum Christum margarita expresserit, aliæ alios majores, cum hac in medio inscriptione: *Tempus unctionis.* Scimus esse quosdam *Matth.* 1. in genealogia Christi non Sanctos, & tamen habent illi aliquid quod illos faciat resplendere margaritæ instar. Etiam tu quasi *ad genealogiam* Christi pertines, factus illius consanguineus per frequentatam Corporis Christi sumptionem. imò cùm SS. Eucharistia sit præcipuum instrumentum ut facias voluntatem Patris qui in cœlis est, ipse Christus pro suo te fratre & Matre habere paratus est præterquam quòd membra simus mystici corporis Christi. unde 1. Cor. 12. 27. *Vos estis corpus Christi.* Decet ergo nos esse pretiosas, mundas margaritas, & adeo inter nos connexas vario virtutum, velut auri, nexu, ut nihil sit in nobis quod æstimari, quod amari non mereatur.

2. Sed communis apud Athenienses sepulchri inscriptio hæc est: *Dijs solis proprium est, omnia probè & feliciter exequi.* nos certè in pluribus erramus omnes, labeculis potiùs quàm virtutibus torquati. Præsidium ergo quærendum. Emaculanda conscientia. *Semper confitere,* suadente id *August. in Psal.* 99. quia semper habes quod confitearis. difficile est enim in hac vita ut homo sic mundetur, ut nihil inveniat in se quod confiteatur. Et S. Ambros. l. 2. de Abel. cap. 9. *Confessio pœnarum compendium est.* P. Julius Ursinus in vita Franciscæ Rom. lib. 3. cap. 16. sit, visam ab illa in sacro *Hostiam salutarem*

instar

instar candidissimæ massæ nivis: quâ visâ introducebatur in lucem sereniorem, atque apertam & majorem semper. Candidissimam illibatæ nivis massam esse oportet animam Christi hospitem. Christi sanguine lota, erit *massa candida*; quod nomen à Martyrum sanguine locus quidam Romæ sortitus est. Major tali animæ semper, & illustrior aperietur lux, in qua videat majorem quàm cæci tenebriones videre soleant venialis peccati enormitatem. Horrendum hoc monstrum est, tametsi blandum nos nobis in illo catellum fingamus. Cùm autem fieri haud possit, ut nulla sint venialia in nobis peccata dum hîc & sic vivimus, faciet id bene instituta divinissima communio, ut ea sint & pauciſſima, & non diu durent; sed exomologesi frequenti, veluti sacro quodam exorcismo, minora hæc dæmonia ejiciantur; ut ne nos sensim in majora inducant, & fiant funes è licijs. Nam, id quod in ipsis maximè horrendum videtur, adeo displicent Deo, ut illum erga nos minùs liberalem reddant in illa, quam nobis liberaliter dare paratus esset, multitudine ac magnitudine gratiarum; adeóque nobis viam ad inopiam spiritûs, & præcipitium aperiant: præterquam quòd gravissimâ & sensûs & damni ad tempus pœnâ plectantur in purgatorio. Lavandæ ergo inter innocentes cordis manus.

3. Trid. sess. 13. cap. 2. *Discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit*, inquit, *in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Conare autem totus, ne in ipso hoc actu tanto, dum communicas, aliquo veniali peccato te commacules per negligentiam & irreverentiam, & sic hoc Sacramentum quasi infames quòd non efficiat promissos illos in te fructus, Joan. 6. *in me manet, & ego in eo:* & alios. Ditaret te magis si tantum Dei opus non faceres negligenter. *Si Christus nos attenderet, & non infinitam suam bonitatem*, inquit S. Ioan. Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch. *jam à nobis abstulisset divina Sacramenta. dignos enim nos hac pœnâ efficimus, & indignos ipsis Sacramentis, dum ea suscipientes minùs dignè, & illa & Christum tradimus, &, quantum in nobis est, famâ & honore privamus.* Mundissimus ergo accede, ut perficiaris.

4. S. Dion. Areop. cap. 3. de cœl. hier. ita habet: *Non contingit aliquem perfici perfectione hierarchicâ, nisi per divinissimam Eucharistiam.* Hîc ergo proficere, hîc te perficere, hîc maxima & minima quæque debita expungere stude in hac mensa.

5. Æneas Sylvius *in comment. Panorm. lib. 4. cap. 42.* author est, Carolo Quarto Imperatori data à Cive Pragensi, accepto chirographo, auri nummûm centum millia mutuò. Postridie Civis invitatum ad epulum Imperatorem, lautéque habitum, illatis mensis secundis, & etiam chirographo securitatis inter bellaria in lance aurea Cæsari proposito, ita alloquitur: Reliqua, tibi, Cæsar, ac Principibus tuis fuêre communia fercula: hoc verò solius Caroli Imperatoris est; non item optimatum. *Aurum, quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omnéque debitum remit-*

*remitto.* Habes & tu tametsi non mortis, multorum tamen millium debitorum chirographum apud Deum. In hoc epulo ille tua tibi debita omnia remittere paratus est: ideò enim te ad hoc convivium invitavit.

6. Anno 1611. ut est *in chron. Viridis Promontorij insulæ S. Michaëlis*, maxima formicarum vis toti insulæ damna maxima inferebat. Irruperant etiam in tabernaculum Sanctissimi Sacramenti; sed illæso, quod super patenam erat, Sacramento, totum illud agmen subter & circum patenam jacebat exanime, ne unâ quidem formicâ superstite. Formicæ nimirùm videntur nobis minora hæc peccata: sed multitudo illarum nos ad grandia damna disponit. At si ferventer & frequenter Sacramentum hoc in cordis tabernaculo reponas, victoriam reportabis.

7. Cor tuum est alvearis instar, in quo se cum melle gratiarum condidit dulcis Iesus. *Antigonus Caristius mirabilium cap. 57. de apibus* ait: Arborum lachrymis inungere alvearia oportet, propter alias bestias, quæ dulcibus operibus insidiarentur. Certè lachrymis uncta, & à venialì, quantum licet, labe expiata corda secura sunt ab insidijs majorum bestiarum quamdiu de minoribus expellendis vel non admittendis sollicita sunt. Hæc sunt illa corda, *quorum lachryma*, ut loquitur Nazianz. orat. in Iulian. *peccati diluvium sunt, & mundi expiamentum.* Æschylus tragœdus lachrymas vocat *ignis supplicium.* Castigas, extinguis expiatorios ignes, fusis pro venialì etiam culpâ lachrymis ad pedes Iesu. Verè benedicta, verè lustralis est aqua illa quandocunque fundatur: magis quàm illa Narsan aqua, quam *Ioan. Leontius lib. 1.* ait in fine Aprilis, vel Maij initio è cœlo cadere, & esse à Deo benedictam. Theodoretus in Iuliano Saba, ait Sabam in deserto pro aqua orantem flevisse; & Deus *stillas lachrymarum, qua pulverem attigerant, effecisse fontem aquarum.* Funde tu lachrymas in illum venialium peccatorum quasi pulverem, & habitans in Eucharistia fons aquarum viventium fontes tibi in vitam æternam salientes aperiet.

---

# HEBDOMADA IV.

## *Examen conscientiæ ut bene fiat quotidie, in sanctissimæ Eucharistiæ sumptione statuendum fortiter.*

1.

*Seneca lib. 1. de Benef.* vult ut quivis libellum habeat, in quo beneficia omnia, & eorum omnium nomina à quibus illa accepimus, contineantur. Libellus ille est examen. Prima libelli pagina, seu punctum, gratiarum actionem complectitur. In Eucharistia est fons beneficiorum. quia verò pro beneficijs gratias scire agere hoc ipsum etiam est beneficium, hoc ipsum ab hoc beneficiorum fonte petendum est. In quo fonte, utpote fonte lucis, lucem etiam ad nos videndos inveniemus, Narcisso feliciores futuri.

2. Aristoteles quædam in nobis occa-

*oculum* vidit *usu generatum* quo principia videamus facillimè. *Vide lib. 6. Eth. cap.* 12. Experientia est Empyricus ille oculus, optimè verò in quotidiano examine acquiritur. Galenus lib. 6. *de cur. anim. morbis.* Cuique ait esse curandum ut vivat meliùs hodiè quàm heri. Ad quod cùm examen sit nobile instrumentum, & quasi speculum cordis, ad sanctissimam Eucharistiam perpoliendum est. Præclaram illam Theodorici vocem, quam Cassiodorus refert lib. 3. ep. 5. in Communione vide ut cordi habeas: *Culpa genus est*, ajebat ille, *non te fecisse quod summum est.*

3. *Zeiller part.* 1. *pag.* 52. *narrat.* 2. ait Sibyllam Etythræam sic scripsisse: „ Quando magnus Apollo animam meam ex hoc corpore accipiet, libera avolabit, & per liberum aëra expatiabitur; „ miscebitque se ventis liberis & invisibilibus: & in aures morientium hominum inter intermixtas eorum voces & „ respiria, felicitatem & infelicitatem futurorum circa illos eventuum insusurrabit. Corpus etiam meum ubi terram pinguem reddiderit, faciet ut herbas & radices producat. Oves, quæ illic pascentur, sentient veram quandam „ notitiam reconditarum & ignotarum rerum, &c. Quàm splendidæ nugæ! Vis tamen à vivo Christo in aures tuas in mortis articulo bona nova de futura tua felicitate dici? Jam ista è Paulo audisti dicente; si nos ipsos judicemus, fore ut non judicemur. Judica ergo te coram Christo in Eucharistia absconditto, & sub illis speciebus quasi pro candido misericordiæ tribunali sedente. Esto ovis passa Christo, & reconditarum atque ignotarum cordis tui tenebrarum notitiam ibi haurias oportet.

4. S. Gertrudi Virgini universale quoddam examen videtur ostensum feriâ 2. pascha circa communionem, ut est *insin. div. piet. lib.* 4. *cap.* 28. Jam in ipso ad communicandum apparatu, orabat à Christo suppleri quicquid illa toto religiosæ vitæ suæ tempore deliquisset. Tum in religiosa sua veste vidit notatos omnes religionis suæ annos, & *in quolibet anno distinctim apparebant annotati omnes dies, & horæ, & insuper singula cogitationes, verba, & opera tam bona quàm mala de die in diem, de hora in horam, de cogitatione in cogitationem, &c. & quid singulis verbis, & factus suis intenderat, &c. quid ex pura obedientia, quidve ex propria deliberatione perfecerat.* opera ut gemmulæ apparebant. Demum, totam ità notatam tunicam pellucente quadam aureâ laminâ regi vidit.

Hoc esto tuæ etiam communionis negotium, ut annos, menses, hebdomadas, dies, horas, intentiones, omnia, & singula, ipsa etiam examina, ad examen voces. Ita tibi horæ tuæ in hora ultima difficile negotium non facessent. Ajunt in quodam convivio mortem suas cum amore sagittas commutâsse. Certè divinum hocce convivium est pharetra sagittarum, quas confractis mortis sagittis, cordi tuo porrigit Deus.

5. B. Catharinam Adornam Genuensem, ut est *vita cap.* 3. feriebat Christus in Hostia quodam radio amoris, qui radius cor ejus intimè penetrabat. In hoc amoris radio videbis atomos macularum tuarum, ille te tibi ostendet, purgabit, calefaciet, illustrabit, conficiet.

Tanti omninò momenti res est examen exactè factum, ut bene planè facturum te censeam si à Christo tuo hospite lumen petas, in quo videas hujus exercitij & dignitatem, & utilitatem, & praxim solidam, adjuncto etiam particulari examine: ita ut examen generale procedat contra omnia in quibus deficis; particulare verò contra unum defectum qui plurium radix est: ut instituto quasi duello, duelli præside Iesu, singulari certamine hostem illum, qui de te toties triumphavit, vincas. Ophiusæ Æthiopicæ succum qui bibit, putat se semper nescio quæ monstra videre. Videbis cordis monstra, ubi Eucharistico Christi succo fueris pastus.

6. Indi *apud P. Nieß in Europæo, pagina 61. & 62.* ajunt quorundam animas mortuorum sursum ferri, ubi inempto quodam cibo potúque perennes saginentur: Sceleratos verò ad occidentem ire, ubi in loco *Calonda*, ludis quibusdam, & libræ arundineæ æternam dant operam. Nos absque argento pascimur inempto cibo nostro. Examen tamen quæso ne sit nobis ludus, & ne ad arundineam libram, sed solidam. Licet nobis suspicari de nobis, & nos probè excutere. *Apud Cæsar. dial. 9. cap 65.* ter hostia à patena in Missa resilijt ante consecrationem. Examinata postea, reperta est latentem in se maculam (cimex decoctus erat) habuisse. Vide ergo diligentissimo examine etiam atque etiam, ne quis in te decoctus latens cimex maculam faciat ingratam Christo.

7. Aristeas de Ægyptijs: *Mos*, inquit, *quotidie ex ea diei hora quâ primum Rex responsa reddere cœperit, usque dum in somno quiescat, singula ejus dicta, gesta, factáque literis demandare.* Ecce hîc in Eucharistia est appendens, adnotans omnia tua Deus. cui Psal. 138. dictum: *In libro tuo omnes scribentur.* Chaldæus habet: *Et in libro memoriæ tuæ omnes dies notati sunt.* Hic notat dies tuos, tu ergo illos ad illius unguem, lumen, numen, & librum explora. Ita cum S. Dionysio cœl. hier. cap. 8. in hoc epulo celebrabis *convivium inspectionis*, dum in cor profundè inspicies.

---

# HEBDOMADA V.

## *Contra tentationes frequenti Communione te muni.*

1.

Mustela priùs quàm cum serpente pugnam ineat, rutam edit, cujus odor serpenti est inimicus, inquit *Nieremb. nat. hist. lib. 3. cap. 19.* Idem *lib. 12. cap. 26.* serpentis Téque memini, qui cantorès imitatus, canit usque dum fatigetur. Ex hisce serpentibus lethiferum etiam paratur venenum, quo sagitta infecta si quem sauciet, in lethalem illum rabiem agit. Serpens Evam decepit cantu blando, sexcentis lenocinijs cantat etiamnum, & assentatur cordibus. At post cantum, rabidâ sanie virus infundit, dum tentat, & sagittat rectos corde, sagittis morte prægnantibus. Tu rutam ede ut vincas. Non amat odorem cibi hujus cœlestis, ille

ille serpens, est enim hic cibus pharmacum immortalitatis, & caro data pro mundi vita, quæ facit ut vel superemus eas, quæ mortem nobis minantur tentationes, vel ut non tentemur. Inde illa Bernardi serm. in cœna Domini: *Si quis vestrûm non tam sæpe modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

2. Tremendum te dæmoni tentatori reddet hoc Sacramentum. *Fornerus Ep. Panoplia Conc.* 19. ait, ab Acatholicis in Gallia SS. Eucharistiam per contemptum *Album Ioannem* dici: quo ipso nomine illud tres ex energumena dæmones appellabant. Sed rogati cur Sacramento præsente contremiscerent, *quia*, inquiebat, *in illo est illud Hoc, Hoc, Hoc, &c.* Neque verba plura expressit; nisi tandem: *Cogor solâ illius virtute actutum hinc abire.* Ibid. Anno 1583. Laurentio Boysonetto adolescenti malignum genium vario corvi, passeris, ululæ, capræ, viri fronte cornibus horridi, fœminæ formâ eximiæ schemate dicitur apparuisse, atque obsedisse. Is parenti suo, die quo SS. Synaxim sumpserat, dixit: *Abi in malam rem, qui hodie* ALBUM *illum devorâsti.* quo etiam *albi* nomine illic Eucharistiam vocant Calvini asseclæ. Avunculo ajebat: *Vapulares insigniter, nisi* ALBUM *illum hodie comedisses.* Interrogatus pessimus genius, ecquando esset excessurus, respondit: *Quando hospes meus Album comederit.* id quod factum; nam sumptâ Eucharistiâ infelix ille genius post dira doloris signa è Laurentio unà cum fumo ex adolescentis naribus exeunte excessit. *Album* ergo hunc sume sæpiùs, ne vapules à nigro tentatore, & aliquam ab illo fuliginem trahas.

3. Accumbe illi, quam Deus Ps. 22. paravit in conspectu tuo, mensæ adversus eos qui tribulant te. *Ipsa namque mensa*, inquit hom. 24. in ep. 1. Cor. cap. 10. S. Ioan. Chrysost. *Anima nostra vis est, nervus mentis, fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Ne ergo nervos tibi paralysi quadam dissolvat tentatio, accede, & confortare.

4. Ludovico XII. Galliarum Regi in delicijs ajunt fuisse craterem cœlestem, pro symbolo, inter Eclipses radijs aureis, & hac epigraphe: *Inter Eclipses exorior.* Tentationes sunt umbræ ab inferis excitatæ, per interpositam terram luti massam inter lucem Dei, & nos. Apprehendamus cœlestem calicem. ille nos inter tentationes finè eclipsi servabit.

5. Aspides Ptyades, afflatu, & virulento quodam sputo in hominum oculos injecto, cæcitatem, & veternosum quendam somnum inducunt. Hoc agit dum suis nos tentationibus veluti conspuit serpens ille veteranus. Accedamus ad Iesum, qui sputo suo sanavit oculos cæci nati. ille nos à sputo servabit immunes.

6. Vide ut Ducem, Protectorem tuum intra te habeas, ne expugneris à tentatore, ô anima, Civitas Dei! Omnia veterum Urbium elogia supergressa es, quia Dei es! Ne ergo expugnari te sinas: ne te prodas hosti. Regi Persarum apud Philostratum libro 1. *Ecbatana, Deorum habitatio: Byzantium*, Themistio orat. 6. *magnificentia offici-*

*na; Roma,* Dionysio, *sublimes coronatorum Regum penates, &c.* Athenis ajebat Aristides bonam triumphare fortunam. Verè optimus fortunæ tuæ faber Deus in te triumphat, ô sacra Urbs Dei, ô divinæ magnificentiæ officina, ô sublimibus majus penatibus augustale Iesu! Huic ergo fidem serva: ne te ulli dede, licet hostis mœnia tentans te quatiat quotidie mille modis *Hic est cibus,* inquit *cap 9. de Parad.* Ambrosius, *in quo vita definitur æterna.*

# HEBDOMADA VI.

## *Quinque sensus in sancta Synaxi Deo erudiendi.*

1.

ITa facies, ut quæ hactenus fuêre fenestræ mortis, jam sint portæ vitæ. *S. Cath. Sen. apud Ribad. 29. April.* inveniebat in Eucharistia sensuum suorum delicias, quando in Sacerdotis celebrantis, & sacram hostiam tenentis manu sæpiùs elegantissimum videbat infantem: subinde succensam, totámque æstuantem flammis fornacem: nonnunquam cœlestem quampiam odorabatur fragrantiam. Auditas illo tempore cœlestes voces, gustatum à S. Elzeario Comite cœleste nectar qui legit, legit ibi sensuum omnium paradisum.

2. Nota Plauti vox: *Qui amat, quod amat si id habet, id habet pro cibo.* Ament interni externique sensus tui Iesum, Iesum habebunt pro cibo oculi tui aures, gustus, odoratus, tactus: & nauseabunt cibos quos illis coquit dæmon, propinat caro, obtrudit mundus. S. Greg. Naz. orat 42. *Eucharistia id habet ut sensus expurget, à quibus peccatum oritur; utpote peccati aculeum admittentes.*

3. *Vita S. Idæ Lovan. cap.* 53. ait illam inter communicandum, radios ex oculis evibrâsse. Ita nimirùm sensus nostri omnes à Sole illo radijs cœlestibus perfunduntur, juxta illud D. Ioan. Chrysost. hom. 61. ad Antioch. *Hic est fons veritatis radios effundens, fons luminis.* Tu sensus tuos omnes ad Christum hospitem convoca, & ut illos veritatis ac suavitatis suæ luce perfundat, roga.

4. B. Beatrix de Nazareth, ut est *vitæ illius cap.* 18. post communionem adeò destituebatur sensibus, ut toto illo die vix verbum proferre posset. Et certè in hujus reverentiam Sacramenti, lingua nobis instar sacratum reliquiarum in veneratione, & ad profana nescio quæ nullo pacto deberet adhiberi. Si enim velum S. Agathæ, si Divorum annulos, vestes, baculos in veneratione habemus, quia sacra illa corpora attigerunt, quid lingua merebitur, quæ tam sæpe attingit vivam carnem filij Dei & MARIÆ? Quare S. Ioannes Chrysost. *Perniciosum est,* inquit hom. 21. ad po. Antioch. *tam tremendis ministrantem mysterijs linguam, & tali sanguine purpuratam, & factam aureum gladium, ad convicia & contumelias, & scurrilitates transferre. Reverere illam honore quo Dominus ipsam honoravit; nec ad peccati usum ipsam deducas.* Lingua est pons ad cor tuum descendentis Iesu:

au: tu illam facis pontem diaboli quoties verba pronuncias quæ ad infernum ducunt. *Tertull. de ſpect. cap.* 27. ait putida eſſe in mundo omnia, & ipſum etiam aërem qui ſuperincubat, ſceleſtis vocibus conſtupratum. At hæc impiâ verborum colluvione inquinatarum linguarum illuvies eſt. S. Ioan. Chryſoſt. hom. 6. in ep. 2. ad Cor. *Menſa Dei os noſtrum eſt, cum gratiarum actione plenum eſt.* Obſcænitates verò, *venenum diaboli* vocat Aug. ſerm. 215. de tempore. *Videte, fratres chariſſimi, ſi juſtum eſt, ut ex ore Chriſtianorum ubi Chriſti corpus ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli, proferatur.* Vide ergo ne in menſam Dei, in linguam tuam, veniat venenum diaboli.

5. Senſuum portas diligentiſſimâ cuſtodiâ muniendas eſſe monet S. Patriarcha Ignatius Loyola. *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti*, ideo tibi porrigitur, *ut cuſtodiat animam tuam*, linguam tuam, aures tuas, oculos tuos, cor tuum, omnes ſenſuum tuorum portas, *in vitam æternam.*

*Nieremb. de amore erga* IESUM *c.* 30. ex Michaele Juliano, & alijs auth. refert Alphonſum Rodriquez Soc. Jesu Majoricenſis Collegij diutiſſimè Janitorem, quoties campanulâ ſignum dabatur, cogitare conſuëſſe, illam à Chriſto pulſari, Chriſtum pro foribus ſtare, atque intrò admitti optare; ideóque ad primum ſonum ſemper reſpondebat: *Vade Domine.* ac cum hoc dicto, ſingulari mox alacritate ac pietate ibat, ut januam reſeraret. Quam viri integerrimi doctiſſimam ſimplicitatem ut mitè ſibi gratam accidere Servator oſtenderet, ipſemet adſpectabili ſpecie, ſanctiſſimâ Matre ſuâ, aliisque Angelis & Sanctis comitatus, Alphonſo fores pandente, Collegium aliquando ingredi non eſt dedignatus. Ita ille. Bonus eris oris Ianitor, ſi tuum Iesum admittas in Euchariſtia. Aderit ille cum Maria, & Angelis, Cœlitibúsque, & ſenſuum tuorum peſſulum ſervabit.

6. Notus jam *è Gazæo, è delicijs Bidermanni, & alijs*, eſt adoleſcens ille, qui videndæ Beatiſſimæ Virginis aviditſſimus, pertinaci tandem oratione id evicit, ut Maria miſſo ad illum Angelo illi ſignificârit fore ut tali horâ videret Matrem Dei. *Sed ſciret tamen, inconveniens & indignum eſſe, oculo, quibus eam videret, poſtea terrenum aliquid cernere.* Annuit: at ne utroque oculo cæcus poſtea fieret, altero tantùm oculo præſentem Deiparam aſpexit; & illo quo illam vidit oculo cæcus factus eſt. Sed facti pœnitens quòd non alterum etiam oculum hauriendæ cœleſti illi pulchritudini aperuiſſet, ſemel adhuc illam videre, & altero etiam lumine orbari petijt. Audivit clementiſſima Virgo, & illum ſuaviſſimo ſpectaculo mille delicijs inundantem, ac utroque jam oculo bene videntem, reliquit. Quod hic de oculis legis, id tu de oculis, ac lingua intellige: atque ne oculi, qui quotidie Chriſtum velatum vident, ne lingua, quæ quotmenſibus illum ſæpiùs accipit, indecens aliquid videant, vel iſta ne aliquid Chriſto indignum loquatur, etiam atque etiam vigil attende.

7. Hic age quod cap. 31. fecit Iob. *Pepigi fœdus cum oculis meis*; aut ut S. Ioan. Chryſoſt. legit hom. 34. in Matthæum

thæum: *Legem posui oculis meis*; aut prout Septuaginta, *Testamentum posui oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* In communione tempus est pangendi hujus fœderis cum oculis, lingua, & sensibus omnibus; hîc locus est condendæ legis coram Legislatore Iesu, hîc occasio testamenti legitimi faciendi; ut in sinu Iesu sensus nostri omnes, testamento ritè condito, planè felices Phœnices emoriantur in vitam.

8. Sint quinque tui sensus aureo divinæ fidei vinculo colligati, velut captivi sancti in obsequium fidei. Christo credant dicenti: *Hoc est corpus meum.* & de pane vitæ arcana cœlestia edisserenti Ioan. 6. *Nec verò panis* (inquit S. Ioan. Damascenus orthod. fidei lib. 4. cap. 14.) *& vinum, corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) verùm ipsummet Domini corpus, divinitate affectum: cùm Dominus ipse dixerit: Hoc est non corporis figura, sed corpus.* Legimus, audivimus ex aqua vinum factum, è nihilo creata omnia. Idem qui illa fecit hîc per Sacerdotem operatur Deus. Supereſt, ut sensus, qui hujus miraculi velum tantùm vident, auditu tamen id quod est credant. *Qui manducat me, vivet propter me.* Gustus ergo qui manducat Iesum, supereſt ut vivat propter Iesum. *In me manet, & ego in eo.* Omnes ergo sensus hominis Eucharisticum epulum manducantis maneant in Iesu, & Iesus in eis. Hîc se ad quietem componant; & sicut sunt captivi modesti in obsequium fidei, ita se captivent etiam in omnia obsequia charitatis, spe certâ freti, fore ut singulari in cœlo voluptate singuli perfruantur.

# HEBDOMADA VII.

## *Sacræ Communioni aliqua corporis castigatio præmittenda.*

1.

BEata A gatha de Cruce è S. Dominici disciplina nobilis planè discipula, cùm sacræ Synaxi postridie sumendæ se pararet, *Barrio teste* 10. *die solit.* noctu ter se acriter diverberabat, & fusa humi corpusculo, expansis in crucem latè brachijs prolixâ oratione suis à Deo noxis veniam exposcebat. quâ re id demum est consecuta, ut ipse illam quomodo ad communionem accedere deberet, duo edocuerit bonus Iesus. *Primum, ut ab omni creatura se abstraheret; alterum, ut divinæ Providentiæ se penitùs committeret.* Ita nimirùm sacro huic convivio & corpus præparandum est, & animus expoliendus.

2. Certè *apud Lucianum* ligari se passi sunt quidam, ut Philosophiæ vacarent; *apud Suidam* Superianus etiam flagellis in se desævijt, ut corpus ad sapientiam erudiret.

S. Hier. ep. 28. Lucinio, *Ego*, inquit, *insignia paupertatis, & quotidiana symbola pœnitentiæ tibi, & sorori tuæ misi quatuor cilicicla.*

Seneca *lib. 6. de benef. cap.* 8. ait flagellis quartanam discussam fuisse quorundam.

3. Frondoardus in Chron. ait, circa *Rhemensem Urbem mel in spicis inventum esse; & flores quibusdam in arboribus, maturis, vel collectis jam fructibus.* In spica Dei mel reperies: at priùs corpus

pus hoc, terram hanc mortificationis sulcis proscinde. amara gusta, ut gustes dulcia. Ita eris arbor florida, & simul fructuosa. S. Franciscus Seraph. *cantico* 3. ita canit: *Una Amoris arbor cum magno fructu plantata in corde meo me pascit, qua tantum me à me mutavit, ut sinè mora ex me voluntatem propriam, sensum, vigorem ejecerit.* Eucharistia, felix amoris arbor, est sæpe autumnus pœnitentiæ, dum pœnitentiæ fructus plenis ramis effundit Corpus Christi domat carnem nostram.

4. *Ord. Cisterc. exord. dist.* 4. *cap.* 23. 18. *Febr.* S. Silvani communicantis faciem ait Solis instar resplenduisse, vestimenta autem nivis instar emicuisse. Ægrum capite, & pectore, à precibus nimiùm intensis, manu tangens Regina cœli læto illi vultu visa, sanavit, & dixit: *Redi in te, fili mi Silvane; & gratificare novis operibus meritorijs favorem hunc quem tibi exhibeo.* An non quædam tibi transfigurationis videtur celebrata solennitas in communicante Silvano? Redi in te, quisquis es, & novis mortificationibus, ut vocant, operibus carnem tuam transfigura. Ita tibi Iesum demereberis, & Mariam. Munificentissimæ plenum liberalitatis est hocce mysterium. Hoc est illud tot excruciatum tormentis, & demum in gloriæ Dei Patris dextera collocatum corpus. Præparemus ergo, & exerceamus corpus doloribus, velut sulcis, ad illam sementem immortalitatis accipiendam. Philippus III. Hispaniæ Rex, ne à sanguine humi sparso se flagellasse deprehenderetur, pandebat purpuram, & superillam se ita cruentabat, ut & illa Regio sanguine rigaretur. Postea illam complicatam seponebat ad hos usus. Amoris hocce trophæum est. triumphet ergo etiam de corpore nostro per dolorem amor.

5. Plutarcho teste *in Iside & Osiride*, Cor sub quo ardet foculus, imago cœli fuit Ægyptijs. Cœleste est cor illud quod ardet, quod patiscit. Patiatur nunc caro in honorem carnis Christi, cum qua in impassibilitate interminabili triumphabit.

6. Quare ne quæso arduum carni tuæ videatur die sanctissimæ Synaxis pulsculum humi flectere, & Iesum adorare. Notum est S. Antonij de Padua jumentum neglecto cibo post triduanam inediam, flexis genibus procumbens coram SS. Eucharistia: totus jumentorum eandem in agro pronis genibus adorantium grex, *apud Pinellum in mirac.* nota S. Francisci ovicula, & S. Coletæ agnellus, sese sub elevatione in genua semper submittentes.

7. Inter alias verò corporis afflictationes, etiam jejunium est pars præparationis ad communionem. Ferdinandus II. pientissimus Imperator, ut est *Vitæ cap.* 4. vesperi ante Synaxin percipiendam, severiore abstinentiâ cænulam accidit, nisi absolutum jejunium eo die religio imperavit. S. Margarita Ung. sacram sibi famem faciebat ad communionem diei sequentis pane tantùm & aquâ, & his parcè, contenta.

8. De S. Catharina Senensi *Ribad.* 29. *April.* ait illam SS. Eucharistiæ adeo fuisse deditam, ut eo die quo Eucharistiam percipiebat, aut videbat ipsam, vel (quod mirum est magis) aliquem Sacerdotem qui eo die celebrasset,

set, omni corporis alimento prorsus abstineret. Hinc Eucharisticam illius plus quàm quadragesimam non est cur miremur. Plura suggerunt *Bosius*, *Baronius*, *Marulus*, *Granatensis*, *Raissius*, denique vitæ Sanctorum, jejuniorum longissimè productorum exempla. Innuo quædam, ut in gratiam hujus cibi jejunare discamus.

9. Solâ diei Dominicæ communione vixit S. Liberalis Episcopus Attinensis. Severus Abbas Dominico die manè Eucharistiam, vesperi panem cruce signatum sumebat: reliquâ postea hebdomadâ nihil. Ludovicus Pius Imperator ultimis 40. diebus vitæ suæ nonnisi quotidiano Sanctissimæ Eucharistiæ cibo vixit. Nicolaus Eremita sumptâ singulis mensibus Eucharistiâ, nullo alio cibo, per annos quindecim produxit jejunium. Tullensis duodecennis puella duos annos jejuna vixit, sumpto in Paschate Sacramento. S. Ebrulphus Abbas octogenarius, in gravi morbo per 47. dies nihil esculenti vel poculenti admisit, præter sacram Eucharistiam, & aquam; & tamen tanquam bene satur dicebat ad concionem. B. Felix Virgo, Romæ quinque totas quadragesimas solo Eucharistico epulo satura egit. S. Catharina Senensis à primo die Cinerum usque ad Ascensionem Domini inventa est aliquando jejunium perduxisse, solâ Eucharistiæ communione contenta, ut loquitur Brev. Rom. Unde Ecclesia in Missâ de S. Catharina Senensi post communionem ita precatur: *Æternitatem nobis, Domine, conferat, quâ pasti sumus mensa cœlestis, quæ beata Catharinæ Virgini.* Vitam etiam alunt temporalem.

10. Jejunium videtur esse cibus cordis sacrosancto hoc cibo nutriendi. Beatus qui bene esurit, ut meliùs saturetur. *Apud Suidam* Justinianus Imperator aureum in palatio regio triclinium fecit sumptu magnifico. Tibi verò triclinium paret pro divina hac mensa *sacra fames*, id est, jejunium. Ita Psal. 11. 9. *Secundùm altitudinem tuam multiplicâsti filios hominum*, legunt LXX. *epulas instruxisti filijs hominum.* Merentur hæ Dei epulæ jejunij fame condiri. Imò hîc nobis ad jejunandum fames & orexis acuitur. Quis non libenter esuriat in gratiam divini convivij? Gen. 42. *Ferte frumenta in domos vestras.* Lipoman. ex Hebræis fontibus legit: Afferte frumentum, afferte *emptionem famis.* verè hoc electorum frumentum *emptio famis*, & sancta ad libenter jejunandum orexis est.

---

# HEBDOMADA VIII.

## *In communione tuum erga IESVM parvulum, MARIAM & IOSEPHVM; affectum renova.*

1.

EGo, & Josephus, inquit S. Birgittæ 9. *revel. cap.* 5. Beatissima Virgo »
sæpissimè admirabilem lucem conspeximus, in cujus medio Filius meus re- »
splenduit, eodem tempore cœlesti An- »
gelorum concentu recreati, qui ejus »
laudes canebant. Utinam in corde

tuo

tuo ita resplendeat, unà cum MARIA, & JOSEPHO JESUS, ut in illius luce te semper positum cogites; atque ita te in communione, ita aliàs geras, quasi inter illos tres quartus esses. Verè manus MARIÆ, & JOSEPHI dum JESUM tenerent in sinu, fuêre viva altaria, in quibus erat sancta, viva, & vera hostia JESUS.

2. *Ioan. à S. Maria in hist. Domin.* ait B. Agatham de S. Cruce in ipso Purificatæ Deiparæ die, dum fortè ad confessionem & per hanc ad sacram communionem se accingeret, vidisse suas delicias JESUM parvulum in sinu MARIÆ, JOSEPHO comite utriusque. Tacita hæc illi ad confessionem & communionem sanctissimè instituendam erat instructio, ut horum semper tenerè meminisset illo tempore sacrosancto. Ne ergo & tu primæ illius, primariæ, ac sanctissimæ quæ inter creaturas unquam fuit societatis obliviscere, quoties accipis Deum tuum. Ad fugandum certè dæmonem valde potens esse voluit D. Josephi patrocinium JESUS, quando Leviathan in fugam à S. Josepho compulsus est, ne Joannæ ab Angelis molestus esset, postquam illa quotidianam officij D. Josephi recitationem, & aliquam quothebdomadis corporis afflictationem Deo in Sancti istius honorem promisit. *Vide Barrium c. 6. de S. Iosepho.* Nunc Deum in te habes, ne itaque molestus sit tibi, & JESUM ex te exturbare possit dæmon, in D. Josephi cultum exardesce.

3. Eadem Ioanna ab Angelis primo die anni 1636. S. Iosephum in totius anni Patronum eligebat circa communionis tempus pro anno toto sollicita, ut per Iosephum à Christo impetraret, quò is omnia divini amoris impedimenta à se amoliri dignaretur. Et verò audivit precantem & JESUS & JOSEPHUS, nam noctu novo quodam pietatis & miri cujusdam odoris sensu perfusa, vocem audijt: *Ecce adest ille cui te commendâsti.* Et in cœlesti quodam splendore vultum inexplicabilis elegantiæ & majestatis conspicata, tenerrimo erga D. Josephum rapiebatur affectu pietatis, ut *Barrius cap. 7.* memorat, & dicentem audit Iosephum: Constanter in his quæ pateris malis perdura, tuámque in adversis mentem divinæ voluntati conforma, tui penitus oblita: ita enim Deo cordi eris. Atque hæc Joanna honori S. Iosephi per totos novem continuos dies SS. Eucharistiam sumpsit, & à molestissimo, atque ultrò se à S. Josepho pelli fasso dæmone, liberata est, ut est in lib. qui dicitur *Gloria S. Iosephi.*

4. Invenisti tu in Eucharistia JESUM. Suspira ergo ad MARIAM, & JOSEPHUM, ut nunquam sinant illum à te perdi. & si fortè devotionis gustum perdidisti, ad illos recurre. Quin & in alijs, sunt qui si amiserint quidpiam, ad D Iosephi opem confugiant. & amici sui experientiâ id firmat Gerson, qui amissum pretiosum & charum sibi nescio quid, ope D. Iosephi reperit. Quin & perditam valetudinem firmam, recuperatam testatur frequens clientum S. Iosephi experientia. Celebrior, & recentior, atque à Pictavensi Episcopo approbata est illa, quæ Anno 1637. impressa est relatio de Laudunensi Ioanna ab Angelis Antistita Ursulinarum. Hæc jam deposita finè sensu, quasi in

agone jacebat, cùm in magna & pulchra nube Angelum tutelarem vidit, quasi 18. annos natum juvenculum, incredibili oris majestate conspicuum, qui cereum & magnum & candore suo pulcherrimum gestabat manu. Aderat & S. Ioseph quasi 40. annorum viri instar, Solis instar collucens blando aspectu: qui latus ægræ liquore quopiam fragrantissimo unxit, & statim sanavit. absterso telâ à latere adhuc madido liquor admirabili odoris suavitate, & morbos curandi felicitate celeberrimus est. Illud verò in S. Josephi miraculis notavi; valde frequenter Sacrorum aut communionum promissione potitos votis suis eos, qui S. Iosephi ope à pestis contagione, ac difficillimis quibusque morbis liberati sunt. Ita alij orandi artem didicêre; alij etiam à molestis & periculosis animi perturbationibus quievêre; & nonnulli etiam à vita perdita ad cor, & ad Deum redière, ut recentibus expertorum exemplis id probat *Barrius cit. c.* 11. & 12.

5. Committe Domino Deo Iesu, ut ille & Mariam, & Josephum in cor tuum invehat, quando ille illic adesse dignatur. Circumfertur imago S. Iosephi dextrâ lilium, sinistrâ erectâ cor flammeum, cui Maria inscriptum nomen, gerentis, cum subscriptione: *Vera effigies S. Iosephi. prout Laudani Ioanna ab Angelis Ursulinarum Antistita 1637. apparuit.* Certè cui cordi Iosephum donavit Iesus, multis illud cor virtutum floribus, & solido erga Mariam Deiparam pietatis sensu implebit.

6. Et magna omninò S. Iosepho cum Eucharistia intercedit necessitudo. Hic enim est ille, qui communi clientum voce & officio salutatur: Salve, Ecclesiæ Sanctæ Dei œconome, qui panem vitæ, & frumentum electorum conservâsti. Vide *supplicem libellum pro felici morte*, seu 1 *partem Manuale Sodalitatis nostræ.* Unde hæc adhuc innuo:

7. Joseph Venetum Clientem suum ad Sacramenta morituris necessaria, id est ad annonam æternitatis accipiendam, admonuit: ejúsque animam cœlo intulit. Christus opem suam illi pollicitus est, qui die S. Iosephi Deo sacrificia obtulerit; Ioseph clientem suum errantem domum duxit; orationis præses electus, orantis cor adeo calefecit, ut cum Iosephi cliente orante orarent Angeli. Valentinum mercatorem eleemosynarium, cum Iesu & Maria, Ioseph cum gaudio invitavit & duxit ad gloriam. Ipse, si ullus mortalium, felicissimè expiravit inter Iesum & Mariam. Religiosos clientes suos naufragos invisit dicens: *Ego sum S. Ioseph*; & eripuit. alteri item clienti suo cum Maria adfuit morienti. In corde Margaretæ à Castro reperta est imago Ioseph. P. Balth. Alvarez à Beatissima Virgine ut S. Iosepho devotus esset edoctus est, *Vitæ cap.* 29. Theresiam, & alios in corporis & animi, ac rei familiaris angustijs admirabiliter juvit, & ad alta virtutis accendit: Theresiam veste cœlesti vestivit: cui etiam Beatissima Virgo quòd Iosepho devota esset gratias egit, & illam pretiosissimo donavit monili. *Didacus Ep. in Vita S. Theres.* ait illam unà cum sororibus alijs inter prærupta præcipitiorum ab invocato S. Iosepho ad securum deductam,

ctam, postea infusam lvchrymis exclamâsse: *Erat sanctissimus Pater meus IOSEPH, qui à periculo nos liberavit!*

8. Denique ut nostram erga S. IOSEPHUM pietatem post communionem renovemus, id visus est nos ipse Christus docuisse, quando S. Theresiam susceptâ SS. Eucharistiâ orantem jussit Monasterium quod moliretur, Divi IOSEPHI nomine insignire, & alteri portæ MARIAM, alteri IOSEPHUM præficere; quibus factis, visus est IESUS Theresiam coronâ pretiosâ coronare.

# HEBDOMADA IX

*Accede frequens, vel ideò quia id Deo placet, dæmoni displicet quàm maximè.*

1.

SCit dæmon quæ placeant Deo quàm maximè, ideo illa illi displicent in nobis maximè. Non ita pridem, inquit *Barrius die* 10. *med. III.* dæmon ipse ex ore possessi hominis, coram sacra Hostia confessus est; *illic ignem esse amoris pro nobis; & pro illis ignem justitiæ. Tanquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles,* inquit aurei cordis os aureum Ioannes hom. 61. ad pop. Antiochenum. Idem ignis Eucharisticus, qui cor tuum urit scintillis longè dulcissimis, diris prorsus modis illum excruciat. Hoc enim igne, videt ille, à Deo, qui ignis consumens est, ita cor tuum consumi, ut æternis inferni ignibus de te desperandum sit penitùs, si sic ardere pergas.

2. S. Cyprianus ep. 54. ad Cornel. *Quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armamus.* Quare nil mirùm quòd id hosti nostro displiceat. Nam ut ibid. ait idem de communicantium moribus: *Cùm hoc cibo saturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quàm sancti odoris sit quicquid illa ructat plenitudo: Verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos illa interior sinceritas ubique diffundit.* Ita ille. Atque hic bonus Christi odor fætet dæmoni, hi mores cruciant.

3. Quid invisum magis dæmoni fieri potest, quàm ut te Christo videat semper fieri similem magis? Audi S. Leonem epist. 25. *Finis hujus Sacramenti est; ut in carnem Christi transeamus.* imò, ut Nazianz. loquitur orat. 1. *ut Christiformes simus; efficiamur Dij propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est.*

4. Plenas mille sagittarum odij sui pharetras in nos exonerat dæmon. Accede ad dictamnum cum cervis, ut sagittas excutias. Certè Eucharistia nos à peccatis potentissimè præservat. Unde Trid. sess. 13. cap. 2. *Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit &c. tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Et cap 8. paterno affectu monet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & car-

nem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus eâ fidei constantiâ & firmitate, eâ animi devotione ac pietate & cultu credant & venerentur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint*; & is verè sit eis animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus eduut, absque ullo velamine manducaturi.

5. At dices, te frigidum esse: Respondet Gerson de præp. ad miss. *Christus ignis est. etiamsi frigidus sis dummodo in peccato mortali non sis, accede. Nam sæpe accedit homo ad Eucharistiam frigidus, & indevotus; & post illam fervidus, incalescens invenitur.* Hoc igne cor tuum accendis, illos uris genios, qui tibi invident: unde modos & homines quærunt quibus te avertant; aut saltem ut statim à communione cum Juda discedas è templo. Ita Cyrill. Alex. lib. 9. in cap. 19. Ioan. *Timet*, inquit, *diabolus, ne morando locus pœnitentiæ detur, & quasi à temulentia mentem suam rectius cogitans homo eripiat: ea de causa festinat, & impellit. Iudam ideo magna præcipitem egit celeritate.*

6. Invidet nobis hunc panem hostis ille noster, quia invidet nobis animæ vitam, & perpetuam sanitatem mentis, & denique felicem peregrinationis nostræ finem. At ringatur rabidus ille canis invidiâ. gratulantur Angeli, si te suum sæpiùs, & quidem devotum, habere possint convivam nunc, olim verò æternum civem. Sæpe corde versa illud Ambrosij de sacr. lib. 5. cap. 4. dicentis: *Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit.* Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sæpe dæmon te expugnat, & tamen non vult ut sæpe accedas pro consilio, pro auxilio, pro armis, pro clypeo ad Iesum Ducem & Imperatorem tuum. *O poculum*, inquit Cæsarius dial. 4. *diabolos vulnerans, fugans; peccata ventilans, æternam vitam operans!*

7. *Molina de missa tract. 7. cap. 3.* latè probat communionem quotidianam ex prima ætate Ecclesiæ. & addit ex oculatis testibus, authenticisq; relationibus, in Æthiopia quotidianam communionem etiamnum vigere.

8. *S. Thom. 3. p. q. 80. a. 10.* quærit, utrùm liceat quotidie Sacramentum Eucharistiæ suscipere, & concludit: *Cùm virtus hujus Sacramenti hominibus imprimis salutaris sit, expedit quotidie illud sumere; si quis se quotidie debita cum devotione præparatum inveniat, quod propter multa impedimenta non omnibus contingit.* Ita ille, Ad minus ergo semel atque iterum in hebdomada potest se bona anima ad illam devotionem componere. Addit tamen *ibid. cit. Aug. libro de Ecclesiast. dogmatibus*: pro minùs dispositis ad communionem quotidianam: Quotidianam communionem se nec laudare, nec vituperare; hortari tamen ad sumendam quavis die Dominicâ. *Vid. a. 10. ad 5.* Unde notum est illud Epiphanij in compendio doctrinæ, dicentis, ter quothebdomadis communicâsse suos subditos: *apud Basilium verò epist. ad Probam*, quater id singulis hebdomadis factitatum.

9. S.

9. S. Athanasius super 1. Cor. 11. *Conscientiâ examinatâ semper accede ad sacrum Christi corpus: non expectes festos dies*, S. Ioan. Chrysost. in 1. Cor. hom. 28. *Non est expectanda solennitas ut accedas ad hoc Sacramentum. semper est solennitas, dum adest cordis munditia: quam si habueris, semper poteris habere solennitatem, & semper accedere.* S. Ignatius ep. ad Ephes. rationem frequentiæ reddens, *Quando enim hoc agitur*, inquit, *expelluntur potestates Satanæ, quæ actus suos convertit ad sagittas acutas ad peccatum.*

10. Illud quod contra adduci solet argumentum, tametsi multùm probare videatur, nihil probat. Ais enim: Ratiò te comunicare velle, quia indignus es qui sæpe communices. Respondet argumento illi solidè S. Ioan Chrysost. in 1. Timoth. hom. 5. *Hoc est quod universa perturbat, quia non munditiam animæ, sed intervalla temporis longioris meritum putas summámque arbitraris reverentiam, si non sæpe cœlestem illam adeas mensam, ignorans quoniam indignè accedentem, etiamsi semel tantùm id fiat, supplicio tradet. Non est audacia sæpe accedere ad divinam mensam, sed indignè accedere, &c. Quid igitur hanc rem temporis intervallo metiris? Tempestivum accedendi tempus, munditia conscientia facit. Nihil habet amplius quod in Pascha celebratur mysterium; illo quod continuò celebratur. Semper Pascha est.* Ita ille ibi. Vulgare est illud in hac materia: *Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.* Cavendum est, inquit sanctè *Innocentius Papa lib. 4. de Missa cap. 42.* ne si nimiùm Sacramenti sumptio differatur, in mortis spiritualis periculum incidatur.

Addat pondus dictis Chrysost. *hom. 46. in Ioan.* Facit, inquit, hic sanguis, ut in nobis imago regia floreat: hic sanguis *pulchritudinem & nobilitatem* animæ quam semper irrigat, & nutrit, langueſcere non sinit. Cum Cassiodoro, 7 *Var. c. 6.* finio. Hæc non superfluâ commemoratione narravimus, ut possis advertere qualis à te diligentia perquiratur, cui *pulchritudo tanta committitur.*

# HEBDOMADA X.

## *Communica tanquam moriens. Supple nunc quod fortè tunc in sumendo viatico non poteris.*

1.

Sanctus Franciscus Senensis usque adeo credebat omnem diem sibi diluxisse supremum, ut in singulis Missæ sacrificijs, tanquam ultimum illud sacrum celebraret, Christo valedixerit, eundem in altera vita salutaturus facie revelatâ. O quàm opulentæ essent communiones nostræ, & sacra nostra, si quos actus elicuisse legimus Sanctos morituros, & quos nos elicere vellemus si nos paulò pòst expiraturos sciremus, eos eliceremus ante communionem, ita ut eadem cordis compositione essemus communicaturi, quâ esse vellemus morituri! O quàm pretiosa esset illa actio gratiarum, si ita illam instituere-mus, ut quos amoris, gratiarum, laudis

dis actus elicituros nos speramus statim atque ad beatitatem cœlestem admissi fuerimus, ijsdem adoraremus receptum in nos Eucharisticum IESUM! Hoc Sacramentum est *sanctitas sanctitatum*, ibi ergo quærenda quàm sanctissima ad sanctam mortem præparatio.

2. Orpheus *apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Strom.* ait Parcas esse candidis vestitas cycladibus. Et verò tales sunt ijs, qui insontes animas, candidas innocentésque conscientias adferunt ad lectulum mortualem. *Siculus Diodorus lib. 2.* ait, absque ullo molestiæ sensu, ut somno suavi correptos, mori in Taprobana Insula illos qui mori desiderantes herbulæ cuidam indormiunt. Herbam Deo IESU Eucharistico porrigat necesse est herba illa. Huic indormientes in pace idipsum dormiunt, & requiescunt, evigilaturi ad coronas. *Tzetzes Chil. 13.* ait in aureis triumphantium coronis pretioso artificio elaborata & expressa fuisse præclara illorum qui triumphabant facinora. Ita coronandi obdormient ij, qui se illi coronationis diei parant in Eucharistico apparatu. Erit ibi expressa sacratissimi hujus, quoties illud adiêre, convivij imago in corona, & quicquid denique cœlo dignum gessêre. Prov. 4. *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, coronâ inclytâ proteget te.* Septuaginta legunt: *coronam gratiarum & deliciarum.* Illam, illam inclytam pulchritudinis, decoris, gratiarum, deliciarum coronam tibi nectis, quando divinæ mensæ accumbis.

3. Aggæum Prophetam è Babylone ad libertatem in Ierusalem reducem, exundantis lætitiæ plenum fuisse, & primum inclytum *Alleluja* cecinisse, ait in ejus vita *Epiphanius*. Canta nunc tibi in hoc convivio alleluja, & in hac etiamnum servitute, illi te libertati para ad hanc aram æternæ libertatis, in hoc salutis portu. Hoc enim Sacramentum verè est emporium æternitatis. Nautæ, teste D. Ambrosio *lib. 9. in Lucam*, dulcia patrijs oscula littoribus figunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes. Tu, ut quasi in suprema jam navigatione positus, periculis & erroribus absolvaris, da felicia oscula beatis cœli littoribus, quoties Christum ore & corde accipis classis tuæ rectorem. Vos, inquiebat *lib. 2. contra gentes Arnobius*, cùm primùm soluti membrorum abieritis, enodes alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum ad sidera volare possitis. *Plato* etiam migrantes è corporibus animos ait volare ad cœlum ad domicilia illic sibi consecrata. Fabulæ! Tu verò hic tibi alas para in Eucharistica hac officina, quibus tunc voles: hîc, quod Zoroastres monebat suos olim, tinge alas tuas aquis vitæ.

4. Socratis morituri thema erat ad exultationem, quòd per mortem ad semideos heroes felici cum illis ævo fruiturus abiret. Hic verò apud Deum es: hîc te ad iter illud para, quo ad illos discedes qui se his artibus, quibus tu, parabant cœlo dum viverent.

5. *Herodot. lib. 1.* ait sepulchrum Babyloniorum fuisse mel. O in æterna fellis amaritudine sepelientur ij, qui cum epulone divite sepelientur in inferno! Tu verò melleam tibi in cœlesti nectare præpara sepulturam ad hanc mensam. Ita dives ille epulo à mensa

sua

sua ad sepulchrum ad infernum descendit; ita tu à mensa hac viam tibi sterne ut dulcis tibi mors accidat; & dum corpus hic sepelietur, animus cœlesti ambrosiâ recreetur, & expectet ad eandem aureorum & melleorum torrentium dulcedinem etiam corpus.

6. Denique Catharina Riccia *Vitæ sap.* 45. communicandum ajebat eo ardore atque apparatu, quo communicant ij qui sumunt viaticum morituri. Ita se communioni parabat religiosus ille vir *apud Rodrig. p.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. qui æger ultimùm à Superiore monitus ut tanquam moriturus confiteretur, collectis & exporrectis in cœlum manibus: Benedictus, inquiebat, sit Dominus Deus meus, jam 30. & plures anni » sunt quòd quotidie ita fim confessus, » quasi die ipso morituras. Nunc itaque » ita confitebor pro apparatu ad mortem, » quasi confiterer pro apparatu ad Sacrum. Fecit, & introivit ad beatum altare Dei! ad altaria tua, Deus virtutum...

7. Quâ putas cordis præparatione sacris ultimò operatum S. Cassium moriturum? idem age. Sanctus ille sanctarum lachrymarum vir de morte sua hac voce commonitus est: *Age quod agis, operare quod operaris. non cessat manus tua. natali Apostolorum veniet ad me: & retribuam tibi mercedem tuam.* Ita magno sensu sacrum supremum dixit, & Christo velato quasi valedixit: ac porrectâ etiam alijs SS. Eucharistiâ, felix excessit. Ita abijt ad immortales etiam ille qui à Iesu parvulo per discipulos ad cœleste convivium invitatus ad diem Ascensionis, ipso die, sacro facto, & porrecto parvulis brevi secum morituris sacramento, ante altare decessit vitâ. Hoc age & tu quasi jam monitus. Et nunc moneris.

8. Ideò intrat ad te Iesus, ut animam tuam custodiat in vitam æternam; ut felix exeas. Hippocratis jusjurandum erat: *In quamcunque domum ingressus fuero, ad ægrotantium salutem ingrediar.* Admitte curaturum te Iesum, quasi statim cum Simeone sene sancto dimittendus in pace. S. Bernardus in spec. Monach. *In omni opere* (hoc verò opus est omnium operum nostrorum facilè præstantissimum: ergò & in hoc) *dicat sibi: si modò moriturus esses, faceres istud?* Tamne torpidus accederes ad mensam, quæ teste *S. Ioanne Chrysost. hom.* 24. *in* 1. *Cor.* 10. est *fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Tunc negotiandum.

9. *Apud P. Inkoffer. Annal. Ung. Anno* 1047. S. Gerardus refert visum à se Christum ad D. Genitricis aram, sacri corporis sui Eucharistiam sibi, cæterisque, sed ijs tantùm qui Martyrio coronandi erant, dantem. Quot sunt qui ultimò celebrant, & communicant, & id nesciunt? Vix annus effluit qui ista nobis in amicis digito non ostendat.

10. Macte ergo generosissimo corde! & quem adhiberes animi apparatum ultimò communicaturus, illum adhibe nunc pro tunc. In manus hujus Domini commenda spiritum tuum nunc: tunc enim cùm illum exhalabis, fortè illum non poteris commendare. Ideò B. Maria Dominicana, adeò impressum cordi habuit solidissimum hunc, & sanctissimum communicandi modum, ut

*apud*

*apud Barrium die* 10. *solit.* quotidiè, potissimùm verò inter communicandum, semper petiverit à communione statim emori. Et tandem felici voto potita, hoc documentum fortunatissimâ suâ experientiâ obsignavit.

# HEBDOMADA XI.

## *Ante, & post sumptam Eucharistiam, de divinis mysteriis quædam pro cordis inclinatione vel temporum ratione meditanda sunt: potissimùm mysteria Crucifixi.*

1.

ITa finè tædio mensæ illi aderis conviva. *Rodericus Tolet. lib.* 3. *rer. Hisp. cap.* 23. ait Civitatem in qua mensa smaragdina ex uno prorsus smaragdo unà cum pede constans reperta est à Taricio Maurorũ Duce, dictam *Civitatem mensæ.* Templum, est Civitas mensæ smaragdinæ, pretioso spei virore lætæ semper. In hac mensa omnia reperies mysteria, velut fercula quibus mentem famelicam reficias. Iuvabit jam unum ruminare, jam aliud, prout palato cordis videbitur.

2. Scalabisci *Eucharistiam* asservari ait ex oculatis testibus *Nieremb. de mir. nat. in Europa lib.* 1. *cap.* 15. quæ formâ variâ Christi nunc nascentis, nunc patientis, nunc resurgentis mysteria repræsentat. & quidem eodem tempore alij alia se videre ajunt mysteria. Lusitanorum Fratrum alter candidissimam illic carnem vidit, cùm alter spinis coronati, & flagellati Iesu spectaret imaginem, eo modo quo illum Iudæis dabat spectandum Pilatus, cum elogio: *Ecce homo.* Varietas delectat, delectet & hîc. Hoc non est vagari; sed ducentis nos à mysterio ad mysterium Dei nutum sequi. *Deum sequere.* Etiam in cordis palato plerumque quod benè sapit bene nutrit. Hîc sapidè comedere, est signum solidæ sanitatis.

3. Frequentior tamen esse debet arcanorum Crucifixi mysteriorum tenera recordatio. Ipse id voluit dum dixit, ut quotiescunque hoc fecerimus, in ipsius memoriam faciamus. Est in S. Angeli Carmelitæ vita, Iudæos quosdam conversos, eò quòd in sacratissima Hostia vidissent Crucifixum Iesum, Ibi est ille. Aspice attentis oculis. Considera corde attento. *Ecce homo.* ecce Deus. verè ille Deus, ille homo qui crucifixus est, ille est quem illic sumis. Videt te, tametsi non videatur à te. ita satisfacies illi Dei voluntati, ut quotiescunque manducas, mortem Domini annuncies.

4. *Apud Philip. Alegambe in Cat. Scripto. Soc. IESU,* P. Henricus Garnetus Anno 1606. cùm occideretur in Anglia, *spicam Garneti sanguine aspersam* quidam *latus asservavit.* visa est postea spica illa *ingenti prodigio Garneti faciem vivis expressam coloribus, coronâ redimitam, stellâ, & insertâ in eam Cruce in fronte signatam, Angelico vultu sub mento decoram* referre. Hîc verò sub Eucharisticis panis & vini speciebus, velut sub spica & botro, non Garneti facies,

facies, verùm occisus pro te Christus totus est, non pictus, sed in re ipsa, stupendo mysterio collocatus.

5. *Balinghen* 21. *Aug.* ait Sebastianum à Gratterio è sacro Capuccinorum asceterio religionis præcellentis virum, cùm sacro de Christi passione celebrando intentus esset cum lachrymis, spectaculum habuisse miserandum. Nam cùm diceret; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.* Christus illi *Ecce homo* vultu ad omnem miserationem à quovis corde extorquendam aptissimo apparuit in hostia consecrata, in toto illo, in quali tunc erat doloris apparatu, & cum catena in collo. Hisce spectaculis fruere dum cœli mensæ accumbis, hanc spicam, hunc agnum, hunc hominem, hanc faciem intuere. Ibi & præparandi te ad sacrosanctam Synaxim, & gratias pro illa agendi modos optimos leges.

# HEBDOMADA XII.

## *Crebro sanctissimæ Eucharistiæ aspectu, & piâ visitatione te ad puritatem accende.*

1.

*Annua Soc. IESU Anni* 1637. narrant hominem adulterij reum sacrosanctam hostiam cùm in sacro Missæ officio elevaretur, non ita ut illa erat, candidam, verùm ita ut illius animam mortali scelere saucia atra erat, nigram aspexisse. Ubi infernalem illam cordis nigredinem sacrâ exomologesi abstersit, candidam iterum cùm elevaretur hostiam sanctam vidit.

2. Eucharistia est amoris purissimi academia cœlestis. Ibi amor triumphat victor omnium. *B. Laur. Iustin.* serm. de Euch. *O quàm beata*, inquit, *ab amantibus hora illa censetur, in qua personaliter Sponsus Christus cordi ingreditur thalamum!* Castos amat, aversatur impuros Rex Angelorum purissimus JESUS.

3. *In Vitis PP. p.* 2. §. 156. adulteri duo ad Eucharisticum epulum accedentes, visi sunt carbonum instar nigri, & oculis cruore plenis horrendi: alij veste candidâ, & illustri facie accedebant. Cùm autem corpus Domini sumpsissent, in quorundam vultibus lumen, in alijs flamma videbatur, Episcopo ista spectanti Angelus; Ille unus, » inquit, in suis sordibus permanet, cum » voluntate peccandi, ideò illum nigrâ » facie & flammâ succendi vidisti. Alter » verè pœnitens, in gratia est. Miranti » Episcopo, quòd alter ille repentè adeò » pulcher esset è turpi: Pœnitentibus, » inquit Angelus, per confessionem Deus » non solùm peccata dimittit, sed etiam » honore afficit dignos.

4. Id quod subjungo Petro Cluniacensi narravit Claromontensis Episcopus, qui ipse cum Sacerdote quo cum res gesta est egit. Ait ergo *lib.* 1. *mir. cap.* 2. *Petrus*, Sacerdotem virum aliàs bonum, & quotidiano sacro celebrando assuetum, in occultam quampiam carnis delectationem prolapsum, neque tamen confessum, celebrare perrexisse: verùm sub ipsum communionis tempus, in tribus consequenter Sacris sacram

illi hostiam & cœlestem sanguinem evanuisse: tum demum resipuisse, & re Episcopo narratâ, longam & acerbam egisse pœnitentiam; ac tandem ab Episcopo aris redditum, non tantùm eam quam tunc sumere parabat hostiam non amisisse, verùm & tres illas quæ ante longum pœnitentiæ tempus unà cum sacro sanguine disparuerant, divinitùs ita recepisse, ut etiam in calice præter illam quam tunc consecrârat sanguinis quantitatem, totum reliquum, qui sub tribus illis sacris priùs disparuerat sanguinem in calice ferè jam pleno receperit, incredibili conversi ad verum puritatis & pœnitentiæ studium animi voluptate.

5. Nunc *ex Nieremberg. Theopoliticis p. 2. lib. 3. cap. 5.* Herkinbaldus, vir magnus, lecto per morbum affixus, audito fæmineo clamore in conclavi proximo, extorsit minis tandem ab invitis aulicis, ut faterentur, ipsius Herkinbaldi è sorore charum nepotem turpe aliquid ausum in Virginem invitam, ideóque clamantem. Iussit ergo charum quidem hactenus, at jam conscelleratum caput ob impuritatem suspendi. Monitus à Senescalco, impleta jam jussa dextrè mentito, juvenis latuit. Et jam quinto pòst die mitiorem ratus, ausus est infelix caput aperto conclavis ostio immittere. Impurum prædonem ubi conspexit æger senex, iram ore blando contexit, & ad se suaviter accersito, capútque in lectulum inclinanti cæsariem simul arripuit, simul gutturi cultrum infixit, & vitam infami abscidit. Morti verò jam propinquior Herkinbaldus, cùm hoc facinus suggerente Episcopo peccatum esse negaret, ac ille se illi sanctum viaticum negaturum minaretur, nisi & hoc confiteretur, Deum testatus est æger, nepotem à se bono conscientiæ ductu, non odio, sed justitiæ ac puritatis zelo occisum, cùm alijd nollent. Sperare se Sacramenti fructum. Discedentem ad hæc Episcopum revocari jussit senex, & num sanctissimum Christi Corpus quod attulerat haberet in pyxide interrogavit. Apertâ Episcopus in pyxide nihil reperit. Tum senex, ore aperto in lingua monstrans hostiam sacrosanctam *Ecce*, inquit, *quem mihi negâsti, non se mihi negavit Christus.* En quàm libenter intret ad puritatis amantes JESUS! Præclarum Eucharistiæ elogium dedit Nyssenus *lib. de Vita Moysis*, cit. à Celada *in cap. 1. Esther §. 52.* quando illam dixit, *mysterium Virginu.*

# HEBDOMADA XIII.

## *Proposita ferventia solidè faciendæ: intentioni purissimæ assuescendum.*

1.

EUnapius *in Porphyr.* Longinum vocat *Virum, ambulánsque Musæum.* An non vivum ambulánsque musæum Doctrinarum cœlestium tibi videtur is, in quo sedet, & docet, & movet, & delectat Magister JESUS? Multùm verò ab illo dideceris, si & aureas ad majorem

rem Dei gloriam intentiones frequentare, & solida facere proposita didiceris.

2. S. Ignatius Episco. M. epist. 12. quæ est ad Rom. *Aqua viva*, inquit, *manet in me intrinsecus mihi dicens: Veni ad Patrem. non comedam escam corruptionis: neque voluptates hujus mundi desidero: panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Jesu &c. Jam nolo secundùm homines vivere.* Itaque sicut sumpto olim pane, quem coliphium vocabant palæstritæ, roboratis jam pane illo membris, prosiliebant in palæstram robustiores; ita tu sumpto hoc pane immortalitatis, totis novisque viribus novam animi in rebus agendis fortitudinem ac robur adamantinum meditare.

3. S. Hier. super Amos 7. *Et ecce vir stabat super murum adamantinum, & in manu ejus adamas. Hic murus adamantinus altare est, quo Ecclesia ut muro protegitur. Vir in illo stans est Sacerdos: adamas quem manu tenet est Christus Dominus.* Hunc ergo adamantem è Sacerdotis manibus dum accipis, adamantina firmes proposita.

4. Ajunt ij qui Turcas nôrunt intimè, Turcam certò promissa facturum si sic juret: si hoc non fecero, *percutiat me panis, & sal.* Vota, ut facilè fiant, non laudo: imprecationes multò minùs. Plurimùm tamen ad bona proposita nostra in fideli observatione stabilienda accedere ajo, si corde sincerè effuso concipiantur in communione, invocato Christi verè præsentis auxilio. Hic plena renovatio facienda, neque alibi est melior unquam occasio.

5. Helmontius medicus, *de lithiasi cap. 3. num. 26.* Vidi, inquit, rusticum, qui vulnera ingentia curaret potu lixivij è tilia parati. & *cap. 4. num. 30.* quæ cum sanguine materno, & lacte nutricum subintrant, ut fures domestici thesauros vitæ possident; nec facilè recedunt, nisi sub renovationis auxilijs. Denique *cap. 7. num. 14.* citat Cardanum scribentem, suâ ætate virum per Longobardos oberrâsse, qui paucis diebus quodam poculo, passim, securè, certò, atque breviter sanabat quotquot calculum habebant. moriens tamen artem suam superstitibus mortalibus invidit. Non invidit moriens Christus unde moriturus nobis testamento reliquit calicem vitæ, pharmacum immortalitatis. Hoc tu sumpto, ardentibus factis propositis hiantia cordis tui vulnera sanabis, & etiam vitia illa, quæ à materno lacte imbibisti, quæ thesauros æternæ tuæ vitæ depopulantur, curabis factâ hîc seriâ renovatione.

6. *Portalib. 8. cap. 8.* ait, quòd lupinus cum Sole circumactus horas agricolis monstret etiam in nubilo. si sæpè comedatur, exhilarat, & comedentem pulchrum reddit. Ostendet, ordinabit tibi horas tuas, exhilarabit, renovabit te in pulchritudinem novam sumptus in Eucharistia Deus.

7. Contra humanos etiam respectus hîc proposita, & spiritus hauriendi: Deus supra temporis damna omnia æstimandus. *Richardus Bristoi Vigorn. tomo 1. motivo 10.* circa annum 1570. vix biennium esse ait, cùm Catholicus quidam delatorum minas, & temporalium timens amissionem bonorum, ur-

gente licet contrà conscientiâ ad Calvinistas, ibi comunicaturus, accessit. Sed ubi aspexit, canem atrum atque horribilem communicantibus porrigi à ministro, infernali illo spectro adeo est consternatus, ut domum redux paulò pòst expirârit. En iste ob humanum respectum, vitæ & hujus æternæ jacturam fecit miser, nisi fortè resipuerit.

8. Tu verò hîc etiam intentionis sanctæ artem addisce inter sancta proposita; & propone in majorem Dei gloriam defigere purum intentionis oculum, majus Dei obsequium semper intuendo, & ideò agere quæ agis, quia tibi placet optimum illud & pulcherrimum bonum quod est Deus; quia Deo placet ut ad illum, in illo, & cum illo opereris. Fuit, *apud Menochium, Stearum cap. 97.* qui ab hospite quem domi suæ bene habuerat per menses aliquot, mirabile & pretiosum quoddam pulveris genus acceperit dono in actionem gratiarum, quo ille aurum faceret. & fecit tres annulos aureos, quorum aurum à peritissimis quibusque examinatum, veri auri laudem tulit. Iam nosti intentionem puram, seu auream, si ijs quæ agimus frequenter aspergatur instar pulveris, efficere ut opera nostra omnia sint aurea. Pulverem verò illum pete constanter, & impetrabis ab eo, quem singulis mensibus semel iterúmque in domum tuam cum reverentia accipis hospite Deo Iesu. Ita intentionem in Dei præsentia renova prudenter, frequenter, & ferventer.

AN-

# ANNI EVCHARISTICI

## PARS II.

## HEBDOMADA XIV.

*Ignosce, & ora pro ijs à quibus læsus es.*

1.

HIspalensis illa Religiosa, Maria de Ascensione, ut de illa *Barrius die 7. solit.* si quid id genus spinarum ab ore alicujus acciperet, nobiles inde rosas legebat. Tantum enim abest, ut spinas redderet pro spinis, ut pro illa à qua patiebatur, precatura, & pro injuria gratias actura ad SS. Eucharistiam invisendam statim abierit, cordéque ibi sinceriſſimi candoris simplicitate aperto dixerit: *En, Domine mi, munus quod ad te defero, ut acceptum sit precor: & ignosce sorori meæ, cui non cogitanti talia exciderunt.* Hoc age, & quicquid illud verborum, quicquid spinarum est, sepi aures tuas illis spinis, & postea omnes in beatam S. Catharinæ Senensis fornacem (nam illa SS. Eucharistiam, ardentis instar fornacis videbat) projice. Exurantur illic spinæ, & singularem quempiam cordis calorem, gratiam quampiam illi impetra qui te læsit. Aurea & apposita Chrysologi vox serm. 94 *Tenera militia, delicati conflictus est amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam.* Ita est; hoc igne, gehennæ ignis extinguitur.

2. *In Vita S. Ioannis Abbatis* 28. *Ianuarij cap.* 3. narratur, S. Ioanne Claro epistolam pro reo famulo scripsisse, quam quia Clarus contempsit, neque famulo, pro quo in epistola intercedebat S. Ioannes, ignoscere voluit, per totos novem annos nec communi, nec Eucharistico pane refici potuit, Deo id nolente in pœnam.

3. *Thomas à Kempis apud Rodriqu. 1. p. tract 4. cap.* 14. ait quendam odio proximi ardentem fuisse qui sit fassus, se per annum totum & amplius, SS. Eucharistiam, cùm in Sacro elevaretur,

retur, nunquam videre potuisse: potuisse posito odio, confessione expiatum, & statim vidisse.

4. *Anno* 1648. in Transylvania (ut referunt qui adfuêre) cùm offensam ignoscere inimico suo nollet quidam, & in hoc scelere SS. Synaxi accumberet, sensit, veluti Iudas, ingressum dæmonem. Interrogatus deinde, fassus est, se sibi hujus sceleris conscium communicâsse. Dæmon etiam, dum urgeretur exorcismis, negabat se exiturum: *Intravi enim*, inquit, *in pomo Virginis.* Ita ille benedictum fructum ventris Virginis appellabat. Hîc ergo sanctam disce amnisthiam in Eucharistia.

5. Solenne quotannis instituebatur symposium ab antiquitate, de quo *Cresol. dec. 2. Virt. cap. 7.* cui præter affines & cognatos nemo interponebatur: ut si qua esset orta inter illos querela, voluntatúmque disjunctio, apud sacra mensæ, & in communi hilaritate, authoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Convivio verò illi CHARISTIA nomen est datum. Ecce EUCHARISTIÆ convivium, ecce author concordiæ Deus pacis, & non dissensionis. Unde in Sacro SS. Sacramenti Ecclesia petit sibi *unitatis & pacis propitius dona concedi, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur.* quod egregiè explicuit August. *tract. 26. in Ioan.* dum dixit: *Dominus noster IESUS Christus corpus & sanguinem suum in ijs rebus commendavit, quæ ad unum aliquid redeguntur è multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit.* S. verò Thomæ 3. p. q. 73. a. 2. *Eucharistia est Sacramentum unitatis.* & a. 4. *ut Ecclesiasticam unitatem designat, nominatur communio vel synaxis.* & S. Aug. ibid. cit. q. 79. a. 4. *O Sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis!* Quare hac hebdomadâ assurge altiùs, & ita ignosce, ut etiam pro ijs quibus ignovisti singulares à Deo gratiarum thesauros petas. Ita in pomo Virginis MARIÆ sumes dulcem cordium concordiam, IESUM. S. Cyprianus de cæna Domini: *Quæ uniuntur*, inquit, *uni tertio, uniuntur & inter se. quibus unus est panis, unum est corpus, & omnium unum cor, & anima una.*

6. *Iulianus Ægyptius lib. 7. anthol.* ait, se cùm necteret corollam, inter rosas repertum amorem alâ prehendisse, meróque mersisse, atque ebibisse: tum illum sibi imis in medullis sævisse. Theocritus etiam in epigr. *Multum*, inquit, *amorem ebibi.* Certè nos sepositis odijs, in mensa illa amoris amorem comedimus, amorem bibimus. Utinam purissimus divinissimúsque ille amor intimis in medullis nostris regnet! Ita fiet ut omnes in illo, & illum in omnibus diligamus.

7. *Ioan. Nauclerus volum. 2. chronogr. generat. 22.* testis est, Gregorium anniversario in sacro quod pro defuncto quodam ad S. Petri celebrabat, vocem è cœlo audisse: *Non faciam.* Pergebat in sacro cantus, & ecce cantui ac toti sacro *requiem* pro illa anima *æternam* flagitanti respondens iterata è cœlo vox: *Non faciam, quia anima illius damnata est.* Causam rogat, & audit: *Quia propter inimicitias quas remittere noluit, corpus Christi ad Pascha omisit recipere: & de hoc confessus non est.*

8. Recentem, & sibi notissimam tragœdiam

gœdiam descripsit etiam *P. Gabriel de Vega Soc. IESU*, Madriti Rector, & ex illo *Doultreman pædagogi cap.* 15. §. 2. Cordubæ graves inter se inimicitias fovebant viri duo nobiles: quorum alter lethali affixus lecto, à Patre è Societ. Jesu monitus, ut inimicitias primùm deponeret, tum conscientiam expiaret, advocato adversario suo veniam dedit. æger, & accepit, factâ firmáque ultrò citróque palàm concordiâ. Ita morti per pœnitentiæ, & SS. Eucharistiæ Sacramentum accinctus, extinctus, elatus, conditus est. Animam infernus hausserat. Sed hem! alterâ post cadaver elatum nocte, gemini cum facibus ephebi, defuncti illius confessarium evocari curant ad portam Collegij: evocatum, ad templum ubi cadaver jacebat conditum, deducunt; bono esse animo jubent; claves porrigunt, ut Eucharisticam è tabernaculo pyxidem eximat, & sequatur. Ita Patri ad cadaver usque deducto disertè affirmant, nobilem illum ob mortales, quas ne moriens quidem sincerè deposuerit simultates, damnatum. SS. Eucharistiam nihil læsam ex ore impij cadaveris eximeret, & in ara reponeret. His dictis pede tumbam pulsant, & aperiunt, cadaver erigunt, os aperiunt: Pater sacram hostiam integram eximit, & pyxidi imponit. Tum deturbatum cadaver in fossam videri desijt. Repositâ in tabernaculum pyxide, Pater ab ephebis ijsdem ad Collegium reductus, functos officio suo tæduchos sive facigeros repentè ex oculis amisit. Disce ignoscere! Non ignoscetur illi æternùm qui nollet ignoscere.

# HEBDOMADA XV.

*Etiam in itineribus, adorando, sumendóque sacratissimo hoc ferculo te refice.*

1.

Viaticum est. Erit pretiosus viæ tuæ comes, qui ipse est *Via Viva*; & ne à via aberres, *Veritas*; ne moriaris, *Vita*. Surge ergo & comede, quantumvis grandis tibi restet via. Angelicus ille Stanislaus Kostka, ut & *in Vita, & histor: Societatis parte* 3. *lib.* 4 *num.* 59. Sachinus memorat, in Dilingano itinere ubertim flebat, se divini hujus epuli cupidum spe dulcissimâ excidisse, quando Catholicum, ut rebatur, templum ingressus, Acatholicum reperit, neque sacram suam famem potuit cibo illo beatissimo satiare. At exemit famem Angelus, quando fesso itineris difficultatibus, & præ cœlestis edulij desiderio lachrymanti quasi Co Angelo suo panem Angelicum porrexit. & Stanislaus Angelorum ministrantium jam iterum hospes felix, tali viatico iter Dilingam, inde Romam confecit. Certè signum ad mortem iter à divinissimo hoc Sacramento incepit magnus ille gigas, dum se ad currendam passionis viam accingeret. Ita dum se itineri accingunt quidam, huic primùm mensæ accumbunt, quasi cum Elia grandem quæ illis restat viam post sumptum divinum hunc panem confecturi, & memores itinerum æternitatis.

2. Ro-

2. Robertus Bellarminus Societ. Jesu vir undequaque eximius, dum se itineri accingeret, ante aram provolutus
» ita orabat: En ego, te Duce, Deus, i-
» ter ingredior; & te vocantem sequor.
» Esto, discrimine vario possim opprimi:
» sed animum induxi, periculo me nulli
» subtrahere, certus cuncta te disponen-
» te agi. Imò ex penitis sensibus cordis,
» vitam hanc, & si quid est in me reliqui,
» devoveo. Tu de ea tuo arbitratu dis-
» ponas; cùm nihil meorum jam sit me-
» um, sed sicut vivens sum, ita velim tuus
» emori. Vita ipsa me non delectat, ni-
» si ut serviat tibi animus meus, qui finis
» es & terminus spei meæ.

3. Quanta tui causâ suscepit itinera iste qui istic latet Iesus! Et tunc, sinè labore tamen, nec relictâ æterni Patris dexterâ, descendit è cœlo ad te. Ita dum itineribus fatigatur corpus, exerceatur & animus in itineribus æternitatis, & reficiatur, ut in fortitudine cibi istius perveniat in patriam, è qua ad nullum alium locum abire desiderabimus; nec indigebimus. Virtus & domi & foris nobiscum esse debet: huic ergo in via alendæ cibus deesse non debet, neque cibum ad virtutis palatum qui magis sapiat invenies Eucharistiâ meliorem. Virtute præditos Plato ait aurum multum in pectore circumferre. Insere auro illi gemmam. Eucharistiam dum hauris pectore, habes aurum, habes gemmam cœli, viaticum itinerum tuorum. Felicem te si ex aureorum illorum natione sis.

4. Quàm feliciter cessit adolescenti illi apud Dionysium Lusitaniæ Regem aulico, è via ad adorandam SS. Eucharistiam divertisse, & sacrificio adfuisse! Mors illum manè in fornace, in calce ardente expectabat, nisi illum in vita adoratus vitæ panis conservâsset. *Vide Vit. S. Elizabeth Regin. Portugall.*

5. Musæ iter facturæ olim, Apum imagines induêre, & ita orbem circumvolavêre. Hìc habes Apum Regem dulcissimum. illum indue. ita felici semper itinere bonis avibus ibis cum bono Deo. Erit tibi pro vehiculo comes tuus Iesus.

---

# HEBDOMADA XVI.

*Titulum hunc: OMNES SANCTI, & SANCTAE DEI, post Communionem cordi imprime; ut illis sis devotissimus.*

1.

*Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo*, inquit cœlestis enthusiastes Zacharias *cap.* 14. *v.* 5. Veniet ad te, aut jam venit si jam communicâsti, Rex Sanctorum omnium, utinam omnes ejus Sancti, id est, singulariissimus omnium in uno quasi coronæ complexu collectorum chorus veniat in cor tuum. Certè si ubi duo vel tres congregantur in Christi nomine, ibi est in medio eorum, quid si in corde tuo Sancti omnes & Sanctæ Dei congregentur? Certè jam in medio tui est Christus. Matth. 18. *Iterum dico vobis*, inquit ille qui te visit Christus, quia

*quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quid ergo si illa tot Sanctorum & Sanctarum Dei millia, imò milliones, consenserint in cœlo, de omni re quamcunque pro te petierint, nonne fiet illis à Patre, à Filio, à Spiritu Sancto?

2. P. Cosmus Alamannius è Societ: Iesu omnes ex omni librorum, in omnibus quas scrutari poterat Bibliothecis, apparatu, Sanctos in sacros calculos conjecit, & ut ne ullus in toto cœlo Sanctus esset, quem Ecclesia talem agnoscat, cui non aliquid obsequij faceret, nullum voluit insalutatum præterire. quare singulorum honori semel ut maximùm Dominicam, semel Angelicam orationem pro fortunato in morte præsidio devotè dixit. Ita tu omne cœlum corde cœlesti complectere unà cum Rege cœli quem habes.

3. S. Mechtildem visitabat pro more Christus; & ecce loquentium è cœlo Beatorum sanctam apostrophen, quâ illi felicissimos nos ajebant, utpote quibus integrum sit quotidie grandia gratiæ & gloriæ auctaria comparare. An non & te invisit Christus nunc? Cum Sanctis omnibus ergo colloquere.

4. Pretiosissimus est hic titulus: OMNES SANCTI & SANCTÆ DEI. Hunc corde complectaris, habes cor cœli capax; imò ipsum cor tibi cœlum quoddam empyreum est. Illi, illi viva tunt specula, in quos directè feruntur divinitatis radij fluentes à Deo, & in nos calore arcano sacratissimè reflectuntur. Illi nobis Mystagogi cœlestes sunt, docéntque non esse impossibile & nos eò niti cum bono Deo, ubi jam illi sunt. Illi sunt vivæ Dei imagines in beatifico gloriæ lumine collocatæ. Illos nostræ sequestros infirmitatis, flexanimos cordis Dei oratores, fœciales æternitatis habemus omnes.

5. Fateor, ne unum quidem assequi colendo possumus: at nescio quid amplius sapit plena illa sub uno Regis & Reginæ Sanctorum omnium titulo velut sub una umbella Regia collecta congregatio Sanctorum, illa panegyris beatitatis, illud Prytaneum arcis cœlestis, ille Procerum, ille Patrum in cœlo conscriptorum, veluti totidem quasi Deorum (quod de Romano Senatu pronunciabat Pyrrhus) Senatus, illa Dei, & Angelorum, & hominum è mortalibus jam immortalium Respublica, velut quidam mundus cœli, aut universitas felicitatis universæ. Ibi 24. senes reperies, quos ad adorandum positum in cordis tui throno Agnum inducas. Ignis sit instar Solis à quo stellæ illæ lumen hauriunt, à quo omnia colorem accipiunt.

6. S. certe *Ignatium egregium per omnem vitam amicorum Dei omnium fuisse cultorem* scimus, & *Rho* testis est *lib.* 3. *de vit. cap.* 5. unde & Sacramenti religiosi formulam in hæc verba concepit: *coram curia tua cœlesti universa.* Cor illius verum Sanctorum omnium Pantheon dixerim, qui cultum hunc, titulum hunc sincero & devoto cordi habet affixum. Hinc recitatum cum selectissima in scholis juventute Romæ Martyrologium quotidianũ, hinc adornatus huic devotioni imprimendæ AN-

NUS CÆLESTIS ad omnes hujus diei, & omnes totius cœli Sanctos venerandos.

7. Alphonsus Rodriquez Soc: Iesu Coadjutor, ut est *in Catal. P. Alegambe*, & in ejus vita, omnium cœlitum servus fidelis, ad Sanctorum omnium videndam universitatem abductus à sensibus, felicissimos illos cœtus adeo perspexit, adeo didicit, quasi longa illi cum illis intercessisset amicitiæ necessitudo. Nulla diei, nulla noctis hora transibat quâ non illorum meminisset. Etiam totius cœlestis curiæ triumphum visâ Assumptæ Beatissimæ Virginis majestate, in festi pompa spectavit. Toto ultimo vitæ triduo terris tantisper ereptus, in cœlo cum Divis versatus est. Ita sub ipsam Sanctorum omnium solennitatem Sancti omnes charum suum clientem in suum numerum adlectum & receptum vidêre, & Regi Iesu ac Mariæ Reginæ Sanctorum omnium, omnium Sanctorum hactenus clientem, jam socium, stitêre.

8. Ita nos illi Deo nostro sistent quem sumimus. Hoc est *Sacramentum Sacramentorum* ut ait S. Dionysius *c. 3. hier.* Sacratissimo ergo modo ad illud accedendum. ibi in mensa Regis cum omni ejus aula notitia contrahenda, & amor. Apud Byzantinos *Anticensor* dicebatur, qui cænæ præfectus, dux & illex erat ritè cænaturorum. Ecce anticensores, mensæ duces & illices omnes Sanctos & Sanctas Dei. *S. Laur. Justin.* cap. 9. de perf. *Aperi*, inquit, *ô melliflue amor, aperi, ô divina bonitas, interiores fidelium oculos; ut formatæ fides irradiati lumine mereantur videre te!* O si Deum in splendoribus Sanctorum videremus, quem nunc sub albâ nube aspicimus! quomodo exardesceremus! quantam cum illis, ipso Domino spectante & applaudente, familiaritatem iniremus! Verè hic maximè *Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.* Amare omnes, amari ab omnibus illis Deo dilectis, beatissimis, felicissimis æternùm, quis & quantus est cumulus inexhaustæ beatitatis!

9. Petro Cellensi *lib. de panib. c. 2.* Terra est quasi mensa posita, cœlum » super & circùm positum quasi mappa » circùm extensa, firmamentum tanquam » candelabrum, & in candelabro duo » magna luminaria, Sol & Luna, sublucentibus stellis tanquam candelis; aër » imbrifer tanquam lavatorium vel infu- » sorium; rursus serenum, tanquam ma- »» nutergium. En totus illi mundus triclinium est. Nullus in tota hac mensa cibus nobilior est illo qui hanc ipsam mensam, & totum ejus apparatum condidit. Sancti omnes jam sunt in triclinio æternitatis. at magis pretiosum nostro hoc cibo cœlesti cibum non comedunt; sed illi comedunt ut comprehensores in Patria, nos ut viatores in via. Adspiremus ad illos!

10. *S. Mechtildis* apud Walteriũ cænæ lib. 3. cap. 15. in communione *Beatissimam Virginem coram se stantem, & se amplexibus strigentem sensit.* Quod Regina Sanctorum omnium illi fecit, idem tibi facere parata est & illa, & *Sancti omnes ac Sanctæ Dei*, ut te beatis stringant amplexibus, & habitantem in te Iesum.

11. Tulit Sanctæ hujus devotionis fructum Dominicus, qui, ut *Ribad. 4. Aug.* refert sub ipso versu: *Subvenire*

*Sancti*

*Sancti Dei, &c.* animam Deo reddidit, tulit sanctissima, & cœlitibus devotissima Virgo Austreberta, quæ, ut est 10. *Febr. in ejus vita*, omnes cœlites, qui in Liranijs implorabantur, eo quo vocabantur ordine, ad se morientem venire læta conspexit. Invita illos tunc in mensa Dei pro tunc.

12. Damocles assentator *apud Tullium Tusc.* 5. Fortunam Dionysij & mensam Regiam contempsit, tametsi exquisitissimè opiparam, & opulentam, lectis aureis, torollis, unguentis, lauticijsque ac lætitijs omnibus instructam, eò quòd ex una equina seta pendentem è laqueari fulgurantem gladium videret suis cervicibus imminere. Cogita ad hanc mensam Dei gladium æterno igne flammeum, & illum à te averti ab omnium Sanctorum choro postula. Hæc mensa te ab illo liberabit, non illi subjiciet, ut illa Damoclem. Omnes Sancti à te uno poterunt machæram illam avertere. volent etiam, si illis te devoveas, & per illos Deo.

# HEBDOMADA XVII.

## *Sanctorum corda, & dives ad sacram Synaxim adhibitus olim apparatus Christo pro nobis offerendus.*

1.

ITa præparationem cordis nostri audiet auris Dei, nostro desiderio exaudito. Sunt qui in pompa quapiam alienâ veste utantur. Induere pretiosis Sanctorum vestibus, ut bene nuptialè veste vestitus adsis mensæ Principis. Ita beatum se censuit relicto sibi ab Elia Magistro suo pallio Elisæus discipulus. Omnes discipuli Christi, Virginis, Angelorum, & aliorum Sanctorum sumus, 1. *Reg.* 18. Jonathas in testificationem amoris dedit tunicam suam Davidi.

2. *Blosius* Abbas vir gravissimus *monil. cap. 6.* ait, quòd corpus Christi sumptura aliquando B. Gertrudis, cùm tenuitatis suæ conscia de suæ præparationis exilitate ingemisceret, Beatissimæ Virgini, & Cœlitibus omnibus corde tenerrimo, supplicibus lachrymis facta sit supplex, *ut Domino pro se offerrent omnem dignitatem, quâ quilibet ipsorum unquam paratus fuerat ad gratiam Dei recipiendam.* Et verò successit. Tum enim quasi desideratis Divorum meritis jam convestitam allocutus est Christus, & dixit: *Iam verè omnibus cœli Civibus apparebis in eo ornatu, quem tibi petisti!* Ita ergo te pretiosis menstrui tui Sancti, Sanctorum omnium qui in terris tui nominis appellatione nuncupati sunt, omnium ejus diei quo communicas divorum, meritis indue, precibus exorna, non coram Rege, verùm coram Deo compariturus.

3. Phaon, & Pandora collatâ à singulis Dijs pulchritudine glorioso comparuêre in cœlo Poëtarum. Tu à singulis Sanctorum choris aliquid pulchritudinis emendica. Ita alienam pulchritudinem devotione tuâ facies tuam. Sancto Thomæ Cantuariensi postea Archiepiscopo, etiamnum adolescentulo clienti sibi devotissimo cœleste munus dedit Maria, teste post

alios *Nieremb. de amore erga Beatissimam Virginem cap.* 19. quando pyxidem affabrè factam illi porrexit, quam postea in sodalium suorum præsentia Thomas aperiens, pulcherrimam inibi casulam reperit, rubro colore eleganter distinctam, Sacerdotij deinceps accipiendi, Martyrijque tesseram. *Irenæus lib.* 4. ait, MARIAM nos ab eo cui nos Eva incluserat mortis circulo, *recirculâsse vitæ*. Eucharistico hoc vitæ circulo MARIA nos recirculabit in vitam, si ab illa præparari petamus.

4. S Idelfonsum veste cœlesti donatura cœlestis Virgo: Accipe, inquit, munusculum quod tibi de thesauro filij mei affero. Illâ ille in sacris usus est mirè subtili & candidâ. *Vide Ribaden. 23. Ian.* qui etiam de S. Bonito 15. *Ianarij* ita habet: Bonitus ad beatissimum Sanctorum conventum perductus, Sanctis ministrantibus, vestibus sacris indutus, divinæ admotus fuit aræ. Simul ac Missæ sacrificium consummavit, à B. MARIA Deipara vestem, tanquam singulare munus accepit textam, cujus materia non potest agnosci. Aryerni ea vestis hodiéque populis magnâ solennitate monstratur. Pete vestiri à Virgine sumptuum Filium Virginis. Bonitus à Sanctis induitur pro sacro: o quali sensu te sacris operaturum indueres, si te induerent Sancti, sacrificanti ministrarent Sancti, & ipsa cum Sanctis Sancta Sanctorum Virgo! Ita ergo Sanctum Sanctorum Deum accipe quasi circa te sit circumfusa multitudo Sanctorum, Christi, Virginis, & illorum meritis dives accede.

5. *Annus cœlestis* 3. *Julij*, S. Claram Indam à sexaginta quotidie Angelis in cœlum elevatam ait, & à JESU ac MARIA gemmeâ cœlestis pretij veste indutam, O inferementem tuam, cor tuum cœlestibus choris! exue te sordidis lacernis tuis, ut te cœlesti amictu vestiat JESUS & MARIA. Ità accumbe pretiosè vestitus!

6. Ammianus ait, Periclem Philosophum ad juvenis formâ præstantis nuptias abeuntem, rogatúmque quid ita elegantiâ non quotidianâ exornatus incederet, singulari & exquisito præter omnem hactenus morem vestitu, respondisse: *Ut pulcher ad pulchrum vadam.* In mentem hîc tibi veniat illa Augustini de Deo hîc abscondito loquentis vox: *Ubi est absconditus pulcher, quem desidero, ?* In Eucharistia, velut in cœlesti crystallo collecti divinitatis & humanitatis JESU radij urunt corda Sanctorum, & per illa nos accendunt. Inter illa corda te colloca, ut accendaris ab illo, qui ignem venit mittere in terram, & quid vult nisi ut accendatur, & ardeat?

7. Addat symbolam suam *Thom. à Kemp. lib.* 4. *de imit. cap.* 17. Sic & ego, inquit, magnis & sacris desiderijs opto inflammari, & tibi ex toto corde meipsum præsentare. Unde & omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes, & cœlicas visiones tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudibus ab omni creatura in cœlo & in terra celebratis & celebrandis, &c. Atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cœlestes spiritus & cunctos fideles tuos precibus & affectionibus invito.

8. Pit-

8. Pittacus, *Æliano teste Var. lib. 2.* Mitylenæ in templis augustioribus cùm à fœminis specula dedicari videret, ipse pro augustissimo anathemate scalas posuit. Certè quot in templis sanctorum vides imagines, quot statuas, quot Sanctos nominari audis, tot habes specula in quibus te videas, qualis ad augustissimum Sacramentum debeas accedere, tot scalas habes, per quas ad cœli arcem conscendas, & ibi discas ab immortalibus illis æternitatis principibus quomodo Regem hunc Regum debeas revereri.

9. Plutarcho authore *lib. de music.* Phocionis uxor, cùm de mundo muliebri sermo fortasse incidisset, præclarè dixit, gloriam suam, splendorem vestium, totum denique mundi muliebris apparatum esse Phocionis conjugis sui res præclarè gestas. Neque alienâ planè re gloriari videbatur; imò laudem tulit. Age, tuus pro hoc Sacramento apparatus sunto res gestæ Sanctorum, & ipsius Christi. Eis induere. ita pulcherrimè vestitus accedes. Hieron, Pindari elogio *Od.* 1. Olymp. *summitates è singulis virtutibus decerpebat.* Decerpe & tu è singulorum Sanctorum virtutibus aliquid, si ipsas altitudines sive summitates non potes.

10. Chaldæorum astrologi, *apud Diodorum Sic. lib. 2.* triginta stellas ponebant, è quibus 15. res quas nos agimus, & cœlum contemplentur, reliquæ autem 15. ea quæ fiunt infra terram inspiciant. omnes hæ stellæ triginta erant, & splendido nomine DII CONSILIARII vocabantur. Neque unquam decem dies elabi sinebant absque eo quòd à superioribus consiliarijs Dijs, seu stellis, unus aliquis stellarum nuncius mitteretur ad stellas inferioribus terræ partibus præfectas, ut nimirum mutua cælites inter ac terras esset consiliorum communicatio. Vis consilium in re hac tanti momenti, quomodo ad Deum sit tibi accedendum? Missis Chaldæorum somnijs, habes in cœlo Sanctos qui ut stellæ lucent. ab ijs consilium cape. Neque tantùm decem dierum intervallo alicujus è Sanctis dies, veluti Sancti illius nuncius, nobis illucescit, verùm 30. aut 31. seu tot quot diebus constat mensis, habes unum aliquem, imò plures è Sanctis, qui tibi plus lucis & consilij dare possunt pro Eucharistico apparatu, quam Dij illi aut stellarum nuncij Chaldæis.

---

# HEBDOMADA XVIII.

## *Angelus Custos, & omnes Sancti Angeli ante & post Communionem invocandi.*

1.

HOc est convivium Angelorum. Ibi lachrymæ devotionis, quod est Angelorum vinum, ibi Angelorum panis, ibi obsequia. His stipatus visus est sanctæ synaxi conviva accumbere innocentissimus Alexander Bertius Florentinus: his comitibus muniti Eucharistico viatico hominis animam ad cœlum deduci ait S. Joan. Chrysost. *lib. 6. de Sacerd.* illis altare totum stipari, plena esse illic omnia & vidêre & scripsêre San-

Sancti. *Hic mysticus sanguis*, inquit idem Chrys. hom. 61. ad pop. *dæmones expellit, & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. dæmones fugiunt: concurrunt Angeli.*

2. Cornelius Curtius de B. Friderico Augustiniano ait, cùm cum Eucharistiæ percipiendæ avidus ad ligna cædenda fuisset majorum imperio missus, paruisse: Ab Angelis tamen desideratissimum illud Angelorum ferculum accepisse. Ita *ibid.* morienti B. Esaiæ Polono Theologo Beatissima Virgo cum S. Stanislao & alijs Regni Poloniæ Sanctis adfuit in medio Angelorum, & dixit: *Esaia, te ad Filij mei convivium invito.* & decessit felix. Certè invitat te ad Eucharisticum Filij sui convivium unà cum Angelis MARIA, ut te postea ad Convivium gloriæ invitet.

3. *Vita S. Guldvaldi Archiepiscopi cap. 16.* Jejunijs, vigilijs, precibus præmissis cùm sacro altari adstaret, cœli aperti sunt, & visio mirabilis ei exhibita est. Descendunt ad eum beati Angeli, adstant consolationis gratiâ sacrificanti, tremendis interfunt mysterijs, unà cum illo laudes depromunt Deo cum ingenti reverentia. Sanctus verò Joannes Chrysostomus, teste *S. Nilo, ep. ad Anastas. Episc.* omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc imprimis, cùm divinum & incruentum sacrificium offerebatur. Ajebat verò admiratione, & lætitiâ plenus Joannes: *Cùm cæpisset Sacerdos sanctum sacrificium facere, plurima ex illis virtutibus descendentes stolis induta splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, prona, altari magno cum silentio & reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde hùc illùcque per totam domum diffusæ, Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus distributionem corporis & sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes, & sedulò adjuvantes. Cogita ergo, Sacerdoti Sanctissimam Eucharistiam tibi porrigenti adesse ministrum Angelum.* Et lib. 6. de sacerd. *Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum universus ordo, clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem.* Quis *fidelium dubium habere possit,* verba sunt S. Greg. 4. dial cap. 58. *in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocē cœlos aperiri, in illo IESU Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi?*

4. Idem supponit *S. Vincent. Ferrer. serm. 4. de corp. Christi* dicens: Angeli qui assistunt huic sacramento, indignè recipientem interficerent, nisi divina misericordia prohiberet. Soph. „ *Prati cap. 4.* ait ab Abbate Leontio visum Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, voce è cœlo veniente: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi adstare jussus sum. Tu „ qui templum es Spiritûs Sancti, in te velut in arca positam, donec integræ manent species, adorat Eucharistiam unà cum omni Angelorum corona Angelus tuus custos.

5. Ab illo velut à divinitatis ephebo camerario disce quomodo accipere, quomodo salutare, adorare debeas Regem majestatis æternæ. Tertull. lib. de corona mil. cap. 9. *Nos sumus templa Dei, & altaria, & luminaria, & vasa,*

Quis

Quis *non ineffabili quodam exuberet gaudio*, exclamat S. Laurentius Iustin. cap. 17. fascic. amoris, *cùm revolvit mente sanctorum adjutorium Angelorum, qui sinè fatigatione atque intervallo excubias celebrant super gregem Dei, catúsque fidelium? Neque majori unquam exultatione id faciunt, quàm quando suos clientes Dei convivas vident.* Duxerant olim pastores ad nascentem & in præsepio reclinatum; nunc nos ducunt ad regnantem, sed in altari tectum IESUM. Dic ergo cum illis quoties communicas, Angelicum illum, & altis omninò sensibus prægnantem hymnum: *Gloria in excelsis DEO.*

# HEBDOMADA XIX.

## *Reverentia, est pretiosa ad SS. Sacramentum præparatio.*

1.

ALtissimam cœlestis hujus Sacramenti reverentiam concepit Franciscus, quando Angelo eam quæ hîc requiritur cordis puritatem in crystallinæ phialæ puritate ostendenti adeò credidit, ut Sacerdotio initiari nollet unquam. S. verò Bonaventuræ tanta fuit reverentia, ut præ illa celebrare non audenti, Angelus mediam hostiæ quam Sacerdos in Missa, quam Bonaventura audiebat, divisérat, partem Bonaventuræ in os ingesserit. S. Petro Cœlestino, ut est *tom. 3. apud Surium*, itidem celebrare præ reverentia nolenti *Abbas nuper defunctus, qui primò illi habitum religionis contulerat in visione illi apparens, & ab illo consultus, & per Deum adjuratus, ei Missam cum timore, & tremore dicere persuasit, & ita disparuit.* vid. Rodrig. p. 3. tr. 8. cap. 16.

2. Quicquid reverentiæ debetur Deo, debetur huic Sacramento Sacramentorum. Hic enim est Deus! id est, ut S. Dionysius *cap. 2. div. nom.* de Deo loquitur, *omnium causa & origo, essentiáque ac vita, & à se dilapsorum revocatio ac resurrectio; divinam verò in semetipsis imaginem obliterantium renovatio ac reformatio; nec non impuro motu nutantium firmamentum, ac stantium securitas; ad se tendentium manuductio, illuminatorum illustratio, perfectorum principium perficiens, deificatorum summa divinitas, simplificatorum simplicitas, unitorum unitus, omnis principij supereressentialiter superoriginale principium, atque abditi illius secreti, quoad fas est beneficà communicatio: & simpliciter dicendo, vita viventium, essentia entium, omnis vita & essentia principium ac causa propter suam bonitatem, quâ & universa producit ut sint, & continet ne pereant.* Ibid. postea vocat Deum perfectè regnum universitatis rerum.

3. Iste Deus est hîc: & est cum omnibus donis suis, non pauper. Certè Arnoldus de B. Angela de Fulginio *prologo 2.* ait illam nunquam communicâsse, quin singularem, & magnam aliquam gratiam, & novam fecerit illi liberalissimus Deus. adeo ut dicat Augustinus Deum plus dare non potuisse. S. Maximus in cap. 1. S. Dionys. de com-

communione Eucharistica, *Deos*, inquit, *quodam modo, ac Dei filios perficit.*

4. Sybaritæ uno ante convivium anno ad convivium hospites invitabant, Herodoto & Æliano testibus. Certè cum illius convivij & istius nulla sit proportio, cùm istud sit dignitatis infinitæ; si pro illo anni unius tempus dabatur ad faciendum apparatum, huic tota vita, imò tota si fieri posset æternitas esset impendenda. Magna enim » est SS. Eucharistiæ super reliqua Sacra- » menta excellentia, ut *sess.* 13. *cap.* 3. » ait *Conc. Trid.* in hac enim ipse Sancti- » tatis author, etiam ante usum, est. Non- » dum enim Eucharistiam de manu Do- » mini Apostoli susceperunt, cùm tamen » verè ipse affirmaret corpus suum esse » quod præbebat. Statim post conse- » crationem, corpus Christi est sub spe- » cie panis, & sanguis sub vini specie ex » vi verborum; ipsum autem corpus sub » specie vini, & sanguis sub specie panis, » animáque sub utraque, vi naturalis il- » lius connexionis, & concomitantiæ; » divinitas porrò, propter admirabilem » illam ejus cum corpore & anima hypo- » staticam unionem.

5. Quare quia Prov. 16. *hominis est præparare animam suam*; Amos 4. *ô Israël, præparare in occursum Domini Dei tui*! & 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino, & servite illi soli.* O soli, quæso soli! Divisum imperium cum Stygе Christus habet? Absit. Hæc adeo parùm reverens negligentia fecit, ut *hom. 1. ad Antioch.* dixerit S. Joan. Chrysost. *Si nos Christus attenderet, & non infinitam suâ bonitatem: jam à nobis abstulisset divina Sacramenta, dignos enim nos hac panâ efficimus, & indignos ipsis Sacramentis.*

6. Hebræorum scitum est: Qui pa- » nem contemnat, eum in paupertatem » labi. ajúntque Rabbini in Talmudo, » singularem genium esse *Nabellum* dictum, qui attendat an panis non reverenter tractetur. Tum negligentes facit pauperes hic genius. Ajunt etiam Prophetam Eliam semper adesse manducantibus, singulósque mortales genium habere proprium qui attendat quomodo quisque oret super mensam, quid loquatur, quid agat, quomodo se habeat. Ita illi de mensa communi. De divina autem hac mensa quid nos? Adsunt cœlestes genij & nos observant, & reverentiam nos, & ut ita dicam, mores docent, ne quid contra urbanitatem debitam in mensa Dei peccemus.

---

# HEBDOMADA XX.

## *Pete à liberalissimo in Eucharistia Deo æstimatione omni ac laude dignissimam erga Deum liberalitatem.*

I.

OQuàm avari erga Deum, quàm parci, quàm sordidi sumus! tempus, vires, bona fortunæ, vel aliud quid Deo impendisse, prodigalissima effusio esse putatur ab ijs quorum ingratissimus animus liberalissimæ Dei erga nos munificentiæ ne meminit quidem. S. Aug. *tract.*

*tract.* 84. in Joan. *Dicere audeo*, inquit, *quòd Deus cùm sit omnipotens, plus dare non potuit; cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.* Ab hoc ergo adeò exaggeratæ liberalitatis Deo petendus est in illa ipsa infinitæ illius liberalitatis quasi scena, in Eucharistia, liberalis, generosus, prodigus omnium fortunæ, corporis, & animi bonorum animus in rebus Dei. Pulcherrimâ, & magnâ planè ac attentâ ponderatione dignissima est illa S. Ignatij Soc: Jesu Patriarchæ magni vox p. 3. c. 1. §. 22. *In universum loquendo, quantò aliquis se artiùs Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tantò eum in se liberaliorem experietur; & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias & dona spiritualia ubertora recipienda.*

2. *Albi citatio* celebratissimum Carthaginensium *festum* erat, auth. S. Prospero *de benedict. cap. ult.* ibi virtutem pro dignitate honoratura in suo capite Africa universa in foro summa capita convocabat ad festum. Aderat infinita mortalium panegyris. ibi palàm omnibus conscripta *in albo*, seu in eburneis calculis Proconsulum nomina, præsente supremo festi præside Iudice, palàm omnibus magno plausu recitabantur. Illi qui bene de Republ. meriti, sinè ullâ avaritiæ notâ publici potiùs quàm sui ærarij curam habuissent, aut aliquid præclarè pro publico bono patrâssent, ingenti omnium exultatione summis laudibus coronabantur. thema gloriæ & gratulationis, etiam absentes, alijs verò, qui secus fecissent, publicis sannis cumulata convitia, & probra, & scelera exprobrata. En laudem avaritiæ, & liberalitatis. Erit, cùm supremi tribunalis Judex *albi citationem* faciet. ibi sordes tuæ, aut potiùs ibi tua erga Deum, & divina liberalitas vel albâ vel nigrâ citatione coronabitur in comitijs universitatis omnium rationis capacium creaturarum, in Prytaneo æternitatis.

3. Ea verò quæ liberali cordis quasi munificentiâ, id est, non parcè, non sordidè, agis, age ipsius Christi causâ, non pro delicijs, quibus vel nunc te perfundit in communione, vel quas super te thesaurisabit olim in cœlo. P. Balth. Alvarez, *vita cap.* 6. §. 1. lumen illud è cœlo hausit: Deum, quando in animam venit, non relinquere bona sua domi, non oculos misericordes, non dulcedines & suavitates, nec suas potentias & excellentias; nec vacuum, sed plenum venire. quare qui Deum habet, omnia bona habere? & optimam viam, valdéque compendiosam ad omnia possidenda esse, oculos ab eis avertere, ipsúmque solum desiderare. Ille denique in Deum liberalis est, qui cordi quàm potest maximè prodigo se ijs quæ Deo placent impendit, non propter illa quæ expectat à Deo, sed propter ipsum Deum, qui illis melior est. Hunc tu à Deo genium pete. Ita te Deus amat, non propter tua, sed ut tibi sit bene.

4. *Joan. Roffensis lib. 1. de Eucharistia cap. ult.* cum S. Bernardo sic te interrogat: *Potèsne æstimare, quale vel quantum sit hoc sanctum sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* Hæc sunt verè festa Paschalia, hæc sunt gau-

dia, & fercula vitalia justorum: hæ sunt spirituales lætitiæ: hic bibuntur torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis. Effunde ergo liberale cor erga adeo liberalem Deum.

5. Christus S. Gertrudi *Insin. lib. 4. cap. 45.* » Omnes Sancti, inquit, congratulantur animæ quæ Sacramentum altaris recipit cum devotione. Superest ut omnes qui tibi gratulantur Sancti ne te illiberalem & parcum videant erga Deum. Pete ergo à Christo hunc proprium genium filiorum Dei. In hoc dono unico scias te admirabilia impetraturum.

## HEBDOMADA XXI.

### *Interdiu quoties potes SS. Sacramentum invise.*

1.

BEatus Franciscus Borgias, ut *hist. Soc. p. 3. lib. 8. n. 49.* de illo loquitur, ultra omnem vim eloquentiæ est, adversus præsentem in sacrosancta Eucharistia Dominum quantâ pietate ferretur, quámque sanctis ac dulcibus afficeretur motibus. Ubicunque degeret, secretam sibi curabat cellam ad aræ maximæ latus. In eum velut portum, quàm licebat creberrimè, ab negotiorum æstu recipiebat sese: ibi ante Deum suum effundebat cor suum: ibi divinitatis commercio, & dulcedine fruebatur, beatæ vitæ præguſtans suavitatem. *Septies*, cùm minimùm, *die quovis* solebat invisere. In singulis salutationibus, & sub Sancti cujuspiam ductu, quasi admissionali patrono adibat; & dona quædam propria, pro temporum varietate, variè deposcebat. Communionem quoque quæ spiritualis vocatur, instaurabat. Hoc demum est septies in die laudem dicere præsenti in Sacramento Dei Filio & Mariæ. Quàm erga Sanctos devoti fieremus, si septem quotidie Sanctis ad invisendum Sanctum Sanctorum quasi cubicularijs seu primæ, secundæ, tertiæ, omnium admissionum præfectis uteremur! quàm divites à potente & volente dare bona quæ petimus omnia Deo rediremus, si illa ita quotidie peteremus.

2. Mariam pro admissionis præfecta habent, qui inter salutandum SS. Sacramentum, & illam salutant, & per illam Jesum. S. Bernardinus Senensis *ser. 3. post Dom. olivarum.* *Si millies*, inquit, Ave Maria *dicas in die devote, millies à Virgine resalutaris.* Humanissima est Virgo nostra, & humanissimus est filius hominis Jesus. salutabit te quoties sive per te, sive per internuntiam Deiparam, salutabitur à te.

3. *Apud Cantiprat. lib. 2. cap. 40.* fures argenteam Eucharistiæ pyxidem furto sublegerant, & Eucharistiam in alveare abjecerant, prout Cantipratano Sanctus quidam Abbas narravit. Observat Dominus, apes, dimissis operis, septies certis horis mellifluum quendam concentum edere, suavissimè modulari. Nocte iterum dum surgit, conspicatur super alveare lucem illustrissimam, & apes concentu longè suavissimo accinentes. Episcopus monitus, cum suis, alveari aperto, videt candidissimum vasculum Eucharisticum ele-

elegantiâ singulari confectum, & propè fastigium alvearis repositam in illo sacrosanctam Eucharistiam, & circa illam circumsonantes apum excubantium choros. In templum illatum est Sacramentum, & visitantes à morbis curati quàm plurimi. Ecce apiculæ certis horis, relictis melleis & certis occupationibus suis, septies in die Christum invisunt, laudant reverentur! Felices Jesu apiculæ sunt illæ animæ, quæ quantumlibet dulces occupationes suas ita sciunt tamen interpolare, ut Dominum suum invisant, illi pleno corde aliquid laudum accinant; & hactenus facta, & posthac facienda omnia illi offerant; & inde, quasi acceptâ benedictione ad flores, ad mella, ad functiones suas redeant alacriores.

4. Veteri sapientum Hebræorum observatione dicebatur, unicum fuisse parietē qui altare Domini à lectulo Regū Juda distingueret. Per abditam illius muri portam se David è lectulo ad visendum Dei tabernaculum conferebat, ad curarum, consiliorum, corporis denique animæque asylum suæ. Clavem autem arcanæ hujus conscíam pietatis posteris reliquit, ut & ipsi sæpiùs introirent ad altare Dei. Ecce sacrosancti hujus corporis umbram quantò illi in pretio habuēre! Invise ergo & tu crebrò conclave Dei, asylum cordis tui; semper ditior rediturus.

5. Etenim si ad reliquias Sanctorum pias Deo preces fundere sanctum est; hic ad vivum Christi corpus, ad hæc ipsana ipsanorum, sæpiùs precari, erit longè sanctissimum. S. Paulinus de S. Felice Nolano ita canit:

*Præsidet ipse suis sacer ossibus, ossaque sancti*
*Corporis in tumulo non obsita pulvere mortis,*
*Arcano æterna sed prædita semine vita,*
*Vivificum spirant animæ victricis odorem.*

Hic verò adest viva Jesu caro, sanguis, humanitas, divinitas cum omnibus thesauris gratiæ, quam dare paratus est petentibus.

# HEBDOMADA XXII.

## *In reverentiam SS. Sacramenti, Sacerdotes in summa reverentia habe.*

1.

Ferdinandus II. Imperator, ingens illud solidæ virtutis nomen, auditus est dicere aliquando, ut refert *Lamormaini Vita illius cap. 9.* occurrentibus sibi eodem loco ac tempore Angelo, & Sacerdote, se primùm Sacerdoti, deinde Angelo honoris officium persoluturum. Dicebat æquè sibi gratam Confessarij præsentiam, ac Angeli tutelaris.

2. *Martyr. Franc. 4. Octobris*, sæpe, inquit, dicebat Franciscus: Si Sancto venienti de cœlo, & pauperculo alicui Sacerdoti me contingeret obviare, ad manus Sacerdotis exoleulandas citiùs me conferrem, & Sancto dicerem: Expecta mē, Sancte, quia manus hujusmodi verbum vitæ contrectant, & ultra humanum aliquid possident. Eccl. 7. *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

Plut. opusc. cum Principe esse philosophandum; *Sacerdotibus*, inquit, *honorem & reverentiam Civitates tribuunt, &c.*

S. Elisabeth Lusit. Regina reverentissimâ genuum humi positorum reverentiâ Sacerdotum manus exosculata, „ Ego, inquiebat, sum quæ damnari ad- „ huc possum: Sacerdos autem est nun- „ cius Dei.

3. Certè Ignatius Epist. *ep. ad Smir.* Sacerdotium vocat, omnium bonorum quæ in hominibus sunt, apicem. Unde Clem. Alex. *lib. 6. Strom.* ait eos, magnificentissimâ gloriâ honorari, Neque id immeritò, cùm illos, *ep. ad Polycarpum* eleganter & magnificè Ignatius vocet, *in Dei domo veluti filios familias majores, divinorum bonorum Oeconomos, sociosque Dei.* Petrus Chrysologus serm. 26. Sacerdotem ait *Angelum substitutum.* Honora ergo hos Eucharistici Dei ministros Angelos, amicos, & primæ admissionis familiares, Josephos Jesu.

4. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus!* inquit Rex ille Ps. 138. in quem locum S. Chrysostomus adfert interpretem sic legentem: *Pretiosi, & venerandi sunt familiares tui.* Tantum inter Sacerdotem, & quemlibet probum virum interesse debet, quantum inter cœlum & terram discriminis est. Certè apud S. Clementem lib. 2. const. Apost. cap. 28. *Presbyter est corona Ecclesiæ.* At videamus Sacerdotes etiam ab altissimis orbis fastigijs honoratos.

5. Quod de Ferdinando nostro dixi, confirmat suo exemplo Convallus Scotiæ Rex *apud Boëtium lib. 9.* qui nullum Sacerdotem est unquam sinè singulari reverentiæ significatione allocutus. Et videmus, Angliæ, Græci imperij, & alijs experientijs, religionis & bonæ in regnis politiæ ruinas à Sacerdotum contemptu sumpsisse exordia. Res nimis quàm nota est.

6. *Honora Ecclesiam Dei*, inquit capite 3. Basilius Imperator moriturus, ad filium, *ut tu vicissim à Deo in honore habeare; & Sacerdotes ejus reverere tanquam spirituales Patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim qui Sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Quemadmodum autem honor qui eis habetur, ad Deum pertinet; ita eorum contumelia & contemptus longè etiam gravius ejus iram provocat.* Julianus Imperator in fragmentis: Non „ minùs, inquit, Sacerdotibus, imò am- „ plius quam civilibus magistratibus æ- „ quum est honoris adhiberi. Procop. „ *in Isaiam*, Alexander Magnus, inquit, „ ut primùm Sacerdotem vidit, *conceptam iram in adorationem convertit.* Hoc „ ille de falsis; tu de veris quid? *Sacrilegij genus est, Dei odisse cultores*, inquit Salvianus lib. 8. Theodosius Imp. *cod. sui de domest. lib. 4.* ita fulminat; Pœ- „ na sacrilegij similis erit, si his honorifi- „ centiæ non deferatur, qui contingere „ nostram purpuram digni sunt æstimati. Sacerdotes ipsum Christi corpus pulcherrimo sanguine purpuratum contingunt; quod ergo erit scelus illos odisse, non honorare? S. Steph. Ungar. Rex lib. 1. cap. 3. decretorum, illos *ut oculorum pupillas custodiri, & perfectè amari* vult.

7. *Thomas Cantiprat. lib. 1. cap. 9.* ait Conradi Sacerdotis digitos, quos in consecratione corporis Christi extendebat,

debat, nocte instar candelarum in tenebris reluxisse. Utinam lux illa è fonte lucis, è Sacramento erumpens ita omnes illuminet, ut in reverentiam Sacramenti tanti videant quomodo illius etiam ministros debeant honorare.

8. Carolus Imperator Romam veniens, omnes postes Ecclesiæ humiliter osculabatur, inquit *Ioan. Gerbrandus Chron. Belg. lib. 4. cap. 15.* Sacerdos verò præ ipsâ etiam arâ, majore dignus est veneratione. Audi gravissimum D. Joan. Chrysost. judicium lib. de Sacer. *Meo quidem judicio, qui nostros Sacerdotes despiciunt, & contemnunt, multò sceleratiores ac majori supplicio digni sunt, quàm Dathan cum suis omnibus.* Terra ergo, hujus sanctissimi Patris judicio, ut illos glutiat digni sunt, qui Sacerdotem Dei cœli contemnunt. *Absit*, inquit S. Hieron. ep. ad Heliod. *ut siniſtrum aliquid loquar de his, qui Apostolico gradu succedentes, corpus Christi sacro ore conficiunt, per quos nos Christiani sumus, qui Regis cœlorum claves tenentes, ante judicij diem judicabunt.* Videat cui lubet *P. Sfortiam de missâ lib. 2. c. 9.* Martyrol. Francisc. 7. *Decemb.* ait B. Juniperum nunquam Sacerdoti, nisi flexis humi genibus locutum: & manus exosculatum, benedictionem petivisse. Idem 11. *Decemb.* refert de B. Petro, super cujus orantis caput globus igneus est visus.

# HEBDOMADA XXIII.

## *Ante vel post communionem, & aliàs, eleemosyna facienda.*

1.

ITa Solem hospitem eleemosynis venerantur Indi *apud Iarricum tom. 1. rerum Indic. lib. 2. cap. 15.* In Cambajano Regno octavus Januarij dies celeberrimus. In Urbe Metropolitana ibi alij mille aureos die uno, alij tria millia, plura alij in pauperes effudêre. Per universum Regnum plurima millia illo die erogantur aureorum in egenos. ajunt enim quòd illo die Sol ab Austro ad Boream conversus, ad illos transeat. ideò illum donis tanquam hospitem venerantur. ita ajunt se illis donis sibi conciliare Deum, ut ab illo recipiantur in cœlum. Ecce Sol tuus venit candidâ vectus nube. Dies ergo communionis tuæ sit dies eleemosynæ, id est, donorum Deo in Dei minimis oblatorum.

2. Chrysologus *serm. 105.* Pauperes vocat *altare corporis Christi.* Et Chrysost. hom. 51. ad pop. *Vis corpus Christi honorare? ne nudum eum despicias, &c. qui namque dixit: hoc est corpus meum, & verbo factum confirmavit, hic & dixit: esurientem me vidistis, & non pavistis me*

3. Siligineis se coronis coronâsse ait Aurelium *Vopiscus in ejus vita*: tu in reverentiam panis cœlestis quoties panem, aurúmve das pauperi, triticeâ te velut aureâ coronâ coronas, ab illo tibi dandâ in cujus honorem id agis Eucharistico Iesu.

4. Thesaurus cordis tui si sit Christus, & pecunia tua, facilè tibi largam erga egenos eleemosynam persuadebis. S. Petrus Damasc. opusc. 24. cap. 4. *Certè nobilis pecunia Christus est. Ut ergo Christus pectoris tui loculum impleat*

*pleat, ab eo nummus abscedat.* Ita ille. Si autem nummus tuus in corde pauperis fuerit absconditus, abscondet se in tuo corde tuus nummus Christus.

5. *Apud Laërtium lib.* 2. Anaxagoram patrimonium prædives abdicantem alloquutus quidam, Nullane, ajebat, tibi patriæ cura est? Respondit, intento in cœlum digito, Philosophus: *Mihi verò Patria cura, & quidem summa est.* Verè qui sua in egenos effundit, illi vera patriæ cœlestis cura est. Cùm autem supremo quodam divinitatis ingenio se nobis in Synaxi beatissima reliquerit Deus, supremo cultûs excellentissimi genere colendus est. Inter optimos verò colendi modos est eleemosyna. *Nullâ ex omnibus rebus re,* (verba sunt S. Greg. Naz. orat de cura paup.) *Deus perinde ac misericordiâ colitur: quoniam nihil est aliud tam peculiare Deo, quàm illa. Fias infortunato Deus, misericordiam Dei imitando. Nihil enim adeo divinum habet homo, quàm bene facere.* Ita Greg.

6. Et certè in gratiam illius qui se panis induit speciebus, ut se tibi daret in cibum, dare pauperi panem aut aliud quodpiam vitæ adminiculum, non est nimia beneficij tanti compensatio. *Carnem tuam,* imò Christi carnem in paupere esurientem, sitientem, algentem *ne despexeris.* Is. 58. *& gloria Domini colliget te.* clarum hoc æternæ gloriæ promissum est. Misericordem te » misericordia vult esse, inquit serm. de » com. SS. S. Leo; ut in creatura sua » creator appareat; & in speculo cordis » humani, per lineas imitationis expressa » Dei imago resplendeat.

7. Nota est Bellerophontis animam suam sub mortem alloquentis vox: *Eas ad Deos, pia, externis auxiliabare; non irascebare amicis.* Nunc thema & res para, quæ migranti animæ tuæ olim solatio esse possint.

8. Fulbertus ep. 1. ait quòd Eucharistia sit *incarnatæ deitatis vitale pulmentum,* & contra quotidianos nævos *sacrificij placabilis expiamentum.* Expiabis, & redimes eleemosynis peccata tua, si esurienti pauperi pulmentum præbeas in gratiam istius qui se tibi in vitale pulmentum dedit. Alato curru vehi Deum ajebat Plato. Verè ille ad nos juvandos promptus & dives advolat, ne nos ad illum in minimis pascendum tardi & plumbei simus. *Transfer ad magnum sacrificium malè peritura,* inquit lib. 6. cap. 12. Lactantius. Et Sidonius lib. 6. ep. 12. *Fidelium calamitates, indigentiámque miserationi facit in terris opera cœlorum.* Cœlestibus ergo his operibus pro pane cœlesti adeundo te para. Nam *in cœlo,* inquit S. Petrus Chrysol. serm. 14. prima est esurientis annona, *prima stipendia pauperis tractantur in cœlo: erogatio pauperis prima divinus scribitur in diurnis.*

9. Homo communicans, communi piorum consideratione est quasi vivum sepulchrum Dei viventis. S. Ida vidua illustrissima, tumbam quam sibi præparârat, varijs eleemosynis quotidie bis implebat: inde in pauperes erogabat pro felici ad mortem præparatione. Vide ut plenum eleemosynis cor habeas, & manus. ita te venienti ad te nunc & venturo post mortem Christo parabis.

HEB-

# HEBDOMADA XXIV.

## *Ad hoc ut vivorum pro te mortuo preces olim sint efficaciores, frequenter communica.*

1.

PUlchrum id est, inquit ep. ad Cæsarium S. Basil. *Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio, nihil aliud sit quàm pluribus modis vivere? Nos idcircò, quater in singulis hebdomadis communicamus.* De quotidiana communione *vide P. Sfortiam de missa lib.* 4 *cap.* 29. Magno solatio, & stimulo ad frequenter & ferventer communicandum esse debet illa S. Thomæ conclusio, 3. part. qu. 79. a. 1. *Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum gratiam conferre necessarium est, cùm Christum qui omnis gratiæ fons & origo est, contineat.*

2. *Apud Lud. Blos. Abbatem monilis cap.* 13. S. Gertrudis Virgo sub sacro missæ, salutarem, quæ à Sacerdote elevabatur hostiam Deo pro cujusdam puellæ anima offerebat. Adfuit Gertrudi illa anima & dixit: *In veritate certum esse experior, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione, nec ullam, quantumvis parvam, culpam esse, quæ purgari non debeat ante vel post mortem. Quia enim sacram communionem libenter accepi quando in terra vivebam, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento altaris pro me oblato.* Addit pro stimulo mutuæ inter homines charitatis: *Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modò multò citiùs juvat me oratio pro me fusa, &c.* Sicque sursum ferri anima videbatur.

3. Nunc bonum hoc frumentum electorum seminemus in corde, ut læta nobis inde messis post mortem arrideat. Hinc fausta omnia sperare licebit. *Orland. hist. Soc. p.* 1, *lib.* 11. *n.* 73. Scyphos, inquit, à magistris suis sibi traditos ad humani oris similitudinem elaboratos, & plumis versicoloribus pictos habebant Brasili in thesauris: quorum beneficio cuncta sibi fausta, cuncta læta pollicèantur. Accede ad scyphum. Jesu, si Sacerdos es frequenter; si non es, accede ad convivium Jesu. ibi in viva Jesu carne ex aperto Jesu corde, velut è scypho, nectar etiam post mortem tibi profuturum bibe.

4. Vetus Mercurij Trismeg. commentum est de cratere. Ait ille à Deo mitti quempiam, qui maximum craterem cœlestis liquoris plenum ad acuendum cerebrum, & spirituales reddendos homines animæ cuivis propinans, clamet: *Age anima; bibe ex hoc ingenij cratere quantum potes.* Quæ plùs bibunt, plùs sapiunt, in corpus postea ingressæ; quæ nil bibunt, sapiunt nihil. Certè ad hauriendam Sanctorum scientiam sapientissimæ animæ hoc epulum, hunc calicem salutaris desiderant; ut è corpore egressæ non habeantur cum fatuis, verùm cum prudentibus Virginibus admittantur ad domum sapientiæ increatæ. Age ergo, anima, comede; bibe in hoc Dei convivio quantum potes. Omnia tradita sunt à Patre illi quem hìc accipis; ita tu omnia tua da illi. Custodiet te, tanquam rem suam etiam post mortem tuam. Joan. 3. 35.

*Pater*

*Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.* Etiam Spiritus tuus est in manu ejus.

5. *Virg. lib. 6. Æneid.* ait in campis Elysijs eos etiam recreari, qui in vita dum essent, meruerunt, ut sui in alijs superstitibus memoria relinqueretur, neque intermoreretur:

*Quique sui memores alios fecêre merendo.* Fac ergo tui memores alios. Feceris si nunc frequens beatissimi hujus convivij conviva, id impetraveris à Christo tuo, ut inspiret bonis cordibus etiam piam tui memoriam ubi satis concesseris; & ita alios excitet ad orandum pro te, ut etiam illos exaudiat precantes pro te.

6. S. Gertrudis lib. 2. cap. 22. *Legenti mihi horas canonicas seu Vigilias pro defuncto*, inquit ad Christum, *sæpe inter unum psalmum decies vel pluries prædulce osculum infixisti ori animæ meæ.* Addit, se sæpe intimum quendam amplexum in anima persensisse. Vis ad æternos Iesu amplexus & oscula admitti moriens, & cum Moyse mori in osculo Domini? Ora pro defunctis corde & ore attentissimo, calentissimo. ita orantes pro te alios faciliùs exaudiet, & te osculabitur Jesus. Ille Jesus eidem lib. 5. cap. 30. dixit se summè delectari in eo, *quòd*, inquit, *me tibi toties communico in Sacramento altaris.* Et jam paulò antè de sua morte sollicitæ dixerat: Tempore exitûs tui cùm „ cæteri homines solent magis anxiari, „ aderunt tibi sanctorum meorum solatia. Egomet totus floridus, & amœnus „ omnibus delicijs plenus, cum omni delectamento divinitatis & humanitatis „ meæ me tibi exhibebo. Habet ergo solatium dum se tibi dat Jesus. Habebis & tu inde solatium. At ne desolatarum illarum animarum obliviscaris, vide. In te hoc etiam solatium redundabit.

# HEBDOMADA XXV.

## *Pia de SS. Sacramento colloquia instituenda.*

1.

A Lex. ab Alex. cap. 21. ait Persarum Reges ante bellum de fortitudine; ante sacrificia de justitia; ante cibum de modestia disputâsse. Tu Dei conviva futurus, de illo convivio lege, & loquere. Tractant fabrilia fabri, ita tu cœlestia tracta, æternùm felicis fortunæ tuæ faber in hac amoris officina futurus.

2. *Amphilochius* visam à S. Ephræm in S. Basilij concionantis os intrare linguam igneam. Certè in Eucharistico hoc mysterio dies communionis est tibi dies quasi Pentecostes, dum Jesus in te intrat, lingua ignea in te intrat; quam linguâ accipis ut loqui de Deo quem accipis discas.

3. *Nostro refusum pectori* spiritum petit Ecclesia, ut flammescat igne charitas, accendat ardor proximos. Sensit id S. Elzearius Comes, qui cum virginea sua conjuge cùm aliàs tum quadam vice peculiari cordis calore de Sanctissimo hoc Sacramento collocutus dixit, *se cum Christi corpus acciperet, videri sibi, se optimum saccharum in ore habe-*

*habere, ac deglutire.* Rogabat illa, quid per hoc Deum judicare velle judicaret. Respondit Comes: existimare se, velle Deum, ut crebrò Sanctissimam Eucharistiam accipiat: *Vid. Sur. 27. Sept.* O saccharum, cujus candor est candor lucis æternæ! cujus dulcedo ab amaritudinibus immortalibus nos servat immunes! saccharum pro palato prædestinatorum! thema colloquiorum sanctorum!

4. Cracoviæ Anno Domini 1587. mutus cuidam è Societ: Jesu Sacerdoti nutibus confessus, accepto super linguam Sanctissimo Sacramento, quasi clavem linguæ accepisset, explanatè deinceps & clarè locutus est sanus. S. etiam Agapetus Papa claudum erexit; & datâ illi in os Eucharistiâ, è diu muto loquentem fecit. Ita tu 1. Tim. 4. *exemplum esto fidelium in verbo.*

5. Bene illi ori quod divini amoris sera & clavi aperitur & clauditur. Carbo iste labia renovat. Loquitur linguis novis qui sermonem habet de rebus divinis, inquit term. de Ascensione Gregorius. O quam facundi de hoc themate tuêre Sancti. Magnifica planè encomia hujus Sacramenti vide *apud Saillium thesauri cap. 3.* Ibi Ambrosio Eucharistia est cibus Apostolicus, verè propitiatorium pro vivis & defunctis, æternum mysterium: Augustino, viaticum animarum; S. Joan. Chrysost. Angelicum, cœleste, summéque venerandum Sacrificium, dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes: S. Dionysio Areop. est deifica & mystica corporis Christi communicatio, divinæ affluentia largitaris. Ipse Christus est Verbum quod se ponit in ore tuo super linguam tuam: sicut super linguas impuras thema sedet dæmon.

6. Brasilos proximo ante sumendam Synaxim die tantùm de illâ colloquia miscere cœlestia, è vitâ Anchietæ didicimus. Colloquere & tu. Ibi accipis linguam quæ *Eucharis*, id est, amabilis, gratiæ plena meretur dici. Eccli. 6. *Lingua Eucharis in homine bono abundat.* & hujus magistra in bono ore tuo esto Eucharistia.

7. Epiph. de Prophetis refert, quòd Elias visus sit parenti suo fugere ignem una cum lacte. Plenum est igne & lacte cœlestis Virginis, devotè communicantis os, unde igneâ quadam suavitate sermonis fluit per aures in corda audientium, veluti torrens ignis & lactis è Dei corde exundantis. Utinam pro sancta ad cœlestem hanc mensam præparatione vel unicum de hoc cibo cum Cœlitibus possemus habere colloquium! Quid cœlestes illi Eliæ nobis de illo dicerent? Quid Franciscus, quid Ignatius, quid Catharina Senensis, Theresia, & alij Sancti? At olim id erit!

8. Audi monentem D. Petrum Damianum lib. 7. ep. 19. (in scriptis enim ab illis libris colloqui cum Sanctis possumus) *Christi corpus & sanguinem crebrius suscipe*, ait ille, *ut hanc ejus vocem meritò possis audire: Favum distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua. Ecce Eliam te vult iste melleum & lacteum. Vel dæmonis loquitur lingua quæ furias, quæ sordes, &c. loquitur. Tu linguam hanc uni carboni dedica: ne ab æternis uratur carbonibus cum lingua*

*epulonis*, *Nullius linguæ duritia est*, inquit in Psal. 50. Augustin. *quæ non illo igne solvatur.*

9. Sit ergo lingua tua calamus Scribæ Spiritûs Sancti: ut dexteræ Dei digitus calamo linguæ tuæ à Jesu inaurato scribat in auribus audientium ea quæ Deus amat. *Pennam meam*, inquit ad Patrem S. Gregorius Nazian. *Spiritui quo volet, ferendam dabo: nec quisquam erit qui me cogere, aut aliorsum traducere possit cum eo consultantem.* O ne te aliò ducat prava societas, quàm Spiritus Dei velit!

10. Indi, ut *in hist. Magolis* legitur, Idoli quod Matta vocant venerandi ergò quotannis milleni & milleni confluunt, ac particulas linguæ suæ præcisas ipsi immolant. Immola Deo linguam tuam, & die cum Origene hom. 1 in ps. 38. *Unde mihi hoc ut lingua ignis veniat in cor meum?* Ecce lingua ignis, Jesus Verbum Deus qui ignis consumens est, ignitum & vivum Verbum venit in cor tuum. Loquere ergo ignem Deum; & extingue in alijs ignem æternum.

11. Potissimùm tamen pijs colloquijs teneras mentes, & rudes omnes ad altissimam arcani hujus mysterij æstimationem, desideriúmque accende. Felicissimè id fecêre *apud Barrium* 1. *medit.* 10. *diei*, velatæ Christo Vestales Virgines, quæ Imeldam Bononiensem undecim non amplius annos natam parvulam, & jam religiosâ veste amictam, ita religiosâ hâc institutione imbuerunt, ut illa, cùm alias divinæ illi mensæ religiosissimâ coronâ accumbentes videret, atque id sibi per ætatem necdum licere à majoribus audiret, innocentissimas inter desiderij lachrymas hæreret absorpta in angulo chori. Verùm *posuisti lachrymas ejus in conspectu tuo*, vel ut Pagninus, *posuisti lachrymas in libro tuo* ô desideriorum auditor Deus! Nam, omni Virginum id spectante cætu, sacrosancta hostia è theca Eucharistica egressa foras, usque ad Imeldam lachrymantem parvulam perrexit, & quasi Eucharisticum Pentecostes diem celebravit, dum in aëre pendens super innocens Imeldæ caput stetit, donec Sacerdos à Sanctimonialibus admonitus, acceptam quæ pendebat hostiam, ipsius qui illic aderat instinctu Dei, desideriorum ardore anhelantis Imeldæ ori imposuit: & os, linguam, pectus, & cor, totam denique Imeldam desideratissimus, at inexpectatus hospitis Dei adventus adeo recreavit, ut illam ita ut sanctissimè flectebat manentem, & nova bona sua non satis capientem, adeóque delicijs tantis imparem, occupârit pretiosa & dulcis mors! Tanti est, mentibus teneris depromptas ex hac amoris fornace scintillas, per institutionem sanctam subdidisse!

12. Ludovicus XII. ajebat, plebem & rusticos, esse pascua tyrannorum: tyrannos autem, & milites, esse pascua diabolorum. Christus autem ipse in loco pascuæ nos collocavit, ut ipse nobis cedat in pascua. Inculca pascuorum horum pretium, & ubertatem atque amœnitatem ijs qui ista minùs penetrant; ne cedant in pascua dæmonis.

13. *Plin. lib.* 14. *cap.* 5. Androcidem Alexandro Magno scripsisse ait: *Vinum bibiturus ô Rex, memento te bibere sanguinem*

*guinem terra.* Doce novos illos vel saltem minùs eruditos Christi convivas: » Eucharistiam sumpturus; memento te » comedere carnem Christi, bibere san- » guinem Christi. Inculca illud Chrysostomi hom. 13. in Matth. & 60. *Nemo nauseans accedat, nemo remissus, sed excitatus, incensi ac ferventes omnes accedant. Cum timore simul ac tremore summâque reverentiâ ut accedant, illos instrue. Noli sanctum dare canibus. Sciant æstimare id quod accipiunt.*

14 Spondanus *ex Baronio Anno Christi* 362. *n.* 24. ait Julianum Præfectum per contumeliam adversus sacram mensam minxisse; Felicem verò sacrorum vasorum magnificentiam admiratum, super illa sedisse, & dixisse: *Ecce quàm sumptuosis vasis MARIÆ Filio ministratur.* Julianus, inquit, illis partibus, & visceribus putrefactis, non ampliùs per eas partes excrementa valens egerere, sed ea per sceleratum os, instrumentum blasphemiæ, evomens, miserè perijt. Felix autem disruptis visceribus sanguinis ex ore profluvio derepentè extinctus est. *Ibid. num.* 55. Donatistarum » inquit, Episcopi jusserunt Eucharistiam » canibus fundi: sed ijdem canes accen- » si rabie ipsos Dominos suos dente vindice laniaverunt.

15. Persæ, *teste Xenoph: in Cyrop:* duodecim Archontas ætate annorum, & consilij honoratissimos elegêre, qui in foro, quod *Ingenium* vocabatur, juventutem ad optima quæque salutaribus institutionibus erudirent; modúmque cum maximis quibusque agendi edocerent. Archontæ à Deo nobis dati sunt SS. Apostoli, & omnes Cœlites, qui nos in templo, tanquam in foro ingenij, scientiâ Sanctorum erudiunt, quomodo cum Deo nobis in hoc convivio sit agendum. Age, & quod didicisti, doce. Ita te inter suos Archontas numerabit DEUS.

# HEBDOMADA XXVI.

## *Ars orandi in sacra communione exactè addiscenda.*

1.

INvenimus, gaudemus! vox fuit eorum qui fruges cibo aptas reperêre, *apud Athenagoram in Apolog. pro Christ.* Inveniti ibi, & habes in lingua verbum, orandi & magistrum, & vitam, & scopum. *Inveni*, inquit tract. de vite Bern. *cor Regis, Fratris, & amici benigni IESU; & nunquid non orabo? Orabo utique.* Bene ergo mihi. Ego cum IESU cor meum habeo. Gaude ergo & ora.

2. Angela de Fulginio c. 67. de hoc Sacramento amoris & gratiæ inquit: *ipsum habet efficere in nobis orationem devotam,* & virtute ejus impetrativa efficitur. S. Greg. Naz. orat. 1. de orat. *O sacrum,* inquit, *& divinum opus, orationem!* Ergo à Deo discenda est, si sacra, si divina res est. Et verè oratio res talis est, si & experientiam ætatis nostræ, & Sanctos hoc dono excellentes consulamus, quam homines quidem docent, sed quam discimus à Deo.

3. Pandiæ gemmæ gloria, quædam orationis adumbratio est, *Cassiod. l. 5. Variar. 34.* In Pandia, inquit, unus se „ fulgor non potest continere, fluctuat a- „ spectibus tremulis, & quem modo nito- „ rem miratus es, si defigas iterùm ocu- „ los, non videbis, mutatámque crederes „ ex nova lucis imagine gemmam, nisi e- „ andem esse certò tibi ex alijs, & verò „ certis, capitibus persuaderes. Tale est, quo Deus in hoc augustali oratorij sui suos ornat, orationis donum. Nunc times pallore sacro subtremulus, nunc lætâ spe efflorescis & exæstuas in Deum, nunc te in hos, nunc in alios vides rapi affectus, qui veri cordis colores sunt & splendores, quibus orantes suos Eucharisticos convivas illuminat Deus.

4. Augustino serm. 225. *Oratio justi, clavis est cœli.* Faber aureæ hujus clavis est iste quem hic sumis Deus; officina est cor tuum Eucharistico pane confirmatum. Oratio enim facit ut tu charius sis Christo tabernaculum quàm sit illud quod est in altari. S. Chrysostomus orat: 2. tomo 6. *Quæ major precationis laus esse possit, quàm quòd ex illa Christi templa fieri soleant?* Ita per orationem in communione fis gemino titulo domus Christi, quia in te est corpus Christi, & quia es domus orationis. Ibi te dilectus hospes tuus hospitem suum alloquitur; ibi tu illi respondes.

5. Bene Bernardus in Cant. serm 45. *Verbum, & anima, habent linguas suas quibus se alloquantur. Verbi lingua, dignationis favor; anima lingua, devotionis fervor.* Et Greg. 2. moral. cap: 4. *Excitatus cum reverentia motus cordis, magnum est ad aures incircumscripti spiritus, clamor vocis.* Hic illi cordis clamor est pro apparatu. Iam illi nec Angeli accinunt gloriam, ut olim nascenti, nec stella ducit ad illum Reges, nec illum clamant præsentia miracula, nec stupenda, ut morientem, cœlo terráque prodigia, & tamen tunc necdum glorificata erat Christi caro. Nunc ergo cùm jam glorificata sit, & potens se honorare miraculis, uno hoc nostro honore ac ornamento contentus est Christus; ut sanctè oretur: ut quam glorioso jam illius corpori in Eucharistia inferunt injuriam Iudæ novi, qui necdum medij crepuêre, nos omni studio compensemus, ut exinanitæ usque ad pessimorum cordium fætutinas & cloacas divinæ in Eucharistia majestati à nobis restituatur, qui illi ab impijs auferitur honor & gloria.

6. Pudet legere, Themistoclem anno integro diligentissimam ediscendæ linguæ Persicæ operam impendisse quò cum Xerxe absque interprete loqui sciret; nos verò in ediscenda colloquendi cum Deo arte adeo esse ignavè supinos. Didicit hanc orandi artem à Christo S. Bonaventura, quando illum coram divinissimo Sacramento orantem, effusâ è cælo pulchrâ luce collucentem vidit S. Thomas Angelicus. Didicit orandi & impetrandi artem ab Eucharistia S. Petrus Martyr, qui dixit, se toties felicem pro Christo mortem petijsse à Christo, quoties Christum à Sacerdote in Sacro elevari vidit. Impetrâsse docuit fortunatissimus mortis purpureæ per martyrium pretiosissimæ eventus. Hìc in domo orationis habitat orantium Dominus & Magister.

Sa-

Sacerdotum aures, ait Cassiodorus, olim thure impletas: Nos thus orationis non ex Arabia, sed ex cœlo petamus, quo cor & os nostrum, & denique aures Dei, qui in altari est pro nobis *Hostia & Sacerdos*, impleamur.

7. Optimè oraveris, si ipsum in quo es, & qui in te ist in communione Jesum, ut in te, per te; ac tecum oret rogaveris. *Vita B. Mariæ de Victor. cap.* 10. interrogata Beata illa à Patre è Societate Jesu, conscientiæ præfecto, ecquid in ipsa cœlestis hujus escæ sumptione sensuum intimorum experiretur, modestissimâ ingenuitate respondit, sentire se quasi intima animi adyta subeat, & hæc illic verba pronunciatione suggerat. cordi Jesus: Non es amplius Maria de Victoria; sed es alter ego. Ille ergo qui te fecit alterum se, oret, & ad orandum instruat te. Veterum nonnulli Deos quibus supplicaturi erant, suismet vestibus induebant. Tu verò jam Jesum te ipso induisti: & te seipso induit Iesus quando se tibi dedit. Induere Dominum nostrum Iesum Christum: & ita tu in illo manens, illum in te manentem ora.

8. S. Aug: lib. 2. de pecc. meritis cap. 3. *Ad nonnulla superanda*, inquit, *quæ vel malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnu aliquando, & totis viribus opus est voluntatis.* Hoc ego de superandis distractionibus pro coronide adjungo, & ajo: Ad communionis & orationis artem exactè addiscendam, magnis, & totis viribus opus est voluntatis.

AN-

# ANNI EVCHARISTICI

## PARS III.

## HEBDOMADA XXVII.

*Pro sancto ad sanctissimum Angelorum epulum apparatu, Beatissima Virgo Eucharistici* IESU *Mater singulari planè studio imploranda.*

1.

QUod Xenophon in Symposiacis inter Patrem & Filium eveniſſe refert, id inter Matem & Filium evenit in diviniſſimo iſto Angelorum ſympoſio. Aſſidebant illic menſæ plures, & quivis aliquid in quo præcipuè delectaretur & gloriaretur afferebat in medium. Optimè præ omnibus gloriati duo. Filius Patri aſſidens, *Ego*, inquit, *glorior in Patre meo*, Parens verò; *Ego glorior in Filio meo.* Quid ni IESUS in Euchariſtia ſit gloria Matris ſuæ? Ille in illa, quia Matre Virgine humillimâ & omnium pleniſſimâ gratiarum, gloriatur; illa in illo quia Filio ſuo, Deo ſuo. *Dilectus meus mihi gloria eſt, & ego illi.* Quoties non ſuam ſed Patris gloriam ſe quærere ait IESUS, toties gloriatur in Patre; quoties ſe *Filium hominis* vocat, gloriatur in Matre. Unde & Pater, & Mater IESU dicere de Euchariſtia poſſunt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Hîc IESUS poſuit illam quam admirabili æternáque generatione à Patre accepit æqualem Patri quia eandem cum Patre divinitatem; hîc IESUS poſuit illam quàm admirabili in tempore incarnatione à Matre Virgine accepit carnem.

2. *Illud corpus*, inquit, ſerm. 2. de Nativ. Virg. B. Petrus Damianus, *quod Beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod faſciis cinxit, quod maternâ curâ*

*aurâ nutriſſit, illud inquam abſque dubietate & non aliud de ſacro altari percipimus.* S. Bernard. ſerm. 2. de nativ. Domin: ait: *Panis iſte in caſtis tantùm viſceribus* Virginis, ſuperveniente igne Sancti Spiritus excoctus &c. Ita apud Rotgerum Anno 1200. S. Hugo Lincol. Ep. *E Virgine*, inquit, *eáque omnium puriſſimâ ſanguinis guttâ eſt IESUS.* S. verò Thom. à Villanova Archiep. Valent. ſerm. 1. de corp. Chriſti: *Quid dulcius, quid pretioſius, quid purius iſto cibo? Qui non de terra eſt, ſed de cœlo venit: non hominum opere, ſed Spiritûs Sancti virtute in ſacro Virginis utero formatus, omnem habet ſaporem, omnem continet ſuavitatem.*

3. Alchimici illum lapidem quo ajunt verum ſe aurum poſſe conficere, vocant etiam *ſemen auri, aquam vitæ, lignum vitæ, ſanguinem humanum, medicinam morborum omnium*, denique id de quo *qui bibit, non moritur*: demum, Lac Virginis. Certè lac Virgineum quod è Virgineo Mariæ pectore ſuxit parvulus puer Jesus, omni auri ſemine, omni vivâ vitæ aquâ, omni morborum omnium medicinâ pretioſius fuit, quâ qui utitur non morietur in æternum.

4. *Menol. Ciſterc. 8. Julij* S. Theobaldi Abbatis meminit, qui quoties ante Ven. Sacramentum tranſibat, dicebat hæc verba, quæ revelatione didicit Deo eſſe gratiſſima: *Benedictus ſit Chriſtus IESUS unigenitus Patris, qui per Nativitatem ſuam, ineffabili glorîâ digniſſimam Matrem ſuam MARIAM Dominam noſtram decoravit.*

» 5. Cùm Adolphus, inquit Cæſarius
» lib. 9. cap. 3. Miſſam celebraret, & an-
» te *Agnus Dei* hoſtiam levâſſet ad fran-
gendum, in ipſa hoſtia Virginem in ſede »
reſidere; infantémque in ſinu ſervare »
contemplatus eſt. Illa nimirùm tamet- »
ſi in Euchariſtia non ſit, agnoſcit tamen
in illa ſuum Iesum eundem quem concepit, quem lactavit: & nos illi parat.

6. Clarè Euchariſtiæ & Deiparæ cultum conjunxit Gregor: VII. ep. 47. & 50. Mechtildi, magnæ Eccleſiæ benefactrici in hæc verba ſcribens: Inter »
cætera arma, quæ tibi contra mundi »
principem contuli, potiſſimum eſt, ut »
corpus Dominicum frequenter acci- »
pias; & ut certâ fiduciâ Matri Domini »
te committas. »

7. Denique quod nos ad cœleſtis hujus myſterij, & ſimul Matris Virginis cultum eximium excitare debet vel maximè, amat illa, & reveretur habitantem in nobis Jesum, amat clientes ſuos frequenti Sanctiſſimæ Synaxis communione cœlo adoleſcentes. Ita *apud Nierembergium de amore erga IESUM cap. 26.* ipſam Angelorum Reginam, miræ ſanctitatis Virgo, Bienvenida de Auſtria, ijs qui panem cœleſtem acceperant, honorem deferre, capútque inclinare conſpexit.

8. Reveretur tunc illa in nobis Jesum, & nos, ob eam quam cum illo tunc habemus conjunctionem. Certè Alphonſus Rodriquez Soc: Iesu vidit aliquando, inquit *Nieremb. cap. 26. de amore IESU*, quo tempore Fratres noſtri alij ſacroſancta myſteria percipiebant, Chriſtum admirabili quodam modo cũ ſingulis intimè ſe conjungentem, & velut coagmentantem. Tunc itaque nos illa tanquam filios ſuos amat. Nam quod alias ab Auguſtino didicimus, non nos mutamus Chriſtum in nos, ſed ille

nos

nos mutat in se. jam tunc in totidem quasi Christos mutati, sumus in delicijs apud cor MARIÆ, dum illa videt quòd vivamus nos non jam nos, vivat verò in nobis Christus. quasi ille Prophetæ os ori pueri mortui, oculos oculis, manus manibus applicantis, & ita illum ad vitam reducentis fungatur officio, dum se suavissimo amoris breviario quasi compendiat in Eucharistia, & suum nobis cor, os, oculos, corpus totum, animam, divinitatem. omnia porrigit in cibo illo divino; ut oculos nostros regant illius oculi, imò oculi illius vivant in oculis nostris, lingua illius loquatur in nostra, cor illius moveatur in nostro, totus ille vivat in nobis.

9. Cod. de procur. lib. 18. *Alienam suscipere defensionem, virile officium est, & extra sexum muliebrem esse constat.* At verò nostram suscipere defensionem non est extra officium hujus mulieris inter omnes mulieres benedictæ. Habet enim jus ad nos, & in nos, tanquam in rem suam: utpote quos arcanis modis videt magnam secum quasi cognationem contraxisse, dum nos qui Sacerdotes sumus, quotidie; qui Sodales sumus quotmensibus aliquoties illâ carne cibamur, quam carnem in utero Virginis assumpsit Verbum, & nunquam dimisit.

10. Repertum ab Iside in Ægyptiorum Horographijs *pharmacum immortalitatis* legit Diodorus Siculus lib. 1. ideóque Isidem magnis cultam honoribus. Nobis MARIA verum Archiatrum simul & pharmacum veræ immortalitatis peperit. Per illam JESUM accipimus, per illam illi gratiam rependamus, per illam illum retineamus.

11. Audi hîc devotissimam occupationem à Joanne de Angelis *apud Molinam de Miss. tract. 3. cap. 10. §. 2.* Si vellet aliquis, ut par est, Angelorum Principi & Reginæ tantam gloriam, tantúmque honorem deferre, quantum ipsa promeretur, cum ardore voluntatis, cum reverentia & submissione, dum Missa absolvitur, aut communio percipitur, offerat castissimæ Matris amplexibus dulcissimum Filium, quem in sua tunc habet potestate: quam oblationem procul dubio recipiet maxima cum lætitia, & majori gloriæ sibi ducet, quàm eam quæ ab hominibus aut Angelis qualiscunque offerretur, & hoc sæpiùs licebit facere, quàm diu species Sacramenti in stomacho non consumuntur. Ita addit posse idem offerri nomine Sancti alicujus in gratiarum actionem beneficiorum à Deo ipsi collatorum.

12. Aut, si mavis, die cum S. Francisco ad Patrem æternum hanc quam illi communicaturo familiarem fuisse ajunt precationem, & eandem, si placet, etiam JESU Matri applica. *Domine Pater*, inquiebat Seraphicus ille vir, *Filius tuus venit ad me. Quid dicere debeam, nescio: dic illi, quaso te, quod dicendum sit, & ego dicam: Amen.* Ad B. V. ita applicabis: Domina Mater, Filius tuus venit ad me, &c.

13. Beatissima Virgo à S. Gertrude communicatura rogata est, ut unà cum omnibus Sanctis merita suarum dignitatum offerret Deo, quo Gertrudis digné præparata per illa merita accederet ad vivificum Sacramentum, *lib. 4. cap. 49.* In eum finem Psal. *Laudate Dominum omnes gentes, &c.* primò in hono-

honorem Sanctorum omnium, deinde in honorem B. V. denique in honorem Jesu dixit. Statim Beatissima Virgo merita sua pro illa Deo obtulit, & illam ad se vocans dixit: veni electa, & sta in loco meo. Tum potentem Gertrudem instruxit quomodo se sacro huic epulo præpararet. Modus ille in praxim sic redigi potest:

» I. Domina, oro per illam innocentissimam puritatem, quâ Filio Dei in utero tuo placitam mansionem præparâsti, ut emunder precibus tuis ab omni macula.

» II. Oro per profundissimam illam humilitatem, quâ super omnes choros Angelorum, & Sanctorum meruisti exaltari, ut suppleantur omnes negligentiæ meæ.

» III. Deprecor per amorem illum inæstimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut præstetur mihi copia diversorum meritorum.

Atque hæc facientem Gertrudem Angeli omnes, & Sancti reveriti sunt. Maria autem singulis communicantibus adstitit, & singulas illas animas sancto illi epulo accumbentes florido suo pallio contegens, dicebat ad Jesum: *Sub cultu memoriæ meæ hanc respice, dulcissime Fili.* Denique visa etiam est, apprehensâ Jesu dexterâ, benedicere omni illi congregationi, & super quamlibet personam videbatur forma crucis aureæ cum zona viridi dependere. Hæc ibi de Gertrude Tilmannus, & Landspergius. Utinam ita nos illa tegat, ita commendet, ita benedicat! ut dum toties Filium illius sumimus, in verbo tandem Mariæ Filios mutemur, juxta vetus illud: Non tu mutabis me in te; sed *tu mutaberis in me*.

# HEBDOMADA XXVIII.

## *In communione, Christo, Beatissimæ Virgini, Sanctis tuis menstruis animas tum viventium, tum mortuorum commenda.*

1.

IBi sumus in augustali Dei, in adytis misericordiæ Dei ad nos audiendos ibi sedentis. Anno 1598 Maria Razzia non exiguum animarum numerum elegit, ut de illa est *in Vita, & Mariano Kal.* 12. *Junij.* pro illis incredibili cordis teneritate orabat Dei Matrem, ut illas apud Deum ita commendaret, ne illarum ullam perire sineret. Ita ardenter aliquando precanti adfuit Regina cœlorum eo splendore ac majestate quæ talem decebat, & explicato cœlesti paludamento, omnes sibi ab illa commendatas animas in securitate tranquilla ostendit & dixit: Non facilè » credi potest, quàm ardenter commendatas mihi habeam, & protegam illas animas, quæ mihi à dilecto quopiam meo » devotè commendantur. Meus erga » animas amor & zelus, omnem omnium » Angelorum zelum superat, & amorem. » Tu ergo Virginis cliens cùm sis, & in

illius Sodalitio cui peculiaris est cura, de agonizantibus & defunctis per geminam communionem juvandis, putas te à tua Virgine Matre nihil pro illis animabus impetraturum? *Vide hic hebdomad.* 25.

2. Marcus Portius gloriatus fuisse fertur, quòd se Quæstore receptis sacris Ideis, magnæ Matris conflata sit Sodalitas, in qua ipse mensis lautis ætatem suam cum Sodalibus oblectârit. Portiani erant hi Epicuri de grege Sodales, non nostri. Sanctiore conjuratione floridam faciunt ætatem suam Sodales MARIANI, ad mensam Dei MARIÆ Filij, & pijssimâ miseratione providi futurorum, ut felicem sibi faciant mortualem agonem ac breves Purgatorij flammas, datam 25. hebd. hîc praxim ita adornant, ut quivis quotmensibus ipso Sancti sui menstrui die pro felici suâ morte, pro fortunato omnium, Sodalium potissimùm, agone, Sacrificio missæ intersint: tum animo per exomologesin perpurgato, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficiantur, ac demum Sacrum alterum adijciant pro defunctis, atque ijs potissimùm Sodalibus, quibus dum viverent cordi fuit singularis illa erga agonizantes, & defunctos devotio. In octava demum ejusdem Sancti, sacro uno pro Sodalibus defunctis audito, sacram Synaxim pro ijsdem sumunt; & Sacrum iterum addunt pro sua & Sodalium omnium felici morte. Ita & sibi & alijs eâdem fideliâ, uno, eodémque præstantissimo misericordiæ opere prosunt, parántque sibi solatia solida pro suo lectulo mortuali, & Purgatorio.

3. *Apud Blosium cap. 6. monilis*, amicus amico adhuc superstiti in flamma immensi ardoris adfuit, igneum & miserandum spectaculum; atque eâ solâ de causa se torqueri dixit, *quòd circa corporis Dominici perceptionem fuisset negligentior*: liberandum verò se, si veteris miseratus amici pro ardente in alterius mundi flammis peregrè amico, semel ad sacram IESU mensam accubuerit conviva supplex. Id ubi quàm optimè facere potuit fecit amicus, amicum illum felici beatitatis, quam adibat, luce vestitum, Solis etiam gloriâ pulchriorem cœlo unâ communione assertum vidit. Ita sibi hac arte providebant, qui *circa corporis Dominici perceptionem sunt diligentiores*. faciunt quod ibi volent se feciisse.

4. Anno 1608. Bizantino illo Sodali propè centum annos nato seni post acceptum sacrum viaticum summo solatio fuit, Sanctos menstruos in Sodalitate devotissimè coluisse. Unde schedas illorum, velut vitæ suæ inter Sodales actæ patentes, in filum sericum insertas collo suo appendi jussit, ita torquatus ad Sodalitatem in cœlis triumphantem discessit. Ecquid sinceriissimi solatij non infundet Deus in agone illis, qui quotmensibus, Sacerdotes sacrificio, alij communione, & Sanctis suis honorem tantum, & tantam agonizantibus ac defunctis eleemosynam se impendisse recordabuntur? Hæc illos eleemosyna deducet usque ad Deum. O illos fortunatissimè torquatos illis Divorum schedis, illis celebratis vel auditis Sacris, illis communionibus, illis rosarijs, illis precibus! Sentient quanto majore munificentiâ olim superabit hanc illorum liberalitatem Deus.

5. *Alex.*

5. *Alex. ab Alex.* author est, *lib.* 5. *cap.* 21. Spartianos ad mensam, Herorum laudes cantásse, & socordiam ignavorum. Ita hi Divorum suorum quos illis pro illo mense tutelares è suis palatinis dedit cœlestis curia, tanquam verè cœlestium Heroum, facinora celebrant in mensa Dei.

6. *Zonaras in Basil. Maced.* & ex illo alij sæpe narrant, Leonem Basilij filium à carcere liberatum eâ occasione, quòd auditam lachrymantium vocem *ó Leo! Leo!* psittacus coram cænantibus cum Basilio Proceribus protulerit. Unde illi Leoni filio libertatem impetravêre à Basilio, priùs à psittaco Leonem lachrymabiliter ingeminante commoniti. O quid non poterunt voces clientum, cœli Proceres Divos ut orent orantium! Cænamus nos hic; illi verò in cæna nuptiarum Agni, in regia Dei. Ideò suos quivis Patronos Proceres, cœli magnates quivis rogat in hac cæna Dei, ut ijs qui in agone, in periculo æternæ captivitatis pugnant, & ijs qui in igneo Purgatorij carcere torquentur, auream à maximo Imperatore Deo quantocyùs impetrent libertatem.

7. Ita culti à te & invocati pro moribundis & mortuis cœlites advocati tui aderunt & tibi. *Annal Eccleſiaſtici Anno* 1236. ajunt B. Ulricum post acceptum divinum viaticum, in extasi totâ facie resplenduisse. Tunc ab ijs quibus devotè vixerat Sanctis Paulo, & Dominico, ad tertiam crastinæ diei horam ad cœlum invitatum. Demum eâ horâ morienti adfuit JESUS, MARIA, S. Joannes Baptista, S. Paulus, S. Agnes, S. Catharina, S. Agatha, & aliæ quarum nomina recitabat ipse his comitibus cœlesti Urbe donatus est. ita te felici suo præsidio duodecim tui quos per annum hunc per duodecim menses accipis Patroni protectione suâ cingent morientem, & deducent ad templum sanctum Dei, effusis tibi obviam, aut in cœlo te consalutantibus eorum quos morientes aut mortuos juvisti fidelium animabus.

8. *Dicendo Eucharistiam*, inquit Chrysost. in 1. Cor. 10. hom. 24. *omnem benignitatis Dei thesaurum aperis.* Aperuisti tu animabus in Eucharistica hac gaza thesauros benignitatis Dei: aperient illæ tibi thesauros gloriæ Dei.

---

# HEBDOMADA XXIX.

*Quicquid ancipitis consilij habes, ut ne tibi dæmon per se aliúmve illudat, id omne cum Eucharistico IESV confer.*

1.

*Sanctum Antoninus*, & ex illo *Ann. Eccles. Anno Christi* 1263. *num.* 19. quendam è Prædicatorum Ordine ut ne ab amico impio seduceretur, ita servatum referunt. Invitabatur à scelesto illo religiosus hic ad deserendam fidem, séque fidem nostram falsam esse Christo ipso, & Christi Matre Virgine ac Sanctis testibus confirmaturum spondebat seductor. Et jam nox, quâ se hoc illi ostensurum promiserat, aderat. Ergo religiosus ille clàm Sanctis-

simum Christi corpus in pyxide sub veste recondit, & ab amico illo ad fulgentissimum quoddam, & multo aromate redolens palatium ducitur. Ibi inter collocàtos longo ordine thronos primus inter candidatos excelso fulgentique loco sedebat Rex, cujus latus Regina decore ac majestate admirabili claudebat. Procubuit seductor pronus in faciem, & adoravit. At verò religiosus ille id quod erat haud vanè suspicatus, eductam è sinu sacrosanctæ Eucharistiæ hierothecam ad Reginam illic sedentem affert intrepidus, &, Si, inquit, cœli ac terræ Regina es, ecce filius tuus: adora illum ut Deum. Ita phantastica illa majestas evanuit.

2. Eadem arte Anno Christi 1232, jam antè S. Petrus Veronensis dæmonem in fœminæ parvulum sinu complectentis specie in altari apparentem, non Iesum & Mariam, verùm dæmonem esse ostendit, quando ille ad productum SS. Sacramentum statim disparuit. Hic nimirum lapis est Lydius, ad quem, errare si nolis, examinabis omnia, num solidè bona sint.

3. Hesychio *hom. 2. de Deip.* Eucharistia est *cana lucis*. Quid hæres in caligine tua, & ponis ambigua consilia in anima tua? Numquid consiliarius non est tibi? Accede ad cœnam lucis, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Solvet Gordios tuos nodos, explicabit ambages.

4. *Ribera Vitæ S. Teresiæ lib. 4. c. 12.* refert, quadam vice inter recipiendum Sanctissimum Sacramentum vidisse clarè Teresiam in se Sacramenti operationes. vidit clarè quomodo inter ingrediendum in illam expellebat ab anima omnes nebulas quæ illic erant, & relinquebat illam cum maxima quadam & illustrissima serenitate. Ita tuus tibi hospes omnem eximet dubiæ aut aliàs turbatæ mentis caliginem, serenabit illas lachrymas prægnantes cordis ac animi nebulas, & sudum sinè nube cœlum dabit menti Sol iste, qui Solis hujus est Sol.

5. Maximilianus I. cùm in venatione excelsum quempiam montem eques ascendisset, & neque progredi jam neque referre pedem liceret, ubi vitam inter, & mortem biduo ibi stetit, morti se præparans, cùm sanctissimo viatico reficì non posset (aditus non patebat) ostendi sibi sanctissimum Sacramentum petijt. Ostensum aspexit. quibus oculis! Et felici exitu. Adfuit Angelus, & bene sperare jussum securè ad apricum campum incolumem duxit. Ecce magni consilij & auxilij Angelus Jesus. Si vel aspexisse fuit tantum, quid erit corde condidisse? Nullibi consilia tutiora invenies. I. consule.

6. Est celebre apud quosdam dubium, num sæpe sacræ huic mensæ accumbendum sit homini seculari. Hoc ipsum ita tibi in Eucharistia solvet, sicut nuper cuidam solvit Christus. *Messis Paraquarienſis* ab Anno 1638. ad 1643 narrata, in reductione SS. Martyrum Japoniæ ait uxorem à marito Indo malè acceptam quòd divino epulo crebrò reficeretur. Ægrum hunc, & SS. hoc Sacramentum blasphemo cum risu explodentem graviore febri usque ad largum sanguinis imbrem per ora exudantem corripi voluit, & sic ad se redux it Deus. Dolentissimis enim lachrymis factam Sancto illi Sanctorum, & uxori

xori injuriam deprecatus, tandem ab æstu illo conquievit. Tandem hilaris recensebat se ab ipso Christo graviter objurgatum ob nauseam illam pertinacem & blasphemam, monitúmque ut avidâ cordis fame divinum illum cibum esuriret, & acciperet, in quo omnia salutis præsidia essent reposita, cum ipso Deo. Adjunxit, inquit Author, visum sibi fuisse Christum blandientis in morem ori suo, ut cibum, succedere. Ita ille à Christo inflammatus, Deo pastus, non diu post ad immortales concessit. Ne ergo dubita. Libenter ad te crebrò venit Christus, Ille esto oraculum tuum.

# HEBDOMADA XXX.

## *In Christi sub sacramentalibus panis Angelici velis latentis honorem, honora Christum in minimis quibusque.*

1.

*Rodriqu. de perfect. part. 1. tract. 4. cap. 13. è Chron Ord. Cisterc.* refert quendam quoties Angelicæ huic mensæ accumberet, tantis cœli delicijs superfusum, & in sacratissimo Iesu corpore tantam dulcedinem expertum etiam in ore, ut favum mellis sibi sumpsisse videretur, & redundante ab animo in corpus suavitate, toto post sumptum panem Angelicum triduo, incredibili illâ suavissimæ dulcedinis copiâ delibutum se totum sentiret. Accidit ut nescio quem severiùs reprehenderet aliquando, & neque petitâ ab illo veniâ, contra id quod *Matth. 5.* præcipitur, non reconciliatus priùs, ad cœleste epulum accederet. At non jam beato illo cœlestique nectare se recreatum, verùm felleo quodam amarore perfusum sensit palatum, & cor. quâ nimirum verborum amaritudine Christum tractârat in alio, eâdem illum in seipso tractabat, & simul qui cum alijs loquendum esset docebat Christus.

2. *Lib. 1. revel. S. Mecht. cap. 4.* S. Mechtildis in communione audivit dicentem sibi Christum: *Tu in me, & ego in te; & in æternum non derelinquam te.* Christum ergo in proximo honora, qui dixit: *in me manet & ego in illo.* Et Christus in illo, & ille in Christo est, alterum ab altero ne separa.

3. Ecce in minima hostia, imò & minima hostiæ parte idem est Christus qui in magna hostia quam sumit Sacerdos; sicut anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis; sicut vox *Augustino* id asserente, tota est in auribus audientium singulorum v. g. in templo dum unam vocem audiunt plures: sicut in parvo & magno speculo vides faciem tuam totam, imò & in partibus fracti speculi singulis te vides; cum antea dum unitæ adhuc essent, in toto speculo te non nisi unum videris. ita hic *nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura.* Sicut ergo in minimis particulis eundem agnoscis & adoras Deum quem in magna hostia Sacerdotis; ita eundem Deum honora & ama in minimis, quem honoras in maximis. Minima, sed charissima res, pupilla oculi, hanc tangis dum Christi minimos

mòs tangis, ab ipsis eorum Angelis Patris cœlestis faciem semper videntibus accusandus, si quid in illos peccès. Quin etiam nescio quæ singularitatis nota cavenda est, quæ ab externa corporis specie aut natione, aut humano alio respectu argumentum amoris desumit. Hîc certè

*Sumit unus, sumunt mille,*
*Quantum isti, tantum ille,*

Idque sinè ulla personarum acceptione. Qui corde mundior, tametsi facie minùs elegans, accedit, redit gratiæ donis opulentior. Imò, tametsi Sacerdotes sub utraque (panis scilicet & vini) specie Christum sumant, non tamen plus accipiunt gratiæ quàm laici, si cætera paria sint omnia: sicut Exodi 16. *nec qui plus collegerat* de manna cibo cœlesti, habuit amplius, *nec qui minus paraverat, reperit minus*.

4. Si denique, id quod *Cassianus collogo. 7. cap. 27.* refert, religiosissimus Abbas Moyses, eò quòd cum Abbate Macario disputando in acerbius quodpiam verbum contra illum erupisset, ubi verbum exivit, dæmon in Moysen intravit, ísque adeo fœdus, ut spurcissimas quasque immundicias in suum os ingerere Moysen, quem insederat, coëgerit, neque priùs quàm Macarij oratione pulsus discesserit; Christóne an alio hospite dignum dicemus illum, qui in minimos, impudoratâ quadam linguæ intemperie quid non audet?

## HEBDOMADA XXXI.

*Siquid palàm vel privatim ad alios dicendum; si quis ad Deum reducendus, utrumque negotium cum Christo confer.*

1.

FIat ille calculus ignitus in ore tuo, dabítque sermonem rectum in os tuum. Antonius Corduba, vir qui ut Societati Iesu se dederet, & stirpis gloriam, & amplissimos cùm alios, tum purpuræ Romanæ honores eminentissimâ humilitate transcendit, præcipuâ semper eximij planè affectûs veneratione ferebatur in illud mysterium, & Sacramentum Sacramentorum. De illo *hist. Societ. part. 3. lib. 3. num. 178.* Sive domi privatim, inquit, sive in templo verba esset facturus; ante Sacramentum illud diu perseverabat abjectus in genua: ex eóque accipiebat oracula, ad eam incendebat fornacem, quæ ad concionem ferret. Unde fiebat, ut potiùs tela, quàm verba mitteret: quæ in audientium se corda intimè penetrantia tenaciter adhærescerent, & suum illic exequerentur opus. Ajunt instar cœlestium Seraphim visum. Hîc loquuturum divina os erudiendum ad ignitum hunc calculum Seraphini. E pharetra Eucharistica haurienda tela ignea quæ vibres in corda. Succedet ictus ita ut, velut sagitta olim Ionathæ, sic sagittæ tuæ vacuæ ad te non redeant. Verba inania fundæ sunt sinè lapide. Sternere turres carneas vis? Imple verba rebus, imple Christo, qui petra est.

2. *Apud Plin. in Paneg.* cùm amabilem

lem Trajani in Senatum venientis majestatem, & pulchritudinem quibusdam comitatis radijs illuminatam videret. Roma, una omnium acclamantium vox fuit: *O nos felices!* Iturus ad Senatum, seu ad concionem, seu ad privata colloquia, primò IESUM in consilium voca. O te felicem si te ille vultu suo illuminaverit!

3. *Apud Ctesiam & Photium cod. 72* Bactrijs magnam gemmarum & lapidum pretiosorum in profluentem conjectorum jacturam passis, gemmas & lapides ex aqua extraxit Pantarba gemma magnete nobilior, quia non ut ille ferrum, verùm gemmas & lapides pretiosos trahit. Tu verò è Stygio flumine pretiosas animas ut extrahas, Pantarbâ potentiorem & pulchriorem in Eucharistia IESUM in os accipe, ut verba fiant res. Do experientiam. *Chron. Min. part. 5.* F. Cherubini concionantis ignes ab Eucharistico carbone arsêre, coram quo concipiebat affectus pro concione fundendos, hujus augusti mysterij cultor prorsus eximius. Huic mortalitatem egressò sexaginta sex millia animarum adfuisse, & ad cœlum se comites junxisse ajunt, quas ille nimirum ardentibus illis suis concionibus ab igne æterno ad callem beatitatis adduxerat. O bene impentos Eucharisticos tuos calores, Cherubine! Disce ab hoc ubi petere ignem debeas idoneum cordibus accendendis. Ezech. 10. 2. *Imple manum tuam* (os tuum) *prunis igneis quæ sunt inter Cherubim; & effunde super Civitatem.*

4. Jacobus Avila Ord. SS. Trinit. pro ancilla Mahometanæ perfidiæ retinentissima ut reduceretur adeo seriò egit, ut supremo jam viatico instruendus, pro suprema quasi gratia illius animam à Christo petierit. Nam ut *Rho Virt. lib. 1. cap. 3. num. 5.* refert, allatum ad se cœleste viaticum ita est allocutus: Reges, si privatorum domos, » aut pastorum subeant casas, nihil hospitibus negare in more habent. Ego à » te mihi veniam, pacémque sæpiùs, nec » sinè lachrymis precatus, nunc extremùm, & nihil ultra præsentem rogatus, obsecro, ut Mauræ illius animam » salvam esse jubeas; hoc votorum meorum postremum audiri pervelim. Penetravit usque ad latentem sub velo Christum profecta è corde zeli pleno vox, & ecce illâ ipsâ nocte Mahometanam illam ancillam quasi abrepturæ ab inferno larvæ adsunt spectabiles, & postea species Virginis Liberatricis. Denique ubi illuxit, Maura illa manus veritati, & nomen Christo dedit, ultimarum à Jacobo coram Eucharistia fusarum precum pretiosa merces. Certè quicquid noster moliatur zelus, nil agit sinè illo fortissimo zelote, sinè illo animarum nostrarum Episcopo qui illic latet sub panis paludamento Rex absconditus Deus! Illum roga, ut è candido illo pulpito illi, quam ad illum reducere adniteris, animæ sit Ecclesiastes ipse in templo cordis.

5. *In Chron. Alexandr. olymp. 282.* Eugenius Antiochiâ cum pijs comitibus geminis iter ingressus, Judæum, qui & ipse se adjunxerat, cùm multis urgeret ad Christi fidem, Judæus reperto fædo & horrido in via serpente, Christianum se fore dixit si Eugenius cum socijs mortuum illum serpentem comederet absque ullo vitæ damno. Eugenius

nius partitur serpentem in frusta, & unâ parte sibi servatâ duas reliquas dat comitibus itineris sui. Gratus is palato omnium trium cibus fuit, & nec illis noxius, & Judæo salutaris, utpote attonito, & converso. Tibi verò ut lucrum tuæ tuique proximi animæ facias, non mortui serpentis cadaver, aspectu, & veneno horrendum, verùm vivum vivi Filij Dei corpus proponitur. Alij in aliorum sanitatem bibunt: tu in illius quam ad Deum seriò vis adducere sanitatem hic comede. Nutrix es illius animæ. Nutrices cibos selectos comedunt, ut lac sanum propinent infantibus; & medicinam ipsæ hauriunt, ut sanitatem parvulis cum lacte instillent. Et tibi proderit iste cibus, hoc alexipharmacum, & illi quem spiritu parturis, aut jam in bonam lucem eductum Deo educas, parvulo. *Themistius oratione* 1. magnificè affirmat, Platonem esse in cœlo assecla & comitem Jovis. Junge te Christo comitem & assecla in terris, ut plures illi comites & assecias lucreris pro cœlis. Sacerdotes, sunt quasi Josephi quidam, id est, Christi in Eucharistia quasi Patres, cùm Christum ponunt sub speciebus panis, & vini. Verè Joseph, verè Jesu quasi Pater es, dum Christum ponis in corde proximi, donec formetur Christus in eorum cordibus quibus loqueris.

## HEBDOMADA XXXII.

*Disce à mortuis Eucharistiam honorare, & frequenter ac ferventer accedere.*

1.

DUo adolescentes, *apud Viglieg. ex* 2. 1. *de Euch.* in suavi, quod de morte habebant, colloquio, convenére, ut, si quidem Deus annuerit, alter alteri post mortem appareat quem è vitæ statione priùs contigerit evocari. Moritur alter ex illis, & gloriosâ luce illustris adest socio; rogatúsque quo in statu esset, respondit: Ego, per misericordiam Dei, sum salvus: & jam gaudeo fruórque æternis cœli bonis. Quâ verò in re, quærit alter solatiorum plenus, quâ in re placuisti Deo, præcipuè cùm adhuc nobiscum esses? *Frequentatione Sacramentorum*, respondit felix anima salvati amici; *& quia cum ad SS. Sacramentum accederem, curabam devotus, ac mundus accedere*: illius se ope ab innumeris peccatorum periculis pro beatorum numero conservatum. Et addidit auctarium, profundâ & sollicitâ dum comunicas cogitatione pensandum, ut te inter paucos quos elegit, velit esse hospes tuus JESUS. Volo autem, inquit anima, dicere tibi quidpiam quod te in admirationem ducet; & est: quòd mecum quinque millia personarum sint mortua, & non nisi ego, & tres alij simus tantùm salvati. Neque id mirare: sunt enim inter hos multi gentiles, hæretici, & mali Christiani, quorum nemo fit salvus.

2. At nos novum è cœlo testimonium pro frequentando sacratissimo Sacramento accersamus. *Cardinalis Baronius Anno Christi* 451. *mihi pag.* 139. Sæpenumero, inquit, Episcopis secundùm quietem ipsa Martyr Euphemia apparens, jubet ut in ipso templo festum deliciis, & opiparis epulis celebrent,

brent, sacram scilicet Eucharistiam sumendo, Deúmque laudando. Quod ubi significatum est Imperatoribus, Pontifici, & toti Civitati, ad templum accedunt omnes quò efficiantur mysteriorum participes. Ita ille. Ecce præclaram è cœlo adhortatricem hujus sacratissimæ pietatis! Et verò si omnes beati cœli Cives alloqui nos ore uno possent, ore uno idem nobis omnes planè suaderent. Imò tu ipse, Lector, si tibi post felicem beatæ patriæ ingressum ad nos remeare, & tuam super hac re nobis sententiam exponere liceret, idem nil dubito diceres. Age ergo quod diceres.

3. Ita felix illa anima de qua *Insin. div. piet. lib. 5. cap. 8.* visa est post transitum habere circa se innumeras personas flexis genibus formulam hostiæ utrisque manibus sublevantes, cùm nimirùm sacrum pro illa offerretur. &, ut *hebd. 35.* refero, testata est, se pro frequentata libenter sacra communione, magnam medelam obtinere de Sacramento altaris pro se oblato.

4. Nunc ab animabus ad mortuorum corpora transeundum. *Sachinus in Borgia lib. 8. num. 254.* luculentum S. Didaci vel in ipsis beatæ animæ exuvijs refert miraculum erga S. Hostiam. Petrus Saavedra, postea S.I. adscriptus albo, B. Didaco devotus, ex asse cliens, quotidie in sacello illi dedicato aderat, & sacrificium præsente se fieri procurabat. Hic verò memorabile dictu narratur, & ipsemet Saavedra in actis quæ ad ritè cognoscendum de Beati sanctitate fiebant, juratus affirmavit: *Singulis diebus, cùm divina hostia attolleretur, audiebat sanctum cadaver intra loculū commoveri, tanquam ad præsentem Dominum adorandum assurgeret; simúlque suavissimum afflare odorem sentiebat, qui aliquanto tempore permaneret.* En mortuum Eucharisticæ, ejusdémque quotidianæ latriæ Magistrum sanctum.

5. *Ribad. 21. Decemb.* refert quosdam qui dicant anno 1120. Callisto II. summo Pont. Romam venisse pietatis causâ quendam Indiæ Patriarcham, Joannem, qui publico in consistorio, coram Papa, multísque Cardinalibus & Episcopis testatus sit, Apostolum Thomam quotannis aspectabili specie apparere, suáque manu, præteritis indignis, omnes sui gregis benè præparâtos, divinis epulis, & Christi corpore saginare. En quomodo illi etiam boni cœlites latenten in augustissimo hoc Sacramento Regem suum venerentur, & mortui doceant morituros.

6. Huc facit id quod Ferrarius *de Ordin. Præd. in Ungaria part. 2. lib. 1. capite 23.* ex antiquis refert. Cùm Mauritio Ord. Præd. Ungaro prosapiâ, virtute, ac miraculis claro, Anno 1336. in Martio Iaurini defuncto Nicolaus Iaurinensis Episcopus justa persolveret, & sacratissimum Christi corpus interfacrificandum populo ostenderet, omnibus cernentibus sanctum Mauritij cadaver, oculos, inspectandæ sacræ hostiæ gratiâ dicitur aperuisse; idémque fecisse cùm Pontifex calicem consecratum sustulisset: ac tum demum oculos clausisse. & tunc tanta odoris fragrantia ex ejus membris emanavit, ut mirificâ suavitate omnium nares repleverit. Ita ille.

7. Dioscurorum, id est, Castoris & Pollucis vitam se vivere ajebat ille utri-

usque fortunæ expertus miles Alcibiades *apud Ælianum lib.* 13. *Var.* Gemini enim illi Fratres ita suam partiti sunt inter se felicitatem, apud Homerum, ut alternis diebus morerentur & viverent. Cùm enim alter esset immortalis, & cœlitum ambrosiâ pasceretur, alteri apud manes in tenebris mortali ita suam communicavit felicitatem ut hodie Castor apud superos immortalis ambrosiæ particeps fieret, cras verò Pollux ab inferis ad cœlos ad ambrosiam emergeret, Castore interea per unum diem apud inferos exulante. Immortales certè fratres nostri licet suâ se cœlesti ambrosiâ spoliare non possint, desiderant tamen nos venire ad se: & hanc quam in Eucharistia hîc habemus ambrosiam ita optant nobis esse in delicijs, ut per hanc ad illam cujus hæc pignus est ascendamus.

# HEBDOMADA XXXIII.

## *Spirituali communioni frequentissimè, & benefaciendæ, addictus esto.*

1.

*Unum sit nobis dolor hac escâ privari*, inquit S. Joan. Chrysost. *hom.* 60. Quia verò illâ Sacramentaliter pasci nemini licet sæpius in die, & quibusdam non nisi semel atq; iterũ in hebdomada conceditur, sæpiùs toto hiantis ad illum cordis desiderio, sumendus est Jesus.

2. Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. ait hoc Sacramentum quosdam tantùm spiritualiter accipere, *illos nimirùm, qui voto cœlestem illum panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt.* Sacramentaliter tantùm, & non spiritualiter accipiunt ij qui sunt in mortali peccato. Jj verò qui bene mundo corde communicant, accipiunt sacramentaliter, & spiritualiter. Et hoc tertio modo sæpe, sacramentaliter tantùm nunquam: spiritualiter autem quotidie frequenter communica; & experiere id quod *lib.* 4. *cap.* 13. spiritualiter communicans, cùm sacramentaliter non posset, experta est S. Gertrudis, quando lateri Jesu admota audivit: Bibe nunc de corde „ meo spiritualiter suavissimæ divinitatis „ meæ efficacem influxum. „

3. Affirmabat B. Joanna de S. Cruce *apud Barrium die* 10. *medit.* 2. se ita communicantem ijsdem gratijs à Deo cumulari solitam, quas in reali Sacramenti usurpatione perceperat. Et suspirans: O præclaram, ajebat, communicandi methodum! in qua neque Confessario, neque superiorum facultate, neque ullius alloquio opus, præterquam tuo, ô Deus meus!

4. *S. Greg. Naz. Orat.* 42. ait Deum primò sui admirationem excitare ac desiderium, tum verò dum jam desideratur, desiderantem purgari à desiderato Deo, & talem effici divinum à familiari conversatione Dei, atque inde sequi ut *Deus Dijs uniatur.* Atque ita spiritualis hæc quæ per accensum amorem, ac suscipiendi Christi desiderium perficitur, communio, & purgat, & deificat, & demum nos disponit, ut etiam sacramenta-

mentaliter illum accipiamus, ad quem per quotidianas communiones spirituales aliquoties cum Augustino suspiravimus: *Ubi est absconditus pulcher, quem desidero?*

5. Meretur inquiri absconditum hoc Regis Sacramentum: quæri meretur, & desiderari pulcher hic. Nam *apud Creff. Mystag. lib. 1. cap. 2. f.* Pletho Platonicus ait animam se cum Deo copulante *pulchritudinibus saturari.* Valete ergo, turpitudines! Ita desideratus à Bonaventura moriente, sed illum sumere non potente cœlestis hic cibus, ultrò se, referentibus id Fastis 14. *Julij* penetravit ad cor! Et 19 *Junij* S. Juliana Virgo cùm sacrosanctum hoc viaticum sumere ob stomachi affectiones haud posset, ubi castissimo pectori admotum sensit, blandè ridens extincta est. è sacro verò ferculo nihil superfuit, nimirum illud desiderante corde hauserat Juliana: & ita ivit ad illum cujus auris etiam præparationes cordis audit.

6. Adsterne cor sub Sacro in elevatione, vel domi etiam, pedibus Jesu, & pro leniendis moribundi olim tui cordis amaritudinibus servituras divini illius sanguinis guttas collige, cum dolore de erratis tuis, &. desiderio fruendi Christo in æternum. *Ubi est cor*, inquit, *serm. 2. de cana Dom.* Bernardus, *ibi dilectio; & ubi dilectio, ibi dilecti mansio. Novit autem quicunque rectè sapit, quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fideliùs recolere beneficia ad fruendum suaviter in conscientiâ, ad recondendum plenius per imitationem in memoriâ: quod est spiritualiter manducare corpus Domini.* Sic ergo manducare à Bernardo disce.

7. Ibi elicienda vivi doloris, amoris, fidei, spei, desiderij ad Christum suscipiendum actus. Ita incalescis à Sole toties vicino. *Clavius in cap. 1. Ioan. à Sacro bosco, pag. 37.* aërem cum Philosophis in tres regiones distribuit. Suprema est, in qua cometas deferri conspicimus, & hæc propter motum continuum quem habet à primo mobili, & ignis vicinitatem, & solarium radiorum continuam emissionem per eandem, calida semper existit. Infima nobis vicinior, à multiplici solarium radiorum reflexione calescit. Media verò regio, ob magnam ab igne distantiam, & ad quam solarium radiorum reflexiones pervenire nequeunt, semper est frigida. Ita frigent qui à sole isto, qui ab igne, qui primo mobili adsunt. Tu verò qui à primo illo mobili cordis tui Deo semper raperis, qui & directos Solis Eucharistici radios toties accipis, quoties desideras, & reflexos per aliorum exempla & lectiones, & conciones hauris, incalescis ab igne desiderato! Ideò B. Agatha à Cruce, teste Hagioph. intentione 24. *quotidie communionem spiritualem ducenties iterabat.*

8. Si quando verò devotioni tuæ in communione spirituali (quæ quolibet loco, ac tempore fieri potest) indulgendum putes, sit spiritualis tua communio quædam imitatio communionis Sacramentalis. Cogita felicem tuum exitum, & necessaria para pro illo itinere. Suspira ad patriam cœlestem. S. Gertrudis *lib. 5. cap. 25.* dum sumptam communionem adhuc in ore teneret, divino affatu taliter est salutata: Veni, „ electa mea, & ponam in te thronum „ meum. Et meminit verbi aliàs à Jesu

„ auditi: Nimis citò volo te de hac vita
„ sumere. Habes in ore cordis JESUM quoties spiritualiter communicas. Idem ago, & etiam sequentia JESU ad illam verba ita perpende, quasi verè tibi dicta ab illo quem accipis JESU: Quantumlibet temporis hodiernæ diei supervixeris, hoc non tibi studebis vivere: sed laudem meam secundùm desiderium tuum in omnibus lucraberis.

# HEBDOMADA XXXIV.

## *Solida ad communionem præparatio, ferventes actus fidei, spei, charitatis.*

1.

OPortet ad Sanctissimum Sacramentum accessuro servare illud Christi: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ita solent Sodales cum cereis ardentibus ad Eucharistiam solennibus Deiparæ festis accedere. In cereo *fides* sincera & candida, & *charitas* ardet. Cingulum illis porrigit Ludovicus Bonus *apud Favinum lib. 3. theatri honoris.* Is Anno 1370. sodalitatem Equitum à Carduo B. V. dictam condidit. Debebant illi ad suam spem contestandam quam per potentissimum Deiparæ patrocinium in Deo collocârant, quotidie se cæruleo è villoso serico cingulo præcingere, cujus cinguli lemma arte Phrygiâ characteres aureo ibat per cingulum: SPES. Ita torquati incedebant quotidie, bene præcincti lumbos MARIÆ clientes: at festis diebus grandiore scribebatur SPES, & magis sumptuoso apparatu constabat cingulum. Ita spe accincti accingamur itineri ad sanctissimum hoc Sanctum Sanctorum instituendo, per Matrem cui dictum: Beata es quæ *credidisti*: & de qua verum est illud: Ego Mater pulchræ *dilectionis, &c.* & sanctæ *spei.* Per hanc ergo quæ credendo, sperando, amando concepit Filium Dei, per hanc pulchræ dilectionis & sanctæ spei Matrem pulcherrimam atque sanctissimam, ad pulcherrimum atque sanctissimum illius Filium quam possumus pulcherrimi atque sanctissimi accedamus. Sunt hæ tres virtutes Theologicæ, id est, quasi divinæ, quibus ordinamur ad Deum, quem habent pro objecto, & à quo solo nobis infunduntur, ut S. Thom. tradit *lib. 2. qu. 62. a 1.* Hîc est Deus, hîc est amphitheatrum omnium trium. Sed spei & charitatis fundamentum, fides esto.

2. *Rodriquez part. 2 tom. 8. cap. 2. è Chron. S. Hier. lib. 2. cap. 9.* rem narrat, quam Petrus vir egregiè religiosus, quocum illa contigit, suâ manu conscriptam, & generalis confessionis suæ schedæ inclusam reliquit moriens. Huic in mentem venerat dubitare, quomodo demum id fieri posset, ut sanguis esset in hostia? Sabbatho quodam in Beatissimæ Virginis commemorationem sacris operanti, respondit Deus. nam Petrus post consecrationem primùm nube quadam obvolutus vidit nihil; tum luce redditâ, nec sanguinem in calice, nec hostiam adesse in patena animadvertit. Post fusas ad Deum & Deiparam

param lachrymas, vidit hostiam in sublimi in coruscante patena ita labio calicis imminere, ut quantum antea in calice sacri sanguinis, fuerat, tantum in calicem jam vacuum sanguinis guttatim ex hostia sancta incideret. Ubi stillare cessavit hostia, Petrus vocem audivit: *Perfice officium tuum.* Primò ergo crede, Ideò in calicis consecratione vocatur hoc Sacramentum: *Mysterium fidei.* ita fit mysterium spei, & charitatis. Hæc sunt elementa è quibus omnia.

3. *S. Aug in Ps.* 95. ait adesse debere palatum fidei, cui sapiat mel Dei. S. Cyrill. Alex. lib. 3. in Joan. cap. 34. *Gloriâ, & honore plenum est, inquit, qui Christum in seipso recondit, qui* IESUM *in corde per virtutem & fidem rectam fixum firmiter gerit, Audis Exodi* 18. *quomodo vas aureum per Aaron impletur mannâ. pia enim, sanctâque anima quæ Christi fidem concepit, quæ totum in seipsa cœlestem thesaurum condidit, pretiosum atque aureum vas est.* Verè ergo & hic accedentem ad sumendum Deum, *oportet credere*, sperare, amare.

4. Gratus eris hospes, si te tres hæ Gratiæ ducant ad Deum. *Eccli.* 2. Qui timetis Dominum, *credite illi*: & non evacuabitur merces vestra. *Sperate in illum*; & in oblectationem veniet vobis misericordia. *diligite illum*, & illuminabuntur corda vestra. Tremendum verò hoc Sacramentum, timoris nidus est. in timore autem sunt fides, spes, charitas, tria hæc. Videt hic cæca fides sub velo Deum; spes futuræ gloriæ pignus habet; charitas verò habet amoris thaumaturgum Jesum, qui sic *in finem* dilexit mundum, ut seipsum daret.

5. S. Aug. de 10. plagis: *Primogenita cordis nostri fides est.* Virtutes cordis filiæ, omnes prodeant; sed fides præcedat. Hic enim, ut *serm.* 1. *de Pass.* ait Drogo Ep. *quomodo pupilla oculi, sic acies fidei.* Hac pupillâ aspiciendus est in Eucharistia Jesus.

6. B. Angela *vitæ cap.* 7. Vidi, inquit, in hostia duos oculos splendidissimos. Adverte, ita accede, ut scias te videri. Oculi tui sint *Portæ Solis*, ut oculos vocabat apud Laërt. *lib.* 8. Pythagoras. Ingredietur ad te Sol Jesus. Triophthalmos lapillus est, qui tres hominis oculos refert. Oculo fidei, spei, charitatis illum aspice, licèt non videas. Ita *Act.* 1. aspiciebant in cœlum nubem illam Apostoli, postquam nubes suscepit Christum ab oculis eorum. S. Thom. 3. *part. qu.* 73. *a.* 3. *ad* 3. *Eucharistia*, inquit, *est Sacramentū Passionis Christi.* Certè in Passione latent thesauri fidei, spei, charitatis. Imò ibid. ait: *Eucharistia dicitur Sacramentum charitatis.*

7. Ita B. illa Angela *cap.* 40. Cùm venirem, inquit, ad communicandum, fuit mihi facta locutio divina: Amata, vadis ad omne bonum recipiendum. Modò *est super altare* Filius Dei secundùm humanitatem, & divinitatem, & est associatus cum multitudine Angelorum. Tunc ostensus est mihi Deus. Videbam unam *plenitudinem, unam pulchritudinem, omne bonum.* & dictum est mihi: O Amata, ita *stabis* coram eo in vita æterna. Ecce hic spem; in pleno illo & pulchro bono, charitatem; in eo

eo verò qui est super altare, explicatam fidem. Ita nos communicare docet cœlum.

8. *Anselm.* de Sacr. Altaris: *Hunc cibum plus manducat qui plus amat; & plus amando, rursus qui plus & plus manducat, plus & plus amat.* Manduca ergo plus & plus, ut ames plus & plus: ama plus & plus, ut manduces plus & plus. Ita te hortatur *Augustinus* lib. „ de Catech. rud. Ama amorem illius, „ qui amore tui descendit in substantiam „ panis, & ibi amorem suum amori tuo „ copulavit, humiliando se, sublimando „ te; conjungendo lumen æternitatis „ suæ limo mortalitatis nostræ. Ad has Dei suavitates adeo exarsisse quosdam in dulci hoc Angelorum epulo comperimus, ut eas quæ è Christi corpore in animam, & inde in corpus redundabant dulcitudines ferre corpus fatiscens sub dulci onere non potuerit, ad eum ferè modum quo apud Sales, *lib. 8. cap. 5.* in fine, dicuntur muli & equi onerati ficubus, sub onere succumbere, ac vires amittere.

9. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei,* inquit ad Hebr. 10. Paulus: Annuæ novæ Franciæ, An. 1649. P. Joannis Urebeuf S. I. pro Christo occisi epistolam recitant Anno 1640. „ 10. Martij scriptam: Cùm *post Missam* „ intus me collegissem, ut Christum in „ me loquentem audirem, videre „ mihi visus sum manum quandam, nescio „ quo oleo *cor meum* linientem, & omnia „ interiora mea. ex qua visione suma animi mei pax & tranquillitas est consecuta. Ecce *cor verum*! oleo fidei, spei, charitatis deliniet tibi cor Jesus. S. Theresiæ *vita cap.* 28. Christus manus suas ostendit, quas adeo pulchras fuisse ajebat illa, ut nullâ hominum linguâ id explicari posse diceret. Si tantùm deliciarum fuit in manu cor leniente, in visâ dexterâ, quid non credit, quid non sperat, quid non amat & expectat fidele cor in toto Jesu? Ps. 15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.* Hebræus: *Notam facies abundantiam lætitiarum vultûs tui: & dulcedines in dextera tua æternas.* S. Hier. *deceres æternos.* Apud Photium cod. 190. Dea divitiarum, Dea ingenij, & Dea pulchritudinis contenderunt cujus sacris præesse debeat Melos juvenis supra omnem formæ fortunam & indolem præstantissimus. Tu trium divinarum, sive Theologicarum gratiarum, Fidei, Spei, Charitatis esto Mysta, cum his introibis optimè ad altare Dei.

10. In Academiæ aditu Charmus amori posuit aram: nos in cordis aditu fidei, spei, & charitati. Apud Tatianum *Orat. contra Græcos*, nobile sapientis dictum est: *Aura Deorum pretiosissimum vehiculum.* Assvesce auræ cœli quæ hîc te afflat in pane cœlesti quem fides tibi porrigit, spes masticat, charitas corde glutit. Hac trigâ nobiliore quadrigis Aminadab, tanquam pretiosissimo vehiculo, vehêre ad convivium auræ cœlestis.

HEBDO-

# HEBDOMADA XXXV.

*Communione, quam menſtruam dicunt, quotmenſibus valdè juvantur animæ defunctorum fidelium. illam ergo & ipſe ne neglige, & alijs perſuade.*

1.

SAnctus Paſchaſius lib. de corp. & ſanguine Dom. cap. 8. *Cibum Vitæ*, ait *& ſtipendium militiæ noſtræ ſumimus.* Ita milites quotmenſibus accipiunt militare ſtipendium. Nobrananga Japonum Rex, ut *in hiſt.* illorum refertur *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. in templo, quod ſuo honori poſuit, ſcripſit: *Quibus menſe quo ego ſum natus, erit ſolenne feſtum in viſitatione hujus templi.* Feſtum illud ſi nos quotmenſibus faciamus, non excedimus, nam Chriſtus quaſi naſcitur quotidie in altari.

2. Tertullianus *Apolog. cap.* 39. ait inter ætatis ſuæ Chriſtianos, *ſingulis menſibus* celebrata fuiſſe *depoſita pietatis*, in egenorum alendorum & ſepeliendorum uſum. *Modicam*, inquit, *unuſquiſque ſtipem menſtruâ die apponit.* Menſtruâ communionis die depoſita celebrant pietatis, qui in communione menſtrua non modicam, verùm magnam planè ſtipem pro animabus illis apponunt. Unde veteri inſtituto, in nova Innoc. X. Bulla Anno 1649. 5: Febr. Romæ datâ, ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, piâ charitate intenti, inquit Pont. omnibus utriusque ſexûs Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui aliquam Societatis Jesu, vel quamcunque aliam ſæcularem Eccleſiam ubicunque exiſtentem, unâ ex Dominicis cujuslibet menſis, quâ *communio Generalis* ſollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Eccleſias ſæculares, de licentia Ordinariorum locorum, illarúmque Rectorum conſenſu agetur, devotè viſitaverint, & ijsdem Dominicis, in prædictis Eccleſijs ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ibíque pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, QUAM ANIMABUS FIDELIUM DEFUNCTORUM APPLICARE POSSINT, miſericorditer in Domino concedimus. Grande lucrum id eſt, & pretioſa in conſpectu Dei liberalitas.

3. Plato, Moyſes ille Atticus dictus, in Phœdone loquitur de duodecim pulcherrimis coloribus ſuperioribus terræ illius in quam poſt mortem tranſeunt, qui vitam longiorem meruerunt, jaſpidem verò, carbunculum, & reliquas mundi hujus gemmas, eſſe ramenta, eſſe particulas è montibus terræ ſuperioris. Pretioſè cœleſtem ſibi & animabus illis annum facit, eúmque veluti duodecim coloribus diſtinguit, qui menſtruâ communione duodecies repetitâ exornat annum; ac datis quaſi prolyro 12. communionibus, veluti totidem Japillis pretioſis, illas redimit per ipſum Redemptorem. *Inſin. lib.* 3. *cap.* 18.

poſt

post communionem pro animabus orans S. Gertrudis, vidit fructum quendam cœlestem liquore quodam admirabili manantem, cujus pars quasi ad superos fluens, illis gaudium cumulavit, pars purgatorij pœnas mitigavit, pars in tertis, justis dulcedinem gratiæ, & peccatoribus amaritudinem pœnitentiæ augmentavit. Hoc agit quævis devota communio.

4. *Apud Abrah. Ortelium* quædam gentes nummos alios non habent quàm ossa mortuorum: quæ pecuniæ instar dantur, accipiuntur: illis venduntur, emuntur omnia. Nos vivi Dei, qui semel pro nobis mortuus est, & nunquam moriturus resurrexit, carnem, sanguinem, ossa, divinitatem, humanitatem, DEUM-hominem denique æternæ TRINITATI damus pro pretio captivorum, ut illas animas è carcere, è rogo purgante redemptas eruamus.

5. Quàm verò id è re animarum sit, & è re nostra, pondera id quod anima illa è purgatorio S. Gertrudi apparens dixit, & nos hîc idem latiùs alibi referimus *ex Blesij monilu cap.* 13. Quia, „ inquit, sacram communionem libenter „ accepi quamdiu in terra vivebam, nunc „ magnum remedium obtineo de Sacra- „ mento altaris pro me oblato. S. Ambros. orat. ante Sacrum *Domine Deus meus*, inquit, *sit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo.* Laudas illos qui more jam recepto pauperes quotmensibus mensâ bene instructâ liberaliter ac lautè habent? Laudas etiam hunc in egentissimas piæ opis animas liberalitatem & præbitum illis lautum epulum, sacrum convivium, in quo à te Christus quotmensibus sumitur, ita tamen ut & illis prosit & tibi. Ungari proverbio ajunt, difficile esse alieno ore comedere. Ore tuo quasi comedunt esurientes illæ animæ, dum tu pro illis menstruus hospes Christi mensæ accumbis, *ut* (quemadmodum ibid. S. loquitur Ambros.) *exinde refecti & satiati, refrigerati, & consolati exultent in laude, & gloria Dei.* O beatam tuam in esurientes illos capitivos misericordiam! ô convivium sanctum! satiaberis & tu cùm apparuerit gloria Dei: & illæ gaudebunt in mensâ Dei etiam te secum adesse, per cujus menstruam communionem sciunt factum esse, ut è carcere illo flammeo, miserabilíque esurie ad illam convivij æterni mensam citiùs admitterentur.

6. *Dion. Carth. de 4 novis. in fine*, narrat sanctam quandam animam, quæ jam migrârat è corpore, in hortum amœnissimum deductam à Christo: in quo horto multitudo animarum videbatur, mensæ assidentium, quibus apponebantur *fercula suffragiorum* quæ à viventibus offerebantur. Et certè Angeli Custodes illa illis suffragiorum fercula ministrant quæ tu pro illis offers. At istud quod quotmensibus offerunt ij quos præcipuo quodam modo è vulgo exemptos ad illas animas adjuvandas selegit Deus, dum communicant, ministrant illis *suffragium suffragiorum* & *ferculum ferculorum.*

7. Solemus postquam comedimus, gratias dicere è forma Ecclesiæ: *Retribuere dignare, Domine* &c. Post convivium quod illis paras, agunt Deo & tibi gratias illæ animæ. nam & S. Birgitta 4. *revel. cap.* 7. in extasi audivit animas illas conclamantes ad Deum:

*Re-*

*Retribue, Domine, ijs qui nos in solvendis debitis nostris juvant.*

8. Neander *apud Causinum parabol. hist. lib. 3. §. 4.* ait fuisse, qui COR exectum combustum, in cineresque redactum vino temperatum sibi ipsis invicem propinârint. COR Jesu vivum, cor charitatis igne coctum & assum in Eucharistico epulo in sanitatem animarum bibimus in sacro illo convivio. Ajunt oculati testes, camphoræ aromaticæ arboris botrum igne semel accepto, etiamsi in aquam injiciatur, æquè ardere. *Botrus Cypri*, (Hebr. *Racemus camphoræ*) *dilectus meus mihi.* Can. 1. Bibe è racemo hoc, è botro hoc, & accendere, ut ignem illum pias illas animas cruciantem hoc vino extinguas.

9. *Eucharistia*, quasi *bona gratia* dicitur. Tu ergo qui hanc illis animabus gratiam facis quotmensibus, alios etiam exemplo & adhortatione tuâ fac ut acuas ad idem opus pietatis. Eccli. 7. Pauperi porrige manum tuam; *ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua.* Gratia dati in conspectu omnis viventis, & *mortuo non prohibeas gratiam.* Non desis plorantibus in consolatione. Omnia hæc imples, dum illarum animarum, quas paterna Dei manus severè tetigit, misereris. Misereris autem maximè, si Deum indulgentiarum Dominum, & Patrem misericordiarum, hospitem tuum pro illis roges. Vult ille in cœlesti illo convivio rogari pro illis à te. Porrige ergo illis auxiliarem manum quos tetigit manus Dei, ita perficietur ea quam tibi Deus paravit propitiatio & benedictio. Ita ille aperiet manum suam, & implebit illas & te benedictione.

10. Deut. 34. *Jubente Domino mortuus est Moyses*, Hebræi, & illorum Theologi, ajunt: *Juxta os Domini: ad osculum Domini, in osculo Domini.* Porrige os, & linguam & cor ad accipiendum quotmensibus Dominum. Hoc est osculum quod à te libenter accipit Christus. Ita mortuorum animas juvabis. Migrârunt illæ hinc ad osculum Domini, ut æternis Dei osculis fruantur in beatitate; sed ut admittantur citiùs, tu facies.

11. Hic in mentem mihi venit iterùm usitata illa quotmensibus Sodalium pro agonizantibus, & altera pro defunctis, idque die & in octava Sancti menstrui, devotio. Videntur mihi Sodales illi communicantes, & se exemplo mutuo accendentes, atque à Christo carbone vivo accensi esse lapides illi de quibus *Hugo de S. Victore lib. 2, de best. cap. 19.* sunt lapides igniferi in quodam monte orientis, Chiroboli dicti, id est manipuli. in istis, quando ab invicem separantur, ignis non accenditur: cùm autem invicem appropinquaverint, statim in eis tantus ignis accenditur, ut omnia ardeant quæ circa illos sunt.

12. Quo verò operæ pretio id faciat sancta Congregatio, patet ex *Anno Morient. & Mortuorum.* Certè Nolanum Sodalem, virum nobilem, qui pro Sodalibus in Purgatorio existentibus quotidianas preces fundebat ardenter, missâ ad illum pulcerrimâ unâ animâ commonefecit Beatissima Virgo ut se per Sacramenta paret morti repentinæ adventanti. Ita Kalend. Marian. 3. *April.* Potuerunt hoc preces quotidianæ, quid Synaxis quotidiana per singulos men-

sis totius dies sub Sanctorum menstruorum patrocinio distributa non poterit? Admirabilis est vis illa plurium Sodalium quasi corda conflantium in Dei & Deiparæ honorem, in agonizantium & in Purgatorio ardentium opem. Isti sunt Zopyri Mariani, verè mala punica, mala granis sapidis plena sub uno cortice aureo.

13. Ps. 34. 13. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Sept. legunt: *Oratio mea in sinum meum convertebatur.* Chaldæus: *Oratio mea in sinum meum revertetur.* Hoc tunc experientur omnes qui nunc in menstrua Synaxi agonizantium alterâ, alterâ mortuorum alijs ferunt suppetias. Accipient mensuram quam dederunt. Tunc quando ultimo in agone sudabunt, omnis, quam pro felici aliorum agone & animarum ex igne illo expiatorio liberatione communicantes fuderunt, oratio, in sinum illorum cum sancto fœnore revertetur. S. Gertrudis *lib. 5. cap. 20.* dum post sumptam sanctam communionem, hostiam illam offerret Domino in remedium animarum, statim vidit magnam multitudinem animarum de tenebris quibusdam ascendere, sicut scintillæ sparguntur ab igne, in similitudinem stellarum. O quot tales stellas vos è tenebris illis in quibus ad tempus absq; lumine gloriæ detinentur animæ, eruitis, & cœlo additis, dum nullus absque linea, nullus absque communione vobis toto mense dies effluit, Sodales! Dum cœlestem Agnum illis animabus pro convivio datis quotidie illum sumentes. Vidit ibidem Gertrudis Agnum nivei candoris, quasi ex vulnerato *corde* suo emittentem roseos rivos sanguinis in aureum calicem, & dicentem: Ego ipse sum propitius futurus omnibus illis animabus quibus hodie in loco isto paratur convivium. Quo verò operæ pretio id faciatis, ex ore Christi audite *ibid. cap. 21.* Tam acceptus certè est labor earum animarum ac si memetipsum toties suo pretio à captivitate liberâssent, quoties aliqua liberatur anima per orationes earum. Et hoc ipsis indubitanter restituam *in tempore opportuno*, secundùm omnipotentiam meæ liberalissimæ pietatis. Agite! pergite! Oratio vestra indubitanter in sinum vestrum reversa in agone, totum hunc constantis devotionis thesaurum restituet in agone, in tempore opportuno. Quare ut de nostra communione verbis Ecclesiastici ex cap. 9. ℣. 20. te moneam: *Communionem mortui serva.* Ne oblivio, ne tædium, ne quid aliud te ab hac morientium & mortuorum auxiliatrice communione avellat.

# HEBDOMADA XXXVI.

*Tametsi communicare quotidie haud possis; Missæ tamen sacro adesse quotidie vide seriò ut possis, & velis.*

1.

Missa est extensio quædam redemptionis, & incruenta Calvariæ tragœdia. *Ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis*, inquit

inquit lib. 4. de Sacr. cap. 4. S. Ambros. S. Dionys. de hier. cap. 1. est *conservium mentem alens, Deum efficiens.* Adesto illi! S. verò August. in Ps. 37. *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur; & uno eodemque momento idem Deus qui præsidet in cœlis, inter manus est Sacerdotis in Sacramento altaris.* S. Epiphanio teste, in expos. fidei, *mundus perpetuum videtur sacrificium.* Verius id de Christo dicitur: *Deus noster juge, & perpetuum quoddam sacrificium est.*

2. Sic ergo præcelso quodam modo honorabis Christum, si illi ad obsequia in sacro quotidianus adfueris. Hîc enim familiaritas non contemptum, sed æstimationem parit. Apud Erycinos toto anno Veneri sacrificatur quotidie. Proh probrum! Sacrificemus Deum Deo! Quidni tu quotidie ad illum venias, cum ille veniat? *Ecce*, inquit admonit. cap. 1. S. Franciscus, *quotidie humiliat se, sicut quando à regalibus sedibus venit in uterum Virginis, quotidie venit ad nos, quotidie descendit de sinu summi Patris super altare in manibus Sacerdotis, &c.*

3. Est in Peruvianis S. J. annuis, quòd P. Jacobum Alvarez inter operandum sacris, visus sit Christus suavissimè amplexari. is inter vehementissimos deinde diem illum totum affectus egit. In sacro quovis bene audito das Christo osculum & amplexum, illo tibi longè melius quàm tu cogites respondente.

4. *Vita P. Balth. Alvarez cap. 6. §. 1. 16.* Mater Teresia, sacrum ejus audiens, vidit cum toto tempore quo sacrum duravit, habuisse in capite diadema quoddam magni splendoris. Aliquando inter celebrandum ei loquebantur Angeli Custodes eorum quorum ipse confessiones audiebat; & cum quibus versabatur: ei revelantes quâ re indigeret anima illa, quæ ipsi esset commendata. Certè sacra audita singula tuam tibi in cœlo coronam parant. S. Ignatium Loyolam sacrificantem visa est flamma pulcherrima coronare.

5. Anno 1450. Franciscus I. Britanniæ Dux novum spicæ sive aristæ ordinem militarem fundavit, candidatos equites donavit torque aureo ita fabrefacto, ut è spicis frumenti arte variâ textis, & nodos, quos *amoris nodos* dicebant, conficientibus, coronam spiceam conficere videretur. Emblema erat: AMA. Hunc amoris torquem ad aras fieri vides quotidie dum sacris interes. J quotidie ad Deum spiceâ hacce coronâ coronatum, cœlesti hocce torque torquatum, & AMA. Ama amorem amantis te. Amor faciet ut eas, & Sacrum, quod est incruentum, cruenti illius Sacrificij mnemosynon, cum reverentia omni ita audias, ut nihil te à charo illo spectaculo retardare prorsus possit. *Vita Caroli Spinolæ S. J. cap. 14.* ait illum etiam in illo in quo ad horridam usque famem necessaria alia defuerunt carcere, sacris quotidie operatum. *Et per hujus*, inquiebat, *facultatis copiam hoc ergastulum mihi paradisus videtur.* Quære in sacro tuis mœroribus paradisum quotidie. Plus iste valet illo Adami paradiso. Ibi est ara misericordiæ, cui verius illud Græcorum inscripseris: *Hæc ara tuebitur omnes.* Sic excellentissimè colis Deum.

Sanè *nullo alio sacrificio honorificentiùs laudatur Deus, quàm per altaris immaculatam hostiam*, inquit S. Laurentius Justin. serm. de corp. Christi.

6. S. Isidorus Agricola, ita cum suo Domino convenerat, ut sacro adesse posset quotidie. Illo in sacro orante, arabant foris Angeli. Waltero Birbacensi viro illustrissimo, & quotidiano sacro audiendo addictissimo, Beatissima Virgo sub ipso sacro per Sacerdotem tunc celebrantem auream è cœlo delapsam Crucem dono misit. S Udalrico sacris operante, sacram hostiam è cœlo, benedicebat cœlestis manus.

Si excelsam speculam posses conscendere unde tibi omnia orbis universi sacra conclavia paterent, videres (id quod observavêre jam plures) nullam diei horam esse quâ in aliquo orbis loco sacratissimum hoc sacrificium non immoletur à Societate Jesu, ut jam Ecclesiasticos, ac religiosos Ordines reliquos taceam. Age ergo, & juge hoc sacrificium Deo offer quotidie in unione crurenti illius quod obtulit Sacerdos æternus Jesus, & omnium quæ à mille sexcentis & quot excurrunt annis oblata sunt, & nunc horis singulis offeruntur, & offerentur usque ad ultimum sacrum. Reverentissimè verò ut adsis monet te ipsa Christi præsentia, & Angelorum phalanges. *Quanto putamus adversus nos zelo moventur Angeli*, exclamat Petrus Damiani lib. 3. epist. 8. *dum in conspectu illius nos irreverenter sedere conspiciunt; cui scilicet ipsi tremendæ assistunt?* Ora ergo cum illis; & ut cum illis etiam tuas voces admitti jubeat Deus, deprecare, supplici confessione dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

7. S. Maximus *expos. Liturg. c. 25.* ait Spiritûs Sancti gratiam tunc maximè ijs qui intersunt communicari. Ibi excitatur dolor, & devotio: delentur peccata venialia: ibi est participatio meritorum Christi: aguntur gratiæ pro quotidianis beneficijs quotidie: & via sternitur novis Dei donis. Ibi tentationum victoria impetratur, & nobis etiam nescientibus quædam conferuntur bona, & vigor animi. Ibi à periculis servamur. id quod nobili illi contigit, qui semper à dæmone ad laqueum vocabatur. Certè Lotharium Imperatorem ternas quotidie missas reverenter audisse accepimus à Sigonio *lib. 11. de regno Ital.* Apud Ualconcellum. Anno 1578 Sebastianus Lusitan Rex, aderat Sacro quotidie. Sabbathis, uni Sacro devotus intererat, alteri etiam ministrabat: rex Regi regum. Adolescens ille circa annum 1334. in aula Regis Lusit. falsò ab æmulo accusatus, & jam fornaci vivæ calcis destinatus, occasione Sacri quod è morientis parentis admonitione quotidie audiebat, supplicium evasit, falso accusatore interea dum hic Sacrum audiret fornaci injecto.

8. Et verò quicunque excellentissimum hunc agendi gratias, Deum laudandi, eúmque sibi & animabus vel in peccati abysso hærentibus, vel jam jam è corpore migrantibus, vel in purgatorio gementibus propitiandi modum attenderit, advertet, non de Sacerdote tantùm, verùm suo modo de alio etiam Sacrum audire omittente cum proportione dici illud D Bonav. posse lib de Miss. cap. 5. Qui Sacrum *omittit tunc, quando tum in ipso est, privat Trinitatem*

*tem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, & seipsum medicinâ, & remedio contra quotidiana peccata.*

9. S. Homobonus ad aram Beatiss. Virg. audiebat sacra omnia; & ibid. post sacrum, & communionem expiravit. *Molina tract. 3. de Missa cap. 7. §. 4. citato Suarez*, ait, quoties Missæ sacrificium offertur, toties Christum pro offerente, & pro quibus offertur, orare. *Interpellat pro nobis*, Rom. 8. ℣. 34. Adeamus ergo ad sacrificium, ut ipsa ejus humanitas pro nobis oret, quotidie.

10. Beata Elisabetha Schonaugiensis, Ad Missam, inquit, dum Sacerdos canonem diceret, & calicem in conspectu Dei exaltaret, vidi supra calicem Dominum Jesum quasi in cruce pendentem: & de latere ejus & pedibus, sanguis in calicem defluere videbatur. Tibi hæc fluunt omnia ad quotidianum lavacrum cordis, ac thermas. Pro te supplicem libellum hæc porrigunt, & clamant quotidie in aures Dei, ne pereas. Ejа ergo æstimatissimum hoc Dei colendi, téque cœlo præparandi genus usurpa sanctè quotidie. Certè *apud Strab. de divin. off.* Leo III. Pont. interdum uno die septies, aliquando novies celebrabat. Ad unam Missam quotidianam sub Anno Christi 1181. ab Alexandro III justis de causis reduсti sumus, cùm antea pietas, necessitas, vel etiam consvetudo tres Missas permitteret; ac demum duas ab eodem Sacerdote celebrandas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis. Nos unâ quotidie contenti, ita illam celebremus, vel audiamus, *ut* juxta id quod optat à Deo Ecclesia Sabb. ante Dom. 1. quadrag. in Missa, *quod nobis est in præsenti vita mysterium sit æternitatis auxilium.* Spondanus Anno 1415. ait prètiosum à rustico repertum in agro lapidem, qui postea fuit apud Marchionem Badensem. in quo lapillo ita Deus, & natura collusit, ut quacunque demum ex parte pretiosum illum lapidem aspiceres, expressam artificio exquisito Crucifixi imaginem agnosceres. Missa, est mnemosynon, est memorialis lapillus passi Jesu. Hic in agro inventus thesaurus æternos nobis thesauros invenit. Hanc ergo Crucifixi effigiem cordi habe quotidie.

# HEBDOMADA XXXVII.

*Ab ægro, corporis vires coram sanctissimo Christi corpore ad labores exacuendæ pro Christo.*

1.

Jacobus Card. de S. Maria Oegniac: loquens *in ejus vita*, In ea infirmitate, inquit, etsi nihil penitus edere posset, imò nec modici panis odorem perferre, facilè tamen, & quidem crebrò *Christi corpus* sumebat: quod statim quasi liquescens, & in animam ejus transiens, non solùm illam confirmabat, sed etiam corporis *infirmitatem* sine mora *relevabat*. & facies ejus quosdam ex se

ex se luminis radios vibrare, & diffundere videbatur.

2. Corpus Christi sumimus, immortale corpus mortali corpore. Ibi vires inveniemus ægro vel fesso, vel verius, pigro corpusculo. Joannes Suarius S. J. ut *hist. Soc. pars* 3. *lib.* 1. *n.* 126. testis est, posteaquam singularem peste afflatis operam dedisset, in teterrimis febribus jacebat, sinè vivendi spe. At ubi allatam adoravit Crucem, & sacrosanctum sumpsit viaticum, pharmacum id illi fuit. nam febris actutum abscessit; & lecto, non ita ut alij pedetentim convalescentes solent, verùm repentè robustus, & ad ea quæ sanus egerat munia exequenda firmus exilijt. Hauriit nimirum vigorem & vires à divino illo corpore mortale hoc. Mutant fortitudinem, & assumunt pennas ut aquilæ vires nostræ: volunt omnia, volántque ad omnia in gratiam corporis glorioſi quod sub candido panis velo abscondit Deus. Cui ægro, Deus bone! vires non exacuantur ad faciendum quantum potest, aut saltem ad desiderandum, qui legit id quod e tabula illustrium Societ. Jesu virorum refert *Andries, Crucis perpetuæ cap.* 4. *pag.* 80. de Alphonso Rodriquez Societ. Jesu adjutore, & per 47. annos janitore. Offerebat se ille etiam ad æterna, si Deo ita videretur, incendia, pro anima infimi cujuslibet mortalium, id quod adeo placuit amantissimo Jesu, ut Alphonso universum terrarum orbem, ac omnes orbis incolas ostenderit, & dixerit, illum tantum meritorum consecutum esse ob inflammatos animi affectus, perindè ac si universam illam multitudinem convertisset. Si tam grandia non potes; age quæ potes: & pete à Jesu Eucharistico plus posse, & plus velle.

3. Hausit ab Eucharistia, pane isto fortium, & grandium vires etiam corpus B. Nicolaæ Virginis in Picardia, de qua *Voglerus* & alij 28. *Maij*: Hæc, morte solâ exceptâ, omnes Christi Crucifixi, & Matris dolorum Reginæ dolores volebat sentire. Et videtur partem non infimam impetrâsse. Quinquaginta annis jacuit inter dolores, quasi Jubilæum doloris & mortis. Intumescebat, detumescebátq; quotidie, flammas videbatur spirare tenerum corpus. Cancer illi pectus omne, ac linguam, depastus est. accesêre pertinaces stomachi lapidísque dolores. Et quidem festis majoribus, ut in Ecclesia duplex officium, ita ipsi duplex dolor. Videbatur in solennitatibus festorum totis 24. horis, quasi in hora mortis, fuisse in agonia posita. Et tamen quasi cœlesti quodam dolorum hydrope plena, petebat avidissimâ insatiabilitate febrium genera & dolores omnes, puncturas, tumores, &c. fuítque etiam summo cuipiam & plurima inter omnes passo Martyri ferè par in doloribus pro Christi amore libentissimè ferendis. At vires ad hæc ab altari hauriebat. Nam & sacris intererat, & Sacramento synaxeos reficiebatur quotidie, devotione admirabili. Neque fuisset ferendo nisi tanto fulta auxilio. Ita post 50. dolorum annos pullâ corporis lacerti ac mortalitatis veste exuenda, 40. totis horis, clausis oculis, jacuit; & Passionem Christi legi sibi postulavit, fiens acerbissimè quòd quasi durum haberet Deum, qui illi non plures, non majores dedisset dolores. nihil se passam.

sam. Ita è doloribus ad deliciat excessit félix. Sequetur animam corpus ad beatitatem.

4. Beata Luchina Soncinas, quæ ter quothebdomadis hoc immortalitatis pharmaco reficiebatur, teste *Pio lib. 3. Anno 1485.* moriens risit in die novissimo, & suavissimâ voluptate delibuta, dixit: *O quæ me expectat felicitas! ô tenuem opellam meam quàm dulce præmio coronabit IESUS, & MARIA!* Tali cote vires acue. Hoc balsamo, hoc cibo te robora. Christi vox est ad Gertrudem *lib. 4. cap. 13.* Qui amore laudis meæ divina percipit Sacramenta, habet profectò cibum saluberrimum deificati corporis mei cum nectare balsami deliciosissimæ divinitatis.

# HEBDOMADA XXXVIII.

*Sanctissimum IESV corpus in sacro Missæ sacrificio vel offer ipse, vel ab alijs offerri sæpe cura pro animabus quæ purgatorij flammis expiantur.*

1.

HOc est non tuum, sed Angelorum panem super sepulchrum justi constituere. Quam in rem admirabile est & id quod *apud Did. Baezam tom. 2. in Evang. hist. lib. 8 cap. 3. §. 39.* anima Sacerdotis cujusdam dixit Novitio Canonico regulari apud cœnobium S. Isidori Legionensis: *Dominicu diebus, ajebat illa, propter gloriam Dominicæ Resurrectionis, & præcipuu anni solemnitatibus, atque quando pro nobis Sacerdotis in Missa ministerio immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrùm nullâ pœnâ afficimur.* Addit, si corpora illarum animarum incensо, vel aquâ benedictâ aspergantur, tanto animas perfundi refrigerio, ut illis ferè quasi paradisiaca requies videatur. Ita ille ex Luca Tudensi Episcopo *mir. S. Isidor. cap. 31.* Authorem dedi: de re disputare nunc non vacat.

2. Precamur mortuis, ut *requiescant in pace.* Illam illi pacem in Sacro ab Agno Dei accipiunt. Quàm verò libenter, adverte ex his Tertull. verbis lib. de anim. cap. 51. *Scio*, ait, *faminam formâ & ætate integrâ functam, post unicum & breve matrimonium, cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepulturâ interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformâsse; rursumque conditâ pace, situi suo reddidisse.*

3. Helmontius, *Lithiasis cap. 9. numero 86.* In sulfure vitrioli, inquit, est *somniferum saccharinum*, quod suavem adportat somnum, cum principalium facultatum restauratione. Requies æterna concilianda est benedictis illis animabus quæ sinè quiete ulla torquentur in ignibus tormentorum. Conciliabis divino illo saccharo, cœlesti illo sacrificio. Illo illæ sopitæ, acceptâ in Missa pace, in pace in idipsum domient, & requiescent.

4. Utinam in nostras etiam has partes, imò in orbem Christianum universum, maneret, id quod *de Eucharist. disp.*

*disp.* 20. *s.* 1. *num.* 43. Regno Valentiæ concessum scribit Card. Joan: de Lugo in hæc verba: Hoc privilegium bis celebrandi in die commemorationis defunctorum 2. *Novemb.* habent Sacerdotes ex concessione Sedis Apostolicæ in Regno Valentiæ in Hispania.

5. Vicecomes de Missæ ritibus *lib.* 3 *cap.* 25. ait veteres peculiarem votivam *pro amico* Missam habuisse. Tu pro amicis mortuis fac quod illi fecêre pro vivis. Antiquissimam verò esse hanc in Ecclesia sacrificij tanti pro mortuis liberalitatem, deducit idem *lib.* 4. *toto*, ubi è S. Dionysio ait, missam factam pro fidelibus è vita migrantibus. item S. Petrum præcepisse, teste Clemente, ut mortuorum funera celebrarentur hymnis, precibus, & sacrificijs. Origenes lib. 3. in Job: *memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devotè memoriam agimus, tum illorum refrigerio gaudentes, tum etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 5. de illis animabus, & hocce sacrificio ita sentit: *Maximum esse credimus animarum juvamen pro quibus offertur obsecratio sancti illius ac tremendi quod in altari positum est sacrificij.* Et Augustinus Enchirid. cap. 100: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur.* Aliàs verò ibid: *Cùm sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt.*

6. Veteri Ecclesiæ more sacra pro defunctis fiebant etiam tertio post obitum die; item septimo, nono, trigesimo, quadragesimo, denique anniversario. Vid. cit. Vicecomitem. Ubi lib. 1. cap. 1. ait *missa* nomine vocatum *festum* ac solennem *diem*: Dabis festum & solennem æternùm diem animabus, missis tuis. *Missa* etiam *mercatum*, ac *nundinas* significabat: ibi bonas animas sacrificio incruento emes, aut potiùs redimes è carcere Purgatorij, quas cruento suo sacrificio emit Redemptor, ne truderentur in ergastulum inferni. Unde bene illis è purgatorio dimissis animabus etiam illud ibid. Missæ nomen conveniet. nam olim Missæ vocabulum pro fine, pro dimissione accipiebatur. Finis nimirum pœnarum, & dimissio, atque ad præmia æterna felix tunc illarum admissio celebratur.

7. Et cap. 7. è vetustis ait *Missam*, dictam, *perfectionem, œconomiam, societatem, spectaculum, convivium dominicum, cænam Dei, mensam sacram, solennia sancta, mysterium pietatis, munus, panegyrim spiritualem, synaxim, communicationem orationis.* Quot nomina, tot animarum illarum thesauri in uno Missæ compendio collocati. Tu illis thesaurum hunc aperis dum pro illis Missam devotus audis vel curas.

8. Endelechia, seu endelechismus, authore S. Joan. Chrysost: *lib.* 3. *adversus Iudæos*, est quotidiana eáque optima victima. Quid est quotidianum, & juge hoc sacrificium, hæc victima, victimarum regina, quàm cœlestis quidam endelechismus, pro illis quæ igne expiantur animabus oblatus quotidie? *Plin. lib.* 8. *cap.* 32. Febrium, inquit, morbos cervus non sentit, & huic timo-

ri

ri medetur, unde factum est, ut principes fœminæ quæ omnibus diebus matutinis carnem eam gustare solitæ erant, longo ævo caruerint febribus. Quotidiana cervinæ carnis manducatio, contra febres corporis, quotidiana vivi corporis Christi sumptio contra omnes animi febres est præsentissimum pharmacum. D. Gaudentij serm. 3. verba sunt: *Voluit beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriæ passionis, &c. quò & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ indelebilem memoriam teneamus, & contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur.* Imago, & exemplar, & commemoratio passionis, & medicina febrilis ardoris omnis, est sancta hæc mensa. Adde memoriam passionis eorum tormentorum quæ tormenta patiuntur illæ animæ in igneo torrente involutæ, & illa quæ illæ patiuntur dele per illa quæ passus est Christus. Fac illis illarum ardoribus medicinam. id quod suadens S. Joan. Chrysost. homil 41. in 1. ad Corinth. *Opitulemur his, Fratres*, exclamat! *memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iobi illius filios Patris victima purgavit, quid dubitas, à nobis quoque si pro dormientibus offeramus, solatium aliquod illis accessurum?* Gratificari Deus propter alios alijs solet. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro illis offerendo. communis totius orbis victima preces sunt. En endelechiam cœlestem.

9. *Plin. lib. 29. ait*, in templo Æsculapij atque Apollinis affixa fuisse experientiâ probata contra morbos remedia. Nullus omnino morbus est in mundo, qui dolore suo purgatorij dolores adæquet. Cæsarius certè Arelatensis hom. 8. *Ille ipse purgatorius ignis*, inquit, *durior erit, quàm quod potest pœnarum in hoc seculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri.* Illis ergo doloribus tollendis, & animabus ad perpetuæ salubritatis stationem transferendis certum in sacrificio Missæ remedium est in templo. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, ibi dolori omni pharmacum plus quàm in panario ullo reperies.

10. B. Franciscus Borgia, teste *Rodriquez part. 2. tract. 8. cap. 15.* sacrificium hoc propitiatorium primò pro illo mortuo pro quo destinârat, offerebat; deinde pro defunctis suis parentibus, & cognatis: tertiò pro omnibus è Societate Jesu mortuis: quartò pro sibi commendatis amicis, benefactoribus: quintò pro magis egentibus animabus, & pro ijs quæ æternæ libertati jam essent vicinæ magis: ac pro illis denique pro quibus hoc sacrificium obtulisse magis esset è Dei gloria, & major actus charitatis.

11. Quotidiana planè, & quidem præsente jam in consecrato Eucharistiæ Sacramento Jesu, est memoria in *Memento* eorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Et nominatis ijs quos singillatim cupimus inde ereptos, addit Ecclesia in canonicis arcanis: Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus refrigerium lucis, & pacis ut indulgeas

deprecamur. D. verò Jacobi Apostoli Liturgia: *Memento, Domine Deus noster, Spirituum & universæ carnis quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, Orthodoxorũ ab Abel justo, usque ad hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, & delicijs paradisi.* Inde S. Joan. Damas. *Orat: de ijs qui hinc cum fide migrárunt*, ita adstipulatur: *Divi Apostoli in tremendis, & impollutis, vitalibúsque Sacramentis memoriam eorum qui fideliter obdormiverunt, habendam edixerunt.* Id verò & illis, & nobis utile esse ait S. Joan. Chrys: hom. 21. in Acta: *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosyna. Hæc omnia spiritus disposuit, volens ut nos mutuùm juvemus. inde enim utilitatem accipiet ille per te, & tu per illum.*

12. Hîc Deus noster in hoc non medij anni, verùm tot jam seculorum convivio, nobiliùs longè quàm Esth. 2. Assverus, ostendit *divitias gloriæ Regni sui.* In ipso enim Jesu sunt omnes divitiæ gloriæ Regni Dei. Et invitavit non primores tantùm, aut novem millia virorum, ut Alexander apud Arianum de gest. Alex. lib. 7. verùm dixit: *Venite ad me omnes!* Unde Tridentin. sess. 13. cap. 2. *Discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amorũ velut effudit.* Ad hos thesauros imus in Sacro quotidie, ut illis & nos, & egentissimas Purgatorij animas juvemus. S. Gertrudis *lib. 4. cap. 36.* cùm ad elevationem hostiæ Dominum exoraret pro animabus omnium fidelium defunctorum, visus est Dominus demittere quasi virgam quandam auream in medium Purgatorij per quam illas extrahebat ad amœna prata quietis. Eas tamen maximè liberari intellexit, quæ viventes in carne magis exercitaverunt se in operibus charitatis. Et *cap. 40.* cùm pro ijsdem sub *Agnus Dei oraret*, dulce osculum illius animæ impressit Iesus.

# HEBDOMADA XXXIX.

## *In SS. Eucharistiæ honorem festos dies religiosâ quiete honora.*

1.

Sanctus Paulinus natali S. Felicis, de festis sic cecinit: *Ergo velut cælum stellis, ut floribus arva, Temporibúsque annos Dominus, sic ipse diebus Tempora distinxit festis.* Est festum veluti theatrum memoriæ beneficiorum Dei. Unde S. Augustinus lib. 10. Civit. cap. 4. inquit: *Beneficiorum Dei, solennitatibus, festis, dicamus, sacramúsque memoriam: ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.* Christus, in Eucharistia, est *beneficium beneficiorum, beneficium æternum* futurus in cœlo. Pro hoc age gratias die festo.

2. Motu & quiete colitur supremus naturæ Dominus, Deus. Sed prostituenda non est sancta illa quies libertati non sanctæ. Hi sunt ferè convi-

conviviales Christi dies: Vix illorum abit ullus, qui ubi ubi terrarum plures ad Christi mensam hospites non videat, Hæ sunt feriæ Domini. De Sancia Carillo Virgine hanc in rem *Rho Virt. lib. 2. cap. 6. num. 3.* ait, illi ipsâ divinissimi hujus Sacramenti solennitate, cum illa majore quorundam lætitiâ quàm religione ageretur, oranti, objectam Christi speciem lugubri oris, & fædè lancinati corporis totius habitu, qualis tunc erat cùm ad Crucis supplicium raptaretur. Prævertit interrogaturam Christus, & dixit: *Hi hodiè ita me excipiunt.* & desijt videri. At queri necdum desinit. Adverte ad illud HODIE! id est, hoc die quo illorum longè latéque sese exporrigere deberet ab ipso cordis sinu profecta devotio: *hi* quos ego meorum non jam lypsanorum, sed absconditi in Sacramento unà cum anima & divinitate vivi corporis mei cultores ut essent expectabam, *ita* fædè, tantâ vitæ licentiâ *me* Deum hominem in Sacramento absconditum, quasi hospitem ingratum, *excipiunt.* Vide ut tu illorum inhumanitatem religiosâ devoti animi urbanitate compenses. Eleemosynis sanctificare festum, sanctum est. Tunc ex consil. S. Joann. Chrysost. *hom. 20. in 2. ad Corinth.* cùm vides pauperem, corpus Christi, aram Christi videre te puta, & revere: ac eleemosynæ sactificium offer.

3. Sacerdos aram accessurus, *Introibo*, inquit, *ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Quotidie quidem accedunt ad altare pij Dei servi; sed tamen festis præcipuè diebus renovatur ut aquilæ juventus illorum ad volandum sublimiùs per vias cœli sursum. Imò quod Zacharias cap. 10. dixit: *frumentum electorum*, alij legunt, *frumentum juvenum.* semper enim hîc vernat novâ semper ac recenti veris viriditate sancta juventus, etiam in senibus. Et certè festa per sanctissimi Sacramenti susceptionem renovant juventutem, id est vires, colorémque spiritûs.

4. *Joseph Vicecomns de antiqu. Confirm. ritibus lib. 2. cap. 16.* ait Confirmationis Sacramento renovatos totis septem diebus festos lætósque dies singulari precandi studio celebrasse. Ita tota tibi læta & sancta fluet hebdomada seu octava Sancti in cujus festo panis iste cor hominis confirmans tibi porrectus est. Certè S. Gertrudi ad communionem procedenti, ut est *lib. 4. cap. 40.* omnes Sancti visi sunt cum gaudio assurgere. Assurgit & tibi Sanctus tuus ille cujus diem communione honoras. Eandem Sanctam *cap. 39.* se omnium Sanctorum patrocinijs commendantem, Sancti omnes cum gaudio Deo obtulerunt, & quicquid illi deesset, è suis meritis suppleri petiverunt. Idem *lib. 3. cap. 10.* factum, cùm illa omnes omnium Sanctorum præparationes ab omnibus & singulis Sanctis SSS. TRINITATI pro se offerri supplex peteret.

5. *Apud Scortiam de Missa lib. 2. cap. 20. num. 4.* Perusiæ dæmon cuidam die festo Sacrum audire nolenti

cervicem frangens dixit: *Quia noluisti audire Missam in Dei templo, audies lamentationes in inferno.* Tu verò diebus festis audi musicam cœli quâ delectatur Sanctus ille, cujus festum est, illa musica est pro hac mensa Dei cui assides.

6. Unde ipsum festum, & vita Sancti in cujus festo communicas sit tibi præparatio ad communionem. S. Ludgardis Virgo ad hoc Dei convivium cum Deipara Virgine, & cum S. Joanne, Angelisque comitibus ibat. Ita tu omnes advocatos tuos, at illum maximè in Architriclinum adscisce, in cujus festo communicas. Ille sit Asphenez Præfectus tuus *Daniel.* 1. qui te in Regis æterni conspectum adducat. Induere pro festo, pro cœlesti hocce convivio. Anima tua est sponsa Agni. de qua Apocal. 19. *Datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum justificationes sunt Sanctorum.* Sanctorum itaque, quorum festum colis, meritis, veluti byssino splendenti & candido, coopertus accumbe.

AN-

# ANNI EVCHARISTICI

## PARS IV.

## HEBDOMADA XL.

### *Nullo humano reſpectu à Sancto ad SS. Euchariſtiam apparatu te abſtrahi ſine.*

1.

SOlidum rei huic ſemper biduum dabat idque imperturbatâ conſuetudine, Maria Maximiliani II. Mater. Neq; erat in cujus gratiam deeſſet Deo ſuo & ſibi. Magnum, & tenerum eſt illud. Maximilianus, charum Matri caput, è Gallecia à S. Jacobi tumulo, & veſte & reipsâ peregrinus, alijs quis eſſet ignotus, Mantuæ ſe Legato Cæſaris clàm ſtitit. Ille verò Mariæ refert, Maximilianum, peregrinum adeſſe ad reverentiſſima oſcula manuum maternarum. Quis non cogitet admiſſum ad maternos amplexus domeſticum peregrinum? At Maria majoribus diſtenta cogitationibus, *Ego*, inquit, *perendie eum videbo: hodierna enim dies expiandis culpis deſtinata eſt; craſtina Euchariſtiæ ſumendæ dicata; qui dies cum Deo ſolidi debeantur, non eſt quòd in Maximiliani gratiam eos diminuam.* Rho *Virt. lib. 3 cap. 1. num. 5.* Quis hic non plus quàm Numam cogitet dicentem; *Ego verò ſacrificio?* Vide ne in ullius humani reſpectûs gratiam ſolida quæ debes arcano in Euchariſtia Deo obſequia ulla prorſus ex parte imminuas.

2. Inurbaniſſima iſta inhumanitas eſt, in vilium homuncionum gratiam terga vertere verè præſenti Deo! Divinis aſſveſce reſpectibus, ut ad humanos ſis cæcus. Hæc cæcitas oculos acuit nobis videndo Deo. Quid te iſta delectant? S. Cyprianus de cæna Domin. de illo qui Chriſto paſtus eſt, *ad Deum vivum*, inquit, *erigens deſiderium, ita ſingulari fame illo uno appeti-*

*tu*

*su tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium, sit ei quasi rancidum, rodensque palatum acuta mordacitatis acetum.* Quid ergo à cœlesti ambrosiâ ad rancidum humanorum respectuum & delectationum acetum redis?

3. B. Angelæ de Fulginio *cap.* 20. » dixit Christus: Si totus mundus veniret modò tecum, tu non posses loqui » modò alteri. Ego sum qui fui Crucifixus pro te. Ita ibi. O quo te à Deo rapiunt respectus humani! An non inimica est Deo hæc mundi amicitia? Tace mundo: taceat tibi mundus. Loquere Deo: ecce loquitur tibi Deus. » Para te ad recipiendum, inquit ibidem » Christus, quia ego sum multo plus » paratus ad dandum, quàm tu ad recipiendum.

4. Laudatissima ubique temporis parsimonia est: hîc verò liberalem imò propè prodigum esse oportet, quantum ea patiuntur quæ à nobis fieri vult Deus. Cajetanus Theatinorum Pater authore *Rho lib.* 3. *Virt. cap.* 1. *num.* 15. à primis tenebris ad usque matutinum sacrificij tempus, silens, totúsque sibi intentus perstabat, *horásque* plerúmque *octonas* divinæ commentationi impendebat. tum severè excussum animum arcanâ confessione purgabat: atque hoc potissimùm modo comparatus, ad sacrum altare, nescio quæ divini amoris spirans incendia, succedebat.

» 5. Anna ab Almeida Ord: Minor. » *ibid. num.* 16. noctem ejus diei qui sa» cris epulis festus erat futurus, justo per» vigilio ducebat insomnem, & corpusculum flagello acriter cæsum servitutis » admonebat. Hæc de his ille. *Necsanè sub una die domus adornetur Christo*, » inquit Chrysost. homil. de militia Christiana; *sed per totam vita nostra ætatem æterno Principi in reseranda humani pectoris aulâ componatur.*

6. Ad terram promissionis quantis itineribus, quantis laboribus, quanto tempore itum? Gaudentius tract. 16. *Promissionis terra Christi caro est, cujus ubertate credentium corda pinguescunt.* Sunt qui accedunt, sed pinguis licèt sit panis Christi, & præbeat delicias etiam Regibus, tamen illi manent macri sinè succo. accedunt enim sinè ullo cordis apparatu. Tædet quosdam tantillum temporis parando Christi conclavi dare; quasi verò non in thesauris æternitatis reponantur momenta illa omnia, & æternum gloriæ pondus operentur in nobis. quæ huic præparationi impenduntur. Plus hic etiam de pœnis purgatorij deleremus, si plus præparati & devoti essemus. Nam ut S. Th. 3. p. q. 79. a 5. ad 3. ait, *hoc quòd tollitur pars pœna, & non tota pœna per hoc Sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanæ.*

7. S. Ignatius Episc. ep. ad Ephes. *Festinate frequenter accedere ad Eucharistiam & gloriam Dei.* Quibus nimirum passibus ad Eucharistiam accedis, ijsdem accedis ad gloriam Dei. Da ergo tempus, & præparationi & actioni gratiarum. Mundo muliebri dum ornantur fœminæ putant se tempus illud optimè collocâsse. *Hic sanguis facit*, inquit S. Joan. Chrysost. hom. 45. in Joan. *ut imago in nobis regia floreat: his pul-*

*pulchritudinem ac nobilitatem animæ langueſcere non ſinit.* Quò autem tu accuratiùs præparabis, eò redderis pulchrior. Unde præclarè Niſſenus orat. 10. in Cant. *Noſtra ad hunc panem edendum præparanda ſunt corda; ut tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine illius tranſeamus.* Ita apud B. Sales Epiſcopum *lib. 5. de amore Dei cap. 2.* herbæ apoxidis natura eſt, ut quamprimum in conſpectum ignis venit, flammam ignis attrahat, & unà ardeat. Ita hi ſanctè parati, ut primùm in conſpectum Euchariſtiæ veniunt, ignem arcanum in corde concipiunt, & ardent. Neque illos tædet præparationis. Sunt ijs non abſimiles, qui, ut *ibid.* Sales ait, ore tenent herbam dictam Sciticam: nam ij nunquam eſuriunt, neque ſitiunt, ita illos illa ſatiat, neque tamen inde amittunt appetitum. Ita hi videntur Euchariſticâ hac herbâ palatum cordis oblectare ſemper ad guſtum cordis, obliti propè cibi ac potûs.

# HEBDOMADA XLI.

## *Ad Sanctiſſimum hoc epulum tanquam ad cibum prædeſtinatorum accede.*

1.

HIc eſt Paſtor, ovium via, veritas, vita, & cibus. In fractione cœleſtis hujus panis noſcunt illum electæ pro dextra oves, & noſcuntur ab illo. Ita *hiſt. Soc. part. 3. lib. 8. num. 162.* Sachinus electam Jesu ovem B. Borgiam producit, de quo verè dixit illud Jesus, velut de ove ſua: *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Id muneris videbatur Franciſcus divino quodam inſtinctu conſecutus, inquit ibi Sachinus, ut inferens pedem in templa, ſagaciſſimè ſtatim ſentiret, quo loco veneranda myſteria ſervarentur: necipſe unquam, lampades licèt interdum, & cætera argumenta fallerent, falleretur. Angelicam ille ſemper famem ad cibum hunc Angelicum afferebat, ut ad ſalutis arrham in ara poſitam.

2. Iſte enim panis eſt Angelorum, quo educantur ij qui rebellium Angelorum ruinas implebunt in Civitate Dei. *Paſcit ille,* inquit ſerm. 1. de Advent. Bernardus, *paſcit Angelos in illas perpetuas æternitates, quas ſatiat viſione æternitatis & immutabilitatis ſuæ.* Ad illam ſatietatem obſonanda nunc fames eſt, & ſacro hoc cibo acuenda in palato cordis. Neque cibum mirare dum legis cibum hunc eſſe cibum prædeſtinatorum. Hic enim eſt *panis filiorum, non mittendus canibus*: hic eſt cibus grandium: hic eſt panis vitæ. *Quemodo morietur,* inquit in Pſ. 118. ſerm. S. Ambroſ. *cui cibus vita eſt? &c.* de rore Paradiſi mihi paſcua præparavit.

3. Hoc electorum frumento electos ſuos paſcit, & coronat Deus; & futuræ gloriæ nobis pignus datur in hoc emporio gratiarum. Sacramentum hoc vivorum dicitur, id eſt, eorum, qui hic per gratiam vivi non ad infelix illud mortuorum ergaſtulum, verùm ad vivorum gaudja præparantur. In inferno, ſecunda, & æterna mors habitat; in cœlo, ſecunda & æterna vita. Et hujus

jus vitæ est hic panis, qui de cœlo descendit, ut ne nos descendamus in infernum morientes, verùm ascendamus ad cœlum viventes, juxta illud toties veréque promissum: *Vivet in æternum.*

4. Idem affirmat Ecclesia, dum in sacro sic orat: *Fac nos, quæsumus, Domine, divinitatis tuæ sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Hoc est pharmacum, hoc poculum veræ immortalitatis. *Trigautius Sinarum lib.* 1. *cap.* 9. ait, poculum immortalitatis Regi porrectum, ut biberet immortalitatem. Timebat Regi immortalitatis poculo natantem fortè mortem ab impostoribus propinatam intimus amicorum: & ubi multis dissuasit, neque tamen persuasit, nil opinanti poculum eripuit, & exhausit. Mortem stricto mucrone minanti Regi respondit; quomodo se occidi posse putet post exhaustum poculum immortalitatis? Aut si immortalitatis poculum non fuit, non injuriam se Regi feciſſe, sed Regem ab impostorum insania liberâsse. Acquievit sapienti amico Rex. Vide ne ullus tibi amicus, ne respectus humanus hoc aureæ immortalitatis pharmacum eripiat. Mortem hic bibere non potest nisi qui vult. volenti vivere vita est in æternum; est Sacramentum viventium, & quia nemo illud debet suscipere nisi in gratia constitutus, & quia in illo, ut ait Ecclesia, nobis *æternæ gloriæ pignus datur.* Hoc ergo est Sacramentum vitæ, Sacramentum gloriæ, Sacramentum æternitatis.

5. *Balinghem* 21. *Decemb.* ait P. Petrum Canisium, cùm ante SS. Eucharistiam prostratus oraret, vidisse clarè paucos fore salvos. At tu a Christo lumen pete, ut videas, quid illud *Pauci* significet. & ita symposio huic accumbe, ut decet. hic enim cibus paucorum est.

6. Idem Christus, qui nobis,

*Se nascens dedit socium,*
*Convescens, in edulium,*
*Se moriens in pretium,*
*Se regnans dat in præmium.*

Una è præclarissimis salutis notis, tesseraria hæc nota est. E Cydno fluvio qui biberint, divites ac beatos fore ajebat Homerus. At qui Jesum, aquam hanc vivam accipit, ille verè semper opulentus ac beatus erit.

7. *Palladius in Lausiaca hist.* refert, quòd Ammonas sanctus Sacerdos, inter celebrandum viderit ab Angelo à dextris aræ stante communicantium nomina libro inscribi cœlesti: qui simul eorum, qui communionem negligebant, nomina è libro deleverit. Deleti verò omnes intra triduum è vivis alij post alios excessêre. Hic nimirum in librum vitæ inscribimur pignore gloriæ.

8. Hinc 1. Cor. 11. *Hic calix novum testamentum est*, inquit, in quo non jam terrenæ, ut in veteri testamento, verùm cœlestes sunt promissiones. Verè Eucharistia nobis instar est vivorum bibliorum: quod illa in toto novo testamento promittunt, hujus ista pignus dat. Unde S. Anselm. in cit. Pauli locum: *Dicitur testamentum*, inquit, *quia munit, & defendit nos adversus calumnias hostis antiqui, ne cœlestem nobis hæreditatem possit auferre; sicut illæ literæ, quæ vocantur testamentum, hæredem muniunt adversus calumniatorem, ne*

*ne tollat ei hæreditatem.* Hoc etiam sensu verum est illud S. Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 24. *Hic terram tibi cœlum facit hoc mysterium.* Nam, ut ep. 9. habet S. Paulinus: *Christus idem & panis, & regnum est, quo nos saginamur.* Chrysost. in 1. Cor. hom. 24. *est nervus nostræ salutis.* S. autem Thomas à Villa nova Archiep. Valent. serm. 1. de corp. Christi sic: *Hic panis edenti vitam præstat, non centenariam, sed æternam; vitam jucundam, vitam beatam, vitam omnium bonorum plenitudine felicissimam.*

9. MARIA ore tot seculorum salutatur *arbor vitæ.* Hujus arboris benedictum fructum hic sumimus ad vitam. Nihil reprobis cum hoc fructu. De magnæ sanctitatis Virgine quadam hæc habet *apud Nieremb. de amore erga Beatiss. Virg. cap.* 13. Cæsarius: » Cùm tempore quodam nobilis hæc & » gloriosa Virgo cogitaret de abysso prædestinationis, & ineffabili Sacramento » atque remedio divinæ Incarnationis, » facta in excessu, Virginem Deiparam » coram se vidit crystallinam, id est, ad » modum crystalli pellucidam, in cujus » utero contemplata est infantem pul» cherrimum, regio diademate corona» tum. Habebat autem idem diadema » quatuor flores eminenter: qui, eâ in» tuente, sursum ascendentes, & Virginis » caput excrescentes in ramos arboreos » profecerunt, & modico spacio tempo» ris emenso, quatuor mundi partes im» pleverunt: quorum fructus erant pul» cherrimi, odoris eximij, miríque sapo» ris. Et ecce sub ramis ejusdem, appa» rùit omne genus humanum, à proto» plasto Adam usque ad ultimum qui in» fine mundi nasciturus est. Soli verò » electi, fructus arboris carpebant, eísque » vescebantur: reprobi autem nihil ex » eis contingere, vel vesci potuerunt. » Hucusque ille. Hunc Regem IESUM, hos electæ arboris fructus accipis, dum Eucharisticis electorum delicijs pasceris. Hoc Sacramentum est pulcherrima omnium præparatio ad Sacramentum prædestinationis.

10. S. Gertrudis *lib. 3. cap. 18.* post communionem vidit Christum in specie pellicani rostro transfodientis cor suum; & ab illo post plura audivit; Considera, quàm excellenti modo ani» ma tua sumpto hoc dono vivificatur in » vitam æternaliter permanentem; sicut » pullus pellicani vivificatur ex sanguine » cordis paterni. Hujus cœlestis pelli» cani corde & sanguine educuntur in æternam vitam electi pulli. A corde pellicani JESU vivere est hoc Sacramento pasci. Inde illa Ecclesiæ in festo S. Joannis ante portam Lat. in Sacro oratio: *Refecti, Domine, pane cœlesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam.* Ecce panis filiorum vitæ!

---

# HEBDOMADA XLII.

## *Ab ipso in Eucharistia latente DEO IESV quomodo te ad hoc Sacramentum parare debeas, lumen pete.*

1.

SIne, *amabo te, amari, meus festus dies*, ajebat amico suo apud Plau-

tum amicus. Verè, & seriò ab ipso quem amamus, qui nos amicos vocare dignatus est Deo, habemus hoc ipsum, quòd illum amemus. Ille jubet se à nobis amari: & ille dat ut id sciamus, & velimus, in hoc amoris gymnasio. Ille nobis *festus* est *amoris dies*. Hoc ergo unum agamus. *O humana duas non admittentia curas pectora* (ut Iuvenalis loquitur) hoc agite toto animo! hoc præ alijs à Deo discite! Cœlum, cœlum, Deus, hæc Corinthus nobis est adeunda. Deus est hospes. Servemus inviolabilis jura hospitij. ita erimus olim hospites Dei.

2. Hoc, è D. Dionysij mente, de Eccl: hier. cap. 3. *Sacramentum Sacramentorum est, oportetque sacra ejus descriptionis interpretem secundùm Scripturas, ex divina hierarchicaque scientia per Dei principalem spiritum ad sacram ejus adduci contemplationem.* Si interpretem, quid convivam? Ex hoc fonte petendum lumen: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Psal. 49. Quamvis enim etiam alijs hierarchicis functionibus eos qui initiantur sacræ lucis consortes fieri inquit *cit. cap. 3. S. Dionys.* attamen hæc illa est quæ primùm mihi visum impertivit, pérque illius lucem principaliorem ad cætera quoque sacra contuenda *lumen accipio.*

3. *In Vita* 20. *Febr.* S. Euthymius vidit in SS. Eucharistiæ sumptione aliquos ab illa illuminari, aliquos obscurari, & velut morte affici. Ad Solis lumen ipsum Solem vides. Ipsa te ad dignè accedendum accendet & illuminabit Eucharistia, quæ est panis filiorum lucis. Ipse nos ad præparationem hanc hortatur Christus, ut admitamur ut omni ope ac operâ studium adhibeamus. Joannis 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis, &c. Panis enim Dei est.*

4. Panis Guajazæ radicis, *apud Nieremb. hist. nat. lib.* 14. *cap* 101. ita fit, ut Soli exponatur alba massa. *Postquam Solem toleravit biduo plus minúsve, farcitur vermibus, velut caro putrefacta, & fusceseit. Dúmque scatet vermibus, placentula ex illis fiunt, quæ torrefiunt. Hic panis olim Barbarorum ejus plagæ. Si ante verminationem gustaretur, cicutæ instar perimeret.* At hic barbarorum panis fuit. Ecce *panis Dei:* ecce panis Angelorum! Apage sordes verminationis, & cicutas.

5. Ne autem nobis hic Dei panis cicuta sit, orandus est ipse, ut ipse nos illum comedendi modum edoceat, ipse nos præparet sibi. *Ibid. cap.* 11. Arbores quædam sunt dulcium pomorum feraces, sed maximè noxiorum: *in vermes namque comesa convertuntur.* Vide ne è sumpto hoc fructu ventris Virginei, tibi nascatur novus conscientiæ vermis: atque ita panis istius præparatio, fructus hujus sumptio, tibi horrendum vertatur in vermem, qui tibi cor exedat. Mores cum quibus mensæ huic tibi est accumbendum ipse te Princeps docere & potest & vult, modò illum sinceră submissione roges.

6. S. Gertrudis *lib.* 3. *cap.* 18. agnovit se nunquam paratam fore etiam si mille annis se pararet. Cum humilitate ergo & fiducia processit, sperans se à Domino ipso apparatum accepturam. Misertus illius Dominus pretio-

si

fis vestibus illi missis, illam innocentiâ, humilitate, spe, amore vestiri fecit, & misit illi *coronam gemmatam. Aliàs Filius Dei ad præparandam eam, manus illi lavit: deinde ornamenta sua, scilicet torquem armillas, & annulos quibus ipse ornatus apparuit, solvens, eidem appendit.* Ita nos meritis suis instruit, & sibi præparat Deus. Absque illo nihil esset præparatio nostra etiam millium seculorum. Eadem S. Gertrudis *lib. 4. cap. 53.* vidit Beatissimam Virginem apud JESUM pro suis supplicantem. *Ad cujus preces Dominus omnes signo salutiferæ Crucis communiens, benedictione suâ divinâ ipsos præparavit ad dignè suscipiendum, & conservandum vivificum Sacramentum.*

# HEBDOMADA XLIII.

## *Contra hostem implora opem latentis in Eucharistia DEI JESV.*

1. SAncta Clara Virgo, magnæ illius ac sanctæ tot millium religiosarū familiæ Mater, Saracenis Assisium obsidentibus, jámque sacro illi Parthenio imminentibus, ægra se ad portam afferri voluit, ut habet *Brev. Rom. 12. Aug.* unáque vas in quo SS. Eucharistiæ Sacramentum erat inclusum: ibique oravit in hunc modum: *Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi; & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti.* Tum audita vox: *Ego vos semper custodiam.* Saraceni verò, qui jam muros occupârant, cæcitate percussi præcipites corruêre; alij se dedêre in fugam. Nullum habemus isto majus contra hostes præsidium. Hinc illa S. Matris Ecclesiæ suspiria:

*O salutaris hostia*
*Quæ cæli pandis ostium!*
*Bella premunt hostilia;*
*Da robur, fer auxilium!*

2. *Jud. 7.* notus est panis ille, gladius Gedeonis, qui castra Madianitarum, & tabernaculum percussit, subvertit, & terræ funditus coæquavit. Henninges in Geneal. ait, à Donaldo Scotorum Rege hostes Danos & Norvegos pane superatos. Misit enim in castra hostium magnam panis somnifero quopiam succo infecti vim. Ita somno solutos oppressit, & ligavit. Hic verò panis vigilem te faciet & victorem. *Apud Joan. à Leyde Chron. Belg. lib. 1. capit. 4.* Cunila Virgo panes egenis dum fert, à Rege quid ferret interrogata, misso ad Deum suspirio, sinum explicuit, & Rex vidit in sinu hastilia mera, non panes. O verè hic panis est hastile amoris, quo haurit corda, & hastile victoriæ quo hostes configit Deus!

3. In specierum harum quasi vagina latet gladius victor hostium. Hic est aureus gladius, Hic nobilis clypeus. Amorium oppidum expugnaturus apud Cedrenum Saracenus Dux jussit milites singulos in scutis *Amorium* inscribere. Hic enim verò vivo charactere inscripta est æternæ quam expugnatum imus Civitatis beatitas. Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Ecce Amorium nostrum! en cœlum in pane! ut vel sic animati eò ardentiùs ru-

amus in pugnam, habituri pro triumpho Deum.

4. Ibi quasi sub tentorio candido noster Generalis, seu Imperator sedet. Unde nonnisi hoc salutato sese & suos Henricus I. Imperator accingebat ad pugnam. S. Ladislaus Ungariæ Rex Urbem non infimam monte uno farinaceo, seu farinâ aspersо, expugnavit. *Vid. Bonf. dec. 2.* Erat ibi mons seu collis farinâ tectus: hic est Jesus desiderium collium æternorum farinæ specie candidatus, velatus. Farina hæc est è molendino Dei. Ibi Urbes expugnantur, ibi cuduntur coronæ. Est, inquit *B. Dion. Carth. de Vit. curat. a.* 15. Est » Sacramentum hoc, incomparabile, & » pretiosissimum Ecclesiæ *militantis* clenodium.

5. *Granatensis Catechismi lib. 2. capit.* 27. ait in Valentiæ regno Anno Domini 1239 à mille Christianis maximum Barbarorum exercitum vi confessionis, missæ auditæ, & communionis, iterato conflictu adeo cæsum, ut sanguine omnia & cadaveribus plena essent.

6. *Apud Spond. ex Baronio* A. 1040. Catalacus Imperatoris Præfectus, suis priùs sacrosanctæ Eucharistiæ mysterio communitis, somno vinóque sepultos invadens Saracenos omnes vel trucidavit unà cum eorum Principe, vel fugavit. ingentem adeptus cum victoria prædam, adeo ut præter maximam auri & argenti copiam, margaritas, pretiosósque lapillos, medimnis milites divisisse dicantur. Ita Henricum IX. Imperatorem, ita Guilielmum Nortmannum, ita Jerosolymæ expugnatores, ita Constantium filium Constantini suos pœnitentiâ expiatos, Eucharistiâ firmatos, Sanctorum invocatione vallatos ad conflictus, ad victorias, ad triumphos iisse legimus passim. In illo sunt artes belli, & pacis.

---

# HEBDOMADA XLIV.

## *Pro magno hoc beneficio & ipse gratias Deo agere assvesce, & alios ad idem cohortare.*

I.

*Vere Deus absconditus tu es!* ingeminabat post Sacrum *ex Isaia* Joannes Saguntinus Ord. Eremit. Absconde te in abscondito Deo, qui se abscondit in speciebus, & unà cum speciebus se reposuit in te! Habes in illo occupationes & suavissimas, & saluberrimas ad gratias agendum. Age id quod agere tunc nonnullos scribit S. Cyprianus sermon. de cæna Domini: *Quàm præclarus est*, inquit, *calix iste, quàm religiosa hujus potùs ebrietas, per quam non habentes sensum hujus mundi, sed divitùs præparatis delicias contemnentes, Cruci haremus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, &c. Implet, & satiat edentium appetitus, & omnia carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his, quasi per quosdam quasi canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur. Gemitus illos*

pietas

*pietas excitat, & inter diem & noctem, inter data & condonata se dividens, gratias agit tam uberis beneficij largitori, &c.*

2. Ardentissimæ verò agendæ sunt gratiæ ei, qui os tuum non jam sicut Isaiæ os calculo mundavit ignito, verùm seipso. Præclarè D. Joan. Chrysost. in illud *è Ps.* 22. Parâsti, &c. *Igne spirituali*, inquit, *plena est ista mensa: & quemadmodum fontes naturaliter scaturiunt aquas; ita hac mensa flammam quandam ineffabilem fovet.* Expertus id est S. Ignatius Episcopus, quo celebrante sacer panis instar cœlestis carbonis ardens videbatur & micans. *Vid. Baron. tom.* 10. *A.* 878. His tu carbonibus cor tuum impone torrendum sacratissimo illo post acceptum cœlestem illum carbonem tempore: quod tempus verè Eucharisticum est, quia dulcissimis & maximis gratiarum actionibus destinatum. Habes hospitem opulentissimum, & benevolentissimum simúlque beneficentissimum. Age cum illo prolixè, non inurbanitatis id, verùm nunquam satis laudandæ cum Deo conversationis erit indicium. Achilles, cervorum medullis sub Chirone educatus est infans, apud Pierium: unde adeo postea valebat cursu, ut Pindarus dicat illum cervos absque canibus assecutum. Maximum est beneficium sic educari ad cursum consummandum, non medullis cervorum, sed carne & sanguine Filij Dei.

3. Ergo pro hoc beneficio dic Deo Gratias. Nam ut ep. 77. ad Aurel. ait August. *Quid melius in animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm* Deo Gratias? *Hoc nil dici brevius, nil audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* S. Bonavent. à S. Hieron. didicit, quod medit. de vita Christi cap. 3. dixit de Beatissima Virgine: *Si quis illam salutabat, illa pro salutatione sua* Deo Gratias *respondebat. primúmque ex ipsa exijt, ut cùm salutantur homines sancti,* Deo Gratias *dicant.* O verbum tali Magistrâ felix, & quotidie & in illius gratiam, & in grati animi significationem quotidiano endelechismo millies repetendum!

4. *Frustra Deo sacrificia incendimus,* inquit Merc. Trismeg. *nisi adoremus ipsum gratias agentes.* Julius Ursinus in vita S. Franciscæ Viduæ Romanæ *lib.* 3. *cap.* 15. ait, illam post communionem vidisse in medio prati amœnissimi fontem rotundum è candidissimo alabastro, ad quem per plures gradus ascendebatur. Non habebat fons ille quicquam aquæ à se; verùm è cœlo plenus erat liquore limpidissimo, quocunque autem guttula quæpiam decidebat in terram, fiebat locus inexplicabiliter lucidus, ac fœcundissimus florum odoris paradisi. Unâ gustatâ guttulâ inebriari sibi cor sensit Franciscа, & accedens, hanc in fonte legit epigraphen: *Pessimus* JESUS *est is qui amando amantes ad se attrahit & sibi amoris.* Substerne cor cœlestibus liquoribus, qui è cœlo per Eucharisticum hunc fontem exundant in te. Adde si quas potes cordis lachrymas, pete trahi amore non tepido, non semimortuo, sed vivo. Nullum habes pretiosius tempus. Hic est fons quem ingratitudo exsiccat.

5. Aliàs eadem Sancta post communio-

nionem rapta spiritu, posita fuit super basim lucentissimæ columnæ positæ super eminentissimum montem: unde vertice sibi cœlum tangere videbatur. Erumpebat verò è multis columnæ partibus ignis per totum montem diffusus; alius item ignis in magnam hominum vim foras exundabat. Certè post communionem habes in cœlo caput. Vide ne illud inde demittas. Eucharistia est Pharus cordium. Ibi ex alto, è sublimi despice ima hæc, ibi te resigna: & calcatis his assurge ad charum Deum. Ibi scit ima hæc infra se posita contemnere qui novit summa illa æstimare. Ibi divini, ibi effusi in proximos lethali scelere obstrictos, vel mortuali lectulo ingementes, in inimicos, in omnes, amoris æstus, faciant igneum cataclysmum.

6. Ne verò tædeat cœlestibus illis occupationibus diutiùs immorari, audi quæ postea viderit. Vidit tabernaculum pulcherrimum, & quiescentem in illo agnellum, & agnellorum gregem, & cœlestes voces. Benignissimus verò ille agnellus, in pectore grandi vulnere saucius, posteaquam omnibus illis ad bibendum dedit è latere, invitavit & Franciscam ut accederet, & os ad vulnus apponeret. Currebat illa ad dulcem invitationem, & Agnellum complexa, tota in deliciarum abysso sibi amissa videbatur, quas è corde Jesu pleno ore sugebat. Sentiebat sibi cor revelli, quasi avidum subintrare in arcana adyta candidissimæ cujusdam lucis, quam in intimis agnelli intra pectus penetralibus videbat, unde etiam vocem voluptate inexplicabili erumpentem audivit, quæ dicebat: Ego sum amor, qui clamo voce altâ: qui sitit, veniat fidenter: volo enim illum satiare: neque alia de causa cor meum sic aperui, nisi ut quemlibet in me transformem, & cœlesti amore dulcissimè inflammem. Ita per duas horas vultu Angelico hæsit Franciscæ inter cœlestes jucunditates absorpta.

7. S. Joan. Chrysost. hom. ad Neophytos: *Cùm te egredientem post convivium dominicum viderit inimicus post cœlestes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, &c. Et cùm os tuum senserit rutilare, gressum suum retrò cum timore torquebit.* Ardenti ergo gratiarum actione, accensisque è cordis foco suspirijs ut os tuum rutilet, vide.

8. Superbè ac plùs quàm hyperbolicâ impudentiâ de Philosophico suo lapide Aurelius Augurellus in Chrysopoeia:

*Ipsum ut tenui projectâ parte per undas*
*Æquoris, argentum si vivum tum foret aquor,*
*Omne vel immensum mare verti posset in aurum.*

Quàm magnæ, tam arrogantes & temerariæ laudes! At tu habes in te lapillum è monte virgine, lapidem angularem, plus quàm Philosophicum. hic te aureum potest facere totum, si velis. Vidimus certè quosdam vivi argenti instar inquietos & ad externa effusos, hujus divini lapidis adminiculo, id est, devotâ frequentatione, totos pretiosos, compositos, aureos factos esse. Hujus verò Chrysopœiæ exercendæ tempus est illud vel maximè quo Deum hospitem linguâ & pectore excepisti. *Ille* ut loquitur S. Laur. Iust. de humil. c. 6. *ibi*

*ibi tunc tibi imperat ut Deus, terret ut Dominus, protegit ut custos, hortatur ut Pater, docet ut Magister, cohabitat ut frater, nutrit ut Mater, blanditur ut amicus, illustrat ut Veritas, prævenit ut bonitas, se manifestat ut lux, loquitur ut Verbum, dulcorat ut sapientia, salutemque præstat ut Vita.* Potes tunc, & aliàs crebriùs dicere id, quod Cæsario referente *lib.* 12, *cap.* 57. religiosus quidam adeo utili devotione oravit, ut hac oratione corde intimè contrito dictâ, effecerit, ut cœlum absque ulla in Purgatorio pœna conscenderet. Dic ergo cum illo ad JESUM quem sumis: *Domine IESU, per illam amaritudinem quam sustinuisti pro me in Cruce, maximè quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo; miserere animæ meæ in egressu suo.* vel id quod *Blosius* & *Drexelius prodr. cap.* 3. §. 41. apud ægros maximam vim habere ad salutem ajunt è Christi revelatione. Sunt autem hæc verba, quæ sanus & æger ante communionem corde pleno pronuncia: *Domine Deus, ego sum miser ille, quem tu pro paterna bonitate tua creâsti, & per ignominiosissimam mortem Unigeniti tui de potestate inimici redemisti. Tu solus imperium, & dominium in me habes, meq; salvare potes secundum immensam misericordiam tuam, in qua spero, & confido.*

## HEBDOMADA XLV.

*Æger, tametsi mortualis ille morbus non sit, sacrum hoc pharmacum ne neglige.*

1.

PAnegyricus Constantini, *Mihi Deorum*, inquit, *munus & primum videtur & maximum; in lucem statim felicem venire.* Magnæ sunt hæ natalium laudes. Mihi verò immortalis Dei munus & primum videtur, & maximum, ex hac luce, seu tenebris potiùs, felicem discedere. Felicitatis illius nobile convivium est Eucharistia. Ludovicum Imperatorem in morbo suâ quotidie peccata confessum, sacráque refectum Eucharistiâ plurium testium relatione didicimus. Ponderanda sunt sancta illa verba: *Accipe frater*, vel *soror, Viaticum Corporis Domini Nostri IESU Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in Vitam æternam, Amen.*

2. Est pharmacum immortalitatis. Ita cùm infirmaberis, fortior eris. B. Stanislaus Kostka Viennæ Austriæ juratus jam Soc. JESU candidatus, cùm Decembri mense lectulo se videret affixum, & Paulum Kostkam germanum suum, divinorum tunc haud satis diligentem experiretur, neque ab hospite non Catholico spei aliquid affulgeret; ne augustissimi illius convivij solatio careret; ad invocatam sæpiùs tutelarem suam D. Barbaram versis precibus, illam pro cœlesti illo seu viatico, si migrandum esset è vita, seu cordis solatio deprecatur. Ecce autem (singulare, paucísque concessum donum) nocte intempestâ ipsa adest, & sub aspectum se offert S. Barbara, paritérque Angeli duo claro in lumine sacrosanctam adferentes hostiam: qui cùm ad lectulum accessissent famelici ægri, reverenter ei porrexerunt. O te felicem Angelicæ Societatis candidatum, Stanislae, cui

ægro

ægro immortalitatis alimoniam expeditis ad te Legatis, & Patronâ Virgine, ministrat pronum ad tua desideria cœlum. Jacebas in lectulo, & audiebaris in cœlo, visitabaris, pascebaris à cœlo. Ecquid ægro corpusculo suavius aut salubrius potest accidere, quàm si Medicum ipsum, vitæ Dominum, recondat in cor.

3. De flore Solsequij, seu moloche, *lib. 8. cap. 8. apud Portam* lego; si quotidie quis succi hujus sorbeat cyathum medium, omnibus morbis cariturum. Cavendi sunt morbi omnes, quia infirmum reddunt hominem, & demum auferunt vitam. At quantò magis cavendus est morbus peccati qui aufert vitam æternam? Et sanus ergo & æger sæpe bibe sanguinem Jesu contra morbos omnes. Bibis ejus sanguinem, dum vivam & sanguine plenam immortalis Christi carnem comedis.

4. S. Chrysostomo migraturo è vita Sancti Petrus & Joannes Apostoli assistentes amicè collocuti, illi contra dæmones victoriam, migrationem ad Deum, lætam æternitatem, læti annunciârunt: dum cœlesti & ineffabili eum efcâ paverunt: ex quo postea nihil cibi sumpsit.

5. *Apud Bedam lib. 3. hist. Anglic. cap. 14.* puero Saxoni nuper converso, simplici mansuetóque, cùm æger decumberet, adiuêre Sancti Petrus & Paulus Apostoli; ac salutato, *Noli timere, fili, mortem pro qua sollicitus es*, inquiunt: *Nos te hodiernâ die ad cœlestia regna sumus perducturi. Sed expectare debes donec missa celebrentur, ac viatico Dominici corporis, & sanguinis accepto, sic infirmitate simul ac morte absolutus, ad æterna in cœlis gaudia sublevetur.* Audi ergo & tu monentes cœlites, & viatico immortali tempestivè te instrue.

6. S. Joan. Chrysost *lib. 6. de Sacer.* ita sancto viatico instructorum animas ad cœlum ait Angelis stipantibus deduci. Totus itaque enitere, ne id ullo humano vel alio respectu inductus, negligas. *O sacrum peregrinationis nostræ viaticum*, inquit ep. 2. ad Damasum apud Eusebium S. Hieron. *quo de hoc nequam seculo pervenitur ad cœlestis Hierusalem consortium!* S. Joan. Chrys. hom. 24. in 1. ad Corinth. *Ipsa mensa animæ nostræ vis est, fiducia vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Si hinc hoc sacrificio muniti migraverimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus contecti. Sunt *apud Scortiam de missa lib. 4. cap. 27. num. 4.* qui piè meditentur, singulari nescio quâ pulchritudinis corporeæ notâ insigniendos, præter cæteros, qui communicaverint. *P. Cordùba lib. de adjuv. moribundis part. 1. cap. 6.* refert S. Augustinum moribundum, qui SS. Sacramentum sumpturus pro viatico, sic salutavit: *Ave principium nostræ creationis, & reparationis. ave sacrificium nostræ reconciliationis. ave antidotum nostræ curationis. ave viaticum nostræ peregrinationis. ave solatium nostri laboris. ave refugium nostræ tribulationis. ave præmium nostræ expectationis!*

7. S. Ebrulphus, ut est *in vita illius 29. Decemb.* audiens unum fratrum sinè sacro migrâsse viatico, infremuit spiritu; & orans cum lacrymis, defunctum interro-

interogavit, utrùm vellet Eucharistiam accipere? Aperuit oculos moribundus, & annuit. Accepit: & expiravit!

8. Optimùm est die Jovis, sive quintâ quavis feriâ, vel in ipsa communione, si communices, vel aliàs petere gratiam viatici sanctè sumendi. Christus certè Sacramentum istud ultimâ vitæ suæ hebdomadâ die Jovis instituit. *Lopez in hist. Dominic. lib. 3.* refert Mariam Margarettam Delphicam è S. Dominici Ordine Virgunculam, post sumptum ferculum Angelorum die Sancto Jovis, qui cælesti huic pani natalis est, à Christo didicisse, ut quothebdomadis die Jovis, sive feriâ V. ad cœlestem hanc mensam accederet. Fecit illa: & alias ad idem induxit. Fecit verò eximio animi ardore, cujus index erat cœlestis illa lux, quâ adeo in sacrosancta illa actione perfundebatur, ut divinum & lucentissimum Solem in innocentissimo pectore gestare videretur, cujus radijs ad ipsum etiam qui Delphinæ Synaxim porrigebat Sacerdotem se porrigentibus, omnia collucerent. Unde eo die nihil cibi aut potionis accipiebat usque ad noctem. O verè Jovialem illi diem! Quintâ ergo quavis feriâ de ultima vitæ tuæ feria, & Eucharistica illius feriæ annona esto sanctè sollicitus, ne moriaris jejunus.

# HEBDOMADA XLVI.

*COR totum dedica SS. Sacramento.*

1.

BEatæ JOANNÆ Franciscæ mensæ accumbenti adfuit hospes Christus, ut ex ejus vita refert *Barrius de S. Josepho cap.* 5. sed illa hospiti dulcissimo loco lautitiarum omnium in argentea lance tria tantùm corda apposuit. Erat in lance COR JESU, COR MARIÆ, COR JOANNÆ. O quàm bene scit bonus amor quibus cibis pascatur Deus! En JESUS cum toto corde suo se tibi in hac mensa cœlesti apponit in cibum: appone & tu illi cor tuum totum. Ita par quidem pari non reddes; at certè reddes id quod illi in te maximè sapit. An non totum COR huic Sacramento devoverant apud Goanos ij, qui, ut est *in Annuis S. I. 1620.* jam in consvetudinem traxerant, ut quoties alter alteri occurreret, aut literas ad alium daret, diceret, scriberétve, salutationis loco; *Laudetur Sanctissimum Sacramentum?*

2. Suspira ergo ad JESUM, & juxta sensum internum, quem ille P. Balthasari Alvarez S. J dedit, *vita cap 6. §. 1.* dic illi: Domine, si animæ nostræ, „ quam dedisti nobis, vita sufficiens est sibi & corpori cui unitur, ejúsque partibus omnibus; quantò magis vita tua, „ Christe, quæ est vita Dei, sufficiet tibi, & animæ ad quam in hoc Sacramento venis. Hoc enim est quod ipse dixisti Joan. 6. Sicut misit me vivens Pater, „ & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, *ipse vivet propter me.* Vita „ tua, Domine, utrique sufficiet, tua sanctitas, tua potentia, tuæ divitiæ. Modicum fermenti totam massam sapidam „ reddit: & tu *in medio cordis* existens „

non reddes illud sapidum? Age, & quod Aug. serm. 150. de tempore monet, *Velut oves pascua Domini, in ara cordis igne charitatis assati, nosmetipsos offeramus hostiam Viventem, sanctam, Deo placentem.* Hostiam sanctam hostiæ sanctæ. Age id quod agit S. Joannes Bonavent. serm. 1. in Adv. *Tu autem funde quotidie hunc sanguinem super altare* cordis *tui.*

3. Neque te ab hoc cordis sacrificio retardet, si quid fortè labeculæ in corde resideat. Abstergenda est illa, & accedendum. Ita, vidente id S. Mechtilde, teneram quandam animam communicare detrectantem ob leviculum nescio quid quod animum religiosiùs angebat, suaviter compellans Christus, » Quid, ajebat, ô charissima, me fugis? » Eja age, fidenter accede ad omnipotentiam Patris, ut te confirmet; ad Filij » sapientiam, ut tibi mentem illustret; » denique ad Spiritûs Sancti bonitatem, » ut emolliat, & tranquillum reddat Cor » tuum. Prima tamen diligentia esto, cordis à labe gravi mundicies. Diacostidis gemmæ & pulchritudo, & virium valor magnus. At si gemmam ori cadaveris imposuisti, jam Diacostidem omni virium gloriâ spoliâsti. Cadaver vivum est, qui mortuam à peccati mortalis vulnere animam circumfert. Eucharistia vivorum Sacramentum est, in ore cadaveris talis tantum abest ut prosit, ut sit potiùs mors. Nullas ibi suas vires exerit. Mortem in peccato expue, & diacostidem Eucharisticam corde vivæ fidei, spei, charitatis vitâ vivo ori insere. Senties sanctas illius vires, ac sicut balsami & cortex, & folia, & omnia denique odorem halant singulares; ita tu totus à cibo isto eris odoratissimus. at hoc balsamum est vivorum; non quo mortui condiantur. Tu corde toto vive.

4. *O Sacerdotes*, verba sunt August. serm. 37. ad FF. in eremo, *si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit; ita, etsi non tantum, tamen beata esse debent corda vestra, in quibus quotidie elegit sibi hospitium Filius Dei.*

5. Hoc esto conclave Jesu: cujus clavem ille habeat, Sunt Zaxiquia Japonibus pretiosa conclavia, ipsis propè cariora oculis, mundicijs ornatúque insignia, non ad habitandi usum, sed ad oblectamentum atque delicias, inquit *Sachinus hist. Soc: p. 3. lib. 6. num. 281.* & tamen Antonius inter Christianos vir nobilis Ludovicum Froës è S. I. hospitem tanta cum voluntate excepit, ut illum *in ipso suo Zaxiquio habitare voluerit.* In ipso cordis tui Zaxiquio habitet Jesus. Dilectus tuus Jesus se tibi dedit: da tu te illi.

6. Beatus Andreas Avellinus Cler. Reg. datis Neapoli Italicè *Anno* 1593. 5. *Novemb.* ad Veronensem quandam piam animam literis, frequentem illi communionem suadebat. ubi de corde Christo dando plura. Excerpo quædam ex epistola. Intellexi, inquit, te » misericordiæ operibus proximo impendis benè, imò optimè intentam. » Decrevi ergo tibi ostendere quomodo » possis omnia misericordiæ opera exercere circa ipsam Christi personam, idq; » facillimè, magno gustu, absque expensis, absque fatigatione, sinè temporis » dispendio, intra momentum. Itaque » communica, Domina, & sæpe, quia » quoties vesceris hoc pane, cujus repletio

„ tio est optima, toties erga ipsum Chri-
„ stum omnia misericordiæ opera exer-
cebis. Primum est, cibare esurientem. Et quid nos facimus, quando communicamus aliud, quàm quodam quasi cochleari *corda nostra* imponimus in os optimi nostri Dei, qui tantâ *cordium* nostrorum fame tenetur? Hinc Sancta quædam communicatura ajebat hostiam tenenti Patri: Citò, Pater, citò! Demitte illam deorsum *in cor*, quia hoc cibo pascitur Christus.

Alterum opus est; potare sitientem. Et quando damus lachrymulam quampiam Deo, aut ecquando habent oculi nostri majus quasi desiderium lachrymandi quàm in communione; quæ ipsa bona voluntas sufficit ad sedandam non nihil illius sitim, neque credas modicam esse in Christo sitim lachrymarum nostrarum: quæ si usque adeo placent Angelis, ut Bernardus illas Vinum vocaverit Angelorum, omninò placebunt Deo ampliùs: adeo ut jure merito dici possint non solùm liquor Dei, verùm etiam quasi COR DEI. ita enim omnia nobis chara præ alijs nuncupamus.

Tertium opus est, colligere hospitem. Dubium non est hospitem esse Christum. *non sum de hoc mundo*, inquit. ô quando illum verè in domum nostram recipimus, nisi quando communicamus? Et nonne dicis communicatura; Domine, non sum digna ut intres sub tectum meum?

Quartum opus est, operire nudum. Nudus, Domina, aut quasi nudus Christus est in manibus Sacerdotis dum communicaturi sumus, nihil habendo vestium quàm subtilissimum velum accidentium, unde dum communicatum imus, imus ad illum vestiendum veste præ omnibus Mundi vestibus amabilissimâ, nimirum carne nostrâ.

Quintum opus est, visitare infirmum. Ecquando, amabo, dulciùs & familiariùs visitamus Christum, qui languet amore, quàm in communione?

Ultimùm opus (cùm per S. Matthæum non sint nisi sex) est visitare eum qui est in carcere. Quis verò negare mihi poterit, quòd Christus sit quasi in carcere, ac etiam sub clavi in tabernaculo? quid verò facimus communicando, quàm illum ab illo carcere liberamus? Hæc tu tibi scripta puta.

---

# HEBDOMADA XLVII.

## *SSS. TRINITAS, in communione quàm calentissimis suspirijs invocanda.*

1.

Sancta Franciscа Romana, ut *P. Ursinus Vitæ illius lib. 3. cap. 3.* refert, vidit sacram hostiam ad modum lucentissimæ sphæræ igneæ: quæ est imago unius Dei, qui ignis consumens est. Post communionem verò, Deus illi oculos cordis aperuit, ut videret majestatis plenissimum thronum, atque in eo tres lucentissimas sedes: è quarum primâ videbat scaturire sub aquæ specie Amorem, qui derivatus ad alias duas sedes, fecit pelagus Amoris. Ita tu in uno Deitatis throno sedentes tres per-

sonas divinas cogitans, in felix æterni amoris, quo se invicem, & deinde nos amant, pelagus cor immerge.

2. Licèt verò in Eucharistia Patris, & Spiritûs sancti personæ non sint sacramentaliter, sed tamen cùm una sit Filij illic præsens cum Patre & Spiritu Sancto divinitas, peculiari quodam modo ibi esse creditur SSS. Trinitas, ob hypostaticam naturæ divinæ cum humana unionem. Unde S. Aug. serm. 3. de tempore dicit: *Cùm una sit Deitas, impleVit quidem carnem Christi & Pater, & Spiritus Sanctus, sed majestate, non susceptione. Non sum*, D. Jesus Christus, *solus, sed Pater mecum est. Et Evangelista refert, quia IESUS plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane.* S. Teresia vidit à Deo trino & uno impleri animam sicut spongia impletur mari, & quasi Sol penetret adamantem.

3. Petrus Faber S. J. ut *Orland.* narrat *vitæ lib. 2. cap. 3.* mirabilem habuit & assiduam SSS. TRINITATIS recordationem, quam Crucis sibi imprimendo signo multis pijsque cogitabat sensibus, & precibus implorabat, quæ omnia nobis in communione facere erit longè pulcherrimum. Dedicabat Patri memoriam, Filio intelligentiam, Spiritui Sancto voluntatem: itémque Patri vires, & opera; verba, & dicta Filio; consilia, cogitationes, ac vota Sancto Spiritui: totum se cupiens Patri bonum Filium, Filio bonum servum, Sancto Spiritui bonum esse discipulum. *Est amor in Trinitate quod est Trinitas.*

4. *Plut. in Themist.* ait Artaxerxem Persarum Regem, cùm ad eum hospes venisset magnus ille Themistocles, tantis gaudijs incessisse, tanti suam in illo hospite felicitatem æstimâsse, ut ter noctu à somno evigilans exclamârit: *Themistoclem habeo!* Deum habes, mi Lector! qui videt hunc quem vides, qui habet hunc quem habes, videt & Patrem, habet & Patrem & Spiritum Sanctum. Hoc erat id quod ipse dicebat: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Æstima felicitatem tuam, vide quid habeas. Habes concomitantem totam in hoc uno divinam Trinitatem.

5. D. Gregor. Nyss. *apud Binetum, magnetis cap. 17.* ait *Christum* esse inauratam sagittam *Patris* æterni, quâ ipse transfodit *corda* mortalium, Præbe cor illi.

En in hoc Sacramento Patrem sagittarium cordis tui, en Filium sagittam auream. De Spiritu autem Sancto audi quid D. Basilius in Missa: Quàm reverenda est hora illa cùm *Spiritus* vivus & *Sanctus* è supernis cœlorum sedibus descendit, atque incubat manétque super hanc Eucharistiam propositam! Hic tibi Spiritus totam Trinitatem intra te hauriendi modum suggeret.

6. S. Damianus *opusc. 18. init. Planè*, ait, *sicut concipienti Deifica Virgini Virtus Sancti Spiritûs obumbraVit; ita nunc in altari positum Sacramentum eadem Sancti Spiritûs Virtus est quæ Vivificat.*

Jacobus Card. Vitriac. de S. Maria Oegniacensi, Vidit, inquit, in perceptione Sacramenti columbam candidam sancto Episcopo in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intus penetrantem, ejúsque animam illustrantem. TRIA illa Romæ TEMPLA continua, & connexa ita fuê-

fuêre, ut ad tertium per secundum, ad hoc per primum ingressus pateret. Ingredere ad Patrem & Spiritum Sanctum per Filium, nemo enim venit ad Patrem nisi per ipsum.

7. Hic est ille qui te intimè perspicit. *Athenæus lib.* 10. *cap.* 7. ait Ophthalmum dictum eum, qui erat quasi oculus Magistratûs Athenis, & inspiciebat ea omnia quæ fiebant in convivijs. Triophthalmum audisti trium oculorum imagine insignitum, symbolum Trinitatis. Ille triplex oculus considerat quomodo adsis convivio huicSSS. TRINITATIS. Est enim hoc verè cœleste convivium. Unde è S. Joann. Chrysost. sententiâ hom. 26. in ep. 1. ad Cor. *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit facit hoc mysterium.*

8. S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum de hoc ita loquitur: *Ecclesia ita sacrificat* Patri *ut simul omni sacrificet* Trinitati. *Et omne cujulibet honorificentiæ, & sacrificij salutaris obsequium &* Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *hoc est* Sanctæ Trinitati, *pariter exhibetur. Quia dum ad solius* Patris *personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota* Trinitas *honoratur; & cùm ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni* Trinitati *uno eodèmque defertur litantis officio.* In hoc ergo honoris SSS. Trinitati exhibiti theatro, te unà cum sacrificio illo, unà cum hospite tuo Iesu offer: & roga, ut ille te Patri, sibi, & Spiritui Sancto in sanctum offerat holocaustum.

9. S Bernardus serm. 1. in fest. Pentec. *Perfecta* TRINITATIS *cognitio, vita æterna est.* Nullibi de intima SSS. Trinitatis & cognitione & amore plus hauries, quàm ex hoc augustissimo quasi triclinio SSS. Trinitatis. Rigatas melle herbas legimus. Nullum cœlo toto dulcius mel est, ipso Deo trino & uno, qui in Eucharistico hoc apiario suam condidit divinitatem, ut illa nobis verteretur in nectar, quo herbescentes in spem lætam cogitationes nostras educaret ad soliditatem.

10. Assvesce in communione ipsum etiam Crucis signum non obiter tibi, sed devotè imprimere in honorem SSS. Trinitatis pro gratiarum actione passionis Christi. P. Balth Alvarez, ut est *vita illius cap 6. antè §.* 1. cùm se Cruce sanctâ signaret, valdè erat exactus. Dedit illi Deus ut sentiret cùm se Cruce signaret, ac diceret: In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, tres divinas personas benedictionem suam illi impartiri, cùm ipse earum nomine id faceret.

11. B. Angela de Fulginio *cap.* 26. admirabiles suas delicias explicat, quas hausit è Deo trino & uno viso in caligine, seu, ut illa loquitur, in tenebra. Certè hic sub speciebus, velut sub candida quadam caligine, videtur Christus, cujus est illud de communicante dictum: *In me manet, & ego in eo.* Unde Sancta illa: Videtur mihi quòd in Trinitate stem, & maneam in ejus medio. Et *cap.* 20. audivit à Deo: Præpara te, quia tota TRINITAS veniet in te. In via etiam audivit sibi dici à Deo: Ego sum Spiritus Sanctus qui veni ad te, ut darem tibi consolationem quam aliàs nunquam gustâsti. Et veniam tecum intus in te, & non discedam à te. Filia mea, templum meum, diligas me, quia tu es multùm dilecta à me, multò

» multò plus quàm tu diligas me. Collo-
ca te in me, & quiesce in me. Non
est aliquis qui possit se excusare de a-
more illo, quia omnis persona potest a-
mare Deum: & ipse est amor animæ.
*Cap. autem* 22. cùm communicare nol-
let, eò quòd esset indigna, dixit illi
» Christus: Communica in nomine Pa-
» tris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & ego
» qui sum dignus, facio te dignam. Tunc
verò quando communicas, si aliàs un-
quam, ignitissimis potes ad Christum
aspirationibus aspirare, & pro mo-
dulo, intensivè, ut ajunt, non exten-
sivè, illos Sylveriæ ascetas imitari, de
quibus *Nic. Codignus lib.* 3. *Vitæ Sylve-*
» *riæ cap.* 10. ait: Erant, qui brevi ora-
» tiunculâ decies millies in die augustissi-
» mæ TRINITATIS auxilium invocarent.
*Obsignati sumus*, inquit tom. 3. serm. de
S. Trin. S. Joan. Chrysost. *sed unum sig-
naculum est Sanctæ TRINITATIS.
Venerare illam rectè*, inquit ibid. *aliàs,
ne pereas.* S. Edmundus Cantuarien-
sis Archiepiscopus, ut *Ribad. part.* 2.
16. *Novemb.* narrat, de SSS. TRINITA-
TE cogitans obdormivit, & per quietem
vidit descendentem è cœlo columbam,
quæ rostro deferret hostiam consecra-
tam, eámque ori suo inferret, cœlúm-
que repeteret. Experrectus, adeò al-
tè de SSS. TRINITATE differuit, ut o-
mnis illa disputatio divina potiùs quàm
humana videretur. Ita *Ribad.* Disce
hinc ad SS. Eucharistiæ ignem & intel-
lectum in cognitione SSS. TRINITA-
TIS illuminare, & in ejusdem amorem
accendere voluntatem, idque fac lætus
ac lubens. Nam, Eligio teste hom. 8.
*Caro Christi, totius TRINITATIS lætitia
est.* Petrus Cell. Abb. lib. 1. de pa-
nib. cap. 1. *Mensa illa TRINITATIS
suos panes habet absconditos*, inquit: *Vi-
num semper novum, fercula æterna &
beata.* Ita S. Bern. serm. 3. in Pentec.
*Spiritus Sanctus est vinum cœli.* Sed
antequam ad illam mensam admitta-
mur, in hac tractandi sumus. Et certè
non paucæ de cœlesti illa Trinitatis
mensa micæ cadunt in hanc. Imò in
hac sunt illius deliciæ; sed nos pro illis
palatum necdum habemus.

12. Interea ipsa se nobis Trinitas
donat, & nos in donũ accipit in Eucha-
ristia. unde Ecclesia in secr. Missæ de
SSS. Trin. *& per eam* (hostiam scil.)
*nosmetipsos tibi perfice munus æternum.*

13. *Pausanias in Bœoticis p.* 331. ait
se vidisse antrum quod oraculum Tro-
phonij dicebatur. Illuc ingressurus
primò habitabat aliquamdiu in concla-
vi, vel ædiculâ bono genio sacra, & bo-
næ fortunæ dedicatâ. ibi lotus, & vicți-
marum quas immolabat pastus carni-
bus, in tenebris inducebatur ad fluvium;
ibi oleo unctus bibebat è fontibus obli-
vionis & memoriæ; ut præteritorum
oblitus, præsentiũ recordaretur. Tum
togâ lineâ candidatus per scalas descen-
debat in antrum cum melleis placentu-
lis: & ibi videbat, & audiebat futura,
Deum consulens. Reversus ponebā-
tur in solio memoriæ, ut visa & audita
etiamnum attonitus quæ ibi didicerat
eructaret. Dæmonum hæc antra sunt.
Si Deum consulere vis, descende in dul-
cem abyssum SSS. TRINITATIS. o-
ptimè verò descenderis in templo: tem-
plum enim & tabernaculum quod
est cubiculum Christi in domo Dei, est
conclave seu ædes bono genio & bonæ
fortunæ sacra. Ibi fortunam & genium
bonum

bonum invenies, & placentulam cœlesti melle dulcissimam. Ibi te ablue, ibi obliviscendorum obliviscere, & recordare eorum quorum te meminisse vult Deus.

14. Joannes de Angelis *apud Molinam de Missa tract. 3. cap. 9. §. 2.* sensit sibi illabi responsum de Eucharistia, ut postquam receptum est Venerabile Sacramentum & in pectore reconditum, cujus tanquam rei propriæ sim dispensator, rursum idem offeratur à me *Patri æterno*, cum intimis desiderijs, & amore voluntatis accenso, cum alta submissione, & reverentia. De Sacerdote verò, Cogitanti, inquit, mihi de Myssæ altissimis mysterijs, semper ea gloria & delectatio quam *Pater æternus* in *Filij* sui oblatione sub velamine Sacramenti percipit, tam grandis & eximia videri solet, ut Angelorum chori, Beatorúmque turmæ, nullam ferè præ hac conferant voluptatem. Sacerdos etenim offerens *Patri* æterno, aut Sanctissimæ TRINITATI personam *Filij* in sacrificio Missæ, offert Deum Deo, & per consequens laudem, gloriam, & gaudium infinitum, omne denique bonum. Angeli verò, & curia cœlestis quamvis præstent obsequia officiosissima, gloriam & laudes Deo perpetim decantent, cùm hoc aliud sit genus oblationis, Deum Deo non offerunt, ac proinde respectu divini hujus sacrificij quasi nihilum reputatur. Ita ille. Offer ergo SSS. TRINITATI uni Deo Christum Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: & unà cum illo, & per illum offer te: ut quia tu recipi non mereris, recipiaris in sinum SSS. TRINITATIS propter illum qui id meretur tibi.

# HEBDOMADA XLVIII.

## *Cùm SS. Sacramentum ad ægros defertur, si ullo modo potes, comitare.*

1.

*Apud P. Waël coronæ consid. 4. p. 80.* refert Archidiaconus, olim Sacerdotem sacram Eucharistiam per plateas deferentem, fuisse *asylum*, eum qui illum attingebat comprehendere nefas. Accede ergo ad asylum tuum, ad JESUM quem plateas obeuntem vides, & ægros visentem.

2. Utere ingenio tuo ut modum invenias. Sebastianum Lusit. Regem narrat *Rho Virt. lib. 3. cap. 1. §. 6.* cum Sacerdotibus, qui ad ægros de more deferrent divinissimam Eucharistiam, occurreret, semper consveviſſe equo desilire, magnáque reverentiâ ad usque ægros comitari, foris de genu præstolari, ac Sacerdotem sacras ad ædes eadem pompâ reducere, *Ibid. num. 26.* præclarum Civitatis Potosinæ morem narrat, qui obtinuit, ut Magistratus ac Nobilitas omnis, si quando circumlatæ divinæ Eucharistiæ obviam fiunt, illicò arreptis facibus, veluti pueri honorarij, Regem Regum comitentur. Theodosius etiam II. Brigantinus Dux *ibid. numero 32.* si quando noctu ad ægros deferendus esset cœlestis panis, aderat, cum lampade comitaturus; neque suorum quemquam, non filios, non nobiles, non famulos cessare patiebatur, monens, tunc maximè id Principem officium pietatis facere par esse, quan-

do

do reliqui per indulgentiam somni deficerent.

Ferdinandus II. Imperator (*Vitæ capite* 4.) quando exeunti, aut redeunti in aulam occurrebat Sacerdos Eucharistiam deferens, Rudolphi I. imitabatur exemplum. Illico venerabundus exiliebat curru; fixis etiam lutulenta in humo genibus Deum adorabat: Sacerdotem, sive ad ægrotum ab Ecclesia, sive ab illo ad hanc euntem, pedes prosequebatur. Græcij in Eucharistiam cùm incidisset, non modo Presbytero ad infimæ sortis hominem in suburbium properanti præstò fuit, sed ægroti etiam paupertatem mirificâ liberalitate erexit.

3. Comitari qui planè non potest, adoret quàm potest reverentissimè sinè ullo humano respectu. Ita miles ille *apud Cæsarium lib. 9. cap. 51.* cùm obvium haberet sanctissimum Sacramentum, ex equo in lutulentam viam desilijt, & nil novarum quibus tunc indutus erat vestium elegantiam moratus, genua humi reverenter fixit in luto, & inaminatis à luto vestibus surrexit.

4. Juvat etiam tunc unum adorationis, doloris de peccatis, amoris tenerrimi actum elicere cum jaculatoria quapiam oratione. *Discip. in promptuar. de Euch.* & alij referunt fœminam infamem è lupanari prospexisse, & transeuntem illic delatæ ad ægrum sanctissimæ Eucharistiæ pompam spectâsse. interea verò tactam intimo cordis dolore, in lachrymas, in dolentissima suspiria erupisse, quibus à Sole illo æterno illac transeunte suas etiam tenebras illuminari, cor fœdum exuri, novum accendi pœnitentialibus lachrymis è corde imo effusis petebat. Ita corde per suspiria, & lachrymas singultientem respexit ex hierotheca bonus JESUS, & hanc è Sacramento ad illam vocem misit, quam *Luca* 7. dixerat Magdalenæ: *Mulier, remittuntur tibi peccata tua.* En quanto ista lucro, quanto solatio transeuntem in Eucharistia ad ægros JESUM venerata est! An tu beatos ab illo Sole radios in cor tuum non expectas, si illi te comitem præbeas? O plenus est divinis radijs ille Sol! nemo enim qui illum amat, qui comitatur, poterit se abscondere à calore ejus.

5. Infeliciter successit illi, de quo *Bellar. lib. 3. de Euch.* qui Anno 1561. paschale ovum dum tenet ut glutiat, audit nolam indicem Eucharistiæ ad ægram vicinam delatæ, & Ego, inquit, ovum istud citiùs deglutivero, quàm illa deastrum illam. At hæsit illi ovum in faucibus: sebaceam candelam corripuit, ut detrudat; sed lychnum tantùm extraxit. Jacebat supinus nigerrimus carbo, mutus, desperatus. Parochus ab ægra redux videt cum morte luctantem, & fractum ultrò expirantis guttur, ac ovum mortualis tuberis instar illi hærens inter cutem. Ita vivere & blasphemare desijt.

6. Mirum est & id quod sequitur, Orlandini verbis narrandum. *Hist. Societ. part. 1. lib. 2. num. 27.* Narrabant, paulò antè in pago agri Tarvisini, cui Salzanum nomen, Laurentium quendam Sacerdotem, cùm cœlestem Eucharistiæ panem ad ægrotum sinè pompa comitatúque deferret, asellos quosdam extra oppidum offendisse, qui cum Presbytero occurrissent, veluti sentirent quid ille deferret, ex utroque

viæ

» viæ latere repentè discreti procubuerunt in genua. Sacerdotem verò ipsum uno puerò comitatum, rei novitate attonitum, medium inter mites ambulâsse quadrupedes; eas verò quasi pompam ducerent, præeuntem fuisse secutas, & Presbyterò in ædes ingresso constitisse » præ foribus; nec inde priùs abijsse, » quàm is ab ægro reversus, eas ad sua » pascua cum benedictione dimitteret. » Id multis testibus diligenter interrogatis in publicas relatum est tabulas. Refer hæc tu in tabulas cordis, & num supra asellos sapere tibi vacet, vide.

7. Tanagæi, authore *Pausania in Bæot.* omnium quos habent adolescentum pulcherrimum seligunt, qui festo die agnum humeris circa Urbis muros, magno populi comitatu circumferat. ita eâ quâ agnus circumfertur parte inexpugnabiles fieri muros. Pulcherrimus Jesus est Agnus Dei, qui circumfertur per Civitatem ut ægros visat, & illos Urbi æternæ tanquam vivos & inexpugnabiles lapides adaptet. J, ergo, & urbanissimâ pietate illum comitare.

# HEBDOMADA XLIX.

## *Quotidiana contritio in communione discenda, & petenda.*

1.

Quòd cum peccatoribus manducaret Jesus, mirabantur Scribæ Aristarchi *Luc.* 15. ego verò majoris admirationis argumentum esse duco, quòd à peccatoribus manducetur, & quidem aliquando in horrendo statu peccati mortalis existentibus peccatoribus, id est à canibus, ut olim Actæon; vel à porcis tanquam projecta illis cœlestis margarita; vel à viperis, aut equis & mulis. Nam peccator 2. *Petri* 2. vocatur *canis* reversus ad vomitum, & *sus* lota in volutabro luti. *Matth.* 13. peccatores quidam dicuntur *genimina viperarum.* Lucæ 10. *lupi rapaces.* Psal. 31. *equus & mulus.* Hei mihi! exclamat S. Joan. Chrysost. hom. 61. ad pop. Antio. *Hei mihi, quor ad salutem nobis via! Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus: & horum nos nihil à malo avertit.* Facit hoc sancta contritio, quæ sicut Circe socios Ulyssis mutavit in porcos, ita contra ipsa è porcis homines facit, dum quasi occidit porcum, unde affusis lachrymis, veluti vino, fit convivium Angelorum gaudentium. Liber *de Illustr. Ord. Cist. Viris*, ait visum à quodam calicem pœnitentialibus plenum lachrymis à Christo pro aris quasi sacrificante omnibus ostensum, dicente Christo: *Ut sciant omnes quantum placeat cordis contritio ad exemplum pœnitentium, tam diu servavi lachrymas Magdalenæ ad pedes meos pœnitentis.* En quàm pretiosum locum habeat contritio apud Jesum, ut in calice ubi solet esse Jesu sanguis, servetur. Ad aram nimirum Jesu pretiosa hæc ars discenda est. Ita Nabuchodonosorei boves cadunt, & homines surgunt.

2. Fornerus Ep. Panophiæ *cap.* 19. ex Luca Pinello Rhodium S. Joannis Equitem arte magicâ metamorphosim tantam passum ait, ut & phantasiæ suæ, & fascino delusis aliorum oculis esse asi-

nus videretur. Templum ergo quod-piam prætereunte miserabili hoc asello lignis onusto, ad auditum æris campani signum, quod ad adorandum qui elevabatur Eucharisticum JESUM dabatur, asino illi illuxit is qui velatus elevabatur Deus, & unà cum clitellis pronus in genua provolutus Eques jam potiùs quàm asinus, Deum illic absconditum adoravit, & repentè mente totâ & specie corporis homo apparuit, & surrexit. Saga verò metamorphosis illius asininæ magistra, vindicibus sceleris flammis crimen expiavit. En ad fores templi, adoratâ Eucharistiâ eum, qui ex Equite in asinum abierat, reversum ad hominis mentem & formam. Hæc ars contritionis est.

3. Clemens Alex. *in adhort. ad gentes pag.* 30. ait Phœbo canes sacrificari apud Cares, apud Scythas verò asinos: & addit versus veteres:

*Phœbus Hyperboreus asino placatur in oris,*
*Phœbo mactati est hostia grata canis.*

Mactat canes, asinos contritio, & homines facit. Pro his hominibus est frumentum hoc hominum electorum.

4. Frumentum hoc electorum in amoris mola contritum, candidissimam farinam, & panem Angelicum nobis dedit. Auream Xerxis molam, quam ille Megabizo tanquam inter munera Regia longè pulcherrimum, & maximè regium, donavit, è Ctesia audivimus. Aurea contritionis mola, è pessimo frumento farinam dat optimam. Ibi lapis molaris versatili pondere premens & conterens, est *amor meus pondus meum*: ibi æternitatis rotundæ rota ingens, ibi pro aquis flumina lachrymarum, ibi canales oculi: ibi denique loco tritici conterendi, & in farinam candidam redigendi, cor. Ad talem amoris molam Cor suum poni volebat Rex ille contritus Psal. 50. cùm dicebat: *Cor contritum, & humiliatum, Deus non despicies.* Ecce contritio in aurea veri amoris mola. In una enim æternitatis rota magna, minores amoris & doloris rotas habet hæc mola. Ezech. 1. Apparuit *rota una* super terram, quasi *rota in medio rotæ.* Quocunque ibat spiritus, & *rotæ* pariter elevabantur, sequentes eum. *Spiritus* enim vitæ erat in rotis. Ecce Psal. 50. *sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, &c.* spiritus doloris & amoris, spiritus vitæ est in rotis. Mola enim hæc & hydraulica est, quia ab aquis movetur lachrymarum; & pneumatica atque alata, quia à vero amoris spiritu agitur. In mense Junio *antiquit. lib.* 4. *cap.* 10. *molæ sertis & floribus ornabantur.* O verè aurea, verè felix contritionis mola, æternis olim stipanda floribus, quia dolore & amore languet, æternis sertis coronanda. Nunc quidem contritio coronat cor, sed rosis simul amoris & spinis doloris. Erit cùm sinè spinis securæ erunt rosæ, coronaria præmia.

5. Cæterùm non quiescit mola. Quotidie amor & dolor suas rotas agunt, inexplicabili utilitate. *Poggius in facetijs* ait, Rudolphum Principem Camerinum, cùm Neapoli Ducem Andegavensem inviseret, atque pretiosam lapidum diversorum supellectilem in castris ab illo ostensam videret, quæsivisse; Magnine fierent illi lapides; & quid utilitatis adferrent. Maximi esse pretij dicente Duce, sed nihil ferè utili-

utilitatis adferre; ostendam tibi, inquit Rudolphus, duos lapides decem florenorum, qui mihi annuatim ducentos reddunt. mirantémque Ducem ad molendinum duxit: & duobus molaribus lapidibus illi ostensis, dixit, illos lapides esse, à quibus utilitate, etiam pretiosi lapides superarentur. Nobis verò molares amoris & doloris lapides damna omnia è peccatis contracta resarciunt, & lucrantur nobis cœlum. Neque ullus est molæ hujus præfectus, nisi Deus.

6. *Ælianus lib.* 14. *Var.* & *Plut.* cantilenæ meminêre, quâ Pittacus unus è septem, ingenti encomio celebrabat molam, ajebátque: *Mole, mola, mole: nam Pittacus molit Magna Mitylenes Rex.* In mola verò contritionis, *mole, mola cordis, mole: nam Deus molit magna æternitatis Rex.*

7. Ars verò molæ hujus in hoc est, quod innuit August. ser. 7. de tempore: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Unde selecta illa ad magnam Theologiæ mentem pœnitentia, dolorem elicit de peccatis ex motivo purissimæ dilectionis Dei propter seipsum amati. Odit, detestatur turpitudinem peccati ideo quia illa est contra pulcherrimum, optimum, & peccati inimicissimum Deum, qui vult à nobis amari, & peccatum odio haberi. Dolet de peccato, quia amat Deum propter Deum.

8. Contritio est illius Heroinæ instar, quæ, ut habet Princeps Ionvillæus in vita S. Ludovici Regis, igne suo cœlum vellet exurere, aquâ infernum extinguere, ut non jam præmia vel pœnæ nos ducant ad amandum Deum, sed ipse amari propter se dignissimus Deus. Dolet, non quia cœlo spoliat, inferno addicit peccatum, sed quia illo offenditur infinito amore dignus Deus. Hoc est Deum habere convivam. Ille nobis, & nos illi convivium sumus hac arte. Contritio enim facit ut verè dicere possis dum communicas, cum Bern. serm. 71. in Cant. *Cibus ejus pœnitentia mea: & cibus ejus ego ipse.* Ita dum peccatum tuum contra te est semper, ut Davidi *Psalm.* 50. Deus tuus penes te est semper.

9. Mensa Eucharistica est sicut illa S. Sophiæ mensa *apud Baronium*, & alios, quam Justinianus in S. Sophiæ templo ex auro, & omnis generis lapillis pretiosissimè selectis, & collecto terrâ marique metallorum pretiosorum flore omni conflavit. liquatis ijs quæ fluunt, ficca inclusa sunt, & factum opus admirabili pretio tessellatum. Ita mensa à Justiniano, & Theodora Deo dedicata. Contritio hanc massam admirabili doloris & amoris permistione tessellatam conflat è pretiosissimis cordis mineris. Fluunt ibi non fictæ lachrymæ, velut gemmæ ac margaritæ liquatæ, ibi aureus amor, ibi pallidus dolor, ibi adamantina proposita, ibi spei smaragdi, ibi selectissimè pretiosi altissimarum virtutum actus.

---

# HEBDOMADA L.

## *Afflictus, ad SS. Sacramentum recurre.*

1.

URBANUS IV. Pont. ep. de SS. Sacr. *Latas hìc habemus lachrymas, & lætitiam lachrymantem, nostram rememorando liberationem, & recolendo passionem Dominicam.* Hìc ego illud vetus inscriberem, quod olim Antiphon: *Hìc mœrentibus consolatio adhibetur.* Vetus apud magnos Platonicæ Theologiæ mystagogos fuit proverbium, quo ajebant, *animam perturbationibus occupatam, in inferno dormitare.* In cœlo vigilat illius anima, qui turbatis rebus ad unicum terræ solatium, ad veram optimarum reliquiarum ipsanothecam, ad tabernaculum Dei altissimi, ad hanc novi testamenti arcam recurrit pro consilio, solatio, auxilio. Sæpe in carbonem denigrat, & è columbis corvos facit afflictio. Fit subitò corvus in afflictione non infrequenter, qui modò cygnus erat, dum fortunæ delicijs innataret. De Corvo *Ovid. in Metam.*

*Nam fuit hac quondam niveis argentea pennis*
*Ales, ut æquaret totas sinè labe columbas.*

2. B. Franciscus de Sales Episcopus *lib. 9. de amore Dei cap. 5.* piscis meminit, cui nomen est *laterna maris.* ait hunc habere in more, ut quando maximè tumultuosis fluctibus intumescit mare, tunc ille linguam igneolam extra aquas exerat, & erumpentibus è lingua radijs, procul porrectâ luce, facis instar aut Phari parvulæ, nautis in nocte tempestuosa præluceat. Exere in turbatis rebus linguam ad preces igneas, ad accipiendum in Eucharistia paraclitum Deum JESUM. Sic enim fit ut inter mundanas tenebrosarum procellarum varietates ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gaudia, ad quæ donec pertingamus, tantisper solemur nos eâ quam Deus in conspectu nostro paravit mensâ adversus eos qui tribulant nos. S. Gertrudis *lib. 3. cap. 30.* cùm sibi in re modica, suprà quàm ferre posset, gravata videretur, desolationem sub ipsa hostiæ sacrosanctæ elevatione obtulit Deo in laudem æternam; & JESU pectori admota hæc audivit: Ecce in hoc reclinatorio respirabis ab omni molestia: sed quoties declinaveris, amaritudo cordis te rursum apprehendet pro antidoto salutari. Ibi ergo inclina etiam tu caput & mœrens cor.

3. Scimus, decantatus à Lipsio *Polit. monit. lib. 2. cap. 14. num. 11.* Gilimer plenissimus ærumnarum è diu felicissimo, quòd fami relevandæ, siccandis oculis, animo leniendo *panem, spongiam, & Citharam* petiverit sibi mitti. Audivimus *apud Clem. Alex. in adhort. ad gentes,* homini canentem JESUM: *Tu es cithara, tibia, & templum meum.* Idem nos illi in Eucharistiæ speciebus absconditò dicere afflicti possumus: *Memor fui Dei, & delectatus sum*: tu es cithara, tibia, & templum meum: id est, jucunditas, & securi refugij asylum tu es mihi, qui dixisti de illo qui te hìc accipit: *In me manet:* ecce tu templum es mihi! *& ego in illo:* ecce ego templum tibi! Cithara verò quòd nobis in mœrore sit Eucharistia, & panis in fame, & spongia in fletu, testantur experti. Antiquo jam usu tritum est anagramma, quo EUCHARISTIA CITHARA JESU dicitur eleganter. Clinias Philosophus, rogatus cur in ira citharam arriperet, respondit: MITIGOR.

GOR. Quod illi irato cithara erat, hoc sit nobis afflictis hæc *IESU Cithara* ad mitigandos mœrores cordis, quod omne unà cum suis doloribus, & gaudijs, cum spe ac timore, odio & amore omni Christo hîc dedicandum est, *Vide hebd. 46. hîc.* Ita cor gaudio pleno imerges, antequam veniat lætitia sempiterna super caput tuum, quando intrabis in gaudium Domini tui.

4. Timotheus Musicus Alexandri animum fertur ad arma ut ferox curreret accendisse: mox melleâ musicæ suavitudine delinitum, ad epulas pertraxisse. Adolescens ille inquieto œstro insanus spondæo musico mansuetæ quieti à Pythagora restitutus, jam decantatus est *apud Cic: & alios.*

5. Videat cui lubet post alios P. Menochij *Storearum Italicarum part.* 1. & *Musurgiæ Kircheri lib. 9. cap.* 3. ubi ex *Olao, Granzio, & Sax. Gramm. lib.* 12. Erici Boni Daniæ Regis commeminit. Is citharâ cordium gubernatrice, à citharœdo admirabili, primò in mœrorem altissimum, velut in abyssi profunda, dejectus; tum alio symphoniæ lætioris carmine dulcissimè circa cor toto sanguine accensus; novis denique modulis in insanum rabidi furoris œstrũ inflammatus, tumultuatus, cædes spumans, pugno quosdam exanimavit, & ense arrepto quatuor confodit; plures litaturus, nisi plurimis obrutus pulvinaribus, conquievisset tandem. Sacra Davidis Cithara in fugando à Saule spiritu malo, quasi exorcistæ functa officio est. Olim posita in deorum manibus instrumenta, teste *Plut.* comm. de animæ genitura. Certè in hujus quem in mœrore adis, quem sumis, Dei manibus est cithara illa, quæ concordem cum pulcherrimo cœli concentu mœsti tui cordis faciet harmoniam. Invita illum ad conclave tuum, & ibi citharizantem in citharis suis audi lætitiarum omnium Regem.

6. Beatus Franciscus de Sales Ep. de amore Dei *lib. 9. cap. 9.* ait excellentissimum totius propè orbis musicum repentè adeo surdum esse factum, ut nihil soni perciperet. Audiendi quasi naturam oblitus licèt, artem tamen canendi, ac testudinem scientissimâ ad emendatissimam aurium voluptatem, cordiúmque delicias manu pulsandi, oblitus est nunquam. Nullam tamen à voce, à testudine, quia surdus, nullam accipiebat artis suæ voluptatem.

In Principis ergo gratiam à quo educatus & inter unicè charos erat, fecit quod facere jam cessabat. Fuit, cùm experiundo solido Musici amantissimi erga se amori Princeps ad conclave suum amicè invitatum rogavit, ut testudinem & voces in solitas delicias explicaret. Omnem ille artem & vocis & testudinis in conclavi Principis collegit in pectus, & digitos: & arte quàm poterat consummatissimâ suæ accinens testudini, triumphabat, quòd in charo charissimi Principis conclavi tota illa & chordarum & vocis voluptas nihil decerpta, & à canentis auribus nullâ sui parte delibata, integrè plenéque ad exhilarandum Principis cor per aures descenderet. Tum se è conclavi repentè ad venandum proripuit Princeps, relicto illic illo, ut pergeret. Pergebat tamen Musicus selectas artis reconditæ delicias quasi cordis voce digitísque depromere, tametsi nec ipse audiret, &

Prin-

Principem abesse videret. & pergebat ideo, quia exequendæ Principis voluntatis cupientissimus, intelligebat Principem ita velle. Hoc agunt ij, qui ipsi positi in mœrore, in uno tamen cum Jesu conclavi, in templo, aut in conclavi cordis commorantur: & licet ipsi mæstissimi sint, solatio tamen illis est, ea agere pro Dei obsequio, quæ agebant læti. Nulla inde in illos alia redundat voluptas, quàm quòd sciant. Deum in delicijs æternis inperturbabili gaudiorum æternitate plenum gaudere, & gaudent de hoc gaudio Dei, etiam dum ipsi mærent. Submergunt in illo gaudio afflictissimas cogitantis multa cordis lachrymas, ac triste cor læto Dei cordi conformant, illíque includunt. Quin & Jesus illos pro cithara & templo habens, ipse illorum conclave sub Eucharisticis speciebus ingressus, ibi illis cantat & ludit. Tantùm cavendum, ne dum ille intus nobis canit, nos è conclavi intimo nosmet ad alia solatiola proripiamus, & illum ibi canentem relinquamus. Denique *dilectus meus mihi, & ego illi* cithara sum.

7. Libanius ep. ad Leontium: *Lingua cithara loco tibi est.* Verè quando Eucharisticus Musicorum Rex in lingua & in corde tuo est, *lingua tua, cor tuum cithara loco tibi est*, etiamsi sis afflictissimus. Tota creaturarum universitas mœroris tantum tibi creare non potest, etiamsi fias Oceanus omnium ærumnarum, quantum te solari potest, & in quanta solatia hos tuos mœrores vertet dulcissimus Deus. Tota tibi dies in mille fluet lætitijs, erítque instar citharæ pulcherrimâ jucunditatum harmoniâ Deo ludentis. Nam si cut dies è 24 horis; ita *apud Hieron. ad Dardanum ep.* 28. quædam cithara chordis 24. componitur. Ludat ergo tibi afflicto *Eucharistia, cithara* IESU.

# HEBDOMADA LI.

*Omnes quos habuisti, aut habiturus es labores, sudores, & dum fessus respiras, & dum communicas, Christo dedica.*

1.

IN *Siculorum notitia* Italicè impressa, Panormi, Anno 1611. 17. *Jun.* è vita excessisse scribitur Thomas Cannon S. J. hunc fessum nescio unde domum ad accipiendam cum alijs sanctissimam Synaxim reversum, sudantémque ajunt divinæ mensæ genu supplici reverentissimè accubuisse, & tum visos Angelos geminos linteum hinc & hinc tenentes, & sudorem communicantis abstergentes. Angeli etiam unà cum Angelorum Regina ad illius tumbam visi descendere, coronas illi è floribus texentes, tanquam socio suo; & cadaver pretioso thure ac odoribus honorantes, eíque laudem panegyricam adornantes atque dicentes: Ita illum mereri, qui absque eo quod sibi quicquam parceret, vires suas Deo in religionis obsequio impendisset. Tertulliano authore, *in Scorpiac. cap.* 6. is qui laboriosè vicit, *coronâ premit, vulnera, palmâ* san-

*sanguinem obscurat.* En Deus merces tua magna.

2. Hîc sudores absterge tuos, & vires recrea. Adverte in Eucharistica illa transsubstantiatione substantiam panis & vini planè desinere. Felix eris si substantia tua tota deficiat in laboribus pro Jesu susceptis, ita ut substantia tua sit quasi nihilum ante Jesum. Ibi aures tibi perfici pete ad exequendum laboriosa imperia. Ammianus lib. 17. è Tagetis Tusci libris ait *Vejovis fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitru, nec majores aliquos possint audire fragores.* Hoc verò amoris fulmen est, cujus Deus ipse est ignis in nube serena. Hoc fulmine beandi, aut jam feliciter percussi, adeo acuuntur, ut toti sint aures ad audiendum, toti manus ad laborandum. *Aram senectuti* positam apud Gades ait *lib. 5. cap. 1. Philostr.* Hîc fessæ tuæ vires *aram*, quietem invenient, in hac ara dedica sudores tuos, & latentem hîc Jesum te invitantem audi: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.* Hîc evacuatas corporis & animi vires imple. Nam Dei hîc corpus, & animam accipis. Ille te potest undequaque reficere. *quia,* Coloss. 2. cap. 9. *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

3. Jonvillæus Princeps in vita S. Ludovici Regis refert visam Legato Regis per Urbem Ptolemaidem matronam arcanum nescio quid moliri volentem, & manu alterâ ignem, aquam alterâ gestantem, rogatámque cum suspirio respondisse: Cupere se igne illo Paradisum accendere, aquâ illâ infernum extinguere; ut jam non pœna vel præmium, verùm purus & unicus omni amore & labore nostro dignissimi Dei amor nobis laborum omnium calcar esset. Hîc in Eucharistia talem ignem & aquam reperies; ut jam non cœlum, non infernus te ad labores moveat, verùm unicus ille Deus. *S. Greg. 8. mor. cap 5.* ait, laborantes quosdam remunerationis linteo sudores laboris sui tergere. Tu verò hîc amoris linteo illos terge. Magnus mercenarius eris, si aliâ mercede non curatâ dicentem tibi Eucharisticum Jesum, dum in pectore tuo tecum est, audias Gen. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.*

4. Rabbi Kimchi exquisitam planè artem habuisse ait Alexandrinos artifices, ut fumus aromatum, quæ Deo adolebant, non obliquè hac & illac, verùm rectissimis itineribus sursum ad cœlum ferretur. Hoc hîc age cum laboribus tuis, ut, velut virgulam fumi odorati, sanctissimâ intentione illos ascendere facias usque ad cœlum directè, & constanter. Hæc est felix illa hæreditatis retributio. Ibi mel illud gratiæ habitat. Illo utere. Nam, Ennodio teste p. 452. *In antiquum sudoris juvenescit affectum, qui necessitatem gratiæ melle commutat.* Ibi plenam gratiæ cornucopiam reperies pro labore quem pro illius gloria impendisti.

5. Ita non ignota Melissi Regis filia Amalthea, quia Jovem lacte ac melle nutrivit, cornu è cœlo donum accepit omnium donorum ubertate refertum. Super omne lac & mel dulcius sapit Eucharistico Jesu tuus ille quem illius gloriæ dedicas labor & sudor, quocirca, si illum illi obtuleris, erit Amaltheæ cornu cor tuum, quo nomine Dionem

Sophi-

Sophistam ob virtutum omnium cumulum vocavit Philostratus. Ibi lassas vires cibo immortalitatis, cœlestibus odoribus recreabis. Ita *apud Diod. Siculum lib.* 3. eos qui felicis Arabiæ littus legunt navigatione, sæpe ventus omnibus felicior Zephyris per myrrhifera, & arborum ac florum odoratissimorum amœnâ viriditate consita loca transiens, inexplicabilem odorum suavitatem secum vehens, incredibili navigantes recreat suavitate; ut labori ac molestiæ navigationis pares esse possint. O quid non cœlestium odoramentorum afflatur tibi, dum felix illud littus legis, & solidis cœlestis Paradisi odoribus traheris in odorem unguentorum Jesu? Audite, luxata corda, quæ, quasi in loco vestro non sitis, quiescere non potestis. In hoc sinu quiescite, respirate. Hic est locus vester.

6. In suis Annalibus Constantinus Manasses Marcianum Imperatorem dicit esse arborem gratijs undique plenam, & abundè sufficientem omnibus. Talis tu es, dum te diei & hebdomadæ totius fructibus gratiosis plenum sistis Deo Jesu, qui certè, undique gratiarum plenæ arboris instar, labores tuos complebit, & largâ suarum gratiarum cornucopiâ cumulabit. Sed adverte, ut labores illi tui sint instar palmæ quæ *semper florens, semper dulcis est, & corde candescens*: ut semper ad sudorem pro Christi tui gloria fundendum paratus, corde sis candido, id est, mundo, neque enim aliter coronabit labores tuos Deus.

7. Magnum laboranti solatium est illud Iob. 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum; sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Sinè dubio qui non parcè seminavit, nec parcè metet in morte. Quare Tertull. de resurrect. cap. 27. & 40. illud Isa. 26. *intra in cubicula tua*, de sepulchro sic legit: *Populus meus, introite in cellas promas.* vocátque sepulchra cellas promas. inde olim depromemus præmia laborum quæ illic quasi condidimus dum viximus: ibi delicias è nostris natas laboribus reperiemus.

8. Julianus Imperator ajebat Constantinum Magnum post mortem in cœlo esse cum *Deæ deliciarum*. Age, perge laborare. Nunc in Eucharistia es cum *Deo deliciarum*: & eris cum eodem in cælo. Ibi, ibi messem laborum gloriam invenies: & ut olim Atheniensibus in nuptijs panes & glandes ferens puer ingenuus dicebat: *Effugi mala: inveni meliora*: ita tu reperto pane hoc cœlesti post labores, quasi post laboriosum glandium esum, experière te in hoc pane cœlesti optima reperisse.

9. Neque hic panis sapit ignavis. Ille qui hîc laborat ille est beatus, ille comedet panem in regno Dei. Certè enim si ignavo illi Juveni quem Thomas Cantiprat. 2. *Apum cap.* 9. se vidisse memorat, cibi vertebantur in angues, usque dum torporem excuteret; quantò minùs sapiet pigris divina hæc esca? Nunc ergo solare sudores tuos; & illis bonam tuam ad hunc cibum famem accende. Si quæ è sudore & lassitudine suboriatur tristitia, ecce vultum Jesu. dic illi Psalm. 15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Nam, ut Hebræus legit, *satietas gaudiorum cum vultu tuo.* In te ergo cùm sit Jesus, in te sunt gaudia.

dia. Erit, cum iste Jesus tibi dicet Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Ita in te erit gaudium plenum, & tu in gaudium intrabis, & totus intus & foris à gaudio penetraberis, qui nunc sudore totus perfusus es, aut lassus à studiorum, ab orationis, aut negotiorum occupatione Dei causâ susceptâ.

11. S. Golinducha, *ut* 11. *Julij* in ejus vita refertur, dum epulo Persico assideret, sublatis in cœlum oculis cœlesti mensæ accumbentes vidit illos Heroas & Heroinas Dei, & submissis oculis, epulonem, & suos parentes, & omnem denique damnatorum turbam æternâ esurie ac siti apud inferos inter flammas excruciari aspexit. Suspice & tu dum ad hanc mensam pasceris; & majores nostros, Divos omnes ac divas, quantis laboribus illas delicias comparârint, contemplare. Vide & infelices damnatos quantis torqueantur tormentis. & tum te laborum ac sudorum tuorum non pœnitebit Tum in hac mensa vires tibi parabis ad nobile illud veterum symbolum: *Laboremus.* Ita, teste B. Sales lib. 8. c. 5. *Agnus castus* dictus, portatus in itinere, portantem se conservat, & liberat à lassitudine. Ita te portabit portatus à te Agnus castus Eucharisticus.

# HEBDOMADA LII.

*In reverentiam SS. Sacramenti, templum ama, & honora.*

1.

*Elegi, & sanctificavi locum istum,* inquit Deus 2. paral. cap. 7. ut sit *nomen* meum ibi in sempiternum, & permaneant *oculi mei, & cor meum* ibi cunctis diebus. Solo cœlo excepto, nullus est locus in quo & nomen, & oculi, & cor Dei sit, nisi in sanctissima Eucharistia, in templo. *Barrius paradisi c. 6.* ait 1. Junij festum Cordis Beatissimæ Virginis celebrari. Hic habes templum in quo cunctis diebus celebratur festum Cordis Jesu, qui Jesus est cor Mariæ. nam est è purissimis cordis ejus guttulis formatus à Spiritu Sancto. Item hic est cor Mariæ, quia hic est thesaurus ejus Jesus. Ideo S. Dominicus, qui dum SS. Sacramentum elevaret in Sacro, etiam ipse plus uno cubito de terra omnibus obstupescentibus visus est elevari, adeo tenerè amabat templum, ut nullum ferè præter templum habere conclave seu cubiculum videretur. Alexander Bertius, postea quam circa aram & Sacerdotem, qui sacram Synaxim distribuebat, Angelos vidit, adeo dilexit decorem domûs Dei, ut circa aram ferè semper hæreret in templo, & sancto elogio puer aræ principis diceretur. Quærebant illi cor Dei.

2. Clemens Alexandrinus in adhort. ad gentes inducit Christum nobis canentem præ exultatione, & nos templum suum vocantem. Qui ex David ortus est, inquit, & ante ipsum fuit, *Dei Verbum,* cum hunc mundum, atq; etiam parvum mundum, nempe hominem, & ejus animam & corpus Sancto Spiritu concinnâsset, psallit Deo per

instrumentum multarum vocum, & *homini canit*: *Tu es cithara, & tibia, & templum meum.* Quivis templum Dei est, Deo in ejus Sancti cujus nomen gerit nomine dedicatum in baptismo. In nobis ergo habitet Dei nomen, in nobis oculi; & cor Dei, cùm simus templum Dei vivi. Illud in nobis cor Dei ducat nos ad templum in quo est cor Dei, thesaurus Dei, & in gratiam habitantis in templo Eucharistici Jesu honoremus & amemus templum. Amemus! *Vox hujus cantoris*, inquit August. serm. 256. de temp. *fervor est Sancti amoris. Amemus, gratis amemus: Dominum enim amamus quo nil melius invenimus. ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum.* Templum amat qui Deum amat.

3. Dionysius Indiarum triumphator, pro victoriarum trophæo, suo honori templum posuit, Epiph. teste *lib.* 12. *de gemmis cap.* 5. in quo trecenti sexaginta quinq; gradus è sapphiro purpurei, singulis anni totius diebus singuli respondebant. *Cunctis diebus*, id est, per totum annum quotidie & semper in templo est in Sacramento Deus. Nullus ergo anni dies abeat quin sapphiratus honoris auro, amoris purpurâ nos in templo sistat cordi Dei. Ajunt in sapphiro conclusum sæpe carbunculum reperiri. Honor sapphirus, & amor in honore, aut honor in amore est carbunculus in sapphiro. Ita sapphirato corde veniamus ad templum cunctis diebus, ad habitans in templo cor Dei. Nam sicut ad apum Regem apes omnes convolant; aut quemadmodum Pantarba lapis Indicus, Philostrato teste *lib.* 3. *cap.* 14. lapides pretiosos tanquam examen apum ad se colligit etiam ex aquis sursum attrahens; ita cor Dei, Pantarba, Rex cordium omnium, omnium quotidie cordium examen ex universa Civitate ad se pertrahat est necesse. Timoleon, vir domi ac militiæ magnus ut Æmilius in ejus vita describit, Deos œconomiæ suæ præfectos posuit. Hoc agunt corda illa quæ se manè cordi Jesu in throno aræ sedenti unà cum totius diei œconomia sistunt, ut ab illo diei ac œconomiæ principium accipiant, & benedictionem, idque cum honore summo & amore. *Rota versatilis* dedicabatur in templis olim, inquit Clem. Alex. *apud Creff. Mystag. lib.* 4. *cap.* 2. *serm.* 2. Dedica manè Deo totius diei rotam, ut ne exorbitet. dedica illi *rotam nativitatis*, rotam vitæ, rotam mortis, rotam æternitatis tuæ.

4. Utrumque neglexit Petrus Pipernus purpuræ dehonestamentum suæ, quia impurus, & nullius in templo reverentiæ erga Deum, hic, ut Albanus refert, in omnium oculis palàm à dæmone in templo occisus est. Basil. Seleuciæ Ep. *lib.* 2. *cap.* 16. *de S. Thecla* ait, Orentium adolescentem, eò quòd in templo, in festo quodam, non ad divina, sed ad fœminam (illâ specie larvatus dæmon templum erat ingressus) fœdis plenus cogitationibus attentus fuisset, ab eodem dæmone ita ut in templo visus fuerat, laceratum, pelle detractâ excoriatum totum, fœtore ac vermibus plenum, animam exhalâsse. *Sanctuarium meum metuite: ego Dominus.* Levit. 9. 30. Eccl: Catholica in graduali Missæ dedic. templum vocat

eat *inæstimabile Sacramentum* tantò ergo magis ama illud & æstima.

5. *Nigronius in Reg. 2. num. 17.* ait quendam cum devotione sacris operantem à terra elevatum: sed illam illi gratiam subtractam quando cum festinatione, vel propter obstrepentes circùm alios, cum distractione sacrificabat. *Angeli præsentes sunt ubique,* ait de templo loquens S. Joan. Chrysost. hom. 15. in ep. ad Hebr. *& omnia plena sunt incorporeis illis Virtutibus.* Et hom. 36. in 1. Cor. *Est locus Angelorum, regia cæli, cælum ipsum.* ubi, Basilio id affirmante, in Ps. 28. *Assistunt Verba describentes Angeli: adest & Dominus affectus intrantium considerans.* Ecce *oculi* Domini, & *cor* in templo vigilant ad nos.

6. Arist. 4. Ethic. cap. 2. impensas omnium *honoratissimas* vocat eas quæ fiunt in templa. Ita honorum honoratissimus est honor, quo verè præsentem honoras Deum in templo. unde manè salutatum ibant ad Patronos suos clientes Romani. Nam si, ut ait Cassiodorus lib. 10. cap. 13. *munus est videre Principem*; quantum munus in templo accipimus in quo videmus Deum?

7. Zach. 4. 5. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo.* Etiam per illorum Sanctorum intercessionem sub quorum nomine Deo dedicata sunt templa, protegit ipsas Civitates Deus. Ita visi pro mœnibus Urbium Sancti protectores. Ita 4. Reg. cap. 20. 6. *Protegam Urbem istam propter me, & propter David servum meum.* S. Cyrillus in vita S. Euthymij, ait visam in templo ab illo ingentem Angelorum turmam, quorum alij Sacerdoti ministrabant, alij prostrati Deum venerabantur. ideo templum *cælum* vocavit Chrysostomus. Adest etiam Regina Sanctorum omnium, ope suâ.

8. Anno 1132. Baptista Ptolomæus Ord. D. Dominici dum concionaretur, visa est penes illum in Cathedra Dei Mater, quæ apertum coram concionante librum tenebat, ex quo Baptista ad populum pretiosissima loquebatur. Est nimirum *templum* eminentissimo elogio *Vicarias MARIÆ Vices gerens* in eo quòd sit domus Dei in MARIA, tanquam in Matre Filius. In hac Deus corporaliter novem mensibus habitavit: in templo sacramentaliter habitat, tanquam in regia sua Rex. atque hoc est quod ad honorandum & amandum templum adduci potest augustissimum argumentum.

9. Eucharistiam *apud Sailium thesauri cap. 3.* Sancti vocant vivificativam benedictionem, communem orbis victimam, consummationem Sacramentorum, divinum carbonem corda urentem, præcipuum divini amoris memoriale, mysterium pietatis terram nobis cœlum faciens, transelementationem panis & vini. Horum omnium stupendorum officina est templum. Est Prytanæum in quo habitat magni consilij Angelus, est cœlestium nundinarum forum sanctum, panegyris laudantium Deum; & Eusebio vitæ Constant. lib. 1. *Veneranda & augusta Virtutum Schola,* in qua Magistee est Deus. Ideo Paulus simplex, vir sanctus, videbat ingredientes templum mortales coruscos luce divinâ ab Angelis exultantibus duci. ubi etiam unus ille quem captivum in capistro tenebat dæmon, sequente

procul Angelo, in templo è teterrimo pulcherrimus est effectus.

10. Ægyptij & Cretenses Sacerdotes templum cum populo ingressuri ajebant ad portam: *Scitis quis hic habitet?* Respondebatur: *Templum Dei est.* Et illi: *Scitis quid acturi venimus?* Respondebatur: *Ut sacrificium Deo & gratias pro beneficijs offeramus. Mensam Solis*, in qua semper assæ carnes inveniebantur, quas terra suggerebat, ut inveniret Apollonius, factus est marium ac terrarum peregrinus. Vide Rhodig. lib. 29. *Venite ad me omnes*, clamat in templo Jesus. Ibi carnem suam dat, & panem cœlestem. Apis Rex primus medicinæ inventor ab Ocho occisus, & ab eodem & ejus amicis coctus, & devoratus est, quòd putarent carnem illius esse antidotum. *Vide theatr. Vitæ V. Vindicta.* Hîc in templo est *cœnaculum* cœnæ illius in qua supremus Medicinæ creator Deus cœnatur; cujus medicinalis caro comesta, est alexipharmacum immortalitatis. Ibi ergo habitans Dei *nomen* lauda, téque illi subscribe: ibi ab *oculis* Dei te videri, vide: ibi denique *cor* Dei corde toto adora, & cor tuum illi æternum anathema sanctè appende. *Tibi dixit cor meum: Vultum tuum*, cor tuum in templo Domine, *requiram.*

# Ad majorem Dei, Deiparæ, & Sanctorum omnium Gloriam.

AN-

# FERIA VI.

SEU

# ANNUS CRVCIFIXI DEI IESV,

Per singulas

ANNI TOTIUS

FERIAS SEXTAS

Brevibus CRUCIFIXUM solidè pro felici morte colendi officijs & exemplis

EXPLICATUS.

*GENEROSO DOMINO, DOMINO*

# STEPHANO ASZALAI DE FONY, Vice-Judici Curiæ, &c.

INterea dum Tu inter Proceres in consiliorum Prytanæo sedes Curiæ Vice-Iudex, nos juxta datum Proverb. 5. monitum, ne des Annos tuos crudeli, mansvetißimæ columbæ Tuæ, in Anno Patis, & Tibi lubilæo, viridis pacis bajulæ, Annum hunc CRVCIFIXI DEI IESV felici cœlestis curiæ lubilæo plenum paramus. Non dedignabitur foramina cœlestis petræ, cavernas materiæ Crucifixi columba Tua, post Eszterhasianorum adyta arcanorum, post Magistras Protonotariatûs Palatinalis, & Regiarum Commißionum functiones. Stat illa in cœlesti scuto, sub alis Dominæ Aquilæ, gemino acuta acinace super coronam gloriæ, viridem ore (qualem Innoc. X. columba) ramum & hocce symbolum mordicus ferens: DEVS PROVIDEBIT. Ita, vetera vetustæ, fidelis, laudatißimæque Nobilitatis Tuæ insignia quasi secundo ostro tingens, his virtutis & honoris ornamentis, & alis benignitatis protexit facundus in Tuas Tuiq; parentis NICOLAI ASZALAI laudes FERD. III. ut virtutis Tuæ decus beneficentiæ suæ pignore (ita ille augustus calamus loquitur) posteritatis memoriæ commendatum immortalitatis beneficio adornaret.

Ecce

*Ecce pro columba Tua arca Noë IESV Crux in diluvio sanguinis Dei! ecce pacis æternæ fecialis* oliva, *ecce* corona *spinea pro nidulo: ecce* gladius *inferni victor: ecce aquila pansis* alis. *Ecce in Cruce, velut in supremo providentiæ Dei theatro, Deus PROVIDEBIT. Ita Tuus Tibi Rex Martyrum, ita Tuus Tibi primas Martyrum Stephanus, ita porphyrogenitus Martyrum omnium chorus sanguine acclamat suo, quibus Tu in proregia Magni ESZTERHASII Basilica velut quoddam in compendio Martyrum pantheon, & aram pro supremo Tuo nidulo magnificè condidisti. columba Spiritus divini icon oculis columbarum aspiciat quomodo expiret* Spiritus oris nostri Christus. *Thren 4. 20. & huic Tuæ columbæ adgemens MARIA nostra dicat: Cant. 1.* UNA est columba mea, una est Matri suæ, electa Genitrici suæ. *Hic Tibi fit solida gloria. nam & Plin. lib 10. ait* inesse columbis quendam gloriæ intellectum. *Aliæ columbæ meridiante sole, Tua verò ad occidentem Solem, plumeolas colli irides explicet, ac smaragdinas in plumarijs floscülis inclinationes; & ibi labra cordi IESV per latus imprimat columbatim, ut Musæus loquitur, haustu ebria columbino. ita currum trahet non jam Cypria, sed MARIÆ contrà vultures, circos, accipitresq; secura. Vnicam visam purpuream columbam, & illam infinitarum fuisse columbarum Ducem lib. 4. memorat Ælianus. Vtinam pretiosè porphyrogenita columba Tua à purpura Crucifixi, ita per libelli hujus usum columbas fideles deducat ad patens quinq; portis columbarium* CRVCIFIXI, *ut lachrymabundulas inter columbulas in Cruce, velut in Sancto electarum pro cœlo columbarum peristerotrophio, seu columbario, porphyrogenitos, quia IESV purpurâ emptos,* annos, *eosq; æternos inveniat, cum* Anno Crucifixi *Dei IESV. Ita vale. Tirn. in orat. Sod. Maj. Anno 1650. 1. Nov. Die sacrâ toti Ecclesiæ triumphanti.*

AN-

# ANNUS CRUCIFIXI DEI IESV.

## PROLOQUIUM.

1.

SI mortalis hominis mors omnium terribilium terribilissima dicitur, Aristotelico proverbio, certè mirabiliũ omnium, ut sic dicam, admirabilissima dici potest mors morientis immortalis Dei hominis crucifixi Jesu. Quare, scribendæ vel dicendæ morti illi, supra omne mortis genus maximè admirabili, opus esset ipso, quod, pro nobis mori ut posset, incarnatum est, Verbo. *Sacramentum tamen salutis non licet tacere, etiamsi nequeat explicari*, inquit Sanctus Leo, serm. 7. & 18. de Pas. *Dolor meus in conspectu meo semper*, inquit Psal. 37. Rex Propheta. Dic tu ad Jesum *Dolor tuus in conspectu meo semper! Ut esse Phœbi dulcius lumen solet jam jam cadentis*; ita Jesu morientis cogitatio dulcior est, per quandam illius amaritudinum antiperistasim.

2. Pescennius Niger Imperator, authore Spartiano, panegyricum dicturo cuipiam: *Scribe*, inquit, *laudes Marij, vel Annibalis, vel alicujus Ducis optimi vitâ functi; & dic quid ille fecerit: ut eum nos imitemur.* Ecce Dux æternitatis vitâ pro te defunctus, crucifixus Jesus! Imitare!

3. S. Euthymij Abbatis vitam scripturus Cyrillus, cœlesti quodam succo sibi tertiò ungi ac tingi os ab ipso Euthymio sensit. Nemo scribendæ crucifixi morti dare succum & vitam potest meliùs, quàm ipse cujus mortem non planè scribimus, verùm tantùm pro mnemosyno indicamus, crucifixus. Unam aliquando, quam altiùs impressam vellemus materiam, in plures hebdomadas distribuimus, vitando tædio. Omnem in sextas per annum universum occurrentes ferias partimur. Dies ille hujus Sacramenti dies est. Habet enim hoc præ alijs hebdomadæ diebus à Christo feriâ sextâ crucifixo privilegij sexta quævis feria, ut instar iridis, nobis magnum illud doloris amorisque in sudore, lachrymis, aqua, sanguinéque factum diluvium, in quo revixit orbis, ob oculos figat; immortalis imago pacti sempiterni.

5. Certè Apostolicum Indorum Patriar-

triarcham Xaverium, dimidiâ quotidie meditatum horâ de Christo crucifixo accepimus.

6. Sanctus Hieronymus cum Nepotiano suo Epitaphium scriberet, *epistolâ 3. ad Heliodorum*, ita locutus est: *Stupet animus, manus tremit, caligant oculi, lingua balbutit; Stylus ipse quasi sentiens, & cera subtristior vel rubigine vel situ obducitur. Quotiescunque nitor in verba prorumpere, & super tumulum tuum Epitaphij hujus flores spargere, toties lachrymis implentur oculi, & renovato dolore totus in funere sum.* Longè id profectò profundiore sensu sextâ quavis feriâ dici potest quæ Christi mortui, quavis hebdomadâ quasi Epitaphium est.

7. Sepulchralium avium meminit, *lib. 11. de simp: med:* Galenus, quæ sepulchrum gerunt in capite. Caput tuum sit mons Calvariæ, sit hortus, sit Christi sepulchrum. Erit, si Crucifixum in mente semper, non oblivione sed memoriâ sepultum habueris; ut habeas, ecce adfero meam symbolam recreandæ his cogitationibus tuæ menti per singulas sextas omnium totius anni hebdomadarum ferias. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas.* Levitici 23.

8. Jam in sexta mundi feria sumus. Dies hic homini & creato & redempto natalis, non immeritò pro Sancto haberi debet. Hoc enim creatus, & hoc post inflictum à serpente diabolo Protoplastis, & per hos nobis exulibus illorum nepotibus, vulnus, persanatus est homo, à moriente medico Deo: cui si cor tuum & mentem dederis pro sepulchro vivo, illud ego tibi, tanquam felici Christi tumulo, apponam, quod Theodosij olim Imperatoris tumulo appositũ fuit Epitaphiũ:

SANITAS!

# ANNI CRVCIFIXI DEI JESU,

## PARS PRIMA.

## HEBDOMADA I.

*Vt te preciosis, altis, & ad æternitatem beatam ducentibus luminibus, ac principijs illustret Deus, Lumen illud pete à vulneribus Crucifixi, velut è fontibus lucis.*

1.

MAgnarum, non verò paralyticarum, aut humilium, seu humi serpentium cogitationum homo est, quisquis magnas has, ut ajunt, *maximas* sequitur, id est summas, juxta summa Altissimi principia propositiones. Sunt qui minimas quasdam reculas habent pro *maximis* vitæ principijs.

2. Magnum illud, ac sanctum, & Christo Christique amantissimum Catharinæ Senensis Virginis nomen, magnam à Christi vulneribus lucem accepit in optimo Dei lumine collocatum.

Plena illa illustrissimis, altissimisque æternæ veritatis axiomatibus, principijs, luminibus, in illo lumine videbat lumen novum semper, ac novum. Fuit, cùm cœlesti referta ferculo divina patere-

retur.

retur. Tunc illa vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes (ut habet *Brev. Rom. 30. Aprilis*) ideoque mysterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent; continuò radij colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor ejus. Hinc hauriendа lux cordis manuúmque, id est, omnium agendorum; ad quam lucem plenis purâ luce manibus, pedibus, & corde, facias quicquid agis. Ita lucerna erit pedibus tuis verbum Dei: ita illuminatis pedibus non ibis in tenebras exteriores, sed in absconditam intus lucem.

3. Utere luce quam habes: ita crescet lux tua, & habebis lucem quam necdum habes. Si verò usus illâ quam habes luce non fueris, cave ne auferatur à te & id quod habes lucis modicum: quod certè si satis profundè quid sit intelligis, est horrendarum principium tenebrarum, juxta tremendum illud Job 38. *auferetur ab impijs lux sua.*

4. *P. Vinc. Carafa sascic. myrr. lib. 1 consid. 29. n. 1.* meminit animæ quam à turpiculis mundi pulchritudinibus per præceps in abrupta abreptam, præsens & spectabilis adeo suis plagis illuminavit Christus, dum illas illi quasi recenti sanguine purpureas, & cœlesti quodam splendore collucentes ostendit, ut illic se captam sentiret statim, oculísque tum demum apertorum illorum vulnerum vi apertis, adverteret, quàm pulchrum fuisset quod odisset hactenus, quàm verò deforme quod amâsset.

5. Hos lucis fontes S. Franciscæ Romanæ aperuit, & ad cœlestes illam ardores animavit Deus, quando, ut est *Vitæ illius lib. 3. cap. 11.* descendens è cœlo Dei tabernaculum illi ostensum est plenum lucis, & cinctum splendoribus qui explicari non possunt. Vidit illic ignem Dei; & non auditam humanis auribus harmoniam, & fragrantissimos è cœli hortis odores experta est. Serena illi, accensa, & mira quædam ac alta penetrans mens, tranquillus beatâ pace in illa luce animus! plenum omnium gaudiorum cor! Vidit & balneum (adverte hîc ad pretiosum balneum crucifixi) balneum precij mirabilis, lucentibus illic auro & alijs majoris precij thesauris. E gustata beati illius liquoris guttula, sibi omnibus perfusa delicijs videbatur Franciscа. Tum divinis illam principijs imbuens cœlestis vox: *O felix anima,* inquit, *sta in fide solida, & illud cogita quod tui gratiâ cœlestis amor fecit: & quomodo tui amore per tantum spatium temporis asperis adeo se submiserit tormentis. Voluit etiam in tus gratiam esse mundo universo jocus & fabula, ut impleret omnia de se scripta. Quare vide, ne te turbari, ne loco bono moveri sinas; verùm in ijs quæ proposuisti fortis & solida, sæpe intra te cum dulci recordatione meditare amorem tuum, & ea quæ elegit pro te. Considera etiam quomodo sese accommodaverit illis artibus tibi, ut te ad se posset attrahere, ut cum illo esses.* Ità ibi.

Gusta è balneo crucifixi, & hæc solidè apprehende, velut è cœlo data principia: ardorem in rebus Dei supra res alias majorem adhibendum; majores humanis cœli esse delicias; proculcan-

dos humanos respectus; æstimandum sanguinem Crucifixi, fundandam in fide solidam spem; firmandam in æstimatione Dei adamantinam cordis Deum super omnia æstimantis & amantis constantiam. Hoc est consurgere. Ita Michæas cap. 7. *consurgam*, inquit, *cum sedero in tenebris; Dominus lux mea est.* Hoc est cœlestibus æternæ veritatis principijs, & luminibus gubernari; hoc est loqui & sequi *propositiones ab initio*; hoc est exemplis grandibus uti, séque heroicorum operum atque dictaminum cote ad heroica virtutis facinora exacuere, virtutémque suam *factis* aliorum *extendere*, & facta propriâ virtute majorum in bono Dei lumine collocare.

6. Salustius in Jugurta: Sæpe audi„ vi, inquit, Q. Maximum, P. Scipionem, „ præterea civitatis nostræ præclaros vi„ ros solitos ita dicere; cùm majorum „ imagines intuerentur, vehementissimè „ sibi animum ad virtutem accendi. Me„ moriâ rerum gestarum eam flammam e„ gregijs viris in pectore crescere, neque „ priùs sedari, quàm virtus eorum famam „ atque gloriam adæquârit. Eadem fuit ratio, cur Augustus diu Alexandri Magni sit usus imagine in signandis Epistolis; eadem, cur eandem imaginem in auro atque argento viri, fœminæ verò gestârint in annulis.

7. Magnis exemplis ad magna ducimur. Reliqua exempla sunt radij; Crucifixus, est exemplum exemplorum. *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla*, inquit Seneca ep. 6 Ingredere breve & efficax per Crucifixi exemplum, iter, ad æternitatem longissimam, sequere alta principia. Christi vetus nomen est: *Magnum principium.* Relinque minora quædam humi serpentium animorum principia, qui minimas quasdã habent pro maximis, & tenebras pro lumine. Crucifixus, hoc principium, sit tibi cardinalis & sacrosancta æternæ veritatis propositio, & *Maxima* omnium *Maximarum*, secundùm quam te, tuáque gubernes omnia. Amoris Crucifixi magistri non ignavo pede sequenda sunt sublimia dictamina. Ille nobis genuinam Sanctitatis sculpat imaginem.

8. Amoris scalpellum, inquit *Clau„ dius Aquaviva in Psal.* 44. & ferramen„ tum in igne fornacis amoris sui ignivit, „ & emollijt Crucifixus: in aqua & san„ guine lateris temperavit: in cote cru„ cis suæ exacuit. Non sufficit amori, „ ea tantùm agere quæ jussa sunt, sed lon„ gè plura ultrò ac spontaneè præstat. Est „ enim is plenus oculis, & pennis: Ocu„ lis, quia in omnes se partes versat, & „ dispicit, quid tibi, Deus, gratum esse „ possit: pennis, quia alatis desiderijs ad „ opus provolat, sed nisi manus tua sub „ pennis sit quæ cieat, moveat, & juvet, „ in vanum laboratut. Ita ille ibi diver„ sis locis.

9. Major Claudio S. Ignatius datâ tertiâ Martij, Anno 1545. Conimbricam Epistolâ, *Plus prodest*, inquit, *vel semel strenuè laborâsse, quàm millies remissè.* Et postea, *Præcipuâ quadam ratione*, inquit, *sub Christi sanguine meretis.* Altus certè Calvariæ mons alta nobis dat principia, & lumina sanctitatis. Psal. 75. quasi Crucifixum Christum nepotem suum alloqueretur David, *Illuminans*, inquit, *tu mirabiliter à montibus æternis.* ubi S. Gregorius lib. 27. Mor. cap. 5. *Ex æternis*, inquit, *monti-*

*montibus Deus nos illuminat, quia per admirandam vitam Patrum præcedentium, radio nos suæ claritatis illustrat.* Hinc apud Virg. Ascanio dictum Æneid. 12.

*Te Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.*

Quid tenebris, & veterno pressus dormis? Excitet & te ad virtutem, non Æneas aut Hector, sed Filius Dei crucifixus. Illustret te radio suæ claritatis, non jam per Patrum tantùm exempla diffuso, sed ad ipsius tenebras patientis solis extinctum lumen accenso. Si exempla Sanctorum sunt montes æterni, à quibus *Deus Dominus illuxit nobis*; en mons Christi mons est montium æternorum, exemplum est exemplorum, à quibus montibus & exemplis illuminans nos mirabiliter, altissimis accendit luminibus, *Ut revocet* (*Job.* 33.) *animas nostras à corruptione, & illuminet luce viventium.* In hoc lumine vide lumen, & ora Patrem luminum, *qui* (2. Cor. 4.) *dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis, in facie Christi IESU.* In hac facie sputis, lachrymis, sudore, sanguine, mortisque pallore quantumvis horridâ, sequere illuminationem scientiæ docentis te claritatis Magistri tui Dei: Age juxta Urim; seu *illuminationes Dei*, seu juxta rationes æternas. S. August. lib. 2. Q. Evang. Q. 46. *Multiplicatio intelligentiæ*, inquit, *quæ in ipsa varietate de uno quoque præcepto, vel de uno quoque libro pullulat, ad unum redacta, quasi civitatem facit viventium rationum æternarum.* Sic ille. In hac viventium rationum æternarum civitate, qui habitat, habitat in lumine gratiæ, habitat in adjutorio altissimi; & in protectione, in civitate Dei cœli, in lumine gloriæ commorabitur. Tales sunt sapientes, pleni scientiâ Sanctorum, haustâ è Sancto Sanctorum Crucifixo.

10. *Sunt*, inquit Philo, lib. de Sacr. *Abel & Cain. Sunt etiam aliqui quos promovet Deus, & volantes super omnes species omniáque genera propè seipsum collocat; sicut Moysi quoque dicit: Tu verò hìc sta mecum.* Quæ omnia sanctè planè conveniunt theodidactis his Dei discipulis, studiosis rationum æternarum. Hi namque sunt, sed sano sanctóque sensu, *enthusiastici* illi *divinâ* (Christi patientis) *passione lymphati Deopleni*; ut ægrorum quoddam genus vocat *Ioan. Porta, phytogn. lib. 3. cap. 13.* Ne ergo à Crucifixo avelli te patere. *qui* (ad Hebr. 1.) *cùm sit splendor gloriæ*, faciet tibi de tenebris lucem splendescere, ut sit splendor Domini Dei tui super te, & in lumine *æternarum* quas sequeris *rationum*, effugias tenebras æternas, & videas lumen quod sicut lucerna fulgoris illuminabit te in æternùm.

---

# HEBDOMADA II.

*Si quis infelix casus tibi, tuísve acciderit, in Crucifixum defige oculos & cor, inde auxilium.*

1. Qua-

1.

QUasi è cruce legatum ad te ablegans, hæc tibi nunciat Crucifixus, *Isai.* 3. *Dicite justo, quoniam bene.* Et meritò: non enim *contristabit justum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo*, Proverb. 12. Etiam è damnis lucra colligi posse censebat Senensis illa Catharina, cùm diceret: *Si quis rectè sciret uti gratiâ Dei, ex omnibus quæ ipsi eveniunt, posset aliquid capere emolumenti.*

2. *Delr. disquis. lib.* 2. *cap.* 21. ait quosdam sacramento diabolis authoratos adeo à sensibus eximi, ut nihil dolorum sentiant. Fieri id quadam stigmatum tesserâ, quam diabolus imprimit strigibus: adeóque illas sensu destitui, ut acus longissimæ fixura dolorem minimum adferat, neque sanguinem eliciat. Quod impiæ illæ à dæmonis habent stigmatibus, illo majora & meliora habent Sancti à stigmatibus patientis Jesu; ut nempe absque ullo doloris sensu acerbos etiam casus hilariter ferant; & petant sibi à Deo non parci.

3. Nicephoro teste *lib.* 7. *cap.* 47. rebellem Constantinopolim obsidione cingens Constantinus, præter omnem expectationem, novem suorum millia amiserat conflictu gemino. Nocte intempestâ cùm attritum suum robur, & hanc non tam fortunæ intemperiem, quam Dei omnia læta tristibus permiscentis manum, contemplaretur, lucrum collegit è damno. Etenim ubi multa ultrò citróque mente versavit, suspiravit in cœlum, rebus fractis, infractis animis, tanquam ad victoriarum suarum tontem, vidítque illic eadem quæ contra Maxentium pugnaturus olim viderat beatæ Crucis insignia, & compositum in characteres stellarum lucentium ordinem, quasi patentes promissæ à Deo victoriæ literas, in hæc verba legebat: *Invoca me in die afflictionis: eruam te, & liberabo te, & glorificabis me.* Geminantur solatia. Iterum Crucem suam videt in cœlo, ac iterum legit: *In hoc ipso signo omnes hostes vinces.* Ita die postremo manè Urbem in potestatem redegit, auxilio Crucifixi. En cœlum pro charta, stellas pro atramento & literas habet manus omnipotens Crucifixi. Tu idem tibi in cœlo scriptum puta. Invoca Crucifixum in die afflictionis: eruet te & liberabit te, & glorificabis illum, victis hostibus tuis.

4. *Plutarch. in Fabio* ait pridie prælij purpuram ad Imperatoris tentorium in hasta consuêsse suspendi, militis ad pugnam accendendi ergò. Tu contra tristia quæ tibi accidunt ut possis hic audentior, cruentam Jesu purpuram præ oculis habe semper. Cor tuum tentorium esto Imperatoris Crucifixi. Illud purpurâ Christi indue: ut si triste quodpiam prælium veniat, te paratum inveniat, victorémque relinquat.

5. Plato Divinos homines ajebat gubernatores Civitatum, Divinâ cognatione generatos, ísque mentem attributam à Deo, quasi fictam ex auro. Aurea certè & cognata Deo mens est, quæ domesticam suam in tristi etiam temporum tempestate ita gubernat politiam, sedente pro tribunali cordis Crucifixo, ut masculâ torosáque virtute, virulentis obloquijs, & viro-á susurronum face neglectâ, se componat ad tran-

tranquillam æternitatem, & se Crucifixi ac suâ virtute involvens, suósque dolores Christi miscens doloribus, lachrymarum fundendarum loco, fortunam rideat minorem se.

6. Adverte nubilo illo tempore ad alta illa (de quibus quidem hebdomadâ primâ hìc actum, sed tamen in afflicti gratiam adhuc hìc aliquid addendum est) quibus illustrare suos assolet Crucifixus, principia, & lumina: &, si quidem maturæ mentis es (pueri enim, & parùm cordati ista non capiunt) *ad rationes æternas*, sicut omnia reliqua, ita casum istum compone cum Sanctis, in bilance Dei, in qua certè sphæra cœlestis plùs habet ponderis quam terrestris.

7. *Æmulamini charismata meliora, & magnâ mensurâ vitam vestram metimini*, (inquit ep. ad Nicobulum S. Gregor. Naz.) *atque ad excellentium virorum vos imitationem componite.*

B. Aloysius Gonzaga, illustrissimum in divinis hisce luminibus, & cœlestibus imbutum principijs cor, in M. S. suo cit. à Cepario, *Vita lib. 2. cap. 16.* quo rectam ad Deum viam insisteret, primum sibi pronunciatum, id est, unum inter prima principium posuit, *Sanctorum exemplis abundare.* Abundamus certè afflictorum à Deo per tristissimos casus Sanctorum exemplis. Subdit postea alterum pronunciatum, sive principium, quod meritò vocari potest, *Maxima Maximarum* æternæ » veritatis propositionum *propositio.* Alterum, inquit Aloysius, quo affectus » tuos dirigas, hoc esto: eò te religiosiorem, magisque pium futurum, quò » tuam vitam diligentiùs SECUNDÙM RATIONES ÆTERNAS, minùs verò secundùm temporales gubernaris. Hæc » pronunciata altè in pectus demittes. » Ita ille.

8. Solida tunc, non picta sectanda sunt solatia. Venustas in verbis, tanquam conchyliato tapetio, aut Campanico picto peristromate ludens, phalerata potiùs quàm fortis est. *Prudentibus* autem, *non placent phalerata, sed fortia*, inquit Prosper. de vita contemplat. lib. 3. Ecce fortissimum ad persuadendum Verbum, & exemplum pictum sanguine, Crucifixus est. In omni casu in monte Calvariæ, supra cœli terræque injurias, velut in Olympo, quiesce in foraminibus petræ: petra autem erit Christus. Ibi per apertum latus ingredere ad quiescendum in corde Dei: neque enim te illuc usq; sequentur, quæ te premunt adversa. Nihil illic triste tibi potest accidere. Æthereus homo est qui illuc evolat, velut avis illa paradisiaca, cœli semper dum vivit Civis. Hæc est quinta essentia Sanctitatis. Ætheream regionem, ut à quatuor elementis distingueretur, quintam essentiam esse appellatam, seu quintam naturam, ait *Clavius in Sacroboscо. à pag. 37.* Dicitur, inquit, » ætherea regio, authore Aristotele, à » *semper*, & *θέω, curro*, Græcè, quia cœ- » lestia corpora quæ illam constituunt re- » gionem, semper ac continuò volvun- » tur ac rotantur. Anaxagoras & Cice- » ro dici volunt Ætheream à Græco, *flagro, fulgeo*, Latinè.

Joannes Sacroboscо ibid. *Ætherea*, inquit, *regio lucida, ab omni variatione, suâ immutabili essentiâ immunis existens, motu continuo circulariter incedit.*

Illi

Illi qui altissimis illis rationibus gubernati, etiam in summa fortunæ tempestate, inter decumanos fluctus ad Crucem & ad Crucifixum, tanquam ad navis arborem, & gubernatorem, attendunt, & advertunt quid dictent *Maxima Maximarum*, sunt instar illius æthereæ regionis, semper volvuntur, currunt, rotantur absque vertigine; & sicut sphæricæ quædam laternæ, etiamsi pilæ instar proijciantur, non extinguuntur: semper intus flagrant, foris fulgent: semper lucidi, & in omni qui alios, minoribus innixos maximis, sexcenties dejecerit casu, ab omni variatione, suâ immutabili, quia in Crucifixo fundata, mente immunes existunt: motu continuo circulariter incedentes, neque unquam exorbitantes ex orbita rotæ circuli æternitatis: quod certè obesæ naris homines non capinnt. Æthereæ mentes! Inter nubila Soles! corda tertiâ etiam regione aëris altiora, in sublimitate principiorum altorum! Altissimum principium est Christus, *qui* inquit c. 1. ad Col. Paulus, *est principium*. Iste dies, est dies virtutis tuæ. Ne desponde animum, tecum est Christus, id est, Psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Abrumpo, ne sim longior; & reliqua differo ad *hebd.* 34. 35. & 41. Interea adverte, nil tibi, nil alijs posse adeo enorme, adeo funestum accidere, quod reddere tibi æternum dulce non possint amaritudines patientissimi Crucifixi.

# HEBDOMADA III.

## *Crucifixo Christo te quàm simillimum exhibe cordis puritate.*

I.

ROmæ Anno 1627. Henricus Comes ab Helfenstein, corporis animique integrâ semper elegantiâ & Virginitate illibatus flos, morte felici elanguit. Mandatorum seu voce vivâ, seu scripto datorum, ad unguem religiosissimè observans, custode amore Deiparæ: cui dato iterum quo se Dei Crucifixi Matri ex asse iterum mancipabat chirographo intaminatam innocentiæ indolem, etiam in Gallijs, ab infinitis periculosæ peregrinationis injurijs conservavit immunem contra consortia nævum speculo Virgini afflatura, & contra fascinantes amare amaríque volentium illecebras, ludos perditionis plenos, & alias urbanitatis nomine parùm cauto vestitas, & perditè periculosas delicias; Deo, Parentibus, omnibus amantissimus. Illustrissimi Henrici Mater, illo ipso, quod inter obitam Romæ, sed necdum nunciatam, Henrici sui mortem intercedebat, tempore videbatur quasi canentis sibi intus vocem audire identidem: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nempe nisi preciosâ dulcissimi Henrici morte intellectâ, collatísque sonantis in corde suo musicæ, ac morientis Henrici temporibus, intellexit, extra mundum jam positum, Deo viso potiri Henricum, verè mundum corde, mundum ore, mundum

dum oculis, omnibus mundum. Ideoque Deo Henricum avocanti, parendum rata, dolorem sinè lachrymis fortiùs quàm fieri amet, tulit: & tum demum & ipsa Illustrissimo Conjugi id quod sequitur narravit, & Conjugem eadem sibi visa narrantem audivit. Abeuntem ad exteras oras visendas Henricum, in templum cui *Ave Maria* nomen, deductum, Deo ac Dei Matri enixè uterque commendabat parens in paternum & maternum sinum. Ita peregrinationem exorsus Henricus *Vale* Patri ac Matri (nesciebant supremum *Vale* id esse) dixit: & simul ille à parentum amplexu & oculis, simul parentes ex illo templo sunt digressi.

2. Hic cùm uterque ante Christi Christi Domini in crucem acti effigiem in genua profusi ferventiùs precarentur, & iterùm iterúmque suum Henricum Christo commendarent, uterque seorsim sibi videre visus est, quasi Christus aliam ex alia formam indueret; ac tandem uni illi suo filio unicè dilecto ex æquo similis, jam jam animam ageret. quæ species animo oblata sæpiùs, ab utroque repudiata, sæpiùs redijt, intimáque penetralia subijt miro affectu. Proposuerant inter se aliquoties visa narrare; sed nescio quo casu, nunquam id fecerunt, quàm cùm de morte Henrici nunciatum est. Vide Lechnerum *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Ea quanta puris, & præcipuo Deiparæ amore instructis mentibus cum Crucifixo intercedit similitudo; Et certè ad puritatem vel maximè stimulum dat Bernardus de sanctis Crucifixi temporibus quartâ sanctioris hebdomadæ feriâ ita suos, ita nos allocutus: *Vigilate animo, ne infructuosè vos hujus temporis Sacramenta pertranseant. copiosa est benedictio: date receptacula munda, devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibete tantis charismatibus gratiarum.*

3. Præpara te ad *hæreditatem* illam *incorruptibilem*, per incorruptam peccato integritatem corporis animíque; *incontaminatam*, per puram sinè ulla gravioris noxæ contagione conscientiam; *immarcescibilem*, per nunquam marcescentia, quia semper florentia, erga Crucifixi Matrem obsequia. Excoquendum est cor puro amoris igne, velut aurum in fornace vulnerum chari JESU amore ardentium. Fugandus si quis in conscientia latet Draco. tum demum os, oculi, cor, omnia applicanda ad obsequia Crucifixi. Ita S. Bonaventura *Vitæ S. Francisci cap.* 3. testis est, visum esse aspectu S Francisci fugatum draconem, & Crucem auream ex ore B Francisci procedentem, cujus summitas cœlos tangebat, cujusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbantur extendi. Utinam aurea illa Crux extendatur usque ad nos, ut dracones enecet animorum tyrannos!

---

# HEBDOMADA IV.

*Carnis tentatione obrepente - Crucifixo Deo IESV affige oculos, & orans cor.*

1.

SEriò, & citò malo huic providendum. Nam S. Remigius in cap. 1. Ep. ad Rom. de carnis vitio, *Demptis*, inquit, *parvulis ex adultis pauci, propter hoc vitium, salvantur.* Inter omnia Christianorum certamina, *sola dura sunt prælia castitatis; ubi quotidiana pugna, & rara victoria*, inquit S. Augustinus de hon. Mulier. cap. 2. & sermone 46. Verb. Dom. Venus olim Dea machinatrix dicta, etiamnum machinatur nobis perniciem immortalem, eradicátque genimina gratiarum, fœdâ tyrannide. Ideo cùm quotidie, tum vel maximè Crucifixo sacro die Veneris petenda est à Crucifixo victoria, & castum cor. Faustina, ubi sui causâ occisum audivit eum quem perditè deperibat, *Propinate*, inquit, *mihi paululùm sanguinis ejus!* Tu castissimum Jesu sanguinem pro amoris pharmaco bibe, & illo *lava à malitia cor tuum.*

2. Thomæ Cantipratano, ut ille *lib. 2. apum cap. 57.* refert, puella nobilis frequenter cum lachrymis conquerebatur, se miserabili longissimi jam temporis lanienâ, Dæmone & carne spiritum colaphizantibus carnificibus, miro erga nescio quem adolescentem amoris æstu, ac œstro agi invitam. Parebat illa quidem Thomæ dicenti, ut omnis, quæ esse posset, amputaretur fœdæ tentationis occasio: sed tamen sub castis afflictissimæ puellæ fibris plus ultra glisceus illa ab inferni igne accensa flamma, etiam cibum illi adimebat & somnum; cùm sub aurora misellam illam sui jam parùm potentem, neque multùm distantem à naufragio puritatis, & sollicitos oculos à somno è lecto attollentem invisit pulcherrimus Crucifixus, & calidis adhuc, ac singulis ad illam quasi alloquendam hiantibus opertus & apertus vulneribus Deus Jesus, illam in hæc verba patrio idiomate est allocutus: *Me debes amare: qui sum pulcher, bonus, dulcis, nobilis, & generosus.* Ita illa à plus quàm decumanis illis fluctibus pace cordis intimâ conquievit. Ama ergo Jesum Crucifixum, omnibus omnium pulchritudinum pulchritudinibus pulchriorem. S. Augustinus, in Psal. 44. de Crucifixo meo ac tuo, *Pulcher est*, inquit, *in utero, pulcher in præsepio, pulcher in manibus parentum, pulcher in miseriis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.*

3. Joannes de la Cerda *horti fam. 1. part. cap. 7.* ex Plutarcho refert Mithridatem cùm de Momiæ pulchritudine plurima audisset, monile illi misisse quindecim millium coronatorum, dono. Remisit illa suspectum, & nobiliorem suæ pulchritudinis partem atrâ fuligine in ore hominum obfuscaturum donum. Crevit cum admiratione amor: & Rex Momiæ suum promisit coniugium: si occultissimo sceleri clàm annuat. Abnuit illa constantissimè. Unde æstimatam Momiæ virtutem missa illi, ut castæ, coronâ regiâ, coronavit, & conjugem suam, ac Reginam fecit. Æstima pulchritudinem tuam, quâ tuum animũ ornavit Deus supra omnem omnium corporum pulchritudinem pretiosam; & quicquid id quod turpem illi labem parat aspergere, exhorresce. Coronabere.

4. Ita S. Bavo Viduus, ex aula se in eremum proripuit; & de colaphizante dæmo-

dæmone victor, cœlesti luce coronatus, ac delabentis è cœlo crucis aspectu donatus, dixit: *Agnosco gloriosæ militiæ meæ signa.* Ita verò sub glorioſis militiæ suæ signis vixit victor, ut vivere desinenti, præsens cum Angelis, Agonotheta Christus adfuerit: & Bavo migrantem jam animam allocutus, *Christo advenienti*, inquit, *quidni obviam exis anima?* Ita victor ex arena discessit. Agnosce & tu quoties te fugillat infelix caro, agnosce glorioſæ militiæ tuæ signa; & in his signis conjuratam cum dæmone carnem tuam vince, ô non carni sed Crucifixo æternis authorate sacramentis miles Dei!

5. S. Ludgardi nudato cruento & cordato latere Christus, *blanditias* inquit, *inepti amoris vide ne requiras. Hic jugiter contemplare quid diligas, & quam ob rem diligas. Hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor.*

Elige has, non illas à sagæ voluptatis uberibus propinatas impuritatis delicias.

6. *Menel. Cisterc.* 1. *Jul.* ait B. Elisabethæ de Wans Crucifixum semper adfuisse; & si quando fœdis cogitationibus vexaretur, suâ illius pectori manu impositâ, illas fugâsse. Pete, ut tuo etiam pectori imponat sanantem manum Crucifixus.

7. S. Constantinus (*ut est in Græc. Menæis*) ex Hebræo Christianus, Crucis amantissimus, toto vultu pulcherrimè radiabat: sed animo longè pulchriùs, quando puellam obscæno inferni igne calidam, cùm se ab illa invitari videret ad scelus, arrepto Crucifixo adeo concussit, ut, si non occidit, certè de vita dubiam reliquerit, & eodem illam Crucifixo persanaverit. hic dum Crucifixo daret osculum, Crucifixus illum amplexus illius frontem divinâ dexterâ, cruce signavit. His amplexibus non nisi castissimos suos victores dignatur Crucifixus Virginis Filius.

8. S. Joannes Bonus, è bono malus, acceptâ mortui parentis hæreditate, & rursus maternis ad Deum fusis precibus è malo factus & dictus Bonus, à Crucifixo sæpe ad vulnerum oscula invitatus, ex illo armamentario contra carnis tyrannidem arma sumpsit. Nam cùm aliquando fœda illa, & Joannem carni succumbentem vincere jam assveta bellua, impuris iterum caloribus æstuaret, Joannes defixis sub digitos & ungues arundinum frustulis, adeo altè acuta illa segmenta digitos inter unguésque adegit, & impium illud incendium, dolore ac sanguine adeo sepelivit, ut propè triduum absque ullo ferè sensu jacuerit; postea è cœlo ita recreatus & erectus, ut nîl tale tam generosè victa caro ampliùs tentare ausa fuerit in Joannem.

9. S. Augusti. lib. 7. Conf. cap. 1. *Clamabat* inquit, *violenter cor meum adversus omnia phantasmata mea!* Clamet cor tuum; audietur à proprijs auribus Crucifixi. Sequere Ambrosij tom. 2. *exhort. ad Virg.* consilium, dicentis: *Dormiant illecebra corporis: vigilet cordis prudentia. Membra tua redoleant crucem Christi.*

10. *Deus bone!* exclamat lib. 3. Epist. 5. S. Franciscus Xaverius, *non intelligunt homines, quantâ, quàm liquidâ voluptate careant idcirco, quòd minùs fortiter dæmonis conatibus obsistant.* Tu ergo obsiste; æternas hauries voluptates.

tes. Obsistendi modus crux est alto cordi impressa. S. Thomas in cap. 12 ad Heb. *In quacunque*, inquit, *tentatione, invenitur in cruce præsidium.* Et teste S. Joanne Chrysost. de S. Cruce, *Crux spes est Christianorum, crux desperatorum vita; Si crucem infixeris vultui tuo, nullus dæmonum propè stare poterit.* Bernardi vox est ep. 351. *si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem æneum intuere; & fuge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi.*

11. *Apud Barrium anni Sacri par.* 1. *de V.* 2. *cap.* 7. Hispana puella nobilis à Matre, Sororibus, ac juvene quodam ad tripudium invitata, abducta, elevatis in cœlum oculis, vidit sibi supra caput adstantem Dominum Jesum vulneratum flentem sanguine, facie sudantem, & dicentem: *Filia, vide quàm malè me afficiat sociarum tuarum levitas, in quam te insinuas.* Matrem monet, reditur domum, & felix mundo vale dat. Si levitas ita Christi est carnifex; quid erunt reliquæ obscœnæ fœditates?

12. *Tanta est dulcedo futuræ gloriæ*, inquit serm. 8. de transfig. S. Augustin. *quòd si una gutta in infernum defluaret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Non minùs verè dixerim ego: Tanta est & sanguinis Jesu & cœlestis gloriæ dulcedo, & infernalis ignominiæ amaritudo, ut si una sanguinis Jesu, vel æternæ inferni amaritudinis gutta in ea quæ mundus putat dulcia defluaret, totam stultarum & evanescentium voluptatum dulcedinem omni mundi totius amarore amariorem esse ostenderet.

# HEBDOMADA V.

## *In ariditate cordis Crucifixum consule.*

1.

HEnricus Suso *horol. sapient. cap.* 14 gravi mœrore oppressus, vocem audivit: *Quid hìc in otio temetipsum affligis, & consumis? Quin surgis, & passionem meam recogitas?* Fecit, respiravit, semper postea lætus.

2. Religiosus quidam è Sancta S. Dominici familia vir, ut in ejus Ord. actis percensetur, à dulcibus in Deo mersi cordis solatijs in eam desolati cordis inciderat siccitatem, ut ipse sibi terra sinè aqua, & cœlum illi aheneum videretur. Quare, lætis exporrectâ fronte alijs ad omnia onera, ipse cæpit adeo *tædere, ac mœstus esse*, ut pernoctans in oratione Dei, lachrymans caput cum corpore universo coram cruci affixi Christi simulacro, humi pronus abijceret. Conquerebatur de celebrata illa in omnes facilitate optimi aliàs ac liberalissimi Dei: se tamen tale nihil, sed alia omnia experiri, fidelem licet ac veteranum jam servum. Aliud operæ precium fuisse laturum, si alij servijsset. Jam se incertum consilij pendere animo, dum alios lætos cœlique delicijs delibutos, se desertum videt.

Abscidit precantis vocem is qui totâ æde sacrâ infremuit strepitus.

Fragorem ruentis templi suspicatus, reflexit oculos trepidus; & hem! horrendum visu hominem vidit, atque ab eodem

eodem prælongo, quod manibus gerebat, ferro humi affixus est. Ita illi dolores inter, ac mortis potiùs metum quàm vitæ spem abijt funesta illa nox, usque dum à suis ita ut erat repertus, religiosâ omnium charitate curatus, tres totas hebdomadas, tantos inter dolores jacuit ac fœtores quos exhalabat, ut nisi munitis probè naribus illum potuerit accedere nemo. Ubi respiravit, ad mentem & simul ad Crucifixum, jam ab illo qui fuerat alius, & sinè querelis, redijt. Temeritatem deprecatus lachrymis diu ac multùm, vocem tandem audivit coram Crucifixo supplex: *Verme Veliorem te judica: & scias, solatium humilitate quærendum, non expostulatione.* Tu cor aridum imbue sanguine Crucifixi.

3. Hoc sanguinis Christi succo fœcundabat spiritum suum suaviſſimus Bernardus, dum serm. 43. in cant. de passione ita loqueretur: *Hæc mihi in ore frequenter, sicut Vos scitis; hæc in corde semper sicut Deus scit. Hæc mea interim sublimior Philosophia, scire IESUM, & hunc Crucifixum.*

Et quid denique? Dic age, quâ quæso spiritûs dulcedine plenus Jesus sese accinxit ad mortem? An non cæpit tædere? O arida tædia! Et nos musto spiritûs ebrij, ab ubertate stillantium è Dei domo cœlestium voluptatum, volumus orare semper, aliàs nunquam? Discite, misera tædia, orationes aridæ, discite Deum præ his dulcitudinibus amare & æstimare: discite à moriente inter supremos dolores, inter tædia tædiorum maxima dulcissimo Deo. Disce, & tu, solida separare à dulcibus, & æstimare præ dulcibus. Disce timere id quod minatur, sperare id quod promittit, corde intimo penetrare quæ passus est; & Deum, plus quàm puerilia tuæ virtutis bellaria, & infantibus dari solitas cœlestis lactis guttas, amare.

# HEBDOMADA VI.

## *Studiorum, & omnium quæ agis, Præfectum, & præmium tibi Crucifixum præficito.*

1.

COpres Anachoreta insignis, cum Anachoretarum veterum novorúmque facta egregia denarraret, visus est ab eo qui illi dicenti aures dabat, ea quæ diceret omnia è singularis elegantiæ eodémque aureis scripto characteribus libro, legere. Omnem in plus quàm aureo Crucifixo scientiarum Encyclopœdiam invenies. Ibi omnem omniũ doctrinarum, Sanctorúmque virtutes, ut in aureo prototypo, leges.

2. Petro Cœlestino cùm etiamnum parvulus totum se studijs dederet, adfuit è cruce descendens Christus, & se discenti pædagogum dedit. Seraphicus ille Crucifixi amicus Franciscus, *Apopht.* 50. dicenti cuipiam, cur inter dolores non curaret sibi quidpiam prælegi, respondit: *nihil mihi tam delectabile, quàm Vitæ & passionis Dominicæ memoria, quæ mihi frequens est & quotidiana: nec ad finem usque mundi si Viverem lectione aliâ indigerem.*

3. Hujus verò & filius & historicus S. Bonaventura Theologus, S. Aquinati

nati Doctori Angelico petenti, è quatandem bibliotheca tantum illum reconditarum scientiarum thesaurum hausisset, rogantique ut illa sibi monstraretur, in aliud conclave inducto (in bibliothecam duci se rebatur Thomas) attritum oculis Crucifixum loquente indice digito ostendens, illam esse bibliothecam suam dixit. Ipse etiam Thomas Angelicus cùm aliquando coram suo Magistro Crucifixo precaretur ardentiùs, vocem à Crucifixo hanc audijt: *Bene scripsisti de me, Thoma: quã ergo mercedem accipies?* Et respondit docilis, doctissimúsque Crucifixi discipulus: *non aliam, Domine, nisi teipsum.* Osimanduæ Regis Ægyptiorum Bibliotheca visendis librorum selectorum thesauris referta, hanc præ foribus habuit epigraphen: *Animorum medica officina.* Habes in Crucifixo medicam animorum omnium officinam. Habes Magistrum in Crucifixo, & bibliothecam. Vide ut in te studiosum & talem discipulum qualis Petrus, qualis Franciscus, qualis Bonaventura, qualis denique Thomas fuit, habeat Crucifixus.

4. Crux Chaldæorum, & Indorum Christianorum idiomate vocatur *Sapientia, industria, & virtus Dei*, apud Corn. in Ep. 1. Cor. c. 1. ℣. 23. Hujus ergo virtutis & sapientiæ esto discipulus, ut plenè sapias cum virtute. Aristoteles 1. *de part. animal. cap.* 5. minimam de divinis cogitationem cuicunque de creatis cognitioni præfert. Placet mihi sanctum D. Athanasij de S. Antonio in præfat. vitæ ejus in hæc verba scribentis ingenium: *Perfecta est ad virtutem via, Antonium scire, quis fuerit.* Ego verò Jesum Crucifixum scientibus, & tamen discentibus loquor: *Perfecta est ad virtutem via, Crucifixum scire quis fuerit.*

5. B. Laurentius Justin. apud Causin. fer. IV. post Dom. Quadr. *Scientia scientiarum est scire se nihil scire.* Utinam sciamus nos nihil scire præter Jesum! Inde Paulus nil se præter hunc scire arbitrari ajebat. Ad quid tibi illa quæ sinè ædificante charitate, tartareo quodam hydrope te inflat scientia? Sit ergo tibi præ Cicerone, præ Aristotele, præ Archimede & Euclide, præ Magistro, præ Bartolo, & Machiavellis omnibus, fons omnis scientiæ Crucifixus. Sanctissimè doctissimus Hieronymus Ep. 1. *Iudicaturo*, inquit, *Domino, lugubre mundus immugiet: adducetur cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices: Ecce Crucifixus Deus meus: Ecce judex qui obvolutus pannis in præsepio vagijt!*

6. Sanctus Martyr, & Episcopus Ignatius, missâ in Asiam ad Trallianos epistolâ, possum quidem, inquit, intelligere cœlestia, Angelorum scilicet atque Archangelorum ordines, Militiarum diversitates, Virtutum, & Dominationum differentias, Sedium atque Potestatum distantias, Thronorum magnificentias, Cherubim & Seraphim excellentis spiritus sublimitatem, Domini regnum, & super hæc omnia omnitenentis Dei incomparabilitatem. Hæc igitur ego cognoscens non omnino perfectus sum, aut discipulus esse possum, qualis Paulus aut Petrus. *Multum enim mihi restat, ne à Deo derelinquar.* Sicca ergo est absque Crucifixi scien-

scientia etiam Theologia. Dic itaque cum Henrico Susone ad Crucifixum: *Pone meam in tuis vulneribus Philosophiam, in tuis stigmatibus sapientiam: ut ulterius in solo charitatis libro & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita ut ego jam non ego. sed tu in me, & ego in te indissolubili vinculo amoris æternaliter maneamus.*

8. Urbanus Papa II. Spondano & Baronio testibus Anno Christi 326. *meminit perennis ad Ecclesiam Hierosolymitanam fieri soliti annuatim divini miraculi, quo in diebus Passionis Dominicæ, extinctis omnibus & in sepulchro, & in Ecclesia circumcirca luminibus, jubare divino lampades divinæ reaccenduntur.* Deficiant licet scientiarum lumina, vertantúrque in tenebras, unus tamen illis omnibus Crucifixus te meliore luce perfundet, & totus animus tuus, totum corpus tuum lucidum erit.

9. *Apud Phil. Hanotel. de mundi stultitia cap. 3. §. ult. impressum Coloniæ Anno* 1643. Pater Franciscus Suarez Soc. Jesu, inter orandum subinde plus etiam cubito à terra sublimis est observatus, cùm interim *à luce plurima è quinque adversi Crucifixi plagis vibrata Francisci facies tota, Solis instar, rideret.* Ibi ergo, & inde, & literarum & rerum tuarum omnium studijs lumen pete, & arde felix, ut luceas.

# HEBDOMADA VII.

*Christo Crucifixo toti seriò devoti, pro felici æternitate prædestinati sunt.*

1.

Sancta Clara de monte Falco meditandis Jesu doloribus corde toto affixa, juvenem eleganti specie vidit (Christus is erat) qui crucem humeris bajulans, ajebat: *Filia mea, Clara, quæsivi locum solidum, in quo crucem hanc plantarem, & inveni cor tuum. Ibi eam figere volo. Oportet ergo ut moriaris in hac cruce, si filia mea & hæres vis esse.* Altissimè Crucifixi memoriam imbiberat Clara. Unde nunquam de illo sinè lachrymis loquebatur. & annis aliquot quicquid cibi vel potionis accipiebat, amarum illi videbatur à Crucifixi memoria. Denique quicquid ullo externo internóve sensu percipiebat, videbatur illi amarissimo fellis Christo propinati rore respersum. Inde illud cordis miraculum! Felix eris si cor tuum fuerit solidus locus in quo plantetur Crucifixus! Plantaberis in domo Dei. In monte Calvariæ, velut in monte Garizim, *posuit benedictiones suas Deus*, Deut. 11. S. Joannes Chrysost. hom. 65. in Matth. *Gloria*, inquit, *nostra, caput, & origo beatitudinis, libertas & corona, Crux est.* S. Ambrosius in Psal. 118. Christum alloquens: *Propterea damnationi mortis te subdidisti, ut eos à jugo damnationis erueres: suscepisti mortis servitutem, ut illis tribueres vitæ æternæ libertatem.*

2. Ita *apud Surium* 10. *Martij*, Attala Bobiensis Abbas crucem quam in conclavi suo habuit, cubiculum ingrediens & inde egrediens venerabatur, eadémque frontem muniebat. Eandem adoravit moriens, & Deo gratias *pro apertis Cœli Januis egit.*

3. S. Anselmus 1. de medit. cap. 5. *Sit,*

*Sit*, inquit, *continuum viaticum tuum: quia per hoc, & non nisi per hoc & tu manebis in Christo, & Christus in te: & in futura vita plenum erit gaudium tuum. Ibi est secura expectatio futuræ beatitudinis*, affirmante id S. Leone serm. de Pass. *ubi est participatio Dominicæ passionis.* Et S. Gregorius 6. moral. cap. 6. *Compatere Salvatori nostro IESU, memoriam passionis & vulnerum ejus in corde tuo habendo; certissimè confidens, quòd ejus consolationis socius in futuro efficieris, si ejus tribulationis in præsenti socius inveneris. Nec pro ipso piè lugentibus gloriam suam negabit.* Unde Crucifixum sic alloquitur sacer hymnus:

*Quærens me sedisti lassus:*
*Redemisti crucem passus.*
*Tantus labor non sit cassus.*

4. S. Laur. Justin. cap. de Ponte introd. p. 4 ait quòd in Christo passo *divinæ miserationis referetur abyssus; cælorum aperiatur janua, charitatis latitudo ostendatur, & quantus sit homo, demonstretur. Vile enim esse non potest, quod Filij Dei sanguine comparatur.*

Nunquam nos decipiet Jesus, fidelis est, pius est. Martyrol. Franciscan. 14. Janu. ait B. Mentiæ Virgini à Crucifixo loquente dictum: *Pium me vocas, sum etenim: tibique pius ero.*

In Hoc Tav signo, nil timebis exterminatorem. Hæc enim est salutis æternæ tessera. Nam Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in umbra tua vivemus.* Captus est ideo ut liberemur, mortuus ut vivamus. Unde Passionem Jesu S. Leo serm. 4. vocat *sublimissimum divinæ misericordiæ sacramentum.*

5. Et verò id quod de Martyrum sanguine verè pronunciat S. Cyprianus ep. 6. veriùs de Christi sanguine pronunciâris: *Fluebat sanguis qui ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.* Julius Maternus Firmicus de err. profess. cap. 22. *En*, inquit, *sancta virtutis immortale fastigium. Tu Christe, mundum ac terram extensis manibus, tu cœleste sustentas imperium: tuis immortalibus adhæret humerus salus nostra: tu Domine, Æternæ Vitæ bajulas signum.* Ecce ubique cum Crucifixo prædestinatorum solatia. At nos idem à moriente discamus.

6. Chron. Franciscan. p. 2. l. 8. c. 9. refert Joannem de Firmo, horridâ in agone facie turbatum primùm, deinde rogatum, quid illa facies sibi voluisset, respondisse: *si qua vidi dicerem, non crederetis; sed unum scitote, quòd qui vult æternam adipisci salutem, soli Christo Crucifixo ardenter inhærere debet.* Ita cœlo animam dedit. Inhære Crucifixo. S. Bonaventura teste stim: c. 1. *Vulnerum IESU meditatio, suum meditatorem alienat, & non solum facit Angelicum, sed Divinum.*

7. *Apud Vinc. Caraffa, fascic libr. 3. cap. 24. num. 3.* Juveni cuidam ostensa in monte amœnissima Urbs, quam circùm lambebat flumen ingens, in quo, juvante illos quodam, lavabant vestimenta sua plurimi. Interroganti Juveni, quid hoc rei esset? Respondit illorum senior, civitatem illam Paradisum esse: illos lavare stolas suas in sanguine agni, ut sanctam Urbem mundi ingredi possint. Et addidit: *Ego sum JESUS Christus, sinè cujus auxilio nemo salvari potest.* Si vis ad illum locum

locum pervenire hæc est via. Paruit: & religiosis eò se adjunxit libentiùs, quòd illos ipsos fuisse, qui cœlestis paradisi Urbem ingressuri vestimenta sua lavissent in flumine, agnoverit. Vis intrare ad locum prædestinatorum? Ecce via per Jesu vulnera ingredietur & egredietur, & pascua inveniet, qui salvari voluerit. Ora ergo cum Ecclesia sancta, Missâ de Pass: *ut in die judicij ad dexteram Crucifixi audire mereamur; Venite benedicti*: & idem Crucifixus post obitum nostrum *Paradisi januas nos gaudenter introire concedat.* Quid times ne tibi salutis æternæ obicem objiciat? Peccata, existimo. Sapienter id equidem facis & providè, atque è mente ac exemplo Sanctorum. Audi Bernardum serm. 1. in Annunc: B. V. *Et de vita*, inquit, *æterna habeas testimonium, quòd ad eam divino sis munere perventurus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia ipse redonat. Porrò testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Nam de remissione peccatorum, validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis ejus invaluit multò plus, quàm vox sanguinis Abel, clamans* in cordibus Electorum *remissionem omnium peccatorum.* Ita ille. O quàm vivæ, quàm solidæ spei vena hîc aperitur in re, quæ summo suprà solatio est. Age prædestinate Dei! Hortatur te Augustinus *in Manual.* ut inspicias *vulnera pendentis, sanguinem morientis, precium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia ad amplexandum, totum corpus ad redimendum extensum.*

8. Certè etiam apud S. Bernardum serm. 4. de parasc. *Christi vulnera porta cæli sunt*, de quibus non solùm fluvius sanguinis & aquæ, sed in sanguine gratiarum profluit plenitudo. Tu has cœli portas ingredere; & eris in *Urbe prædestinatorum.*

# HEBDOMADA VIII.

## *Sexta quævis hebdomadæ feria in honorem Crucifixi peculiaribus obsequijs honoranda.*

1.

ÆTas ista, quam agimus, sexta magnæ mundi hebdomada quasi feria est. Consentit Augustinus, dum serm. inter novos 19. dicit: *Primus dies in toto seculo est tempus, quod est ab Adam usque ad Noë: & secundus, à Noë usque ad Abraham: tertius, ab Abraham usque ad David: quartus, à David usque ad transmigrationem in Babyloniam: quintus, à transmigratione usque ad Adventum Domini nostri IESU Christi. In sexto die sumus, &c. sextus autem dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sabbatizabunt Sancti & justi Dei. Post septimum autem cùm apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque Sanctorum, ibimus in illam vitam, & in illam requiem.* Ita ille.

2. Nieremb. *hist. natur. lib. 5. cap. 2.* ait: à Regibus Ingarum crucem marmoream in precio habitam. In Regno Yucata crucem adoratam. In Chiapa

SSS. Trinitatis, Christi patientis, Beatissimæ Virginis memoriam coli. Doctos se confessionem dicebant, inquit, & *jejunium, præsertim sextæ feriæ in memoriam mortis Filij.* Relinque ollas hodie. Inimici sunt Crucis Christi ij, quorum Deus venter est. *Pierius hierogl.* 56. ait in Regum extinctorum justis inferijs, ollas à Lacænis mulieribus pulsatas, easque inanes. Ita tu singulis sextis hebdomadæ ferijs sacras Jesu Regi mortuo celebrabis inferias ollis vacuis.

3. S. Brigittæ *lib. 8. revel. cap. 2.* de Rege Sueciæ loquens Christus, illi quotidianam officij Deiparæ recitationem, quotidianam vulnerum Christi memoriam, & denique cum eleemosynis *sanctum sextâ quâvis feriâ jejunium* suadet; &, si velit, etiam Sabbathinum. Fit id pro reverentia Crucifixi.

4. S. Gertrudis Virgo, ut est insin. lib. 3. cap. 15. *feriâ quadam sextâ* pro minimo quodam erga Crucifixum obsequio, quo ejusdem vulneribus floscu-los imposuerat, singulares experta favores, imaginem Crucifixi suavibus osculis, arctisque amplexibus venerata, *Vale*, inquiebat, *dilecte mi, & permitte me dormire ad recuperandas vires.* Ita amplexum à Crucifixo meruit, & cantum cœlestem audivit. Cap. autem 41. *feriâ sextâ quadam* cum Crucifixo collocuta sub vesperum, intellexit horas singulas illius diei à Crucifixo in ipsum cor Jesu collectas. Preciosæ horæ, quæ illic colligûtur!

5. Consvevit etiam ista Virgo, ut ibidem lib. 5. cap. 33. narratur, *feriis sextis* abstrahere se ab omnibus exterioribus; & pro felici ad mortem apparatu, sanctâ illâ Christi morientis feriâ intendere soli Deo intimâ devotione, sibíquemetipsi, quasi agonizanti, persolvere omnia, quæ fieri solent circa agonizantes. Ita *feriâ quadam sextâ* agenti, & quasi raptæ in spíritu ostensum, quasi illa in sinu Domini ad cor ejusdem in ornatu mirabili animam ageret, advolante interea multitudine Angelorum, & præsente plurimorum Sanctorum coronâ. Juvat ergo sextâ quâvis feriâ mortis suæ, cum apparatu sancto meminisse: ut qualem olim feriâ sextâ (apud Surium 7. Aprilis) pro Christo moriens pronus in caput crucifixus S. Calliopius adolescens audivit è cœlo vocem; *Veni, civis Christi, & cohæres sanctorum Angelorum*; talem & nos audiamus morientes in Christo.

6. Non Sanctorum Civis factus est impius ille feriæ sextæ contemptor, de quo Annuæ Soc: Iesu Anno 1585. ajunt, in Polonia, dum carnibus feriâ 6. vesceretur ad voces monentium surdus, à ferventiore Matrefamilias audisse: *Utinam & damonem vores!* Insedit, & circumstantes, ipsúmque voratorem, inter ipsos etiam exorcismos, horrendis vexavit modis malus genius, usque dum animam illi in tartara in omnium comploratione elideret, victimam ultoris Dei!

7. Sextâ quævis feria debet tibi esse instar Granadillæ floris non tam Indici, quàm tui: id est, debet tibi patientem Christum non minùs revocare in mentem, quàm Indicus ille Granadillæ flos quinque sphærulis velut corallinis, columnâ cruentâ, corollâ spineâ, funiculísque insignis. Hic odore flores omnes vincit, & quotidie cum sole oriente, & di-

& diem aperiente, se aperit, cum claudente diem claudit. Diem Veneris per omnes vitæ suæ hebdomadas sibi perpetuum fuisse *cordis martyrium* dixit S. Catharina Bonon. Et ipse Christus feriæ sextæ Martyr fuit: & S. Petrus Damianus serm 48. *Tota*, inquit, *vita nostra feria sexta est.*

8. Quoties magnis in India angustijs premebatur Xaverius, toties toto corpore sudabat, illachrymans, & Xaverio quasi compassus in Europa, in paterna Xaverij domo Crucifixus. Mortuo deinde Xaverio, *singulis sextis* per totum annum *feriis* sudore sanguineo ubertim fundans, ostendit sextam feriam esse feriam sacram mortuo feriâ sextâ crucifixo Deo. *Vid. imag. primi seculi Soc: Iesu lib. 5. post pag 634.*

9. Plutarchus *in qq. Rom.* ait Romæ in æde Libitinæ Veneris omnia ad funus pertinentia servari solita sepulturæ instrumenta. Tu non in æde, sed in die Veneris preciosa sepulti Christi, & consepultarum cum illo castarum animarum instrumenta, velut salutis organa, conserva.

10. Godefridus Bullonij Dux, Anno D. 1099. parvâ manu Hierosolymam expugnavit, idq; (ut Corn. à Lap. præf. in Proph. min. ait) *feriâ sextâ, horâ quâ Christus mortuus est*: ipséque primus conscensis muris Urbem ingressus, primus deïde Hierosolymæ Christianus Rex, regnum in posteros sex Reges per LXXX. annos propagavit. Regio diademate coronandus, recusavit, & dixit: Nolle se aureâ coronâ insigniri in Urbe sancta, in qua Christus Dominus pro nostra salute spineam tulisset.

11. Colunt verò sanctum hunc diem varijs pietatis officijs diversi. Franciscus Gaëtanus alto familiæ sanguine natus Princeps, postea S. I. ut habet vita illius Panormi Anno 1637. impressa cap. 1. adeo crucifixo, & crucifixi Matri Deiparæ addictus fuit à puero, ut octo non amplius natus menses, *Ave maria* didicerit, in cunis infantili balbutie illud tertiare & cantillare non desierit, úsque dum illum ita canentem oppresserit tener somnus. Decennis factus, se Crucifixo totum ex asse per *Mariam* transcripsit, *dilectus rubicundus* à sanguine Christi passi, à virginis lacte *candidus*, ab utróque pulcherrimus. Sæpe ille quidem Sanctissima Iesu vulnera, salutabat quotidie; at *sextâ* hebdomadæ *feriâ* jam inde à decimo ætatis anno, & in seculo, & in Societate jejunavit, úsque ad mortem.

12. Juliana Virgo Florentina; *sextâ* hebdomadæ *feriâ* nil cibi admittebat. P. Bernardinus Realinus Soc. Iesu biennio ante mortem cum meditâdo Crucifixo affixus esset mente totâ, Christi & Crucifixi & resurgentis spectaculum vidit. De eodem Iacobus Brancatius retulit, illum à se *feriâ sextâ* visum toto corpore scintillantem. Hæ nimirum scintillæ ab illo igne veniebant, quo erga Crucifixum *sexta* illâ *feriâ* vel maximè ardebat Bernardinus.

13. Carolus Flandriæ Comes, ut *Christianus Massæus* ait anno Christi 1123. in annonæ caritate quàm maximâ, omnibus qui accurrebant egenis panes dabat adeò liberaliter, ut horâ unicâ deprehenderentur octingenti panes dispersi datíque pauperibus. Ad hæc quot hebdomadis, *diebus Veneris*, in Crucifixi honorem, tredecim pauperes

mensæ admovit; indusijs, tunicis, calceis, instruxit ipse in pane & aquâ jejunus. Cadaver illius postea cœlestibus odoribus, & miraculis honoravit Crucifixus. At ecce publicam pietatem.

14 Romæ in templo Domûs Professæ Soc. Iesu. nuper devotio pro bonâ morte instituta Christi agonem, Dejparæ dolores, & mortem nostram felicem uno complexa fasculo, feriam sextam pro devotionis hujus quasi nido elegit.

Primò quothebdomadis celebrantur centum sacra pro ijs, qui singulis diebus Veneris communicant in dictâ Iesu æde in honorem trium horarum, quibus Christus in agone pependit in Cruce, & in honorem dolorum stantis sub Cruce Matris; & alia centum sacra pro ijs, qui sextâ feriâ eâdem ad hanc devotionem vesperi conveniunt: nihil verò accipitur eleemosynarum pro Sacris. Secundò, singulis diebus Veneris celebrantur duo sacra de Passione Christi; alterum summo manè, tardiùs alterum, ut omnes adesse alterutri possint.

Tertiò ad finem cujusvis hujus sacri exponitur S S. Sacramentum. fit brevissima de dictis tribus materijs exhortatio, fit communio, tanquam si esset ultima: canuntur Litaniæ morientium. additur actus contritionis. Populus dicit *Confiteor*, & petit gratiam recipiendi omnia Sacramenta necessaria, & utilia in ultimo vitæ statu. Pro moribundis oratur. Reliqua particularia sunt in peculiari libello Italico hujus devotionis.

15. *Italica Siculorum notitia* refert de P. Caspare Paranympho Soc. Iesu illum totum fuisse in passo Iesu sepultum sanctis lachrymis. Unde per Siciliam vicinis ad urbes locis Sacella posuit, quæ calvarij montis imago essent; fecitque ut singulis *sextis* hebdomadæ *feriis* per annum totum ære campano singulare daretur signum mortis Crucifixi Dei, quæ mors mundo vitam dedit.

16. *Raderus aulæ Sanctæ c.* 8. Theodosius Imperator, inquit, corpus inediâ per hebdomadam binis diebus, quarto & sexto torquebat. Essent ad manum complura talia: sed non vacat addere. Helmont. Medicus veteranus: de Lithiasi *cap. 7. num.* 32. ait se comperisse, stomachum cancri esse in capite propè verticem. Addit cancri stomachum jejunio renovari. Certè qui stomachum suum habet in capite, id est, qui illum rectæ rationis capite gubernat, reperiet rationes, quæ ab illo facilè impetrabunt, ut non tantùm cum universa Ecclesia à carnibus, verùm majorem ab alijs etiam, quos esuriales dicimus, cibis sibi abstinentiam indicat; id quod faciunt milleni & sanctè.

17. Arabes in proverbijs: *Dies unus viri docti, præstat totâ vitâ indocti*: *Dies unus viri probi*, ajo ego, *præstat totâ vitâ improbi*. Certè una sexta feria sic acta ut diximus, precioſior est multorum annis omnibus. *Apud Vaël coronæ pag.* 178. Elizabetha Virgo Belgica è quinque corporis vulneribus, diebus potissimùm Veneris, copiosè manantem, imò bullientem fundebat sanguinem. Ita tu ferias tuas omnes fac Crucifixi sanguine preciosas, & impende de tuo, si quid potes.

HEBDO-

# HEBDOMADA IX.

## *Crucifixum, tanquam singulare animarum in purgatorio refrigerium, pro illis ora.*

1.

SAncta Gertrudis Virgo, ut est *insin. lib. 5. cap. 17.* vidit in Spiritu animam laborioſi cujuſdam viri defuncti, in cruciatibus valdè nigrâ & ſordidam, pro qua, quinque Chriſti vulnera precioſis oſculis, & precibus venerata eſt. Ad oſculum ſanctiſſimi lateris Chriſti, erumpente inde ſanguine, aquâ, & vapore quodam, intellexit, multùm animæ illi conferre vim illam vulnerum. Et denique felix illa anima tandem è cruciatibus liberata, gratias agere viſa eſt.

2 *Waël. corona pag.* 164. author eſt, S. Lidvinam matronæ dicenti, ſe tot annis paratam in purgatorio torqueri, quot in vicino, quod commonſtrabat, vaſculo grana ſinapis eſſent, dixiſſe: *Non rectè ſapis ac loqueris, neque ſatis cruciatibus Salvatoris, ac ſacris ejus vulneribus confidis, quæ potentiſſima remedia ſunt, ut te atque alios à purgatorij igne liberes.* Mortua poſtea illa, S. Lidvinæ apparuit, preces ad Chriſti vulnera expetijt: & vi vulnerum liberata eſt.

3. *Franciſcus Ribera vitæ S. Thereſiæ lib. 3. cap 5.* refert, illam vidiſſe quomodo D. Ioanna Brochera è purgatorio cum Crucifixo exierit. Ajebat illa, ſe Crucifixi gratiâ, Thereſiæque adjutam precibus jam vivere in conſpectu Dei. B. Joannes de Alvernia, cùm inter elevandum Sanctiſſimum Sacramentum in Miſſa à Chriſto *per quinque illa vulnera pro animabus purgatorij miſericordiam peteret*, ait Minorum Chronicon ab illo animas è purgatorio exire ad cœlum viſas, ut multitudinem ſcintillarum à magna & ardenti fornace prodeuntium. S. Leoni ſerm. 9. de Paſſ: *Crux Chriſti non templi eſt ara, ſed mundi.* Eſto amicus bonis illis animabus uſque ad hanc mundi aram. *Hæc miſericordiæ ara tuebitur omnes*: hîc lythrum reperies, quo illas exolvas.

*Spec. exem. diſt.* 6 quendam à purgatorij pœnis immunem fuiſſe narrat, quia quoties Crucifixum videbat, petebat per Iesu morientis dolores à doloribus purgatorij liberari.

4. *Apud Alex: de Salo, purg: vag. 2. cap: 9.* B. Henricus Suſo cum intimo quodam ſuo amico ita convenerat, ut pro eo, qui prior è duobus vitâ deceſſiſſet, alter ſuperſtes gemina quot hebdomadis offerret ſacrificia, alterum fer. 2. pro defunctis, alterum feriâ 6. de Paſſione Chriſti. Moritur alter, & Henrico adeſt, expoſtulátque ac exprobrat Henrico ſupinam negligentiam, non ſervatam fidem. Henricus ait ſemper ſe oraſſe. *Sanguinem, ſanguinem*, clamat alter: *ſanguinem poſco. Ubi Miſſæ pacto promiſſa, quæ paſſionis ac vulnerum Domini meritis, præſentiſſima purgantibus animabus ſunt auxilia?* Ita liberatus eſt.

5. Extende liberales animos, & tuam erga Crucifixum devotionem exporrige ultra metas vitæ hujus, deriva per tuarum precum canales, precioſum

Chriſti

Christi sanguinem, ad extinguendos horrendos illos ignes. Hominibus in hac vita degentibus plura sunt misericordiæ opera, quæ præstare potes: cum animabus alteram illam vitam ingressis, unum hoc misericordiæ opus potes facere, si illas ex igneo illo balneo eximendi modos artésque invenias. En summam artium, sanguinem Crucifixi: Aspergе illas illo sanguine, id est, ora. Certè etiam quinquies pronunciata in honorem quinque vulnerum oratione Dominicâ & Angelicâ salutatione, animas illas admirabiliter recreari, ait se à Christo didicisse S. Mechtildis *prat. spir. lib. 5. c. 10.* O aspergе, ô recrea, refice miscllas, ut respirent!

# HEBDOMADA X.

## *Torporem ut excutias, vires à Crucifixo ardenter pete.*

I.

*Nunquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in praecepto?* Ps. 93. Ut verò ne tibi sedes illa adhærens doceat fingere te laborem in præcepto, ecce vocem cœli.

S. Ludgardis Virgo cùm sudare se nocte quadam sentiret vehementiùs, num ad matutinum, quod vocant, ob teneram aliàs corporis constitutionem, tenuémque valetudinem deberet surgere, dubitabat. Obversabatur animo sanctum cæteroquin, at sæpe ignavum quiddam olens *discretionis* nomen. Omnem tamen ex animo dubitationem, omnem è corpore torporem excussit cœlestis vox, quæ, *Quid jaces?* ajebat: *surge oportet, ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in sordibus jacent.* Paruit, surrexit: & ecce obviam exituræ per portam Ludgardi Christum totum cruentum in cruce: qui depositò è cruce altero brachio, Ludgardem in Divinum admisit amplexum, ejus os aperto suo lateri admovit, illámque sanguine suo, velut lacte filiam, lactavit. Hausit illa tunc inde semper ardentes contra infamem illum ad sancta torporem, spiritus; adeóque suavia illi erant ea, quæ nobis tepidis ardua, & amara videntur, omnia, ut ipsa etiam saliva illi semper mellea videretur.

2. Acedia, diaboli asella est; acediosi hujus asinæ pœlli. Chymici *apud Helmontum in aditu libri de lithiasi*, tribulum quendam, seu spinam terræ, *Magnum oportet* vocant. Certè unâ è Iesu & S. Catharinæ Senen. serto spinâ uno *Magno oportet*, habent opus torpidi. Ecce in senticeto capitis Iesu spinas, ecce chymico illo *Magno oportet* magis necessarios tribulos! His configi tibi pigras carnes tuas pete à Deo, & dic tibi id, quod ille Ludgardi: *surge oportet.* Si volueris, inquit S Ioan Chrysost. hom. 4 in Matthæum, *etiam Apostolorum virtutes assequi nihil te prohibebit. Sola enim voluntas, & ferventissimus virtutis amor tibi sufficiet.*

3. Suda nunc pro Crucifixo. sudoris pretium feres. S. Ignatius Societ: Iesu Patriarcha Manresæ ante marmoream Crucifixi effigiem ardenter orare consueverat, ut lib. 1. *de mirac. nat. in Europa* Nieremb. cap. 77. Hæc eadem *in Sancti ejusdem festo* 31. Iulij vi-

sa

*sa est sanguineum sudorem fundere.* Ora, suda, labora. En quàm ista æstimet Crucifixus, qui pro te primò sanguinem sudavit, postea fudit, ut tibi æternum faceret festum.

4. Nec vereare ut pergere non possis. Cogita de Crucifixo; & quod S. Catharinæ Senensi dictum olim à Christo; *Filia, cogita de me, & ego cogitabo continenter de te*; id tu tecum futurum tibi persuade. Christi eandem docentis lectio est, ut si hostem velis vincere, *crucem pro refrigerio* amplectaris, quemadmodum ipse proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Jussit illam dulcia pro amaris, amara pro dulcibus suscipere; ita invictam fore. Unde illa delectabatur crucibus, vitámque sibi absque illis fore acerbam ajebat, & propter illam affirmabat, dulce sibi etiam à desideratissimæ æternitatis beatitate abesse tantisper. Quicquid ergo fessarum à fervore virium imbecillitas te terreat, tu illuc oculos quò Catharina converte. & quod illa dæmonibus, in eo ardore spiritûs perseveraturam negantibus, respondit, hoc tu respondes fessæ tuæ pigræ carni: *Ego non meis, sed* Domini Nostri Iesu Christi *viribus nitor.* Ita contrà ardentior ivit: ita infusa illius conclavi lux: & *preciosus è cruce IESUS* & visus illi, & in hæc verba loqui auditus: *Filia mea, Catharina, vides, quæ ego tui causâ patiar? Ne igitur dubita perpeti aliquid mei causâ.*

5. Tepidi plus experiuntur difficultatum. Pete à Crucifixo ignes cordis, ut ardeas. Sic Mechtildis *lib. grat. spir. cap.* 4. & 34. è latere Iesu vidit flammas erumpere. Erumpebant calefaciendo tepido cordi tuo. S. verò Franciscæ Romanæ ex omnibus Iesu vulneribus catenas igneas prodire vidit. Prodibant alligando ad Iesu cor torpido cordi tuo, & exhilarando ad calores Dei.

# HEBDOMADA XI.

## *Crucem IESV meditari, honorare, illius gloriam apud alios propugnare disce ab Angelis.*

1.

Spondanus Anno Christi 330. ex Baronio num. 3. ait, Constantinopolitanam erectam in columna Crucem, thaumaturgam esse, præcipuè contra inflammationes, & oculorum suffusiones: *& ad eam Angelum Domini ingenti splendore ter quotannis intempestâ nocte venire solitum, ac Crucem circumire suffitum facientem, & Trisagion devotissimè canentem.*

2. *Apud Claud. Aquaviam medit in Ps. 44. pag. 165.* Prostrato in preces S. Pachomio, & Dei misericordiam imploranti apparuêre duo Angeli, & in medio eorum juvenis instar Solis fulgens, *& corona spinea in capite ejus.* Tum Angeli ad S. Pachomium; *Quoniam petivisti, ut ad te à Domino mitteretur misericordia; ecce ipse est misericordia, Deus gratia IESUS Christus, unigenitus Patris, missus in mundum propter vos, & cruci affixus, & spinis coronatus.*

3. Etiam

3. Etiam Gonzaga, *Provincia Ragusia Conventu primo*, ait, Ragusiæ ad magni Crucifixi latera in ara principe à P. Iacobo Piceno geminos cum thuribulis Angelos collocatos, & certissimâ experientiâ exploratum esse, duo illa thuribula seipsis, nemine impellente, moveri, instantibus solennitatibus majoribus, aut notabili conventu quopiam imminente, non secus atquesi vivi duo adolescentes, thure *Crucifixum* honorarent. Esto Angelus vivus, & cùm semper, tum verò in festis anni præcipuis, *Crucifixo* pleno corde odoratissimum thus, adoleat cor tuum Angelicum in odorem suavitatis.

4. Idem *Spondanus Anno Christi* 1169 *num.* 6. ait, morientem Soldani matrem, cùm ob Sarracenorum metum hactenus occultè tantùm fuisset Christiana, vocatum filium suum, ad Christiana sacra suscipienda hortatam esse graviter, & persuasisse. Unde ille super sepulchrum matris, ita ut ipsa moriens petiverat, signum crucis posuit. id quod ubi vidêre Sarraceni, barbaro in crucem impetu irruêre; sed omnes mortui corruêre. Tum conferta millium aliquot multitudo idem tentatura, ubi adfuit, plerique etiam ex illo numero, immissis contra illos è cœlo fulgurante coruscationibus, igne periêre: simúlque Angelus Dei, è cœlo descendens apparuit, & lucidissimum crucis signum super pyramidem posuit ad sepulchrum: quo spectaculo plures adduxit ad obsequium Crucifixi. Disce ergo ab Angelis contra inimicos crucis Christi stare fortis; disce illam intimis & externis reverentiæ signis revereri; disce Christi spinis coronati comes esse; disce denique *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, beatum illud trisagion cum Angelis adorato canere Crucifixo. Angeli nobilissimi sunt Magistri. Teste autem S. Ambrosio de Virginibus lib: 2. *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri.*

# HEBDOMADA XII.

*Sæpe coram Crucifixo Imperatore tuo prostratus, pro felici Christianorum & Catholicorum bellorum exitu ora.*

1.

ORientem aspicienti Alphonso primo Lusitaniæ Regi, ut habetur in Alcobarensi Cistercienstium Cœnobio, nobilior cæteris, idémque in majorem semper splendorem excrescens radius jam Sole ipso pretiosior & splendidior apparebat; & in illo splendore crucem prægrandem videbat decem à terra distantem cubitis, & in illa Crucifixum Deum Iesum, in medio candidatæ hinc & hinc juvenum ad omnem gloriam compositæ multitudinis, quos ille sibi esse Angelos persuadebat. Ergo ensem & scutum, ac vestes; deniq; cum Moyse etiam calceamenta deponit, seque humi sternit supplex, ibi projectus, & lachrymarum plenus, pro suo exercitu supplicat: miratur sibi hæc, & non infidelibus potiùs ostendi. At illi suavis Crucifixi vox ajebat; se illi ad roborandum in hoc conflictu cor, & stabilienda super firmam petram Regni initia

tia apparere. & addebat: *Confide, Alphonse, non solùm hoc certamen vinces, sed & omnia in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris.* Vide *Rosignol. lib. 1 de act. virt. cap. 16.*

2. Quicquid fremat, & mille procellis exæstuet bellum, veluti turbatum mare, quantumcunque in cruentas procellas exasperetur, quasi in montes assurgat sanguineos, tu pro Ecclesiæ navicula, pro patria, Crucifixum precare. Ita *in hist. Soc p. 3. lib. 5. n. 303.* navis fracto gubernaculo eò demum venerat, ut inter immensa æquorum spacia impotentis Oceani atque tempestatum libidini necessariò permitteretur. Deploratâ ergo salute, P. Joannes Zuniga Soc: Iesu sanctissimi ligni, Româ advecti, particulam è clavi loco suspendit. Mirum dictu: statim navis, quæ transversa ferebatur, prorâ spontè provectâ, cursum direxit. Sit tibi turbatis bello rebus pro clavo, pro gubernatore, pro asylo, & plus quàm Jano, Crucifixus. Componet ille fluctus bellicos ad malaciam. Vinces.

3. Vicinus Colisæo, ut Romæ vocant, triumphalis arcus Constantino positus à S. P. Q. R. cum inscriptione: INSTINCTU DIVINITATIS. post victoriam de Maxentio *In hoc signo* Crucis relatam id factum. Neque tunc tantùm, sed & aliàs ita vicit. *Vide hic hebd. 2. & hebd. 11.*

4. In Descript. Regni Congo. *lib. 2. cap. 3.* Primus Christianus Congi Rex Crucem octuaginta palmos altam erexit, eámque precibus fusis veneratus est. Illustrata circùm omnia cœlesti lumine, stupentibus qui hæc à longè videbant hostibus. Quinque rutilantissimi gladij in cœlo visi. Vicit Rex. Congesti in cumulum hirci, dracones, & alia idolorum monstra, & igni data in pabulum. Templum primum, *Christo*, alterum honori *Mariæ* adjutricis, tertium *S. Iacobi* venerationi positum, quòd pro Christianis pugnâsset. Erge & ante, & in, & post bellum, implorandum à Deo auxilium. Sylla fervente bello, eam quam in sinu ad cor circumferebat Apollinis imaginem, si quod imminere discrimen cerneret, osculabatur, Plutarcho teste, ac velut adjutricis opem implorabat. Osculo venerare: ac opem implora digni omnibus osculis Crucifixi. Respondebit amori.

5. S. Oswaldus Rex Angliæ ipse manu suâ crucem erexit; sumptibus verò, etiam templa, ipse & catechismos & conciones, cùm Episcopus linguæ ignarus esset, fecit. Ante conflictum cum toto suo milite flexit genua, & coram omnibus, & cum omnibus Jesum in Generalem campi, & Imperatorem elegit. Ita tu Crucifixum Imperatorem, ut sub, & pro crucis labaro pugnantibus, victoriam hîc & æternos olim triumphos largiatur, ora.

---

# HEBDOMADA XIII.

## *Eleemosynis factis, placebis Crucifixo.*

1.

*Joannes Duegnius Hisp. in spec. tristium,* horrendum, nec multùm absimilem in dissimili argumento, & causa e-

ventum ab eo, quem aliàs narravi, refert de homine quàm divite tam avaro ad eleemosynas. Solebat ille ad pauperum stipem flagitantium preces aurem utramque obturare, at damno suo. Cùm enim defuncti hujus Euclionis cadaver supremis jam inferijs condendum collocaretur in templo, & jam pro illius anima propitiatorium Missæ sacrificium ageretur, quoties *Dominus vobiscum* cantabatur, toties vidit Episcopus *Crucifixum Christum*, liberis à cruce manibus aures occludentem. Pro. 21. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

2. *Botero* authore, *lib.* 1. *dict. mem.* Torlacci eleemosynam dum petunt, permagnum præ manibus habent speculum, illúdque ei à quo stipem petunt objiciunt, ut se illic videat. Speculum tibi Crucifixus esto. In illo eleemosynæ omnium eleemosynarum maximæ speculo vide liberalitatem ejus, qui vitam, sanguinem, & mortem suam tibi pro eleemosyna dedit, Dei. Illum, & te in illo intuere, & aperi manum, ut Christo des id quod abjectissimo cuipiam mendico das.

3. Confirmant id *Ann. Eccl. t.* 13. *Anno Christi* 1222. *num.* 15. & *Surius* 13. *Feb.* Jordanus, postea Ord. Præd. Generalis, cùm pauperi obvio quod daret non haberet, balteum dedit: quo ipso balteo Crucifixi Iesu simulacrum præcinctum in templo paulò pòst vidit.

4. Senensis illa Seraph. Catharina, in templo petenti stipem pauperi, dedit crucem argenteam, cùm aliud ad manum esset nihil, Christo dedit. Nocte enim proximâ oranti snæ Catharinæ Christus, & se, & crucem illam, sed gemmis jam egregiè adornatam, ostendit, promisitque se illam in supremo universalis judicij die coram omni Angelorum hominúmque præsentia ostensurum. Quin eidem aliàs etiam adfuit pulcher Iesus, manu gerens margaritis gemmísque coruscantibus conspicuam illam tunicam, quam Christo dederat, cùm illum communem è grege pauperum rogatorem esse putaret; pollicitúsque est se vestem daturum, quæ quidem videri haud posset, tamen noxium utriusque hominis frigus ab illa arceret.

5. *Cantiprat.* 2. *mir. cap.* 21. Adamum virum nobilem narrat ex itinere reducem ac fessum. is cùm lectum petere vellet (uxor interea leprosum in illius lecto collocârat misericordiâ mota) & ab uxore aliò duceretur, in suspicionem venit lecti ab alio viro jam malè occupati. Ergo quicquid ad conclave aliud invitaret innocens uxor, ille suspicione actus, denique ad solitum lectum abijt, víque irrupit: sed illic non nisi (medio hyemis frigore) rosas fragrantissimas reperit, quibus constratus erat lectus. Illa rem narravit. Agnitum est Christum fuisse, in leprosi illius imagine. Quicquid minimis facis in Christi nomine, id ipsi facis Crucifixo.

AN-

# ANNI CRVCIFIXI DEI JESU,

## PARS SECUNDA.

## HEBDOMADA XIV.

*Christi paßi memoriam frequentem disce à mortuis.*

1.

ANnua 1604. ut est *in auct. Catech. hist.* In Elitensi Peruanorum oppido fæmina omnium sententiâ jam mortua & sepelienda, repentè se erigens, in se flagellis acerrimè desævijt. Rogantibus quid toto horarum quatuor, quibus cadaver exanime jacuerat, spatio, vidisset; effusissima in lachrymas, omnes, ut ne labores Christi facerent inutiles, *neque paßi IESU essent immemores*, magno, & magnum omninò sensum habente affectu oravit. Intra illas quatuor horas Christum sibi à capite ad calcem usque ubique per omne corpus fœdissimè discerptum vulneribus, factum obvium, ingratam socordémque inæstimabilis illius beneficij, quo tanta pro nobis passus est Deus, oblivionem acerrimè exprobrâsse; omnia omnis vitæ peccata sibi in catalogo proposuisse; latam eam perditionis, quam multi inirent, angustam salutis, quam pauci ingrederentur in eáque persisterent, viam ut intelligeret, inculcâsse. Cœlestes spiritus opem sibi deploratæ attulisse: duos potissimùm parvulos Angelorum instar splendidulos, quos illa orphanos maternè tractârat, pro se apud judicem supplices, ad vitam reditum & pœnitentiæ spatium impetrâsse; & se ab illis ipsis monitam, ne beneficij redemptionis esset immemor; ita restitutam esse. Ita verò deinde vixit, ut vel sancti illius mores illam ex altero mundo esse reducem, & vera esse ea, quæ dixerat, prædicârint.

2. Solet Crucifixi pedibus advoluta etiam calvaria esse passim. Illam Adami protoplasti peccatoris esse imaginem ajunt aliqui, etiam Patres, *apud Corn. in cap. 5. ad Ephes. num. 192.*

Tertull. 2. car. cap. 4. *Hic hominem primum suscepimus esse sepultum. Hic patitur Christus: tum sanguine terra madescit. Pulvis Adæ ut possit veteris, cum sanguine Christi commixtus, stillantis aquæ virtute lavari. Vide ibid. August. Orig. Epiph. Athanas. Cyprianum.* Disce ergo à mortui Adæ Patris calvaria semper Crucifixi advolvi pedibus. Sub Crucifixo vivere, & mori. Ultonia Hiberniæ Provincia, *apud Nierem. de mir. nat: Eur. lib. 2. cap. 8.* cœmeterium habet, in quod nulli fœminæ, ne gallinis quidem, patet accessus. Tu patentia omnibus cœmeteria ingredere. Scholæ sunt mundi. Cadavera sub crucibus docent, Crucifixi ut ne sis immemor.

3. Antiquum, & rei nostræ opportunum est illud Cæsarij, apud quem Conversus quidam, ut vocant, Religiosus à morte Abbati suo per quietem visus, *Benedicte*, ajebat, *Pater! Ego vado.* Rogante Abbate, quorsum? *In Paradisum* respondit, *ut DEO in æternum fruar. Vale!* Qui expiatorias purgatorij flammas evasisset rogatus, dixit se in vivis id in more constanter habuisse, ut Crucifixo devotissimus, his illum verbis veneraretur quoties illius effigiem præteriret: *Domine, per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in Cruce, maximè quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.* Et se exauditum dixit. Roganti Abbati quomodo agonem sensisset, dixit sibi orbem universum instar ingentis saxi visum incumbere. Et videri desijt.

4. Idem nos docebit hebdom. LII. etiam cor S. Claræ.

---

# HEBDOMADA XV.

## *Lectioni, Concionibus, colloquijs pijs addictus esto.*

1.

CRucifixus noster & liber est inscriptus vibicibus, & Ecclesiastes, & anagnostes, seu lector, in pulpito. Nam si, ut S. Greg. hom. 17. in Evang. ait, *aliquando nos sermonibus, aliquando operibus admonet, & ipsa facta ejus præcepta sunt*; grande hoc opus, passio admiranda, quantæ nobis concionis instar esse debet? Perplacet tamen illi, si illum etiam in libris, mutis magistris, legamus, & in sacris Oratoribus loquentem audiamus. Audi quid hanc in rem narret serm. 190. Vitriacensis Cardinalis.

2. Rustici ad audiendas conciones, per omnem ferè vitam negligentissimi cadavere in templum illato, dum Orthodoxæ pro illius anima preces recitarentur, cruci affixi Christi imago utrâque manu à Cruce revulsâ utramque sibi aurem obturavit, quasi precantes pro Rustico se audire nolle illo gestu contestata. Stupet populus! Tum Sacerdos Deo afflatus rem explicans ajebat: Meminissent hominem illum supinæ fuisse in audiendo Dei verbo negli-

gligentiæ, ideoque illum esse in manibus diaboli; fusas pro illo preces à Crucifixo non audiri. Obturâsse illum aures loquenti Deo; obturare nunc aures Deum. Ita elevatus, & cum bestijs sepultus est.

3. S. Gregorius hom. 21. in Evang. *Nullum adeo certum perditionis signum, ut non libenter audire verbum Dei.* Putantur Thraces luscinіæ, quæ nidum juxta sepulchrum Orphei posuére, cantare præ alijs longè suaviùs molliúsque. Placent quibusdam omnes pro legendo, audiendo, meditando materiæ; sed præ alijs luscinijs videtur cantare liber vel Ecclesiastes, qui juxta sepulchrum Iesu nidificat, qui de Crucifixo loquitur.

4. Quid ille Pœta, *Rex versuum* dictus? Ubi ad concionem dicentem Franciscum Seraphicum vidit (S. Bonaventura teste) *duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum ensium unus à capite ad pedes, alius à manu in manum per pectus transversaliter tendebatur*, confixus acutissimo spiritûs gladio, Pœticam, quam à Cæsare acceperat lauream abjecit, eámque cum pacis oliva commutavit, quando illâ concione ex acutæ crucis aspectu confixus est, & illum complexus ordinem, à S. Francisco est *Pacificus* appellatus. His te magnorum exemplis ad magna excita: & natas è lectis, auditísve inspirationes, tanquam Vestalem ignem fove.

5. *Tympinus signo* 47. *spec. Magistratus.* Athenis Magistratus ut quàm maximè frequens adesset populus in concione, repagulis vias aliò quàm ad templum ducentes (ad forum verbi gratia) claudebant; merces tollebant. Denique funem minio tinctum mylton (minium) dictum tendebant. Hoc purpurato funiculo duo publici ministri populum cingentes, etiam invitos agebant ad concionem. qui à fune colorem, seu signum, quòd inviti iviſſent, trahebant, mulctam pendebant. Ego verò, ut purpuratis Crucifixi sanguine funibus trahat te post se Crucifixus, & ut signum seu notam à pretioso illo minio trahas, opto. Ita enim fiet, ut & ad legendum, & ad audiendum oculis totis, auribus, & corde attento traharis, & à purulentis his turpitudinum, quas mundus adorat, fœtutinis, curras in odorem unguentorum purpurati Crucifixi tui Dei Jesu.

# HEBDOMADA XVI.

## *Disciplinæ in te ac tuis studiosus esto.*

1.

*Ribad. Princ. Christiani lib. 2. cap. 5.* de S. Dunstano mirabili illo Cantuariensium Archiepiscopo quorundam luxum castigaturo, refert, illum intercedente pro castigandis authoritate Regiâ precibúsque Regiâ Majestate armatis, nil motum. Dum enim vel maximè ferverent Regiæ pro reis preces, præsens illic ubi hæc agebantur, *Crucifixi imago* ad Dunstanum vultu toto convertitur, & clarâ voce, Rege non jam rogante, sed obstupescente, sic inquit; *Castiga illos: ne parce.*

Ab

*Ab alienis* sibi parci petijt Rex David. Domûs Domino incumbit domus. Penes illum est, quicquid illic vel cœlo scritur vel inferno, si domesticorum curam non habet, fidem negavit. *Horrendè, & citò apparebit vobis*, inquit sap. cap. 6. *quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet.* Castiga ergo: ne parce.

2. Veteri jam dicto, *qui crimineſos paritur impunè transire, ad crimina hortatur insontes.* Baron. Anno Christi 1053. Hildebrandus tum necdum summus Pont. Cluniaci cum B. Hugone fratrum negligentias corrigente in capitulo sedens, præsentem Dominum JESUM aspexit; Hugoni assidentem vidit; & de singulis quid agere deberet suggerentem. Coram Deo ergo, & Deo suggerente, corrigendi sunt errores, at non per errores alios; neque dissimulandum, si tamen inde errata minima veniant in contemptum. Unde S. Joannes Chrysostomus in cap. 13. ad Hebr. *Miror*, inquit, *si potest salvari aliquis eorum, qui regunt.* Castiga ergo illos; ne parce.

3. Hinc plena timoris ac tremoris illa S. Godefridi Comitis oratio (*vide Sur. 13. Jan.*) quâ venturum cum cruce judicare seculum per ignem Crucifixum adorans & deprecans: *Scio* ajebat, *arbiter justissime, quòd in meum redundat caput, quicquid à meis delinquitur; omnisque dissimulationis meæ negligentia, tuâ meritò districtione punietur!* Quid tibi, quid tuis exitiali dissimulatione adularis? Quid tuis, quid tibi dæmon es, cùm debeas esse Angelus custos?

# HEBDOMADA XVII.

## *Etiam Beatissimam Virginem tibi cultu Crucifixi IESV devincies.*

1.

*Annua Eccl. tom. 13. Anno 1237. num. 11. & 12.* Lanfranchinus Ianuensis, totum sanctitatis suæ & pij erga Crucifixi Matrem affectûs fontem è Christi hausit vulneribus. Alijs corpora curantibus, ille Crucifixo advolutus precabatur, flebat, plagas illas examinabat, admirans, se illarum vulnus esse & causam. Totus denique cor Crucifixo donaverat contemplando. Unde & aspersam Christi sanguine terram ut visitaret etiam impetravit. Sed abiturum prævenit, & ad cœlum citavit mors. Vide verò quàm sibi Beatissimam Virginem illâ erga Crucifixum devotione devinxerit. Robaldus Ordinis Præd. Sacerdos, dum pro Lanfranchini anima Missæ sacrificium offerret, & recolendæ mortuorum memoriæ, post elevatum Christi corpus immoraretur, *aspexit Divinam Deiparentem in brachijs animam Lanfranchini, multò plus Sole lucidiorem, sibi semel, & secundò, & tertiò exhibentem, dicentemque: Ecce anima amici, pro quo solicitus sacram hostiam litasti.*

2. Ora ergo cum S. Bonaventura stim. cap. 4. *Curre, Domine, curre, & vulnera servos tuos vulneribus sacris, ne vulnerentur ab hostibus tuis vulneribus mortis.*

Vul-

Vulnerabere autem toties, quoties ex corde recordabere. Nam, ut est Revel. S. Mecht. lib. 1. cap. 29. *Quoties recordaris, toties jaculo amoris IESV salubriter vulneraris.* Accurre anima, inquit in fasciculo myrrhæ lib. 3. consider. 3. Anselmus, *ad sacra vulnera, & suavissimas illas guttas lambe.* Accede ad sacrum pectus MARIÆ, cum Augustino *ibid.* & lac dulcissimum suge, & dices cum eodem: *Hinc pascor à vulnere, Hinc lactor ab ubere. Positus in medio, Quò me vertam nescio!* Verte te, lactare, pascere, vulneribus & uberibus, infans tenelle. & cum Bonaventura *ibid.* misce lac Matris cum sanguine Filij; & fac tibi unam dulcissimam potionem.

3. Vincentius Carafa *ibid. lib. 3. consider. 13.* S. Mechtildi *è revel. cap. 34.* oranti visam Beatam Virginem Crucifixi Matrem, vulneratum Filium suum IESUM sinu materno complexam, & sic Mechtildi locutam refert: Accedens, osculare salutifera vulnera dulcissimi Filij mei, quæ pro tuo susceptit amore, & in osculo gratias illis agendo, osculare cum gratiarum actione, vulnus lateris, pro effluxu illo, quo in te & in omnes electos effluxit, effluit, & effluet sinè fine. Secundò plagam manûs dextræ, quia ipsa est adjutrix, & cooperatrix omnium bonorum operum tuorum. Tertiò osculabere plagam manûs sinistræ, quia in illa tutum semper invenies refugium. Quartò idem facies plagæ pedis dextri, pro ferventi desiderio, quo omnibus diebus vitæ suæ pro te in sitim cucurrit. Quintò denique osculabere, & gratias ages pro plaga pedis sinistri, quia in illa semper invenies remissionem peccatorum omnium.

4. Vide quàm gratum sit MARIÆ, ut Crucifixum colas. Id quod etiam inde colligere non difficile est, quod narrat Bentius in annuis Sedis Iuliacensis. In Peruana Provincia ad celebrem à miraculis Beatissimæ Virginis imaginem, ibat æger à pedibus Indus, cui Beatissima Virgo illustrissima Magistra, apparuit; hominem persanavit; & Filij sui morientis vivam quasi ob oculos illi, verbis affectu plenis, pingens imaginem, hunc de Christo, latinitate fideli donatum hymnum, Indico carmine edocuit, ut Crucifixi piè quotidie meminisset:

*Pater en noster, genitor noster*
*Rigidis clavis in cruce fixus:*
*Cor transfixum cuspide amoris,*
*Cruore toto corpore manans,*
*Omnes circum proluit artus.*
*Cernis caput, declive caput,*
*Caput hoc flavæ simile aristæ?*
*Viden ut cingunt spinea serta,*
*Vsque ad tenerum fixa cerebrum?*
*Patris heu nostri cerne capillum,*
*Sparsum, incomptum, sanguine fœdum!*
*Oculi tristes, lumina mœsta.*
*Roseas lachrymas largè effundunt,*
*Fluxisse putes melle corallum.*
*Heu! confudit jam decus oris,*
*Pallórque genis sedet exanguis.*
*Etiamne manus; Patrisne manus*
*Ferrò affixæ sanguine rorant?*
*Os mellifluum Patris nostri*
*Pro me misero jam conticuit!*
*Extra Solymæ mœnia terræ*
*Crucis extvit mole gravatus;*

Et

*Et pro scelerum mole meorum*
*Extra Solymam Crucifixus obit.*

Hæc ille, duplici miraculo commemorabilis, & MARIA sospitatrice, & Magistrâ. En quàm graphicè, quàm tenerè ita Crucifixum Patrem contemplerat totum, ut partes etiam, caput, oculos, capillum, coronam, lachrymas, manus, sanguinem, os consideret, ut imprimat alto cordi. Discè à MARIA meditari Crucifixum. Quare si quid à Beatissima Virgine impetrare omnino vis, potentissimè id facies, si illam per IESUM Crucifixum rogaveris.

5. Ita felicem, quia martyrio purpuream, consecutus est, Anno 1613. in Iaponia mortem is, qui patientis IESU memor manè ac vesperi Virginem Beatissimam sic precabatur adolescens:

*Sanctissima Deiparens Maria Virgo, per acerbissimæ passionis JESU Christi Filij tui merita, te supplex oro, ut si fortè me hac die vel hac nocte mori contigerit, mei memineris. Pia Mater, tuis Virgineis manibus animam, & corpus committo, Amen.*

6. Ita felix excessit Hioramus, Marianus ille, & veteranus Crucifixi assecla. Hunc senem in Crucis occisum amplexibus accepimus. Postea cruci affixus est, & ea, quam religiosè domi semper colebat Beatissimæ Virginis imago, è collo Hiorami pendentis appensa, nobilis bulla cordis. *Vide Riccium in Crucifixis, 10. Iun.*

# HEBDOMADA XVIII.

## *Mensa tua sit memor Crucifixi.*

1.

*Apud Bollandum 25. Ian.* Henricus Suso ad triclinium abiturus, flexis coram IESU genibus, illum invitabat, & ad singula fercula, *Amantissime Domine*, ajebat, *benedic obsecro cibum hunc.* Etiam in potu idem servabat. *Hæc verò ei erat consuetudo, ut in mensa quinq; haustus caperet, eósque ex charissimi sui Domini totidem vulneribus. Si quis cibus injucundus ipsi oblatus fuisset, in cruentum COR dilecti sui illum intingebat.* Id verò ut & tu suaviùs agas, id ipsum discè ab ipso architriclino suorum IESU.

2. Romana illa Catharina, ab oris venustate Pulchræ nomen accepit, quod illa turpitudinibus infamibus contaminavit. Ajunt tamen illo etiam cœno mersam, non intermisisse quò minus laudatum pro concione à D. Dominico Deiparæ psalterium quothebdomadis peroraret. Misertus miseræ illi tandem est Deus! Divertit ad Pulchram IESUS pulcherrimus adolescens. Illa opiparæ unà cum illo ignoto mensæ accubuit. Quicquid in mensa manu mundissimâ contingebat pulcherrimus ille hospes, purissimo sanguine erubescebat, velut ostro persusum. Admiranti verò Pulchræ, *scito*, ajebat, *Catharina, ab homine Christiano gustandum esse nihil, quod IESV nomine sanguineque imbutum non sit.* Illa verò mentem ab ingratis his cogitationibus ad sordes, corpus ad lectum

ctum abijcit, ut invitet. At pulcherrimus ille è cœlo juvenis, in miserabilem Crucifixi vulneribus hiantis effigiem, admirabili metamorphosi mutatus, fulminatrices quidem, at plenas dulcissimæ commiserationis, in illam voces vibravit. Rigebat sub spinis cruenta frons, gemebant sub cruento sanguinis imbre oculi, & os misericordias loquebatur. Cessaret! Iudicem se sciret habituram, quem vidisset pulchrum, quem videret similem morienti; invitanti ad cœlum, ad mundum cor. Deo ne daret repulsam; damnaret amatas delicias; & ne tam brevibus momentorum voluptatibus emeret amaritudines æternas. Dixit, & vicit! Simúlque è Christi corde in Catharinæ cor fulmen exire visum. Ita feliciter fulminata vixit melior, purior, Pulchrior Catharina. *Vide Bzov. ad Annum* 1221. Habe tibi præ mensa, præ lecto, ubique præ oculis pulcherrimum Jesum. Ita comede, ita loquere, ita cuba, quasi præsentem, téque ad æterna suo sanguine invitantem aspiceres. Ita Pulcher eris æternùm.

# HEBDOMADA XIX.

## *Crucifixi IESV imaginem aliquam habe semper.*

1.

IPsa nobis vita est mnemosynon passionis. *Præsens etenim vita*, inquit homil. 16. in Ezech. S. Gregorius, *nobis sexta est feria, quia in doloribus ducitur.* At his feriæ sextæ doloribus pro solatio adhibenda sunt ea, quæ sextam illam Crucifixo feralem feriam nobis identidem revocent in cor.

2. Pulchros, ac beatos putabant se olim non pauci solo nomine & imagine Alexandri. Pulchrior tu eris, ac longè beatior, quia beatissimâ pulchritudine beandus à pulcherrimo & beatissimo Crucifixo, si bene Christiani nomine usus, bene ad beatè vivendum utaris potentissimi ad permovendos animos imagine Crucifixi.

3. Habuit hanc S. Franciscus Xaverius. (*Vid. relationem coram Greg. XV. de illo factam Anno* 1622.) & ad tempestatem sedandam, imaginem Crucifixi, digitali longitudine, è collo detractam, in mare immisit, quæ casu in mare mediũ delapsa est. Sensit se illo pietatis instrumento privatum Xaverius. At navis perrexit, & sequenti die ad insulam pervenére. In littore cum socio iter faciebat Xaverius; cúmque à loco ubi Crucifixus illi è manu exciderat, multis jam milliaribus distaret, ecce ibi cancer marinus, cum prædicto Crucifixo è mari erupit in littus, quem chelarum utrinque morsibus elevatum & erectum gestabat, & sic ad Xaverij conspectum stetit. Fixis humi genibus, Crucifixum è cancri chelis accepit Xaverius: & cancer quasi suo munere jam perfunctus in mare redijt, Xaverio in littore unâ cum socio, spectaculi teste oculato, in oratione relictis.

*Num.* 21. Serpentem æneum, cùm ab ignitis serpentibus percussi aspicerent, sanabantur. Aspice seu æneum, seu argenteum, seu ligneum Christi Crucifixi simulacrum, ut saneris.

4. Solent pendulam è collo, aut rosario, crucem vel Crucifixum secum gestare complures. Quin & majorum imagines in conclavi suo pietatis ac memoriæ monumentum habent filij. Certè S. Pauli Apostoli imaginem semper habuit præ oculis aureus Joannes Chrysostomus: quin & Paulus in aures illi loqui aliquando conspectus est. Boleslaus quartus Poloniæ Rex, *ut Cromerus in Boleslao habet*, sanctum ac solemne Patris nomen, dulcissimámque memoriam, appensâ collo suo aureâ Patris mortui effigie contestabatur. Solebat etiam quoties agendum quid, aut dicendum esset, extractam è sinu Patris imaginem teneris osculis venerari, & pro consilio, tanquam viventem, & ad cor in sinu filij habitantem, in sua imagine Parentem sic alloqui: *O absit, mi Pater, ut à me unquam indignum aliquid regio tuo nomine statuatur!* Ita apud Pannonas ipso nuptiarum initio unum è laribus, seu Dijs domesticis, argenteum Deum sponsa sponso, & sponsæ mittebat sponsus. Ita acceptis Deorum signis jam conjuges fiebant. *Vid. horol. Princ. lib. 2. cap. 4.* ubi etiam *lib. 1. cap. 20.* Julius Cæsar quinque Deos in tabella depictos gestabat. Scipio Magnus septem Deos in bulla sculptos portabat. Ita tu tecum porta, & osculare pendentem è cruce in conclavi tuo JESUM, cùm soli vos duo tantùm absque alio arbitro estis; & illum dictorum, factorúmque tuorum, fac nunc consulem, futurum olim Iudicem. Dic: *O absit, mi Pater! ut à me unquam indignum aliquid Divino tuo nomine ac numine statuatur!*

5. Joannes Corvinus post Varnensem cladem in sylva unicus, à duobus prædonibus comprehensus, ob vestes auro graves in periculum venit vitæ: è quo tamen exemptus est, quando contendentibus de aurea, quam è Joannis collo detraxerant, cruce latronibus, arrepto alterius gladio, alterum occidit; alter verò fugâ vitam retinuit. Crux illi vitæ servatæ occasio fuit.

6. Oromasdis ovo persimiles sunt quorundam dies. Ajebant Oromasdis ovo viginti quatuor bonos malósq; Deos contineri. Tu omnes viginti quatuor diei ac noctis horas ita dedica Crucifixo, ut illo plenæ sint omnes; nulla sit mala, vel malo Deo sacra, sed uni optimo. Dedica illas illi, & serva consilium S. Bernardi, op. de char. cap. 32. ita præcipientis: *Nulla vel brevis hora subrepat, in qua non habeas memoriam Filij Dei pro tua miseria, & sua misericordia Crucifixi. Quid faciet Dominus majestatis, si nos, qui cinis & pulvis sumus, tanta misericordia viderit ingratos?* Quid celeberrima apud Nazianzenum *car. de virt.* castissimi Polemonis imago? Faciem non virginem, scelus cogitatum erubescere docuit: imago Crucifixi non docebit? Habent seminudas icones Veneris pulli, ut ne obliviscantur turpitudinis suæ, & nuda toto pectore scorta, apertis dæmonis follibus turpem ignem per oculos in corde sufflent; tu quæ dormientes in corde tuo Dei amoris scintillas excitet Crucifixi effigiem non habebis? Uter vestrûm plus debet, illine & illæ diabolo & carni, an tu morienti pro te amantissimo Deo tuo? Ibi pavere disces, & mœrore sancto, Crucifixo tristissima offerre suspiria. Ibi beatis lachrymis inna-

innatantes oculi, cor nunc pavidum & mœrens æternæ securitati ac lætitijs præparabunt. Denique id quod Deuteron. 28. maledictioni simile fuit, solida tibi erit benedictio. *Dabit enim tibi Dominus* in seria & frequenti ad Crucifixum aspiratione, *cor pavidum*, id est, beatum, nam, *beatus homo* qui semper est pavidus; *& deficientes* sanctarum lachrymarum ubertate *oculos*, *& animam consumptam mœrore*, qui sit æternorum seminarium gaudiorum. *Et erit vita tua* (Crucifixus) *quasi pendens ante te*, cui credes, in qua sperabis, quam crebris suspirijs amabis, alloquêris.

7. An non pretiosum Christi Crucifixi memoriale habent ij, quorum mensam ornat instructus horologio Crucifixus? Horas illi suas dedicant illi horarum, dierum, annorum, æternitatis DEO!

# HEBDOMADA XX.

## *Firmam in bene cœptis constantiam à Crucifixo pete.*

1.

CÆsarius *lib. 7. cap. 34.* author est, Monialem Crucifixo Christo certâ quapiam quotidiè recitatâ oratione constanter devotam pessimè à tentatione persuasam, eò jam ruinæ devenisse, ut exitum pararet è cœnobio. Memor constantis illius devotionis Crucifixus, perire illam non permisit; verùm ad portas singulas illi exire tentanti obvius occurrens, apostaticum inde pedem efferre passus non est. Tum illa ante Beatissimæ Virginis imaginem prostrata, usque adeo validè se in maxilla ab imagine percussam sensit, ut ab ictu humi affixa, ad matutinum usque illic jacuerit. Simul verò cum verbere ab imagine profecta est vox: *Quò vis ire, fatua? Vade in dormitorium tuum.* Ita illi felix erga Crucifixum, felix erga MARIAM Crucifixi Matrem devotio, operæ in colendo Crucifixo positæ, pretium longè nobilissimum attulit, constantiam, perseverantiam, cui soli salus æterna promittitur. Ut ergo ne te avellat à Deo caro tua, vel quodcunque demum peccatum, agnum Dei Crucifixum, qui tollit peccata mundi, ora. *Certè si posses animam hominis in peccatis involutam oculis cernere*, inquit S. Ioannes Chrysostomus hom. 28. in Matth. *non dubitares multò melius esse in sepulchro jacere, quàm delictu irretitum teneri.*

2. *Nieremb. hist. nat. lib. 8. cap. 19.* ait apud Andagnailas dæmonem per duos lapides locutum, ad se multos pertraxisse, jactâsséque adoratores suos Christianis magis pudicos & castos fore. Patres è Soc: JESU ad oratorium illud exitiale dum irent, nil populi comminatione, nil tempestate, quâ ferè fulmina cadebant pluviæ loco, permoti, perstitêre in cœptis, ad omnium admirationem, objectâ nubibus sacrâ ligni sanctissimæ Crucis particulâ. dum *Ecce lignum Crucis* dicerent, tota repentè tempestas evanuit, maximo animarum emolumento. Persta in cœptis cum Cruce. Vinces omnes, quas nunc insuperabiles putas difficultates.

3. *Phil. Berlaimondt in parad. puer.* præter Ægyptum, crucem ait esse in edito monte sitam, quam *Risum* vocant. Arduus illuc usque mons est. At qui ad crucem usque pervenêre, illâ superatâ, suavitate mirâ delioiti mortales, ævo sibi beatissimo videntur frui, adeo ut cibi ac potionis obliti, fame facilè enecentur. Campis illis à Paradiso est nomen. Habet verò mons ille, quo ad se corpora pertrahit, magnetismi quàm plurimum. Perge, perge constans in cœptis. Ubi crucem superaveris, assuesces, ridebis, trahêris post Iesum admirabili magnetismo. Nunc tibi crux fletus est; postea risus videbitur, & Paradisus. In Elysijs Paradisi campis te positum credes; & quod tibi nunc videtur difficillimum, jejunare, vel aliud quodpiam, quod sensui repugnat pro Deo experiri, tantâ spiritûs suavitate perfundêre, ut idem tibi adeo suave videatur, ut ne in excessu pecces, calcarium loco jam fræno sis opus habiturus. Bononiæ imago est Beatissimæ Virginis, antiqui miraculi testis, cujus hæc est semilatina subscriptio: *Hanc immaginem Beatæ Virginis, quæ à Novizio nobili panem durioremporrigente recipiens, cruoreque lateris Fulij reddens sapidissimum, inconstantiæ adolescentis consuluit, Religiosi Novitij instaurari curârunt.* Habet verò illa Beatissima Virgo mortuum inter brachia Filium Iesum. In illo sinu mane constans.

# HEBDOMADA XXI.

## *Crucifixo placere si vis, fuge societatem pravorum.*

1.

SAnctus Bernardus sermone de convers. S. Pauli, *Expavescite*, inquit, *consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Certè tales amicitias Christus non probat. Ergo expavesce!

2. *Cæsarius lib. 9. cap. 10.* ait fassum esse quendam scelestum, quòd quoties in sacro se vertebat ad populum, viderit contra se stantem Crucifixum lachrymantem. Avertabatur nempe scelestum. Tales habe socios, qui gaudio sint Angelis, non verò lachrymas moveant Christo Crucifixo.

3. *Heroldus de blasph.* impijssimæ pravorum societatis exemplum refert horrendum. Viro pio prope Oenopolium ad preces eunti, fit obvius miserrimè laceratus, patentibúsque hians vulneribus ignoti viri specie Christus Deus. Causam, & authorem vulnerum rogatus, exitialem pessimorum adolescentum societatem esse dixit, qui juratâ in tabernis amicitiâ, inimici Deo, totam blasphemâ impietate noctem ebrij funestâssent. Iacente postea sub dio lacero Iesu, pius ille vir, illum dolorum virum quisnam esset, cùm nesci-

ret, Oenopolium ingressus, queritur de illata crudeli injuria, de tyrannica viri innocentis carnificina. Negant illi, & se suavissimo amicitiæ genere inter se jucundè noctem integram absque injurijs egisse in poculis, ajunt. Tum demum, nec reperto amplius in platea vulnerato illo, patuit Christum fuisse, in quem carnifex illorum amicitia crudeli pessimè inter se amicarum, quia Deo inimicarum, linguarum tyrannide desæviisset.

4. Ajunt, domesticæ ficui sociam in horto jungi ficum sylvestrem, ut ne fructus decidant è ficu domestica. contra prorsus fieri amat in societate malorum. Nam sicut à peste contactis morbum facilius & mortem trahes, quàm à te sano sanitatem trahant & vitam peste contacti; ita ferè facilius morum pestem trahes à morum pestilitate afflatis, quàm illi à te vitæ integritatem.

5. *Porta phytogn. lib. 3. cap. 6.* ait, quòd avis ictérus seu galgulus, aspectu sanet ictericos, sed moriendo. Rubetam, si quis tametsi probè coloratus, aspiciat, pallescit. Ita occidit, & mortis pallore te fædat malus socius. Vel ipso aspectu te interdum fædat ad mortem infelix ille galgulus. Ne aspice rubetam. impallescès in mortem.

6. *Morosâ prurigine germinat auris* avida sordium, quas dum duo trésve inter se conferunt amici, *Asia pecuaria rudere credas*, ita in cachinnos exundant: & sic, unius à porrigine porci, ab unius ovis scabie, trahitur scabies & porrigo. Lingua illius, lingua bisontis est, de qua Cromerus libro priore de Polonia pag. 489. Linguæ ejus contactus vitatur, quâ longiùs exertâ attrahit ad se hominem, si vel extremam vestis ejus oram contingat. Est enim ea scabra. Cave tracturam te in exitium æternum linguam!

7. *Plutarchus* prudentis cujuspiam fœminæ maritum crudeli morte ab homicidis trucidatum ait. Cum ijsdem post paulò arctiorem contraxisse familiaritatem cùm videret orphanos filios suos mater vidua, ut illos à funesta exitialium illorum societate avelleret, hoc usa commento est: Sevocat nil tale opinantes in conclave filios mater, & explicatas quanto potest verborum, gestuum, & maternæ mœstissimæque authoritatis pondere, tristes occisi Patris exuvias ostentat filijs, indusium hians vulneribus, fædas cruentásque sanguine Paterno vestes. Dixit, ore quasi aperto clamare, supplicare filijs illa vestium foramina, ut ne amici essent homicidarum Patris! Persvasit. Abhorruêre hoc adeo robusto commoti argumento à pernicioso pessimorum illorum amicitia. Hoc est quod altâ, quod cœlesti, quod maternâ te voce monet mœstissima Dei Mater, & nostra: hoc est quod horrenda morientis Jesu mors, divisæ vestes, clavique clamant, & Crux; ut parricidarum illorum, qui linguâ, dum fœdissimè loquuntur, qui gutture, dum inebriantur, qui actionibus Christum iterum affigunt cruci; & blasphemis moribus proculcant, amicitiam caveamus! Cave! Christus rogat; pro te mortuus Christus rogat; Maria Dei & tua Mater, cum Crucifixo Dei & suo Filio te rogat, ut illum N. & illam N. caveas.

8. Disce à Crucifixo illo, de quo *Gonzaga conv. 24. prov. Polon.* qui nullum

lum penes se impium patiebatur. Eo loco, quo cœnobium est oppidi Schapenij, *magnus quidam lapis fuit* inquit ibid. Gonzaga, *intus, foris, atque per universas ventulas crucibus insignitus, ita ut in quolibet ejus fragmentulo crux impressa appareret: cùmque aliquis juxta illum pertransiens, aliquid turpe vel proferret vel ageret, vel ebrietate teneretur, statim extemporaneo morbo correptus, vel sinistro casui subjacens sua temeritatis pœnas dabat.* Talis esto rupes Marpesia, tales ne patere, qui turpia patiuntur, vel agunt.

# HEBDOMADA XXII.

## *Inspirationes, & bona proposita exequere.*

1.

Solet etiam aliud agentibus nobis nostra agere, séque nobis inspirare, ac scintillas quasdam lumenum oculo mentis immittere optimus Deus. De S. Huberto *Ioannes Roberti* in ejus histor. narrat: illum cum famulorum & canum grege ad venationem profectum, insignis magnitudinis ceryum vidisse, in cujus cornuum medio inter explicatos ramos apparuit Crucifixus, qui dixerat: *Quàm diu, ô Huberte, ô quàm diu in captandis feris occupabere? Semperne ignorabis te ideo esse conditum, ut Deum tuum cognoscas, illum ames, eóque in æternum potiaris? Ecquid ergo saluti tuæ concessum tempus ita nullo tuo commodo profundis?* Cecidit ad hæc, quasi à se. reno cœlo ad vitam fulminatus Hubertus. & cùm illud Sauli repeteret: *Domine, quid me vis facere?* ad Lambertum missus est pro Catechismo instruendus. Ita Christianus factus, & sanctus. Crucifixus est fons inspirationum.

2. Quàm felix Eustachij, & Huberti inspirationibus obedientis, tam infelix Deo surdi Toletani illius in Hispania adolescentis fuit fors: qui, ut *Reeb de Prud. Christ. cap.* 11. §. 19. refert, abjecit suscipiendæ religionis consilium, factus Canonicus. postea in carnem effluxit, infamis palàm. Decumbit! Monitus animæ procurandæ, negat; morbum tantum esse. Pronunciat Medicus, horam unicam superesse vitæ. Sternuntur humi omnes, & Deum pro juvene orant: negat ille mortem adeo adesse: tempus fore. interea obtumescit, & alienatur à mente. Ergo ferventior Ecclesiastes, Crucifixum ardenti manu rapit, & *De profundis* orat calidè. Ubi ad illa venit: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*; tum Crucifixus resolutis à cruce manibus, aurem utramque obturans. hæc effulminavit: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* & juvenis infelix excessit!

Solet bonæ nonnunquam, & nonnunquam etiam malæ mentis oculum, sereniore quodam lumine perfundere Pater luminum Deus.

3. Anatomici, ac inter hos Laurentius, internum quoddam in oculo lumen agnoscunt in gutta, quam *guttam serenam* vocant. Serenissimæ è quinis Iesu vulneribus rorantes guttæ, multorum oculis illuminandis per internum quod-

quoddam lumen *gutta serena* instar sunt in corde. Vide ne quæ caliginosæ ac turbidæ cordis tenebricosi guttæ, serenas has sudi cœli tui, Crucifixi IESU, guttas obscurent. *Contemplare charissima*, inquit ad S. Ludgardem Virginem cruentas suas cicatrices illi ostendens Christus, *contemplare, ut mea vulnera clamant ad te, ne frustra sanguinem fuderim.* S. verò Bernardus sermone 61. *Clamat vulnus, clamant clavi, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi.* S. autem Augustinus cap. 22. Manualis, *clavi & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si illum amavero.* Hodiè ergo, non cras, hodie si vocem ejus, quæ ad te clamat lanceæ, clavi, vulneris audiveris, noli obturare cor tuum. Ne te surdum finge: Audi clamorem vulnerum IESU ad te clamantium. Inspirationes singulæ singuli sunt clamores vulnerum. suis enim vulneribus tibi gratiam illam, quam inspiratione offert, meruit Christus. Utere ergo inspirationibus illis, ne frustra pro te sanguinem fuderit Christus. Ita è Neania Procopium, (ut Paulum olim è Saulo) fecit Christus, cum Neaniæ quando à Diocletiano Alexandriam mittebatur in Christianos, in itinere se & crucem ostendit. Vidit, & semel loquentem audivit; paruit. Neque moram interjecit, quin similem illi qualem viderat, crucem curaret, aureos Deos in egenorum turbam partiretur, Matrem converteret, pro Christo denique moreretur, ut est 3. *Julij, in vita.* Ita qui parere paratus est inspirationibus sanctis, brevi compendio maximos facit in sanctitate progressus. Illi verò qui optima monenti intus Deo non parent, verùm differunt, negligentissimi procrastinatores, ne quæso sibi de tanta, quâ usque adeo abutuntur Dei patientiâ blandiantur. Proverbium hominum, est etiam in Deo verum: *Patientia læsa vertitur in furorem*: in quo furore illos corripiet, & in ira sua arguet, nunc misericors, tunc iratus Deus, *cujus* inquit S. Ign. Epi. M. ep. 5. *expaveſco mansuetudinem.* & ep. 11. *Revereamur, & timeamus longanimitatem Dei.* Augustinum certè Mediolanensem ægrum, eò quòd in vocationis suæ executione segnis esset, à Christo Crucifixo reprehensum, & Societatem IESU ingredi jussum, ait *Imago primi sec. lib. 2. cap. 9.*

4. Quod de inspirationibus dixi, per proportionem, bonis etiam propositis applicandum. Plato, dextrum brachium, divinum amorem appellavit, sinistrum verò, terrenum amorem dixit. Dextrâ manu, dextrè & robustè apprehendendum id, quod agere proposuit animus in honorem Crucifixi Dei. Illius clavis figenda cordi proposita.

5. Alcuinus *paralyticas* dixit *cogitationes* illas, quæ voluntatem non juvant, séque habent aridi brachij instar in corpore. Manus instrumentum instrumentorum, organum organorum est Aristoteli. Veteres Lusitani, abscissas hostium dexteras dijs offerebant. Da cor & manum Deo. Ita placebit sacrificium, si, quod cor proponit bene, manus exequatur bene.

HEB.

# HEBDOMADA XXIII.

## *Ne differ sancta.*

1.

HOlenus *Ord. S. Aug. Theologus serm.* 38. *hyemali*, author est, quendam qui pœnitentiam semper differebat in mortem, sub mortem de pœnitentia admonitum surdum fuisse ad omnia, serò jam esse nimiùm. Decretorio jam supremi tribunalis calculo se ad infernales incitas redactum, damnatum. Adfuit spectabilis misero Crucifixus, & vulnera multo cruore misericordiam clamantia ostentans, Hæc, ajebat, pro te sustinui. Ad hæc veni: non ejiciêre foras. Certam tibi pœnitenti misericordiam hæc promittunt. Neglexit! Ergo misericordiâ in iram conversâ, haustum è lateris vulnere clausâ dextrâ sacrum sanguinem in hominis olim pœnitentiam in mortem procrastinantis, nunc in æternum veniam desperantis faciem projiciens; *Hoc* inquit, *signum coram omnibus hominibus in die extremi judicij portabis in testimonium vindictæ, eò quòd misericordiam meam contempseris.* Ita procrastinator ille obstinatus, solitâ procrastinatorum morte mortuus est in æternum. Ergo ne differ; ne pereas.

2. S. Gertrudis Virgo *Insinuat. div. lib. 3. cap.* 41. sextâ quadam feriâ cùm devotè aspiceret, & tractaret imaginem Crucifixi, intellexit, *quòd si quis inspicit imaginem crucis Christi cum devota intentione, ille tam benignâ misericordiâ respicitur à Domino, quòd anima ipsius tanquam lucidum speculum suscipit in se ex divino amore valde delectabilem imaginem, unde tota cœlestis curia delectatur in eo. Et hoc erit illi æterna gloria in futuro*, inquit. Ita in te oculos misericordiarum suarum flectet, & cor tuum ad suum inflectet obsequium, téque aspectu potentissimo, resolutissimis (ita vocamus) cogitationibus implebit JESUS.

# HEBDOMADA XXIV.

## *Communicaturus meditare Crucifixum.*

1.

CAntipratanus 2. *Apum. cap.* 40. ait collapsam humi sacram hostiam dum elevare Sacerdos nititur, divinâ quadam vi, spectante Clero & populo universo, sese sursum per aërem librasse, & appenso altari, ut ille vocat, torio adhæsisse. Ibi sacratissimum omnibus facta spectaculum hostia sancta, Divinas & jucunditatis plenas metamorphoses in se ostendit omnibus, quarum singulæ pulcherrima, & ad sanctissimi Sacramenti perceptionem, & ad Crucifixi cultum præparatio sunt. Primùm sese in exquisitissimæ tenerrimæque elegantiæ parvuli JESU speciem induit, amabili spectantium omnium voluptate: tum in mensura ætatis plenitudinis Christi spinis capite redimiti ostendit imaginem: deinde sine spineo illo diademate plenam in eadem ætate sanctæ majestatis & honoris expressit effigiem. Deni-

Denique, pendentis in cruce Iesu instar, néque species illi erat, neque decor. Claufit spectaculum, ejusdem Crucifixi Iesu quasi judicis pro supremo mundi tribunali cum cruce apparentis metamorphosis. Hic est à cunis usque ad supremum decretoriæ mundi sententiæ diem, quem in cruce, quem in Eucharistico Sacramento colimus Crucifixus, Dei & Mariæ Filius, Deus Iesus!

2. *Nieremb. de mira, nat. in Eur. lib. 1. c. 15.* in Collegio Madritensi Lusitanos fratres ait fuisse, quorum unus hostiam intuitus, vidit imaginem Christi spinis coronati, qualis est illa, cui subscribitur: *Ecce homo.* Tu tibi dū Eucharisticâ illâ hostiâ pascris, jam spinarum recordationem infige cordi, jam alia mysteria imprime.

3. S. Lydvinam Virg. communicare cœlum docuit, cùm singuli singulorum passionis instrumentorum bajuli Angeli communicantis lectum circumstarent coronâ Angelicâ. Innuebant communicaturis illa meditanda mysteria.

4. *In compend. Vitæ S. Theres. lib. 4. cap. 9.* A sacratissima communione ab extasi ad se reversa, incredibili suavitate reperit os plenum sanguine S. Theresia. Tum illi Christus: *Volo, filia, sanguis meus tibi prosit: nè timeas me tibi defuturum. Ego summo cum dolore sanguinem profudi; tu illo summâ cum suavitate perfruere, ut experiris.* Adverte, etiam gratias post Angelicum cibum agendi rationem optimam esse, implere cor & mentem cogitatione sanguinis Crucifixi.

5. Ita etiam nota illa vulnerum Iesu in S. Catharinæ Senensis corpore impressio Pisis post sumptum Sanctissimum Christi corpus facta est. Ita & se & sua secum vulnera illi dedit optimus Iesus. Catharina Riccia ut *Guidius* habet *ejus Vitæ cap. 25.* Anno 1541. 8. Iunij manè post communionem, cùm Crucifixum suum in cubiculo contemplata teneret in brachijs, & ab illo doceri peteret, Crucifixus apertis illam oculis intuitus, explicatis à cruce brachiis, illi plura virtutis altæ, alijs etiam profutura documenta suggessit. Anno 1542. 24 Aug. à sancta communione ad conclave reduci obvius factus est in cubiculo Crucifixus. Ita nimirum à communione cùm Crucifixo, non cum obvijs quibusque agendum.

6. Quotidiana etiā Sacri auscultatio gratissimus Crucifixo cultus est, & repræsentatio incruenta totius cruenti sacrificij Crucifixi. Audiendum verò est ita, atque si adesses ipsi cruento sacrificio, & Crucifixo nunc pro te morienti. S. Gertrudis *lib. 2. cap. 5.* sub Missa in ipso communionis accessu in hæc verba prorupit: Domine fateor, quòd secundùm merita mea non sim digna accipere minimam portiunculam donorum tuorum: sed tamen meritis & desiderio omnium adstantium supplico pietati tuæ, ut transfigas cor meum tui amoris sagittâ. Et tum se ait vidisse evidentis signi demonstrationem in imagine crucifixionis Christi. Videbatur mihi, inquit, quasi de vulnere dextri lateris Crucifixi in folio depicti prodire tanquam radius solis in modum sagittæ acutus. Tales tu à Crucifixo sagittas in sacro quotidiano, sed potissimùm dum pane Angelico, seu vivo Cru-

cifixi corpore paſceris, ut corde toto accipias, opto. Certè nunquam ſine lucro diſcedis à Sacro.

# HEBDOMADA XXV.

## *Corporis afflictatio, ſacrificium Crucifixo.*

1.

PEtrus Mathæus *Gall. narr. 4. lib. 1.* ait à Philippo ſecundo Hiſp. Rege, paulò ante mortem vocari juſſum Principem filium. Afferri tandem juſſo eburneo ſcriniolo, inde hæredi tot regnorum filio ſucceſſori, Crucifixum extractum dedit, & flagellum. Imperator, inquit, parens meus diem obijt manu tenens Servatoris ſimulacrum Cruci affixi: eadem ſignificatione pietatis, mori mihi perdulce eſt: rogo enixè DEUM, ut non abſimili religioſi animi argumento filio meo mori contingat. *Cape fili pia inſtrumentum laniena flagrum; & Patris atque Avi ſanguini, quo reſperſum vides, adde tuum.* Ita extinctus eſt. Cadaver repertum indutum cilicio. Grande omninò magnorũ exemplum, & tale, quod admiratores plures faciliùs laudatorésque inveniat, vel fortè etiam contemptores, quàm æmulos Reges & Principes.

2. Si quis ergo ob nimiam corpuſculi debilitatem, tenuitatémque valetudinis infirmæ, corpus attritum morbis non poſſit terere cilicijs ac diſciplinis, meditando Chriſto paſſo & offerendis illis doloribus, in unione precioſorum quos ille tulit dolorum ſe dedat, ſibíque illud pro ſolatio imprimat, quod S. Thomæ Aquinatis Magiſter, Albertus Magnus tractat. de Miſſa ſcripſit. (vide de Pont. p. 4. meditat. introduct. ad paſſionem.) *Simplex recordatio, vel meditatio Paſſionis Chriſti plus valet, quàm ſi quis per annum jejunaret in pane & aqua, qualibet ſextâ feriâ; vel diſciplinaret ſe qualibet hebdomada per annum ús que ad effuſionem ſanguinis, vel quotidie legeret unum pſalterium.*

3. S. Radegunda Clotarij Regis conjunx, afflictandæ in honorem Crucifixi, & quaſi crucifigendæ carnis avida, cuti ſuæ Crucifixum, itémque ſanctum IESU & MARIÆ nomen inuſſit. *Quæ collatio eſt tua*, inquit Bern. op. de char. c. 27. *ad ineffabilem, ad incomparabilem, ad incomprehenſibilem DEUM?* Nihil ad menſuram meriti retribuere potes, ſi in retributionem eorum, quæ prõ te ſuſtinuit, te millies mille annis gehennali incendio cruciares. Oratio funebris A. 1622. de Ioanne Godefrido mortuo, pientiſſimo Bambergenſium Præſule facta, ait illum geſtando dies noctésque per hebdomadas totas cilicio à puero aſſueviſſe. Diebus Sabbathi honori Virginis æternæ Matris, ſextâ verò quavis feriâ, in IESU Crucifixi memoriam, & venerationem, in ſe flagellis acerrimè animadvertiſſe quothebdomadis ſæpè nudæ humi indormiſſe: ad hæc omnibus, & Crucifixo dicatis ſextis ferijs, & MARIANIS Sabbathi diebus unicâ panis buccellâ modicóque hauſtu vixiſſe contentum. Hic verè Ioannes & IESUM Crucifixum & MARIAM Crucifixi Matrem accepit in ſua. *Amarius os tibi facit jejunium?* inquit S. Io. Chryſ.

h. 23.

h. 23. ad pop. *Christus*, qui mellis dulcedinem creavit, fel propter te gustavit. O sericea corpuscula, hæc perpendite!

4. *Chron. Franc. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. virum narrat è lauto delicatóque ad omnem delicatulæ carnis gustum vivendi genere, ad S. Francisci severiora castra transijsse. Ibi ille difficilem carni vivendi rationem, & aspera omnia aspernatus, denique victus, manum ab aratro avocare, atque ad id, quod semel vomuerat, reverti constituit. Iamque id agebat, cum reverentissimâ mæsti capitis inclinatione, in loco, cui à capitulo religiosum nomen erat, Crucifixo quasi valedicens, ab illo petebat benedici. Abripitur Divinâ quadam vi ad Beatissimam Crucifixi Matrem, & illi quæ causa fugæ esset interroganti, illam carni difficilem nimis asperitatem esse fatetur. Tum Christus recenti sanguine scaturiens lateris vulnus illi ostendit, ac digitos inferre jusso, imperat, quoties aliquâ tentatione pulsaretur, illius ut sanguinis recordetur, suaviáque illi fore omnia adpromittit. In illo latere absconde, quæ carni dura sunt.

5. *Myræus in Biblioth.* ex antiquissimis M. S. refert, Magdalenam de Ipris à septimo ætatis anno urticis sinum tenerum & aculeis impleviſse. Decennis Christo in templo viso, *O vere salutis nostræ Author Iesu Christe*, inquit, *pro te nihil in rependenda vice hactenus feci!* ploravitq; ubertim, & sola in sylvâ concedens, ibi nudula parvula se *hulso* & spinis ad largâ sanguinis innocentuli effusionem verberavit. idq; sæpissimè in recordationem vulnerum Christi cum lachrymis faciebat. Teneritudinem objcientibus nutritoribus *Iam parata*, inquit, *sum omne tormentorum genus pro Christo pati, si se tempus vel locus offerret.* Ita parvulus, necis Christi recolendæ gratiâ, sextâ quavis feriâ jejunabat Aloysiolus.

6. *Sur.* 16. *Nov.* Mabilia Edmundulo suo filiolo munusculis puerilibus persuasit, ut sextas ferias pane, & aquâ ageret. Parisios duo ciliciola misit pro illo & fratre, illic studentibus, suasitque ut se quothebdomadis bis terve illis præcingerent. Et Edmundulo quidem nunquam linea mittebat indumenta, quin & contextam è setis vestem adjungeret. Hoc est proëdrium, seu primum in pueris vestibulum pietatis, ut primis illis initijs, paribus lineamẽtis ætas successiva respondeat. *Flaminius* ait B. Catharinã Genuens. octo annos natam divinitus edoctam, ut stramine pro cubili, pro cervicali trunco uteretur.

7. At cum corpore crucifigendæ sunt etiam affectiones animi. *Cassianus instit. lib.* 4. ex ore Abbatis Pynuffij, Sicut inquit, crucifixus quis jam non pro animi sui motu, membra sua quoquam movendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras, ac desideria, non secundùm id, quod nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundũ legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus.

Nullo itaque modo universæ sanctitatis centrum in eo collocandum, quòd castigatione severâ cruentes corpus. Sancta quidem ista tyrannis est: at ipsa instrumentum est sanctitatis, non verò apex. Addenda est intemerata & lympidæ instar crystallinæque aquæ sincera purissimæ conscientiæ integritas, & sanctus de præteritis dolor. Aliàs quem

noſtrûm in corporis lanienâ, non ſuperant cultris in carnem horrendis modis ſævientes Turcarum ſacrificuli? Picus certè *Mirandulanus, lib. 3. in Aſtrol. cap. 27.* ait ſe noviſſe hominem, qui quò vapulabat ad ſanguinem uſque magis, eò ad ſordes Veneris accendebatur magis. Ita puer aſſueverat.

*Claridemus* hominem è duobus compactum carnificibus dixit, è corpore & animo. Certè alter alterius carnifex eſt. At præſtat nunc animus ſit carnis carnifex, quàm contrà. aliàs & animi & corporis æternus erit carnifex dæmon.

8. Ad ſanctam verò hanc tyrannidem, ut ſancta verè ſit, requiritur intima & penitiſſima contemplatio Crucifixi, & inde natus *amor*, qui, Platone teſte, *omnia ſcit; muſicam, & omnia docet.* Muſica verò ſit ferè è chordis cadaverum animantium mortuorum. *Dulciſſima quædam liquefactio eſt amor.* Liquéſcit igne cereus in lachrymas, emoritúrque conſumptus in cinerem. Amoris in cor, & è corde in ſanctam corporis tyrannidem, exardeſcentis ignea hæc ſymbola ſunt. Quot Sanctorum & Sanctarum ab hoc intus calente igne foris liquefacta eſt caro in defluentes plenis rivis ſanguinum guttas, dum rugirent à gemitu cordis ſui, dicerentque *Libera me de ſanguinibus DEUS!* Ita tenera etiamnum, & jam Chriſto confixa Chriſti Virgo Catharina Senenſis, præter eam, quæ in lateribus illius innocentiſſimâ carne ſe induebat, catenam ferream, ter ſe catenâ item ferreâ cædebat quotidie, ſingulis vicibus ſesqui horâ, ſanguine ab humeris manante úsque ad pedes; ut ſanguinem pro ſanguine redderet flagellato ſui gratiâ Crucifixo. Erubeſce ad hæc fronte, & dorſo.

9. Coronam aureâ ad Crucifixi ſpinis coronati pedes abjecit Ungara Regina S. Elizabeth. S. Achas puer etiamnum parvulus, ut eſt in ejus vita, Matri in templo extento indice Crucifixum monſtrans, Intuere, ajebat Mater, intuere Crucifixum in cruce nudum ſanguine rubentem. Tu verò in ejus contumeliam preciosis his veſtibus ornata incedis? Cave, Mater, ne pro rubore veſtium ignem æternum mereare.

*Corpus comedent Vermes, animam corrodent dæmones* inquit S. Franciſcus in ep. ad univerſ. Chriſtianos.

10 Age ergo gratias doloribus Iesu per dolores tuos. Hinc illæ Palæmonis optimi ſenis etiam die Paſchatis à corporis afflictatione ceſſare nolentis lachrymæ, quando viſo oleo in cibo, caput anxiè fricans ubertim lachrymatus eſt in hæc verba: *Dominus meus Crucifixus eſt; & ego nunc oleum comedam?*

# HEBDOMADA XXVI.

## *Crucifixo morienti te morientem commenda enixè quotidie.*

1.

ID quod rogatus apud Laërtium lib. 6. cap. 1. Antiſthenes, *quid apud homines eſſet beatiſſimum*, reſpõdit, dum dixit; *Felicem mori*; quod Fridericus ſe-

secundus Imperator pro symbolo usurpavit, *morte beatâ nihil beatius*; quod Fridericus III. Pacificus Cæsar pronunciavit, dum dixit, *nihil esse felicius, quàm felicem exitum ex hac vita*; ut & tu apud morientem pro felici tua morte & vita Crucifixum totis agas viribus, vide. Hoc enim nisi egisti, actum egisti, nihil fecisti.

2. Beatissimus Edmundus supremâ unctione jam delibutus ad mortem Crucifixum tenerrimis ligans amplexibus, amantissimis rigans lachrymis, ex aperto Crucifixi latere veluti cor volens exugere, dixit calentissimo spiritu: *Amodo hauretis aquas cum gaudio de fontibus salvatoris!* & vixit felix. Ita Beatissimus Venetorum Patriarcha Laurentius Iustinianus ajebat, nescire se quid pro supremo Christi tribunali agere debeat post hanc vitæ hujus mortem, utpote vacuum meritis, nisi Crucifixum complecti.

Nunc ergò Crucifixum apprehende, complectere; ut moriens feliciter comprehendaris, sicut & comprehensus es à Crucifixo moriente Iesu. Pater Iulius Fatius è prima S. I. ætate vir, sub mortem hæc sæpiùs iterabat: *Inter brachia DEI mei, mei, mei, & vivere volo, & mori cupio.* (Phil. Aleg. in Biblioth. S o c. Iesu) Augustinus Canus moriens Crucifixum non semel illis verbis est allocutus: *Rex tremendæ Majestatis. Qui Salvandos salvas gratis, Salva me fons pietatis!* Plagas ejus & Deiparæ effigiem osculatus, tutelarium Sanctorum, quos in libello descripserat, oravit sibi nomina prælegi, & invocari.

3. Illustrissimus ille plus virtutis quàm familiæ gloriâ Comes Elzearius tametsi ipse sanctus vixerit, & sanctissimis aulam universam legibus Deo devinxerit, tamen ut *Surius* 27 *Septem.* refert in ejus vita, in supremo agone constitutus, pleno solicitissimæ perturbationis usque ad horrorem vultu; quasi confligens, hæc tandem verba frangere cœpit, exclamans: *Magna est damonum vis; sed eam penitus enervarunt virtus & merita sacrosanctæ Incarnationis & Passionis IESV CHRISTI.* Tacuit! Atq; iterum exclamavit: *Planè vici!* Iterum conticuit, & denique quasi finito jam agone, non sine clamore, *Totum me*, inquit, *divino judicio committo!* Ita vultus ab horrore compositus, cœlesti quodam splendore perfusus est. Sæpè versum illum repetebat: *Dominus opem ferat illi super lectum doloru ejus. universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Illud verò: *per Sanctam Crucem & Passionem tuam, libera me, Domine*, ter repetivit: & *Hæc est*, inquit, *spes mea. In hac volo mori.* Similia Bernardus æger expertus est: sed Crucifixus causam solvit. Atque hîc ego te, lector optime, quam diligentissimè hortor, & rogo, ut unum hoc & necessariorum omnium, ut sic dicam, necessarijssimum agonis tui punctum tibi seriò cordi sumas. Reliqua enim omnia sinè hoc prosunt nihil.

4. Sequere ergo ipse coram Crucifixo prostratus quotidie, id quod Lusit. Regi *lib.* 2. *ep.* 5. suadebat Xaverius. Erit id solatio agoni tuo sancto. Si Regem, inquit, à meis fidelissimis & amantissimis consilijs non abhorrere arbitrarer, saluberrimū ei darem consilium, ut quotidie per quadrantem horæ Divinam illam sententiam meditando, *Quid prodest homini, si mundum universum*

sum

*ſum lucretur, anima verò ſua detrimentũ patiatur?* germanã ejus intelligentiam à Deo peteret, cum ſenſu animi interiore conjunctam; & ſimul ſuarum precationum omnium illam vellet eſſe clauſulam: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?*

5. Ferunt Limenſes Annuæ P. Petrum Ochoa Soc. Iesu in Peruanâ navigatione Anno 1604. extinctum, in agone multùm cum dracone certaſſe. Victorem contra hoſtem illum ſtygium fuiſſe, illud argumento eſt, quòd Chriſtum crucẽ portantem humeris, & S. Patrem Ignatium Loyolam frequenti Martyrum coronâ ſtipatum viderit, ac ſenſerit adjutorem.

In P. Ioannis Amadæi S. I. elogio eſt ſimile pro felici morte ſolatium. Erat vir ille erga patientem Chriſtum inflammatiſſimus, & ſe pro felici morte illi commendari cùm rogaſſet, viſus eſt à Chriſto quinque vulneribus, velut funiculis, alligatus, ad Patrem trahi in cœlum, cum hoc reſponſo: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* In morbo phreneſim timebat, & quietem ſibi à Deo peti petebat: petenti id pro illo cuidam reſponſum: In pace in idipſum dormiet & requieſcet. Ita quieſcere ut poſſis, Crucifixum ora.

6. *Egeſippus in Heliotropio Kaarnai cap. 7. n. 6.* ait in ea horti parte, in qua ſanguinem ſudavit Chriſtus, creviſſe arborem, cujus folia ſingula inſcriptam ſibi hanc habuerint exclamationem. *O mors! quàm amara es!* Audi exclamantia contra ſocordem tuam negligentiam creſcentis in terra Chriſti ſanguine inebriatâ, arboris folia! & mortis tuæ amaritudinibus amaritudines miſce morientis Iesu. Ora illum per amaritudines mortuales, quas paſſus eſt, ut tibi dulcem faciat mortem tuam. Catharina Riccia Florentina, (*Vitæ cap* 46.) cùm jam moritura, *Veni electa mea*, canentibus Angelis mortem opperiretur, miraculis illuſtrem quendam Crucifixum exoſculata ajebat: *Lava me, abſconde me in ſacro latere tuo; ne me damon inveniat.* & felix extincta eſt. Anno 1589. 2. Feb. Ioannes de Deo veneratus Euchariſtiam (ſumere non licebat per morbum) genuflexus Crucifixũ amplexus, diu in amplexu tacuit, tandémque exclamavit: Iesu, Iesu, *in manus tuas commendo ſpiritum meum!* & manente in genibus corpore, extinctus eſt. *Vitæ c. 20.*

7. P. Didaci Martinez Soc. Iesu etiamnum circumfertur Beatiſſimæ Virginis Roſarium orandi modus, quod ille *Roſarium mortis* vocabat, docebátque alios idem pro ſe quémque orare. Dicebat ad quinque majora grana ſeu ſphærulas:

*MARIA Mater gratiæ,*
*Mater miſericordiæ,*
*Tu nos ab hoſte protege,*
*Et horâ mortis ſuſcipe.*
*Gloria tibi Domine;*
*Qui natus es de Virgine,*
*Cum Patre & Sancto Spiritu,*
*In ſempiterna ſecula.*
*Amen.*

Ad minora verò: *Domine IESV Chriſte, concedat mihi Majeſtas tua bonam mortem, per Sanctiſſimam mortem tuam.*

AN.

# ANNI CRVCIFIXI DEI JESU,

## PARS TERTIA.

## HEBDOMADA XXVII.

### *Ægris ministra.*

I.

SEneca epistola 124. id est ultima. *Non est elegantiæ tuæ tantum magna sectari.* Minora etiam hæc magna fiunt, si fiant pro maximo Deo. Sancta illa secundùm cor Iesu Virgo Catharina Senensis, Crucifixi amore, fætenti cuidam,& cancro miserrimè exesæ vetulæ ministrabat. Operæ pretium tulit, perpetuam putridæ illius Hecubæ rabiem. At generosè exhausit omnia Catharina. Unum tacere noluit.. Nescio quam innocentissimæ illius virginitati notam canino suo garritu apud alias aspergebat ingrata illa; cùm Catharina, *Christi gratiâ*, inquit, *Virgo sum.* Ad Christum ergo rem non sine lachrymarum sensu detulit, & illo coronas duas auream & spineam, alterutram ut eligeret ostendente, spineam ad imitandas Christi passionis amaritudines elegit, & quàm altissimè potuit capiti suo impressit. à Christo etiam in imperatis accepit, ut miseræ illi servire porrò pergeret; se provisurum. Fecit illa: & ecce rabida semper hactenus anus illa, ingressâ conclave Catharinæ videt inæstimabilis amœnitatis jucunditatisque illibatæ luce perfusum cubiculum, in vultu Catharinæ Angelicâ virginalis pulchritudinis majestatẽ, totâ illâ opertâ lumine ut vestimento. Indoluit sceleratæ suæ linguæ, & veniam facilius tulit à Catharina quã petijt. Hæc de minoribus obsequijs, Majus, & generosius fuit illud cùm horrore ulceris horrendi tacta, quicquid inde teterrimarum sordium in scutellam collegerat, clàm secedens, ore avido exhau-

hausit, fassáque suo conscientiæ præsidi est, se nullum tam pretiosi saporis cibum gustasse per omnem retrò vitam. Adfuit postea vincenti sponsus Christus, eámque arcto amplexu admovens ad sacratissimũ aperti lateris vulnus illis, quas nobis loqui vel scribere non licet, experiri verò felicissimæ Catharinæ licuit, deliciarum delicijs diu pavit. I nunc, & hinc disce, *ut non sit elegantia tua tantùm magna sectari.*

2. B. Alquirinus Cistercien. Amantissimus Christi vulnerati, quem & vidit, & osculatus est, ante mortem rogatus quomodo haberet. *Benè* inquit, *charissime Pater, benè omninò agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia jam præventus sum à Domino in benedictionibus dulcedinis, qui omnem mihi mœrorem à corde & omnem pænè dolorem à corpore tulit.* Rogatus ab Abbate, num quid divinitus vidisset. *Modò*, inquit, *apparuit mihi licèt misero & indigno, Dominus IESUS Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuens, ac signa beatissimæ passionis ostendens ait: Ecce peccata tua deleta sunt à facie mea. Veni ergò securus, & vide ac deosculare vulnera mea, quæ tantum dilexisti, & toties in meis infirmis consolasti. Tali ergo promissione firmatus, jam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ita eâ, quã prædixit hora, migravit. *Vita & Menol. Ord. 10. Novemb.* Certè unius Alquirini qui meminit, scit in ægrorum vulneribus servire vulneribus Crucifixi.

3 Magno etiam ad gloriosa Christo in ægris obsequia impendenda stimulo ingenuis esse potest id, quod de P. Ioanne Perez Soc. Iesu. Anno 1609. 24. Augusti in Peru extincto narrant earum partium annales fasti. Cùm illic in Nosocomio Ioannes Deo serviret in ægris, dignus habitus est, quem Christus, cujus gratiâ id agebat, miro quodam è latere simulacri sui promicante splendore illustraret, inusitatáque in corde lætitiâ penitus penitúsque perfunderet.

4. Petrus verò Iustinellus Soc. Iesu, qui Castilione decessit, ultimâ Iulij, Anno Domini 1630. ad Nosodochia musicos invitábat, nobilis & ipse citharista, recreandis piè infirmis; unde octavun misericordiæ opus ab illo repertum dicebatur. Hic cum aliquando in ægrum alijs graviùs affectum oculos defixisset, vultum ægri repentè mutari vidit, & inductâ quadam quasi divinitatis majestate, prorsus Christum lineamentis omnibus, qualis exprimi penicillo solet, referre. quæ res illum voluptate solidâ suavissimè liquefactum ad acriora in ministrando infirmis studia accendit. Christo servies. Accendere! Pudeat frigere ad hæc incendia exemplorum!

# HEBDOMADA XXVIII.

## *Alios in amorem Crucifixo IESV colloquijs &c. accende.*

1.

B. Magdalena de Pazzis, ut habet *Vincent. Puccinus Vita illius p. 1. cap. 11. & 12:* Moniales omnes ad Crucifixi amorem hortata ignes Dei loquebatur. Iam in Crucifixum quem gerebat manu

jam

jam in cœlum convertens oculos; *Da mihi*, ajebat *vocem tantam, ô Domine mi, ut vocando te Amorem, audiar ab oriente usque ad occidentem, & per omnes orbis partes usque ad infernum, ut cognoscant, & revereantur te omnes tanquam verum amorem.* Cor illi relucebat in facie, ut hospes è cœlo Seraphinus videretur. Cum verò plenũ Zeli cœlestis cor ut ne deciperetur, haberet defixum in Christo, cœnobij claves collocavit in manibus Crucifixi, ne se decipi & exire sub zeli prætextu permitteret, *Vita p. 1. cap. 30.* Ubi etiam plures illius tentationes referuntur. Fuit, cum posteaquam sororibus Monialibus servisset ad mensam, & illarũ pedes fuisset exosculata, pro præmio in extasi osculum à Iesu accepit, meruítque videre S. Ioannem Evangelistam, & S. Catharinam Senensem, qui catenis dæmones, ut ne quid Magdalenæ nocere possent, arctissimè alligabant. In Crucifixum (*ut est cap. 31.*) ali quando convertens oculos, vidit pretiosissimam tunicam è vulnere lateris illius exire, à dextrâ scapulare, cingulum à sinistra, velum candidum à capite spinis coronato; & è vulnere colli, quod Crucis bajulus à Crucis pondere accepit Iesus, pallium supra omnem humanam æstimationem splendidum lucidúmque. Et acceptum à Beatissima Virgine *crucifixum* singulis *Monialibus ad osculum dedit.* semper affixis Crucifixo oculis, ostentans Sororibus illius vulnera: videtis, ajebat, quanto nos amore amârit Iesus? O amor! tu dignus es omni laude, sed quis sufficit laudare te? Si omnes linguæ hominum unà & Angelorum, stellæ cœli omnes, arenæ maris, plantæ terræ, guttæ aquarum, volucres cœli, fierent linguæ, ad te laudandum minimè sufficerent. *Vita p. 2. c. 1.*

2. Felicissimus Bernardus cùm ad vexillum Crucifixi evolaret lætus, ut est *in Brev. 20. Augu.* adeò felici eloquentiæ robore ad persuadendum suis sodalibus Crucifixum est usus, ut fratres suos aliósque se à crucis proposito deterrentes *in suam perduxerit sententiam, ut cum eo triginta juvenes eandem Religionem susceperint.* Ecce columba in odorem exempli sui trahens columbas alias in foramina petræ, in cavernas maceriæ. Petra autem erat Christus.

# HEBDOMADA XXIX.

## *Crucifixus, Pater, Mater tentatorum.*

1.

DE carnis tentationibus diximus *hebd. 2.* nunc de omnibus. Gravis, & inurbanæ planè injustitiæ accusabat Sancti Francisci Patres, fœmina, quæ rei suæ domesticæ curtam supellectilem cùm ampliorem vellet, desiderabat receptum in illum ordinem Doctorem suum filium sibi in rei familiaris augendæ gratiam restitui, ut refert *Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 9. § 7.* Et filius maternis lacrymis factus cereus, coram Crucifixo arrepti propositi jam non tam quàm hactenus tenax, orabat quasi valediceret, seu veniam peteret discedendi sub speciosso Matris inopiæ adjuvandæ titulo. At simul ex aperto Crucifixi Iesu latere sanguinem, simul ex e-

jusdem ore voces erumpentes advertit: *Ego te carius nutrivi quàm Mater tua, non me debes deserere propter Matrem.* Valuit cordi roborando ea vox. & ille à statione sanctâ nullis Matris artibus potuit dimoveri.

2. *Suge*, inquit, S. Bern. ep. 351. *suge non tam vulnera quàm ubera Crucifixi. Ipse erit tibi in Matrem, tu eris illi in filium.* Noverca est voluptas, omnibus quas ullus privignorum expertus est novercis nocentior. Matrem ne desere pro Noverca.

3. Tertulliano *in Apol.* teste, Christiani olim à cruce dicti sunt RELIGIOSI CRUCIS. Dic ergo, Christiane, religiose Crucis, cum Augustino 1. *conf.* 1. *Fecisti nos ad te*, inquit ille, *& inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*! & adde; Redemisti nos in te, ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. In Iesu, velut in Matris sinu, quiesce. ita non erit tibi noverca æternitas. Vide ne tibi à tentatione victo exprobari illud possit Deut. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti: oblitus es Domini Creatoris (Redemptoris) tui. Haccine reddis Domino, populе stulte, & insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus?* Hujus memoria faciet ut verè non Pater, non Mater, non amicus ullus te avellat à Deo.

4. Mortui jam in cinere seu igne seu aliter abjerant dulcissimi Parentes Indi pueri, de quo *Causinus in Symbolis lib.* 3. 38. semper illi in oculis lachrymæ, in ore dulcia regiaque Patris Matris nomina perennabant, adeò ut lachrymæ in os fluentes dulcia illa nomina deprehenderent semper illic! Ingeniosum verò doloris stratagema fecit pius amor, quando in suo ipsius capite Regius puer vulnus aperuit, dissimulatóque præ amore sensu doloris in hiante capitis vulnere paternos ac maternos cineres quà potuit sepelivit; ut semper aliquid Patris ac Matris secum haberet in capite. Pijssimum profectò ingeniosæ pietatis pijs Patris ac Matris manibus positum in capite Mausoleum, ipsi Mausolo etiam & Artemisiæ invidendum. Si de tentationibus victor gloriosus ac triumphator esse vis, fac tuum caput & cor sepulchrum Iesu. qui tibi & Pater & Mater est. Ita *erit sepulchrum ejus gloriosum.*

5 *Ioannes Herolt lit. P. exemplo* 34. refert juvenem à dæmone dicente, *Vade ante me*, ad infames fornices ductum, obvio sibi ignotâ specie Christo, & dicenti: *Quorsum, fili, quorsum?* negasse illius se esse filium. *Certè* addit ignotus tum adhuc Iesus, *tu es filius meus.* Et nudato sancto latere, ostendit hians vulnus, atque etiamnum cruentum à lancea, & manus manantes sanguine. ac tum adjecit: *Credis ergò quòd sim Pater tuus?* Agnovit cum Thoma Christum Patrem infami hactenus æstro percitus juvenis, & exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* Ac scelus tandem ad Sacerdotis aures jussus deponere, à fugato dæmone agnitus non est, qui eum eo jam consilio præstolabatur, ut obtorto collo æternam secum ad inferos prædam abduceret. Iesum sequere, Filius Patrem & Matrem.

# HEBDOMADA XXX.

## *Neglige ista, quæ æterna non sunt, præ obsequijs Crucifixi.*

1.

QUid enim hæc tibi post mortem? Pythagoræ scitum est: *Illa omnia contemne, quibus solutus corpore non egebis*, Appende pretium animæ ad mundi precium. Hinc illi S. Francisci ad Crucifixum ignes: *Absorbeat quæso mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt ignita & mellissima tui amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori! per temetipsum Dei filium, qui cum Patre &c.*

2. Edburga trimula Edvardi Regis filia, cùm à Parente Rege, quid amaret experimentum capere volente, posita præ oculis hinc pretiosissima quæque mundi muliebris ornamenta, & fœminarum delectamenta videret, inde vero unicum cum Evangelio Crucifixum, interrogaretque Rex parens, illane an hunc vellet eligere, torvo oculo ac vultuoso cõemptu dedignata id, quod oculis maximè blandiri amat, junctis innocentissimis manibus, Crucifixum adoravit; & Evangelium tenerrimè exosculata, meliora elegit; seperavit preciosum à vili. *In Vitæ.*

3. Neglexit Christus vitam; tu hæc vitâ etiam tuâ minora, vitam tibi æternam ereptura non negliges? *Speranza scrip. sel. p.* 153. Stephanum Angliæ Regem venenato gladio saucium, depositâ vitæ spe, nisi quispiam lethale virus & unà cum illo Regis mortem sibi ipsi exugeret, jacuisse refert. Nemo erat (Rege id quàm maximè abnuente, & mori certum habente potius quàm alienâ morte vivere) qui morte suâ emeret Regis vitam. Regina Conjunx, conjugis quàm sui amantior, sopito seu doloribus seu somno, charo Rege, clàm ipsa id audere cogitabat quod palàm abnuente constanter Rege, poterat nemo. Ergô se è lectulo colligit, & laneâ pedum summitate suspensis passibus it ad eripiendam Regi mortem, sibi vitam. Applicat charum os vulneri mortuali, & virus ac unà mortem sugit. Ita mirabili & supremo osculo sanavit Regem, occidit se; nam Rege salvo, illa charioti vitâ Regi, & sibi valedixit, conjugalis amoris in mundi æstimatione, æternum & felicissimum holocaustum. Osculatus est te osculo oris sui Deus. quot vulnera, tot pura sinè ullo dentis mordentis periculo ora ad osculum tibi suo vulnere infigendum aperuit; & mortuale vulnerum tuorum virus attraxit miserans; ne perires, perirésque semper & semper! Tu lucellum unum tanto tui æstimatore pluris æstimas; Vnus te plus respectus humanus, plus pecunia, plus unum terræ frustum contra jus fásque possessum, quàm DEI mors movet? Pretiosissime, & DEI sanguine ad immortalitem empte mortalis, disce te super ista, disce DEUM super te, & super ista æstimare; & semper illa præ his elige, quæ præ his æstimat Deus.

4. Sancto lateris vulneri manum Theresiæ inferens Christus: *Ecce me*, inquit, *filia, nam ego sum tuas mihi ostende manus. Respice vulnera mea. non es sine me. Vita hujus brevitatem pertransi.* Ribera vitæ lib. 4. cap. 10. Infer

age, & tu in latus Jesu manum, ad magistrum cordis tui cor, & cum illo mane.

Pertransi, pertransi! per transennam sunt hæc omnia. *pertransi* per vulnera, velut per portas, Iesu, *vitæ hujus brevitatem*, ut pervenias ad nũquam transituræ vitæ æternitatem.

5. *P. Bonarcius lib. 3. de locis canonicis cap. 9. n. 2.* ait se à fide digno viro audisse, quod cellario cœnobij cujusdam præfectus Monachus œconomus officio sancto perfunctoriè perlegendo potiùs quàm orando affveverit, ob eas quæ illi multæ & variæ intercedebant occupationes. Urebatur illi quidem sæpè suspicax cor quòd malè terram & ea quæ humi sunt cœlestibus præponeret. Noctu in capitulo lumen videt, accedit ut extinguat: & ecce videre sibi videtur se illic jussu sedentis Cænobiarchæ (deprehensum est, non illum, sed Dei Angelum, vel aliquem ex immortalibus fuisse) nudato dorso horrendè concisum flagellis, exprobrata priùs illâ desidiâ in divinis, diligentiâ interrenis. Adeò laceratus repertus est manè, ut nudata carne ossa elucerent è medijs frustatim pendentis hinc átque inde carnis frustis. Ita illi semper menti sedit illa quâ præponenda esse æterna terrenis illi dicebatur exprobratio. Tu flagellatum Christum roga, ut te ab his expediat, aliàs congregata sunt super te flagella, & ignoraſti.

*Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 28.* ajt debere nos esse expeditos ab impedimentis vitæ hujus lacinioſæ, & implicitæ. Excute quicquid te impedit à vita æterna. Ea cura quæ semper proderunt.

6 S. Udalricus Ep. Augustanus ante mortem, strato ante Cruci affixi simulacrum tapeti aurum omne, & quicquid habebat imposuit, & uberes lachrymas ac preces prolixè fudit. Et suspirans, *Ah!* inquit *quid mihi hæc?* Ita Præpositio accito illa omnia in sitientem, esurientem, & nudum in paupere plebeculâ Christum ut dispertiretur jussit. Ita eleemosynarius ille mercator Homobonus (*vid. Sur. 13. Nov.*) uxore ne quicquam contra nitente, liberalissimus in egenos, ut esse liberalior posset, adjutus miraculis est, quando illius promus in capsa non magnâ maximam panis copiam; in fonte vinum reperit. Nocte intempestâ templum ingredi ut posset ad orandum, Angelos habuit ædituos janitores. átque inter orandum jam ante Crucifixi, jam ante Virginis Crucifixi Matris effigiem piâ & felici alternatione jacuit humi. Denique in templo dum *Gloria in excelsis Deo* caneretur, ad notos Crucifixi pedes abjectum Homobonum, anima, seu vita deseruit.

7. Philippa Lotharingiæ Dux moriens (de qua aliàs) inter alia quæ supremùm ægra manu propriâ scripta sancta animi sui sensa reliquit, fuit hoc. *Nihil magnum, nihil sublime, nihil jucundum, nihil gratum reputa, præter solum Deum, & quod ex DEO venit: cætera in universum omnia, & creaturarum quæcúnque, & quantacúnque solatia pro nihilo duces, tanquam vanissima, & in quibus efficacia aut valoris penitus sit nihil.*

*Anima quæ amat Deum contemnit omnia quæ sub DEO sunt.*

*Sola animi consolatio Deus est incomprehensibilis & æternus, qui implet omnia.*

Qua

*Quæ cruciant & molesta sunt ea cessant aliquando & cum tempore desluunt. Animus amans Deum omni thesauro excellentior.* Ita illa.

Ecce Crucifixum Pastorem, Ecce Episcopum animarum nostrarum, spiritum oris nostri. Omnia infra illum despicienda sunt quicquid Deus non est, minus illo est. Ille propter te despexit omnia úsque ad nuditatem, omnia úsque ad mortem, omnia úsque ad mortem crucis. Imò & se ipsum despexit in tui gratiam, ut te in gratiam poneret, quando exinanivit semetipsum adeò, ut se vermem diceret, non hominem. Utinam te humi non affigant ista, quæ humi jacent, velut clavi. Ita *Judic.* 4. Sisaram clavo per tempora adacto úsque ad cerebrum, terræ, mortíque affixit Iahel. At clavum illum clavo pedum Iesu excute, córque sub Iesu pedes, defluente inde sancto sanguine abluendum, affige. Felix qui cum illo Sophronij, *prati cap.* 98. Anachoreta se Christo potest cœlóque affigere. Ille enim hoc de se testæ inscripsit moriens: *Nunquam in opere Dei, vel cùm constituris horis psallerem, animam terræ affixam habui.* Neglige ergo ista præ Crucifixo Deo. Ita ille te non negliget.

## HEBDOMADA XXXI.

*Quinque sensus externi unà cum internis omnibus in quinque Christi vulneribus erudiendi.*

1.

POrphyrogenitum te esse memento à purpura Crucifixi, in qua renatus es ad vitam. *Huc oculos, huc ergo manus, huc ora teneto, Os humerósque DEO* Iesu purpurato *simile.* S. Petrus Damiani *opusc.* 50. *cap.* 2. Foramina petræ vulnera sunt Redemptoris, quæ profectò non casu quinque sunt, lanceæ scilicet, & clavorum; sed *quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati*, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti. B. Magdalena de Pazzis, *vita par.* 2. *cap.* 4. in cubiculum divinitus vocata, versis in Crucifixum oculis eo situ se collocavit quo S. Franciscus cùm stigmata reciperet; & grandi sensu quinquies hæc verba iteravit: *Absconde me in vulneribus humanitatis tuæ!* vidénsque Christum, sensus suos collocavit in sensibus Christi mortui, dicebátque Latinè:

*Oculi mei maneant in oculis misericordiæ tuæ.*

*Aures meæ in auribus tuis; ut intelligant & comprehendant vocem sponsi mei.*

*Os meum in ore tuo; ut os meum loquatur quod mecum sponsus loquitur.*

*Pectus meum in pectore tuo, dilecte mi &c.*

Tum vidit è Crucifixi facie cadere guttas sanguineas in copia usque ad terram, & repetebat *ô amor, ô amor.*

2. S. Gertrudis Virgo (*Insin. div. lib.* 1. *cap.* 7.) si quis arguendus esset, magno desiderio pietatis & gratiâ sapientiæ ac discretionis formabat verba, *utpote, quæ linguam suam antè in sanguine dilecti sui tinxerat.* Tinge illic locuturus linguam cum Gertrude. Tinge illic

manus cum Thoma. id est, quicquid loquendum, vel attingendum est sensu quocúnque, primùm illuc oculi, illuc aures, illuc omnia mittenda sunt. *Cap.* 8. docetur eadem S. Gertrudis à Christo, ut loquutura, *imprimat cordi suo salutiferum signum crucis: & antequam loquatur, vel uno verbo nomen IESU exprimat.* Eadem vicina jam æternitati in lectulo mortuali: *insin. lib.* 5. *cap.* 13. ad Crucifixum. *In ardore amoris illius*, inquit, *quo Patri spiritum tuum cum clamore valida commendasti, commendo tibi omnes motus pedum meorū; similiter oculos, manus, aures, cor, os, totúmque corpus.*

3. M. Marcellus Consul, adeò omnes animi & corporis sensus ad unam de suscipiendo cum Annibale, quod efflictim desiderabat, bello transtulerat & collegerat cogitationem, ut sæpè etiam in somno, id quod Plutarch. meminit in Marcello singulari certamine sibi cum illo congredi videretur:

Collige sensus in Iesu. *Beati* sunt *oculi*, illum videndo, beatæ *aures* illum audiendo. *odor* verò Crucifixi filij Dei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. *gustari* autem potest in sanctissimo Sacramento, quod est memoriale Crucifixi, *Tange* illum: virtus de illo exit, & sanat omnes. Abulensi *apud. Delrium* disquis. lib. 3. p. 1 q. 3 *fascinari* idem *est* quod *oculo percuti.* Illecebrosissimus affectuum leno est oculus. serva illum domi, fascinetur fascino sacrosancto, *percutiatur oculo Domini* Iesu, qui Petrum percussit. Percutiet, & sanabit.

4. Lutherus *comm. in ep. ad Galat. cap.* 3. ut citat Geuelmannus apud eit. Delrium sect. 2. pag. 391. *Sumus autem*, inquit, *nos omnes corporibus & rebus subjecti diabolo, & hospites summi in mundo cujus ipse Princeps, ac DEVS est. Ideò panis quem edimus, potus quem bibimus, vestes quibus utimur, imò aër, & totum quo vivimus in carne, sub ipsius imperio est.*

Absit hoc imperium à me, à te, à nobis, quorum Imperator est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, & Rex seculorum immortalis. illi locum in quo habitas, illi panem quem edis, illi potum quem bibis, vestes quibus uteris, aërem, & totum quo vivis in carne & spiritu, illi in illius nomine & honore omnia faciendo plenè dedica, illius sanguine ut purpuretur tinge. Sensus, Deo, non dæmoni da.

5. Quod S. Bonaventuræ cum oculis factum, id tibi pro oculis auribus, & sensibus omnibus ut contingat pete: ô sacratissima, amantissima, dulcissima vulnera Iesu Christi, inquit ille, *Stimulo amoris cap.* 1. Nam cùm quadam vice ea oculis meis subintrarem apertis, protinùs vivo & tepenti sanguine oculi mei fuerunt repleti; sicque, ut nihil videns, cœpi ire manu palpans, donec perveni ad intima suæ ineffabilis charitatis, quibus undique circumplexis reverti nequivi, ideóque ibi habito, ibi quiesco, & quibus vescitur cibis pascor, ibique delectabiliter inebrior suo potu. Ibi totus ardeo amoris fervore; ibi totus perfundor jucunditatis dulcore; ibi simpliciter fruor abundantiâ omnis boni in tantum, ut jam nesciam, nec aliquomodo valeam, vel superficialiter explicare. Felices sensus, qui sancto Christi sanguine adeò

im-

implentur, qui profunda illa Christi vulnera, fortunatas amoris cavernas, vere sensuum nostrorum Gymnasia, ita ingrediuntur, ut se illic perdant apud Magistrum amoris in abysso dulcissimæ amaritudinis, Crucifixum.

# HEBDOMADA XXXII.

## *Crucifixus singulari interprecandum attentione colendus.*

1.

DE P. Didaco Martinez Soc. Iesu, processus, & testimonia testantur, illū in Oppido S Crucis in Regno Peruano coram Cruce orantem, collucentibus undequáque luminibus radiare visum. Aliàs verò noctu orantis P. Didaci capiti, visa est columna lucida imminere, ipso etiam sæpè inter orandum super procerarum arborum altitudinem & crucis altæ fastigium elevato, multâ igneáque luce coruscare viso à spectatoribus Indis.

2. *Rodriqu. p. 1. tract 5 cap. 24. ex Cæsario* refert, quendam inter orandum sæpè in somnum labi solitum, cùm ita vice quadam, cùm orandū esset, dormiret, Crucifixum Iesum se illi conspicuum dedisse, & aversâ ab illo facie dixisse: *Quia lentus ac piger es, non mereris videre faciam meam* Alium etiam dormientem, ab eo qui super altare erat Christi Cruci affixi simulacro ab ara ad dormientem descendente, tam horribili alapâ percussum, ut non nisi triduo supervixerit.

3. Tu faciem Crucifixi orans quære. Ita S. Petro Cœlestino psallenti, cum illo psallens adfuit Crucifixus Jesus. *Vid. Sur. 29. Maij.* Ioannes de Firmo, ut est *Conformitatum l. 1. p. 2.* septennis etiamnum puer clam se è puerorum consortio subducebat, ut attentiſimá quàm posset mente in agro paterno Christum passum meditaretur, id quod adeo seriò faciebat, ut lachrymis pleni Ioannis cor parvulum deficere & in Crucifixi amoribus tabescere videretur. Hinc fluentes per dorsum sanguinis innocentis rivi, & frequens è consutis circa collum, totúmque corpusculum urticis cilicium. Ita totus orabat D. Franciscus, de quo S. Bonav. vitæ c. 13. *Cùm* inquit, *Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in DEVM*, stigmata Crucifixi illi impressa sunt. Hi sunt amoris typographi typi! Ita ora.

# HEBDOMADA XXXIII.

## *Crucifixo placere si vis, aleas, & similes illis lusus, fuge.*

1.

BRedenbachius *coll. lib. 3 cap. 13.* duos Budæ aleatores, alterum in Christi, alterum in diaboli nomine lusisse ait. Perdidit & nummos & vestes is, qui nequitiæ suæ fautorem habere non poterat Deum. Ergo domum per cæmeterium redux, Crucifixi fronti saxum desperatus illisit. Hæsit illic saxum, & fluxit prodigiosus sanguis. Lanius po-

da-

dagricus senex tertiò in somno monitus ut correpto cultro eum, quem in cœmeterio deprehenderet, occideret, fecit. imperata, cùm tamen antea per morbum illi pedem ne quidem figere humi licuerit. Occidit impium. Iudici rem ubi retulit manè, & Crucifixus cruentus à vulnere, & cadaver illic repertum, quod in conspectu omnium, charam prædam, inimici Crucis Christi dæmones rapuere. Ita ille dum omnia in lusu perdidit, seipsum etiam perdendo, infernum lucratus est.

2. Meliore successu, quia conversus ad frugem, monitus est is de quo *Ioseph. Ballardinus prati floridi p. 1, c. 11.* Is omnia sua ludendo postquam perdidit, vesperi œstro furiali percitus arcum corripuit, sagittam in Cœlum, quasi Deum læsurus (heu scelus) jecit. At hem sagittam è cœlo reducem vidit ante se cecidisse cruentam. Illâ ille sagittâ adeò corde toto confixus est, & à luce sagittæ illius illustratus, ut non tantùm ab invisо illo Divinæ Majestati lusu cessaverit, verùm seriò se ad illam, quam etiam assecutus dicitur, accinxerit sanctitatem.

3. *Ex literis original. Anni* 1392. Willisaviæ lusor Udalricus Schroeter, cùm omnia perderet, gladium strictum mensæ imposuit, blasphemis planè verbis Christo minatus, si semel adhuc perderet. Perdidit. ergò ante portam, ubi ludebatur, in cœlum iratus inter mille blasphemias vibravit gladium, & ecce quinque guttæ sanguinis in mensam lusoriam per modum crucis cecidere. Adsunt duo nigerrimi (horrendum!) dæmones, qui uncis suis lusorem illum correptum, in sylvam, & ad infelicissimam æternitatem abripiunt. Sanguis ablui non potest à colluforibus. Contendunt! & alter eorum confoditur, tertius post longa tormenta pœnitentiam agens jacet ad portam totus pure ac putredine plenus; qui miserè demùm extinctus est. sanguis excinditur, templo infertur solenniter. In loco lusûs sacellum, tria altaria erecta. Ibi mira. Ergo ut ad Crucifixum accedas, & Crucifixus ad te, *aleas* & quicquid est lusuum impiorum, *fuge*. Ita infernum fugies, & appropinquabis cœlo.

---

# HEBDOMADA XXXIV.

*Ad Crucifixum, ut ad asylum, spe vivâ plenus recurre cum premeris.*

1.

DIxi de hoc *hebd. II.* sed profundè imprimendum est punctum istud, & sæpius repetendum, ut penitus imbibatur. Miles ad cœnobium quoddam S. Ioannis Baptistæ, asyli gratiâ, confugerat, ubi Monachi Acœmetarum seu Insomnium nomen habuêre, eò quòd tripartito sibi invicem ordine succedentes, nullam diei, nullam noctis partem à perpetuis Dei laudibus vacuam reliquerint. Ad hunc inde extrahendum missi ab Ardaburio Arriano Duce milites, *fulguribus ex imagine apparêtis infausti ingressu monasterij Crucifixi procedentibus*, mirabiliter repulsi sunt. Ita Spondanus Anno Christi 466. Sub hujus ergò præsidium abi dum ab hostibus quibuscún-

cúnque seu domi seu foris infestaris. Crucifixus IESUS fulgurabit coruscationes suas, & dissipabit eos; te verò colliget in sinum suum.

2. Ita apud Nierem. de mir. nat. Eur. lib. 1. c. 14. in oppido Santaren cùm testem alium promissi à juvene sibi matrimonij non haberet puella Sponsa, Sponsum ad Crucifixum, nuptiarum fidejussorem duxit. promisit illic puellæ nuptias adolescens; at fidem postea fefellit. Puella rem coram Magistratu dum agit, omnes ad Crucifixum testem omni exceptione majorem, ad templum ducit. Crucifixum, ut sibi in angustijs his positæ suo testimonio succurrat, rogat. Interrogat Crucifixum, verúmne esset, juvenem illum sibi obstrictum? *Annuit Crucifixus, utráque manu revulsâ è clavis Crucis. Hoc eodem habitu hactenus perseverans, magnâ omnium religione, & pietate colitur.* Vide quàm bene ad asylum nostrum recurris, dum quacunque demum hominum vel dæmonum arte vel fraude premeris.

3. Ita nescio quid amarissimæ infamiæ patienti B. Henrico Susoni (ut est *in vita* 25. *Ianuar.*) alatum in cruce Seraphinum indutus Christus, ut pessimam illam linguæ maledicentiam corde innocente libenter toleraret in gratiam innocentissimi Crucifixi, docuit, & permovit.

4. S. Brigitta decennis Crucifixum cruciatus suos ostendentem, & dicentem se ab ijs, qui charitatem suam negligunt, ita tractari, vidit. Duodecim postea annos natæ apparuit cum coætaneis ludenti centum manibus, & centum pedibus instructus dæmon: At illâ ad notum per preces asylum convolante, dixit centimanus & centipes dæmon: *Nihil possum, nisi permittat Crucifixus.* Surius (in vita.) Quantumvis ergo centum te vijs, per centum homines quasi per totidem suas manus & pedes impetat, in omnes tibi nocendi artes intentus gigas ille dæmon, tu tamen illum ut nanum contemnes, si Crucifixo valde seriò adhæseris. Ita Apamæos contra Chosroem Persarum Regem animavit crux igneo splendore collucens, ut Evagrius *lib. 4. cap. 25.* author est: ita te contra dæmonem animabit.

Audi alloquentem te *Medit. cap. 1.* S. Anselmum Cantuarien. Archiep. & molestissima quæ pateris disce & ferre, & excutere. Anima Christiana, inquit ille, anima de gravi morte resuscitata, anima de misera servitute Christi sanguine redempta, & liberata! excita mentem tuam, memento resuscitationis tuæ, recogita redemptionem, & liberationem tuam, *excute fastidium tuum fac vim cordi tuo.*

---

# HEBDOMADA XXXV.

## *Christo conformis ut sis, patere libenter.*

1.

IMago Crucifixi est is, qui libenter patitur. Drogo hom. 1. de Pass. cap. 14. Bibl. PP. *Fecisti, Domine, de corpore tuo speculum animæ meæ!* Fac & tu de tuo corpore dum in corpore quid pi-

am pateris, de tuo animo dum in animo quidpiam pateris ſpeculum Crucifixi. S. Eliſabethæ Regis Ungariæ filiæ, Sponſæ ſuæ, Ludovicus Thuringiæ Princeps, poſtea quàm illam ſibi præ monte aureo charam dixit, pretioſum & arte & pretio, ſed geminum, ſpeculum miſit; cujus pars altera, ſpectantis reddebat in ſpeculo terſiſſimo effigiem, altera imaginem Crucifixi. O ita eſſent omnia ſpecula! eſſent ſpicula cordium puriorum.

S. Eulalia annos tantum nata duodecim ultrò ſe Tyranno ſtitit. Stetit inter & poſt tormenta deteſtandæ crudelitatis innocens victima, corpus tenerum poſt pectines ferreos hiantibus undique vulneribus, nullâ ſui parte jam candidum, quia dilaniatum, & virgineo ſanguine coopertum. Exultabat tamen lætus, & in Crucifixi DEI IESU aſpectum defixus triumphans è parvulo laceróque corpore animus, & *Nunc*, ajebat, *ó mi Sponſe & Redemptor, quàm benè reſplendet in me per iſta vulnera viva imago tui! Characteres iſti in corpore meo per ſanguinem meum exarati, quàm ad vivum mihi exprimunt & repræſentant ipſam Paſſionem tuam!* Felix imago Crucifixi DEI IESU, Eulalia! Ecce in charta virgine imago IESU! Igni injecta dicitur tripudiaſſe in flammis, & nenobis Catonis filiam objicerent annales Ethnici, ore avido flammas hauſiſſe. Ita felix Eulaliæ anima lacerum corpuſculum in igne deſeruit, quando ipſo id ſpectante, & vi ſpectaculi illius ad Chriſtum converſo carnifice, volatu placidiſſimo, candidulæ inſtar columbulæ, ſe cœlis intulit. Cœleſti nimirùm ornandæ domui tam pretioſis purpurata coloribus Dei Ieſu imago debebatur.

2. An non viva Crucifixi imago fuit amplius pati ſemper petens Xaverius, & Crucifixus an non velut imago fuit Xaverij, quando, ut in ejus vita lib. 6. c. 4. & elogio eſt, laborante Xaverio in India, & gravius quidpiam patiente, in Europæa Xaveriorũ domo toto corpore ſudavit toties illachrymans Crucifixus, quoties acerbius quidpiam ſubibat in India Crucifixi Apoſtolus Xaverius? Imago Chriſti eſſe ſi vis, non debes eſſe abſque ſpinis, abſque vulneribus, abſque ſanguine. Si es; non es imago Crucifixi. Ajunt Biſnagam Indiæ Regem è roſarum tributo, quinquaginta aureorum ſcutorum millia collegiſſe. Plus tu è ſpinis IESU, ex ijs quæ pateris, colliges theſaurorum, quàm ille è roſis collegerit.

3. Ribera authore, *vita lib. 4. cap. 17.* S. Thereſiæ ſitim hanc hac arte accendit Chriſtus: *Ille* ajebat, *Patri meo cœleſti omnium eſt chariſſimus, qui quàm plurimis maximisque afflictionibus exercetur. Et vide, filia mea, vide & animitus perpende vulnera mea, & fatere quã nulli tui dolores cum meis vel conferri poſſint.* Quibus illa verbis adeò ardentem avidámque patiendi famem ſitímque concepit, ut ſemper deſideraret *aut pati, aut* ſi illud nollet Deus, *mori.* Et verò hæc ipſa fames ac ſitis, æternæ indelicijs cœli ſaturitatis argumentum eſt, ſicut apud Abbatem Bloſium de conſol. puſill. Sanctiſſimæ Gertrudi Virgini dictum: *ſicut annulus ſignum eſt deſponſationis: ſic adverſitas tam corporalis, quàm ſpiritualis, quæ patienter propter DEVM ſuſtinetur, certiſſimum ſignum eſt electionis divinæ, & quaſi deſponſatio animæ*

*ma cum DEO.* Quanta verò Xaverij, pati semper, & pati, esurientis ac sitientis vox illa est. *Domine ne auferas à me hanc crucem, nisi des majorem?*

4. P. Balthasar Alvarez *Vitæ cap.* 28. quoscúnque afflictos videbat, repetebat frequenter hæc verba: *Arboris Sanctæ Crucis nec folium permittere debemus decidere in terram.*

S. Bernardo, mellifluo illi amaritudinum Christi & myrrhæ fasciculi contemplatori, petenti aliquando à Christo ardenter, quomodo Christo suo maximè conformis esse, & illa tanta passo compati posset, Dominicâ quadam passionis in suavi extatici amoris deliquio, onustus Cruce Christus, quasi gravem dorso Crucem operosè ad montem Calvariæ bajularet, se ostendit. Lachrimanti ad miserabile spectaculum Bernardo accidit vox ad aures: *Mi Bernarde, juva me qui tanta pro te patior.* Accurrit Bernardus, Christum in ferenda cruce adjuturus: Et, *patere* inquit, *Domine, ut patiar.* Ajunt Bernardum tunc inter reliqua audisse à Christo: qui mecum crucem bajulare vult, oret per annum totum quotidie decies & quinquies Pater & Ave. ita numerũ vulnerum meorum implebit. *Vide Psalterij Monac. Dilingæ Anno* 1640. *Germ. impress. §.* 3. *pag* 75. Tu sive hoc, sive aliud quid in Christi passi reverentiam, ora quotidie. Oratio enim fervens erit tibi cotis instar, ut te ad patiendum acuat, & præparet ad bajulandas crucis, quæ inter patiendum quot horis ferè humeris tuis vel ab alijs, vel à te imponentur, particulas. *Si centum annis*, inquit Beatus Henricus Suso, & cum eo plures alij, *& flexis genibus Deum oremus, non sumus digni, ut crucem unicam accipiamus.*

# HEBDOMADA XXXVI.

## *Exaltandæ Sanctissimæ Crucis gloriæ esto studiosissimus.*

1

RUdolpho Austriaco jam coronato, cùm sceptrum (quod ad accipiendũ à S. R. Imperij Principibus fidelitatis sacramentum necessarium erat) deesset, ut illud manu contingerent atque ita jurarent, nobilius reperit sceptrum Rudolphus: nam crucem ardenti manu arripuit, dixit: *Ecce signũ, in quo nos, & totus mundus redemptus est: Et hoc signo utamur loco sceptri.* Ita Crucifixo Christo fixit osculũ; & cruce contactâ Rudolpho sacramentũ Principes, cruce loco sceptri usi præstitêre. Ita *Annal. Ecc. t.* 13. *Anno.* 1274. *n.* 12.

2 Apud Thomã à Kempis, Florentij Sacerdotis domus, ad quam frequentes confluebant ad meditandũ Crucifixum, visa est à Tyrone illius instituti discipulo, cùm omnia convellens & exitium intentans omnibus tempestas desæviret, cœlesti luce perfusa; ad quam, velut ad asylum, sibi per quietem recurrere visus est tyro Crucifixi. In effusi è cœlo splendoris medio radiantem vidit pulcherrimi effigiem Crucifixi, ad quam cum admirabili reverentiæ significatione elevata, & suo iterum loco restituta est domus Florentij Crucifixo meditando de-

vota. Tum demum ad ipsam domûs portam se demisit effigies Crucifixi. Ingredere, Lector! Eleva domum tuam universam ad Crucifixi cultum: & ad te domúmque tuam contra omnes tempestates protegendam se demittet Crucifixus Deus.

3. *Annus S. I, Anno* 1587. in Peru ajunt Crucifixi gloriam ab Indorum Principe apud subditos propagatam uno torvo Crucifixi intuitu. Acceptum è manu Indi Christiani Crucifixum contemplatus Princeps, admirabatur illum esse, quo authore Christiani Ingas, & Peruanum Regnum subegissent, cùm totus cruciatibus enectus esset exanimis. Ideò jacto in Crucifixum per summam impijssimámque impudentiam sputo, illum Indo reddidit. Sed Crucifixi effigies in omnium oculis caput à sinistro latere in dextrum torquens, torvis oculis in Principem aliósque horrendùm tuentibus, omnes humi terrore stratos afflixit, uno, qui Crucifixum tenebat, Indo Christiano tantùm excepto. Tres totas horas tenuit inusitatum horrendúmque humi jacentium spectaculum, ad funestam Urbis & oculorum collachrymantium, ac mœrore trementium saturitatem. Sibi tandem, ac saniori menti restitutus cum suis Princeps, humi se, ubi tam diu jacuerat, reperit, & in pedes colligit, ac exclamat: *Verè magnus es Christianorum DEVS!* & sub certissimâ capitis pœnâ suis omnibus singulísque, quaquaversum dominabatur, prohibuit, ne contra Christianorum Deum blasphemum os aperire ullus auderet; simúlque sacellum juxta palatium Crucifixo extruxit, & potentissimum illum suorum hostium, unico aspectu triumphatorem illic colendum collocavit.

4 S. Aug. in. tit. Ps. 42, ait illos qui alijs olim præerant, vocatos à Davide *Filios Core, id est, filios passionis Christi, filios Crucis, portantes in fronte quod inimici in loco Calvariæ fixerunt.* Ita & te præesse oportet alijs, ut sis filius Core filius passionis, Crucis, Crucifixi. S. Aug. *Idem* Civ. c. 2. ait *Spinarũ Deũ* habuisse Romanos. nobis verè Christus Deus noster est spinarum Deus. Ille spinas honoravit, quando illis subjecit volens caput, honoravit Crucem quando illam ornavit seipso, factus illi dulce & pretiosum pondus. Honora ergo & tu, si honorari à tuis, imò à Deo, vis, honoratam adeò à Deo tu Crucem, spinas.

# HEBDOMADA XXXVII.

## *Crebrò & sanctè confitere.*

1.

S. Brigitta, ut habet *Blos. Monil. cap.* 5. & Sur. in Iul. cùm defuncti sui mariti animam in expiatorijs flammis videret, non tam quid, quàm ubi pateretur attendit: unde tæta; *O felix anima* inquit, *quid tibi præcipuè profuit ad salutem? Confessio mea*, respondit mariti anima, *quam sextis feriis facere solitus sum cum firmo emendationis proposito.* Et quidem ad frequentationem Sacramentorum Birgittam ita exhortatus est Christus, ut illi diceret, eum qui Dei spiritum & gratiam retinere voluerit, rem-

val-

valde utilem facturum, si suam coram Sacerdote sæpè conscientiam expiârit. Fecit id ipsa, fecit id universa ferè illius familia, & quidem sextâ id est Crucifixo sacrâ hebdomadæ feriâ. Fecit id Brigittæ Pater, qui dicebat: *Ita me feriâ sextâ comparare volo ad Deum, ut quicquid cæteris diebus ille mihi præstiterit, ferre æquo animo possim.* id est afflictiones. Fecit & maritus, fecit denique id illius etiam filius, & pro devotionis auctario addidit, ut flagellati Iesu memoriam, susceptâ post confessionem acri sui diverberatione, quavis sextâ feriâ renovaret.

2. B. Franciscæ Romana ut se quàm mundissimam servaret, ter quot hebdomadis distinctissimè, subtilissimèque confitebatur de intimis & minimis quibúsque exactâ conscientiæ scientiâ examinatis, ut Iul. Ursinus vitæ ejus lib. 1. est testis. Ita munda videre meruit, id quod idem *lib. 3. cap. 6.* narrat, humanitatem Filij Dei cum quinq; lucentissimis vulneribus, quasi quinque soles, & audire ea, quæ non nisi purgatis auribus audiri debent.

3. S Ambrosius lib 4. in Luc. cap. 5, *Pretium immortalitatis est nobis nostra confessio.* Eme ergo ab immortali Iesu frequenti confessione beatam immortalitatem, quam puris cordibus emit Crucifixus Iesus, cujus Cruci, velut bilanci, tua in confessione peccata impone. *Spinell. throni c. 30. n. 11.* refert à Beatissima Virgine guttulam è Christi sanguine lanci impositam, ad salvandum clientem devotum sibi. Plus ponderis habuit gutta illa, quàm omne peccatorum pondus.

4. Gregorius Turon. l. 1. de gloria MM. pretiosam admirabili margaritâ insertâ Crucem refert. Illam qui aspicit, si, absque ullo lethalis noxæ nævo, sit justus, splendido & puro quodam fulgore coruscat; si sceleri cuipiam, etiam uni, sit obnoxius, nubila, obscura, nigrâ apparet. Talis reprobis, immundis apparebit irati facies Iudicis cum cruce in decretorio supremi tribunalis die. Contra verò amicis crucis Christi, mundis corde, amabilis super omne, quod amari potest, apparebit dulcissimi facies Servatoris. S. Ioannes Chrysost. hom. 20 in Matt. immundi cordis hominem alloquens, *contra te,* inquit, *parebit Christus, sua vulnera contra te allegabit: clavi de te conquerentur, cicatrices contra te loquentur: Crux Christi contra te perorabit.* Miserere ergo tui, & munda te, ut te videndo Deo præpares. Bern. serm. 4. de cæna Domini: *Funde lachrymas ad Crucifixum, te salvare paratus est, qui pro te talia passus est.*

5. A fide dignissimo Perillustri quodam Barone suamet edocto experientiâ (quam tamen nemo sanæ mentis laudare ausit) habetur, esse in quadam, quæ *Viventium* dicitur *Insula* celeberrimam crucem. Illam se facili amplexu complexum dixit Baro, cùm tamen procerus quidam, qui cum illo erat vir, facere id non posset. Audivit Baro nullius mortali peccato fædari amplexum admittere crucem illam: id quod dũ temerariâ curiositate experiri vult dictus Baro, librum furatur; accedit, & Crucem amplecti, ita ut aliàs poterat, non potest. Hæc ipse de se. Vide quàm non amet immundi à peccato graviore cordis homines, mundissimus Crucifixus l

Cave ne te ab æternis illius amplexibus aliquod scelus in corde reconditum prohibeat æternum!

# HEBDOMADA XXXVIII.

## *Neminem judica.*

1.

*Vitæ PP. lib. 10. cap. 65.* Stephanum Presb. virum optimum dum videret carnes, cum bonâ eorum quorum intererat, veniâ ob profligatam valetudinem, manducantem is qui ad eum invisendum venerat frater germanus; eo percussus spectaculo, volvebat, non tamen prodebat, plenas scandali cogitationes. Tum vocem è cœlo audijt, quâ monebatur, ut in fratre suo necessitatis & obedientiæ imperijs coacto, ideóque carnes manducante, ne quid scandali pateretur: Cæterùm si illius quem ita corde judicasset merita, & gloriam videre percuperet, oculos ad spectaculum cœleste benè adjiceret. Convertit ille attonitus oculos; & ecce vidit judicatum à se Fratrem illum suum una cum Iesu Crucifixo crucifixum. Tum illi monitor Angelus: *Ecce in qua gloria Frater tuus est?*

2. Relinque judicium venturo cum cruce vivorum & mortuorum judici, qui Matth: 7. dixit: *Nolite judicare ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Excusare si planè non possis, Bernardum consule, qui serm. 3. de Resur, Quia, inquit, exemplum efficacius persuadet, altiùs imprimit animo, *mitto vos ad Sanctum illum senem, qui cum audisset peccare unum ex fratribus, amarissimè flebat, ino quiens: Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas, quia non compassus sit fratri?*

3. Recordare te Christianum. Ungari Christianos ducto à Cruce vocabulo vocant à Cruce; Tertullianus, ut notatum alibi est, Christianos olim *Religiosos Crucis* appellatos ait. Christiane! *Religiose Crucis!* Omne judicium Pater dedit filio, id est; Crucifixo. Cave involes in jus Iesu. Totum illi jus religiosissimè serva. veniet ille cum Cruce ad judicandum etiam judices aliorum.

# HEBDOMADA XXXIX.

## *Erga res sacras liberalem te si exhibueris, experiêre liberalitatem Crucifixi.*

1.

Ap. Sanchez *lib 7. cap 4.* Aurifabro aurum pro Crucifixo inde devotioni domesticæ effingendo dederat vir nobilis. Delectavit illâ suâ liberalitate è melioribus aurifabri ministris unum quempiam, quòd adeò pretiosus illi esset Crucifixus, ut simulacrum illius ex auro sibi fieri vellet. Ergò liberalitatem pro suo modo imitatus, ut & ipse aliquam liberalis illius sanctitatis particulam consequeretur, unum è suo etiam aureum addidit, & Crucifixum affabrè perfectum nobili viro dedit. qui ubi majus in Crucifixo, quàm in auro quod dederat pondus deprehendit, id quod fieri aliàs assolet, suspicatus, indignari & suppositium quidpiam illic metal-

metalli subesse quæstus est. Aurifaber ille in quæstionē vocatus, id quod erat, secreto fassus, tantum uno illo aureo sibi viri illius nobilis amorem & æstimationē emit, ut cùm prole careret vir nobilis, hunc sibi auri omnis, ac totius assis ex toto hæredem elegerit, fecerítq;.

2. Esto in Crucifixum liberalis. In Crucifixi manu est, eam quam liberalissimè fuso sacratissimi sui sanguinis pretio emit, tibi dare (1. *Pet.* 1.) *hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcescibilem.*

Tempus, *nunc volans* dicitur, æternitas *nunc stans* ut est *apud Lessium de æternitate DEI cap.* 3. Da nunc illa mobilia liberaliter, quæ ultra *nunc volans* durare non possunt, & tunc dabit tibi bona illa stabilia Crucifixus, quorum mensura non est *nunc volans*, verùm *nunc* æternùm *stans*. Illud ibi *nunc* quære *hic*, & *nunc*. Aurum quod pro te à captivitate æterna redimendo liberalissimâ munificentiâ profudit, fuit pretiosus sanguis. *Empti enim* sumus *pretio magno*. Quare Ambros. in Ps. 35. *Bonum*, inquit, *aurum est sanguis Christi, dives ad pretium. ad lavandum omne peccatum profluens*,

3. S. Procopij, (cui olim Niciæ nomen) historia refert, auream Procopij erga Crucifixum liberalitatem miraculo honoratam à DEO. Nam, ut ait *Cornel. à Lap. in c.* 12. *Danielis num.* 11. cùm Scythopoli aureā Crucē Dux ille illustris fabricari curaret, divinitus, absque aurifabri operâ, & scitu, tria insculpta sunt nomina. summo loco *Emmanuel*; inferiore verò, quasi alarum instar, vel brachiorum *Michael, Gabriel*. Lycurgi lex erat: *Nemini Lacedamoniorū beneficia de manu Principis, qui nulla dijs suis beneficia præstat, accipere fas est.*

4. Tiberius Christianus liberalissimè eleemosynarius Imp: non deerit, inquiebat, fisco nostro, tantùm pauperes eleemosynam accipiant, captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in seculo. *Vid Greg. Turon. hist. Gall. l.* 5. *c.* 39. *Baron. A. D.* 582. Neque parū liberalis in hunc fuit Crucifixus. Nam ut *Cornelius in c.* 9. 2. *ad Cor.* refert, cùm Tiberius Crucem in pavimento sculptam ex veneratione attolli juberet, ingentem sub ea reperit thesaurum, in quo erant plus quàm mille auri centenaria. Iterùm dabat. Iterùm in cisterna thesaurum Narsetis reperit argenti & auri adeò plenum, ut illi exhauriendo multi dies fuerint impendendi.

5. Si quod des non habeas, da cor amans. Impende toti IESU totum cor, sicut anima tua tota est in toto tuo corpore, & tota in quâlibet corporis tui parte; ita tota sit in omnibus Christi vulneribus, tota in quolibet. Tota in spinis, tota in oculis, tota in manibus, tota in pedibus, tota in corde. Ita liberalissimè impendes Crucifixo cor.

Verissimum est, & è divino planè tripode profectum illud apophthegma Sanctissimi S. I. parentis P. Ignatij: *In universum loquendo quantò aliquis se arctiùs Deo astrinxerit, & liberaliorem erga summam majestatem se præstiterit; tantò eum in se liberaliorem etiam experietur. & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias & dona spiritualia uberiora recipienda.*

AN-

# ANNI CRVCIFIXI DEI JESU,

## PARS QUARTA.

## HEBDOMADA XL.

### *Etiam æger Crucifixum cole.*

1.

SAnctus Porphyrius Hierosolymis adeò à pedibus æger, ut incedere prorsus non posset, non tamen omisit sacra loca visitare: ad quæ, quia pedibus ire non poterat, genibus repens, illa obibat quotidie. Id aliquando facienti ad sacri montis radicem, spectabilis apparuit cum felici latrone crucifixo Christus. Porphyrius toto accensus affectu, felicis latronis verbis compellat Christum, *Memento mei*, inquit, *Domine; cùm veneris in Regnum tuum.* Tum Christi jussu visus felix ille latro è cruce descendere, & Porphyrio primùm osculum dare, deinde illum ad Crucifixum adducere. At Christus venienti obvius, in Porphyrij amplexus ruit, & crucem suam ferre jussit; Tulit crucem Porphyrius, & retulit incolumitatem plenam. Deinde Sanctissimæ crucis custodiæ præfectus est; Sacerdos atque etiam Episcopus consecratus, & sanctissimæ (quod etiamnum in ore ferebat ac manibus) Crucis signo statuã Veneris prostravit & cœlum pluere docuit, & lapsos tres in puteum pueros cruce ubi munijt, salvos extraxit. Vid. Metaphr. 26. Febr. En quàm procul hic vel genibus repere potuit! Sana fuit illi mens in ægro corpore.

2. S. Ioannes Chrysost. h. 30 in Evang. *Nolite*, inquit *misericordiæ tempora perdere.* Etiam æger, quantum licet, lucrare concessum tibi ægritudinis, id est, misericordiæ tempus. Qui perdit tempora misericordiæ, perdet illum tem-

tempus justitiæ. Persas ajunt gratias Regi à quo jussi sunt flagellari, agere, eò quòd suorum habuisset memoriam. Tecum est cùm semper, tum verò in tribulatione, in morbi doloribus, ut te eripiat & glorificet memor tui semper Deus. Age illi gratias. Plut. in Lycurgo ait Spartanos pueros ad aram certamen instituisse flagellationis, quis plura possit vulnera sustinere. sanguis illis per os, dorsum, ventrem, viscera ibat; & tacebant fortissimè. Sæpe etiam verberibus immortui sunt. Et hoc pro gloria, pro exemplo. Habes in Jesu exemplar. Æternæ gloriæ pateris morbum hunc. A cœlo tibi datum est id quo pateris tempus; ut hac te morbi tui arte cœlum inferno eripiat. *Augerius Busbeq. ep. 3. legat. Turcicæ* refert, baculis adeò nonnunquam contusos Turcas, ut integras vitiatæ per verbera carnis libras excindere debuerint è partibus percussis. Lictori tamen pro singulis verberibus percussi solvebant, & illum cujus jussu percussi erant, adibant acturi gratias, & manus exosculabantur, *fustem* quo cæsi sunt *sacrum* habebant, credebántque *delapsum à cælo*. Age gratias illi, qui te hoc morbi verbere percussit Deo, & baculum hunc tuum consolatorem, morbum hunc tuum, è cœlo à Deo ita volente, ideò ad te delapsum crede, ut ne tu è terris delabaris in infernum, verùm ascendas in cœlum. Quantum ergò permittit fractum infirmitate corpus, in divinis obsequijs animo esto integro, & tantum absit ut demas de divinis aliquid, ut multùm etiam (si quidem id, eorum quorum interest judicio, possis,) addas.

1. Ergò discute tui tædia corporis, animi adamante. Dic etiam æger, & corpore languidus, ut animum ægro corpore fortiorem excites, cum Bonavent. stim. cap. 1. & simul oscula singulis morientis Iesu vulneribus toto ore ac corde imprime.

Dic ad primum osculum: *O vulnera, corda saxea vulnerantia!* Ad secundum: O vulnera, *mentes congelatas inflammantia!* Ad tertiũ: O vulnera, *pectora adamantina liquefacientia præ amore!* Ad quartum: O vulnera, *vita, dulcedo, & spes nostra!* Ad quintum: *O vulnera vulnerate, inflammate, liquefacite me DEO IESV.*

4. Jucundæ & teneræ narrationis loco esse potest id quod de P. Petro Iustinello Soc. I. qui Castilione Anno 1630, 31. Iulij decessit è vita, in ijs quæ de illo notata sunt punctis fertur. Hic unum nec amplius annum natus parvulus, gravi morbo affixus cunis, cùm supinos oculos in pendentis è muro Crucifixi servatoris effigiem defixisset, à matertera fæmineo, ut fit, affectu, non responsi extorquendi ergò rogatus, *quid intuere, fili?* Verbis bene pronunciatis disertè dixit ad aurium admirationem, *Intueor, etiam Dominum nostrum passum esse.* Intuere & tu, æger.

5 Ægro Alexandro Bertio Christi cruciatuum meditationi addictissimo adfuisse se, ajebat Beatiss. Virgo, & febribus æstuantem floribus aspersisse. Ipse etiam fassus est matri, videre se lectulo adstantem Dei Matrem, suósque æstus aurâ gratissimâ ab eâ temperari. Ad hauriendas amaras potiones, armabat sese Crucifixi meditatione, ejúsque legi jussâ passionis historiâ, *O IESV*,

ajebat, *calix tuus quantò amarior fuit?* Suspira ad IESUM æger, illo corde, illis suspirijs, quibus Fasciculi lib. 3. cap. 17. S. Bonav. *Scribe Domine, vulnera tua in corde meo pretioso sanguine tuo, ut legam in eis amorem tuum, ad contemnendum pro te omnem amorem; dolorem tuum, ad sustinendum pro te omnem dolorem!*

6. Philippa verò Lotharingiæ Dux, ut est in ejus vita Colon. 1604. impressa, ad primam & simplicem passi IESU memoriam in lachrymas resolvi solita, in atrocissimis doloribus nihil aliud loquebatur, quàm: *IESVS MARIA! ô potentia divina! O dulcis IESV, miserere mei!* Si ipsa non poterat, alienâ manu crucem sibi volebat in fronte formari, ejusdem quo sana ardebat fervoris retinentissima: & tunc ajebat: *O passio magna! ô profunda vulnera Christi!*

7. Catharina Genuensis inter summos dolores, & calores in crucis modum extensa, clamabat: *Bene veniat, benè veniat, hæc passio, & quodvis aliud tormentum à dulcissimo,* & iterùm, *dulcissimo Domino meo mihi elargitum. Sanctuar. Genua.*

8. *Martyr. Baronij. 5. Maij.* Iuttæ Pruthenæ Viduæ pauperibus intentæ, ideóque risui habitæ ab alijs, Christus apparuit, dixitque: Omnia mea tua sunt, & tua mea. Illa ergo ibat his excitata in omnia ardentior: & ægra ultimùm repetebat hæc sæpe iterans: *O quàm multùm prodest ad quævis á Deo impetranda, adversa valetudo, miseria & paupertas lata, his qui confidunt in Domino!* Christus cum Sanctis & Angelis ei adfuit, eámque sic invitavit: *Veni jam, ô famula mea, in Regnum meum!* Munita Sacramentis, post auditam legi ab Episcopo Passionem Christi, læta obijt.

9. Apprehende ergo Crucifixum, & defixis tenerè in illum oculis, dolores tuos illius amoribus doloribúsque commenda. Aspice lacerum illud vulneribus corpus, & fessum tuum tot morbis, tædijs, mæroribúsque corpusculum, & languoris nonnihil à corpore trahentem animum, multis magnísque oculorum & corporis totius cruciatibus pleni S. Francisci verbis affectúque commenda, & dic ad Crucifixum tuum: *Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis; teque mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas: cùm tua sancta voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena.*

# HEBDOMADA XLI.

## *In turbatis & perplexis rebus Crucifixus esto consultor tuus.*

1.

FRanciscus Bencius, ut habet *in Catal. Scriptorum S. I. P. Philipp. Alegambe,* in ipso gloriæ cursu, fortunâ illi & ingenio arridentibus, Romæ, cùm S. I. homines conspiceret, hæc illi identidem cogitatio subibat: *Et tu de illis eris.* Interim dum inter cogitationum velut maris accessus ac recessus hæret dubius, ad Matrem ægram revocatur do-

domum. Sed illam domi jam extinctam reperit. Ibat lachrymabunda illi Romanas illas inter cogitationes, & mœsta, ideóque insomnis nox. Ita lachrymabundo & secum quærenti Francisco, *quem habeat consolatorem? pulcherrima Christi è cruce effigies objicitur.* Ibi clamores, ibi lachrymæ; ibi se illi totum ex toto devovet, opémque implorat, primò quidem ardentiùs, at postea sensim remissiùs, cum illis nescio quæ cogitatæ spes velut frigidam affunderent fervoribus. Horam tenuit spectaculum, & æstuans inter tenebricosos animi fluctus altercatio, cùm aliæ ex alijs illi species etiam apparerent, omnésque ad cogitatum Religionis consilium incitarent. *Crucifixi interim species perstabat.* Ergo manè suis domi anxiæ suæ noctis adhortatorias & dehortatorias cogitationes & conflictiones narrat, & ait se jam pridem Soc: Iesu nomen daturum fuisse, nisi alienam ab illo fortè consilio Matris fuisset reveritus voluntatem. At fuit è cognatis quæpiam, quæ Matrem de Francisco suo idipsum ut faceret, non tantùm inoptatis, verùm & in ijs, quas ad Deum fundebat, precibus habuisse testata est. Adhuc pendebat animi? sed Romam æduc monenti Crucifixo acquievit, & in Soc. Iesu conquievit. Ecce portum consiliorum Crucifixum!

2. Conquievit tum demum etiam felix Virgo Osanna, in excelsis sibi esse visa, quando more suo quàm ardentissimè oranti Mantuanæ huic Virgini, Principatum suum, crucem suam, super humeros posuit Crucifixus, dulce lignum, dulce doloris & amoris pondus. Videbatur hic aperiri fons exundantium in Osannam posteà gratiarum. Hinc adeo familiaris facta est Angelis, ut illam veluti tripodem cœlestem, consciam futurorum summa in terris nomina consulerent: hinc adeò chara Angelorum Reginæ Virgini, & Regi Crucifixo, ut iste illam pretiosissimis illis redempti orbis characteribus signaret; Maria verò se Osannæ in edocendo Alphabeto Magistram daret, ac erudiret æternitati. Ita felix crucis bajula, & stigmatibus, quasi patentibus æternitatis, ut ita dicam, donationalibus donata, Anno M. D. V. *benedicta* discessit *in nomine Domini* & jam est *Osanna in excelsis.* Huc converte consilia tua.

3. In Laër Westphaliæ, ajunt Martyrum agrum virere semper, eundémque cùm aratur, esse sanguineum. Sis ager Martyris tui Iesu, usque ad sanguinem patere; semper tamen amœnâ lætáque sanctæ ac æterna sperantis spei in Crucifixo collocatæ viriditate ride, flore. Illuc consilia collige. Samnij in Italia è spina Christi florem nasci ferunt. Vide ut ex his Christi, quas pateris spinis, è rubo hoc tot perplexitatibus ardente, non tantùm incombustus exeas, id est, non tantùm nihil incommodi accipias, verùm etiam pretiosos, æterníque odoris flores legas. Ab oculato teste habemus, illam in Samnio, seu Aprutio spineæ Christi coronæ spinam quotannis die sacratissimæ Passionis in acie protuberare, efflorescéreque in gemmulam floris parvuli, quem carpunt, & maximis quibusque maximi muneris instar dant ij, quorum interest, utpote quasi è Christi sanguine crescentem florem. Patere nunc spinas, carpes flores. Sit tibi dum anxius inter-

consilia diversa inopi consilij, sive ab amicis, sive ab hostibus quidpiam pateris, aspice imaginem Crucifixi! quis est ille? Ibi congrega generosas cogitationes, & illas è prudentissimo, & altissimis imbuto principijs intellectu, seu capite, demitte in cor; & perrumpe quod obstat, quò minùs facias id, quod generosissimè statuisti. *Apud Gaguinum* in append. de Ludovico duodecimo Galliæ Rege, Sforcia Dux in summis difficillimisque rerum omnium angustijs dubius dum æstuat, generosam, quæ coràm aderat, Parentis sui Francisci videt imaginem. Et *Dive parens* inquit, *degeneres erimus? Hostis sine conflictu cedemus? Audendum potiùs.* Et in hostem paternis animatus animis, ut leo, irruit. Aude, irrue; plura, & acerbiora, majoráque pro te ausus est Christus, à cujus imagine, veluti propitio sidere, semper coram te posito, vide ut cœlestes influxus & generosissimas cogitationes ac resolutiones in te fluant. Sic ne cede malis, sed contra audentior ito, atque ardentior in executionem consiliorum sanctorum, & resolutionum à Deo haustarum.

# HEBDOMADA XLII.

## *Omnia opera tua tingenda sunt pretioso sanguine Crucifixi.*

1.

*In Horol. Princ. lib. 2. cap. 5.* sanguine conjugis se lavit amor, quando Panthea cæsum in prælio maritum ipsa quæsivit, quem cùm invenisset mortuum, (sperabat adhuc spirantem) illius sanguine corpus faciémque suam lavit, & acinace pectus feriens, virúmque amplexa, animam exhalavit: atq; ita eidem ambo tumulo sunt illati. Pretiosior erit vita tua, pretiosiora quæ cogitas, quæ loqueris, quæ agis omnia, pretiosa mors tua, si vitam & mortem tuam tinxeris occisi pro te in Amoris prælio Sponsi sanguinum Crucifixi.

2. S. Mechtildis Virgo *apud Carafam fascic. lib. 1, cap. 3.* à Magistro Crucifixo didicit, ut in Crucifixi vulneribus, velut in centro, securóque portu, secura tota quiesceret; desideria sua omnia in geminis pedum vulneribus collocaret; opera sua omnia in dextræ manûs plaga purificaret; sinistra verò quæ pateretur, omnia in sinistræ manûs vulnere reponeret: ut arte hac amara omnia illis unita doloribus dulcia redderentur; quemadmodum panis buccella melli intincta fit dulcis. Denique amorem proprium in vulnerato Christi latere poneret, *ut*, inquit, *cor tuum cum corde meo in unum coalescat, sicut ferrum candens cum igne.*

3. Magni Orientis Imperatores conclave habebant, cui nomen Purpura. In Purpura seu conclavi hujus nominis nascebantur illorum filij regnaturi. Totum purpureis undique peripetasmatis instructum palatium ostro ardebat. Ibi excepti è materno Imperatricis utero infantes Porphyrogeniti regnaturi, ut primis oculis in mundo hospites cum prima luce purpuram aspicerent. Porphyrogenitum te volo in omnibus quæ agis. In occidentis Jesu conclavi, in Purpura renascere.

Por-

Porphyrogenite Christiane natus es ad regnandum! Ibidem morere. Tunc enim renasceris æternitati. Omnes quæ in corde concipiuntur cogitationes, verba quæ in ore nascuntur omnia, facta tua omnia ardeant ab hoc ostro, ac cocco, à purpura Crucifixi.

4. *Teste Plutarcho in qq. Rom.* Romæ sponsa gladiatoris hastâ quæ in mortui hominis corpore stetisset, discriminabat crinem, & comebat, comámque à fronte secernebat. Id tu facis manè dum singula & omnia quæ per diem hunc totum totámque vitam cogitatione, verbo, factovè acturus es, offers Deo pro actione gratiarũ fusi pro te sanguinis Crucifixi, in unione sanguinis, vitæ, ac mortis Iesu. Tunc enim illà quæ mortui Iesu latus tibi aperuit, & ad cordis fores in mortuo Iesu stetit lanceâ, crines, id est, cogitationes capitis tui expolis, & bonas discernis ab ijs quæ bonæ ex se non sunt, facísque per bonam intentionem bonas, mansuras alias in sorte adiaphorarum, seu earum, quibus si bonum adjungas finem, bonæ sunt, si malum malæ, si nullum nullæ. Illâ te lanceâ pectens manè, purgas caput à sordibus, quæ multiplicatæ sunt super capillos capitis tui, & omnes tuas cogitationes, verba, & actiones diei totius facies porphyrogenitas Crucifixi à sanguine.

---

# HEBDOMADA XLIII.

*A Crucifixo ut id, quod petis impetres faciliùs, Beatissimam Virginem, S. Ignatium, Sanctos tuos alios, ut te idem petere juvent, invocato.*

I.

ANNO 1600. *ut est in Annuis Soc. IESV Collegij Avenionensis anni* 1601. Avenionensis Vicarius, febribus aliisque desperatis propè morbis conflictatus, alterum tantum quantum aliàs solitarum ad Beatissimam Virginem precũ adhibet, ut ab illa curaretur. Vigilanti & oranti se illa minaciorẽ spectandam præbet, & neglectui habita sua toties monita exprobrat, ac attonitum ægrum lachrymantémque relinquit. Ille, asceticorum non ignarus, apud quendam è Societate, universalem de vitâ totâ exomologesim facit. Et adest iterum sibi relicto horâ post meridiem quartâ ægro Virgo Mater jam blandior cum Filio, & proximo ad pedes B. P. Ignatio Soc. Iesu Patriarcha. Hi tres de restituenda ægro salute dum loquuntur, & B. Pater pro ægro deprecatur, Christus ajebat, securum quasi se cautione datâ de emendatione seriâ reddi oportere, si æger in vita retineri, & quidem sanus, velit. Tum Virgo sciscitata ex ægro est: ecquidnam habiturus esset animi, si vita condonaretur? Illo omnia pollicito, illa Filium rogat, ratam ut esse firmámque velit condonationem. Dixit illa: & ecce *cruentas sacratissimi corporis plagas, sub unum aspectum ægro Christus subijcere, haustúmq;*

*Humque è latere sanguinem toto jacentis corpore allinire Visus.* Ita hora fluxit felix. Quintâ vix appetente, Medici sanum penitus reperêre. Vicarius Collegio toti rem sæpe summa cum animi voluptate narrabat gratus; ac demum etiam scripto dedit. Salutem etiam B. P. Ignatio se ajebat referre acceptam, *quem genibus supplicabundum, quamdiu res agebatur, incumbere, & re peractâ, Matri Filióque immensas pro reddita decumbenti salute gratias habere, Visum profitetur.*

At quicquid sit de salute corporis. Nullâ in æternum infirmitate laborabit corpus, cujus anima salva erit. Ibi ergo rerum petendarum cardo, ibi centrum esto.

2. Adhibe auxiliares apud Crucifixum preces Matris Dei, S. Ignatij, & aliorum qui tibi impetrent, ut salvari seriò velis; ut gratia Dei in te vacua non sit. *S.* Thom. 3. contra gentes cap. 159. *Deus*, inquit, *quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire.* 1. Timoth. 2. *sed illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* Latè hæc *Lessius dp. apologet. de gratia cap.* 10. *in appendice.* Roga Iesum ut sanguine suo, gratiâ efficaci totum te imbuat, ut illam penitus imbibas. Roga Virginem Beatissimam cum S. Ignatio, ut de datis tibi hactenus à Crucifixo gratijs, gratias agere te juvent, & denique de salute tua seriò agant, & quæ optima esse viderint, decernant.

## HEBDOMADA XLIV.

*Tuos, & tua Crucifixo commenda: ne te ab illo per hæc abstrahi sine.*

1.

*Zeiler, theatri tragici p.* 1. *hist.* 18. Viri nobilis meminit, qui eâ quam dato acceptóque invicem annulo suam putabat per mortem amissâ, contempto jam sæculo, secum abductis duobus famulis, in eremum illius mortis deplorandæ ergò, concessit. Iubebat se illius nomine à famulo salutari, neque aliud sibi quicquam in aures nisi de illa sua mortua dici. Illius imaginibus frequentissimè collocutus, miras amoris mœstissimi ostendebat significationes. Ergo in illo Thebaidis antro seu sacello incluſus, geminas suæ illius vivæ mortuæque præ oculis locat imagines, & medium illas inter Crucifixum. Ita oratione ac lachrymis tandem immortuus est. Quicquid sit de hoc: tu eorum quæ amas omnium non vivam tantùm, & ita prout sunt, sed & alteram, id est ita ut erunt, pinge, contemplare, perpende imaginem; & medium inter amores tuos, desideria, odia, lætitiam, tristitiam, omnia denique tua, trans Crucifixum. Illi charos tuos, & illa omnia, ac teipsum transcribe.

2. S. Michelina cùm se Crucifixi obsequijs devovere totam ex asse vellet, & tamen aliquam curarum partem filio domi curando deberet transcribere, ita cum Christo Crucifixo pacta est, ut ille plenam filij sui curam ex toto susci-

pe-

ret, tum se ab omni omnino solicitudine liberam, totam in illius obsequia transituram. Annuit pacto è Cruce Christus, & se ita facturum spopondit lubens. Redijt ex templo à sancto illo contractu Michelina, & domi filium reperit, sed jam felici morte à Christo mortalitati exemptum, neque ullius curæ indigum. Tum illa effusis quasi habenis jam libera, non muliebrem tantùm, verùm universum etiam mundum calcavit. Vestem setis horridam cinctu ferreo adstrinxit carni, quam flagris concidebat, cui nullam, nisi humi nudæ, quietis partem concedebat, trunco pro cervicali usa, quale cervical in cruce obdormiens habuit Christus. Stipe corrogatâ partim, partim laboris mercede sui vixit, etiam in alios liberalis; maximè verò in ægrotos: atque hos inter, in illos quorum horrida deformitas majorem nauseantibus oculis horrorem creat. Et verò non oculis tantùm illos illa, verùm & osculis libabat: nam etiam elephantiasi exesum osculo persanavit. Felicem, quæ in Crucifixum inclinata est, domum!

13. Ita S. Landrada Virgo cùm sola cum solo Iesu, in solitudine illum ad cor sibi loquentem audiret, & ipsa illi etiam ex corde loqueretur, cœlestia inter tripudia cœleste à Christo æternæ amicitiæ mnemosynon, Crucem artificij admirandi per cœlites accepit, & petra, in qua Crux fuerat collocata, mollis ceræ instar crucis imaginem recepit, atque retinuit. Tum Landrada quicquid demum domi forisque habuit construendo cœlesti illi cruci templo, & altari dedit: & seipsam pro auctario addidit, úsque ad mortem nulli curæ domesticæ, nisi Christo eidémque Crucifixo, intenta. Sed & mortuæ cadaver eadem Crux habuit; quo enim loco à cœlitibus cœlestis illa crux posita primum fuerat, ibidem felix & exanime Landradæ corpus Angeli tumularunt, sepulchrum ejus domus ejus.

4. Franciſca Romana. ut est *Vitæ lib. 3. cap. 15.* vidit aliquando Christum totum plagis coopertum, sed solis instar coruscis singulis. Tunc aperto cœlo descendebat catena è flamma purissima quæ in plures alias eásque subtilissimas catenulas dividebatur, ita ut totus Christus à flamma illa penetrari videretur. Hæ te accensæ Iesu patientis catenæ etiam alijs distractum teneant alligatum & unitum cordi Iesu, inter domesticarum occupationum populum seu turbam. Intentio tua pura è puro auro catena esto.

5. In domesticæ rei angustijs ad Crucifixum recurre. Certum est quòd quærenti primum Regnum Dei hæc reliqua adjiciantur. petendus tamen est à Patre nostro qui est in cœlis, à Filio æterni Patris qui est in cruce, panis noster domi quotidianus. Communis è Sicilia Romæ rumor ferebatur Anno 1641. Drepani fæminam ultimâ paupertate pressam, parvulo filiolo in templo panem importunè petenti respondisse, iret, & ab eo quem digito monstrabat Domino panem peteret (Crucifixum ostendebat) ivit simplici sinceritate parvulus, dixitque *Domine da mihi panem Mater mea mittit me ut panem à te petam.* Et ecce Crucifixus, revulso à cruce brachio, panè recentem & pulcherrimũ dedit parvulo: ille lætus ad Matrem detulit. Ac tandem in vulgus res propala-

palatur usque ad Prælati aures. Stupent panem candoris mirabilis, & à dantis Crucifixi liberalitate mirabilem. Reperiunt Crucifixi brachium à cruce etiamnum liberum. Episcopus & Matri & parvulo liberaliter assignat reditus in omnem vitam suffecturos. En quàm non pœnitendo operæ pretio, pro paupere illâ domo petitus est à Crucifixo panis! Aperiet & tibi manum suam & implebit te, & domum tuam benedictionibus temporis & æternitatis liberalissimus Crucifixus.

## HEBDOMADA XLV.

### *Fundendis ad Crucifixum jaculatoryis aspirationibus assvescе.*

1.

SAnctus Vincentius Sylvester, è Florentino fullone sanctus eremi cultor, Crucifixum Christum è cruce sanguine suo atque vulneribus sibi concionantem pro crucis pulpito aspexit. Et verò quoties recordabatur Christi sui, sensu tenerrimo hæc verba ejaculabatur in cœlum: *Ad te leVaVi oculos meos qui habitas in cœlo!* Ad hæc verba, velut ad ignes magnos, mirabatur hominum corda non penitus penitúsque, ceræ instar colliquescere. Paratus tibi est concionari Ecclesiastes Iesus omni Salomone præstantior: tu modo illum audire sis paratus. Aspice illum cordis & etiam corporis oculis frequenter, & die: *Ad te leVaVi oculos meos, qui habitas in cruce!*

2. Ita sancta Maria de Oegnies, crucem sæpissimè, idque nunquam sinè lachrymis, nunquam sinè insigni suo & aliorum commodo adoravit. Nobilem inter jaculatorias ad Crucifixum aspirationes locum habet illa, quam in hunc sensum fudit Angelicus Thomas, quando probrum impudens, lupam infamem ad labefactandam suam puritatem ingressam vidit, & in genua provolutus, *Ne quaso sinas*, inquit, *Domine IESU, & tu, sacratissima Christi Mater, ut me tam immani scelere obstringam!* Dixit, & titione illam fugavit, & coram Crucifixo gratias agens, ab Angelis lumbos sibi præcingi sensit, postea tentatus nunquam, quasi unâ illâ oratione jaculatoriâ, & uno illo ardente titione omnes etiam in vitam reliquam secaturas carnis rebelliones profligâsset.

3. Hermannus, Romæ S. Dominici sanctus discipulus, Crucifixum Iesum frequenter cum lachrymis meditatus, has interdum in voces corde calentissimo erumpebat: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Ita aliquando ad Crucem aspirantem miseratus Crucifixus Iesus, illum suis vulneribus, velut uberibus sugendis admovit, & illi in os è singulis manuum, pedum, ac lateris fontibus pretiosas divini sanguinis guttas instillavit. Felices guttæ, quem vos cordis lapidem non cavaretis?

4. Ægyptij septem alaudæ capita pingebant in tabula. nam *Gorop. Becanus lib 8. hierogl.* ait, alaudam quotidiè in cœlum septies subvolare, & Deo canere. Ita Crucifixus noster Iesus jaculatoriâ, id est brevi & ardenti prece, septies

ſepties è Cruce oravit; ita Magdalena, Crucifixi diſcipula, ſepties ab Angelis in cœlum eſt quotidie elevata. Eleva & tu mentem. Oratio eſt mentis in Deum elevatio. Septies in die laudem dixi tibi. Certè Hermanno moriente & ad cœlos migrante, *Crux aureis radijs pellucida, ſuper Eccleſiam Sole lucente apparuit.* Has tu è tot Sanctorum cordium, & ex ipſis vulnerum Chriſti pharetris deſume ſagittas jaculatoriarum precum.

5. Ingredere palatium cordis IESU, & ad illud ſagittas è cordis pharetra jaculare. S. Mechtildis 1. & 2. *grat. cap.* 20. in Chriſti latus, velut in ſplendidiſſimum palatium, ſibi admiſſa videbatur. & miſſa è Cruce ſagitta aurea cor ejus confixit. Habet, inquit Claudius Aquaviva *in Pſ.* 44. *pag.* 87. Habet anima ſponſa apud ſe de theſauris ſponſi hujusmodi ſagittarum idonearũ armamentaria. Beata planè quæ implevit animam ſuam ex ipſis. Nam & cùm fideli ſemper mente verſat, ſive miſericordiam patientis, ſive victoriam reſurgentis, &c. quid aliud, quàm ſe dulciſſimis configi ſagittis feliciſſimè experitur, quas de armamentarijs copioſiſſimis tam expeditè & facilè quàm feliciter profert?

6. Felici etiam ſucceſſu, ut *Leander lib.* 8. narrat, Crucem ſanctam coluit, Henricus Hermanni ſocius. Iam Sacramentis morientium ad vitam munitus æternam jacebat, & Cruce conſpectâ, deficientes vires in has voces cantúmque collegit: *Securus, & gaudens venio ad te: ita ut & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus, qui pependit in te.* Et Chriſti, Apoſtolorúmque præſentiâ recreatus, iterum ad Crucem oculos retulit, ac ore toto ſuaviſſimè ſubridens, & plaudens manibus, maximâ ſupereffundentis ſe è corde in corpus univerſum lætitiæ ſignificatione, tandem ad orantes converſus: *Adſunt*, inquit, *dæmones, & meam fidem ſubvertere conantur: ſed ego, Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Arque in his verbis animam reliquit.

7. Ita vitæ S. Franciſci Xaverij *l.* 5. *cap.* 2. refertur, familiare illi jaculatorium hocce ſuſpirium, quod ex aſperato etiam fluctibus mari repetivit; & navem ab ultimo periculo eripuit: *O Ieſu Chriſte, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti!*

8. Suaviſſimus ille Aſcetarum Magiſter Thomas à Kempis, *Vallis liliorum cap.* 13. valde commendat quandam ad IESUM & MARIAM jaculatoriam precationem, ut omnes, qui ſpiritus ſui curam ſeriam habent, illam animo ac ore verſent. hac enim trahi ad nos in fervore ſpiritus cœli curiam univerſam. & eſt:

*JESVS & MARIA ſint ſemper mecum in via, in omni loco, & in omni tempore, pro bona cuſtodia.*

9. Anna Auſtriaca Sigiſmundi III. Poloniæ Regis Conjunx, ut P. Stargardus ſcribit *vitæ cap.* 14. ad Crucifixum ſic ſuſpirabat: *Conforta me! Indue me! Sana me! Lava me! Inebria me!* Ita alloquere IESUM ſæpe, breviter, ardenter.

# HEBDOMADA XLVI.

*Sub quietis tuæ prætextu, animas ne negligę.*

1.

PAter Mastrillus Soc. Iesu, ut habet ipsius epistola *Vitæ cap.* 15. ad Reginam Hispaniæ ita scribit: In duobus templis Goanis, duæ imagines Salvatoris Cruci affixi, distinctis diebus aliquoties aperuerunt oculos, multis hominibus id videntibus, non sinè tenerrimo sensu pietatis: quasi Christus Dominus noster conspicere vellet novos prædicatores Evangelij sui, & incitare nos benignissimo suo aspectu. Mastrillus ipse oculatus testis, vidit Crucifixum utrumque spectare Iaponiam. En quàm benignè respicit viros Apostolicos, Dei zelo plenos, Crucifixus.

2. Alphonsus Roza, referente id Plato. *lib. 2. de bon. status Rel. cap.* 31. ubi plures Indicis laboribus annos dedit, Hispaniam religiosæ quietis ergò sibi repetendam duxit. Iam enim volebat post navatam diu alijs operam, etiam suæ ad felicem hinc exitum præparationi vacare. Verùm quoties se ad seriò meditanda divina componebat, toties præsentem sibi & spirantem in cruce vulneratum Christum aspicere videbatur, & simul audire dicentem voce querula; quid demum esset causæ, cur se in Cruce sic derelicto, suæ potiùs quieti studeret? Quæ illi visio quia se repetitis toties vicibus objiciebat, ille ad cor primùm, deinde in Indias ipsas redijt, & plures illic annos non sinè singulari animarum fructu egit.

3. Anno ante Christum 1071. Codrus in bello, pastorali indutus amiculo, ut suos salvet, occiditur. Hinc tantæ Codri laudes. Quod ille pro patria, pro suis, hoc tu pro animabus cœlesti patriæ inserendis age. Poterat Codrus quiescere in toga: sed ut suis prodesset, maluit in sago mori. Requiem æternam donabit tibi Deus, si nunc tuæ quieti animarum salutem, & Crucifixi Dei gloriam præposueris. Iesus certè in suavissimo Dei Patris sinu suavissimè quiescebat: voluit tamen, non depositâ licèt divinitatis togâ, sago se mortalitatis induere, multa ferre, facere, pati, sudare, algere, mori, vitámque suam æternæ tuæ quieti quasi consecrare per laboris plenam vitam, per doloris plenam mortem.

4. P. Didacus Martinez coram Crucifixo orans, ut sciret quo in opere maximè vellet Deus se occupari, jussus est à Crucifixo retrò flectere oculos. Flexit; & ecce Indus in medio conclavi flectens, Deo supplicabat, ut sui curam Didaco mandaret, jussítque formatâ voce Crucifixus, missa ut studia faceret, séque daret Indorum procurandæ saluti totum.

5. P. Bernardinus Piccinus Soc: Iesu, vir in multis admirabilis, sæpe in ore habebat, optimam animas juvandi rationem esse, parùm cum illis, multùm cum Crucifixo loqui: cui unam, cujus ad Deum reductioni tum se impendebat, nocte unicâ centies commendavit. Sanctus etiam Franciscus, ut est *Vitæ capite* 1. in agro meditans, inspirantem Deum secutus est, ut intraret S. Domini Ecclesiam, ubi ante Crucifixum prostratus, ab illo audivit; *Francisce, vade & re-*

*& repara domum meam, quæ labitur, ut cernis.* Idem tibi à Crucifixo in secretam cordis aurem semper clamari cogita: *Vade, vade repara domum meam.*

# HEBDOMADA XLVII.

## *Ignosce delinquentibus in gratiam Crucifixi DEI IESV.*

1.

LUdovicus XII. Gall. Rex, ubi descripta eorum, à quibus graves injurias passus fuerat, nomina legit, non ad vindictam, sed ad ignoscendum animum applicuit, & ductâ super chartam Cruce, omnia sepelivit.

2. *Wael corona consid.* 1. Principis meminit, qui nunquam se quieti dabat, nisi dato devoto osculo pedibus Crucifixi. quam Herois devotionem in invidiæ instrumentum vertit æmulorum nequitia. Ergo subornatus ab illis supremus Cubiculi Præfectus, illum ipsum in Crucifixi pedibus locum veneno unxit, ut mortem oscularetur Princeps.

Ipsâ majoris hebdomadæ feriâ sextâ, ignarus designati sceleris Princeps, ad solitum pedum osculum accessit: sed Crucifixus pedem retraxit. Cohorruit, in se sceleris latere aliquid interpretatus Princeps: at Christo interprete, alienum esse agnovit crimen; & ignovit libenter, quando accidenti ad pedes Cubiculi Præfecto, & id quod erat narranti, veniam dulcissimam dedit.

3. Notus jam passim S. Ioannes Gvalbertus Crucifixo de genibus supplex, Crucifixo quasi gratias pro data parricidæ in sui gratiam venia agentis caput erga se suavissimè inclinatum, omnium lætitiarum plenus vidit. Et manet etiamnum illa capitis inclinati species ad omnium admirationem, ad inclinandas ad ignoscendum duras cervices. Ioannes verò magnus postea Vallis umbrosæ & Sanctus Abbas atque Fundator factus est. Alteri apud Razium *in hort. exempl. de dilect.* qui sanctissimo magni Veneris die, in Crucifixi gratiam, homini veniam petenti, illud quod in fratre suo occidendo commiserat, scelus condonârat, nocte intempestâ conspicuum Christum dixisse: *Quoniam*, inquit, *heri amore mei condonâsti inimico tuo, noveris me animam fratris tui occisi, & animam Patris tui mortui hac horâ è Purgatorio liberâsse, & ambos mecum duxisse in cœlestem gloriam. Te verò invito in octavum diem; ut relictâ hujus mundi miseriâ, possis gloriâ meâ frui.* Ita ille octavo pòst die ad mortem felicem undequaque accinctus, felix è vivis ad immortales excessit.

4. Alius contrà Crucifixus, cùm pro Burgensi quodam ferrearum irarum homine oraretur in templo ad cadaver, obturatis auribus, manibúsque à clavis refixis, *Non pepercit*, inquiebat, *non parcam. Vide scalam cæli Ioan. Iun. Ord. Prædicat.* Tu parce hîc, ut ille in æternum parcat.

# HEBDOMADA XLVIII.

## *Quotidianum conscientiæ examen, ad quinque Christi vulnera, velut ad quinque puncta redigendum.*

I.

GRanadilla, Indicus Passionis Christi flos, inter alia passionis insignia, *quinque punctis* insignis, quotidie cum sole oriente se aperit, cum occidente verò clauditur vesperi. Cane receptui: & ad *quinque* examinis *puncta* te colliges.

2. Ferdinandus III. Romanorum Imperator pro symbolo bilancem, seu libellã habebat è Crucifixo pendentem. Ad libellam Crucifixi voca libellum conscientiæ tuæ quotidie. Coram illo in bilance Dei, bona & mala tua expende.

3. Inter ea quæ maximum habent momentum, & pondus, est examen. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Ad hoc ergo signum Crucis, præsidе Iudice Crucifixo, judica te in terra. *Caraffa fasciculi lib. 2. consider. 27.* refert ex *Blosij speculi cap. 1.* Sanctam quandam Deo supplicem, ut edoceretur quid utilissimum esset ad homines docendos, hoc accepisse responsum: *Utilissimum est homines scire, & in memoria habere, quòd ego Virginis Filius, pro salute eorum adsto ante Deum Patrem; & cùm ex humana fragilitate delinquunt corde, offero pro eis cor meum immaculatum, & transverberatum: & cùm offendunt opere, exhibeo manus meas perforatas, & statim innocentiâ meâ placo Patrem.* Vide quid corde, quid ore, quid opere offenderis, idque vide coram Crucifixi vulneribus, veluti totidem privilegiatis altaribus misericordiæ Dei.

4. Praxis autem quinque punctorum Examinis ad quinque Christi vulnera, hæc erit. *Vitæ Mastrilli cap. 23.* vox ex imagine Crucifixi prolapsa est in hæc verba: *Mitto lucem Sancti Spiritus*, & simul Crucifixus radijs gloriosis pretiosè resplenduit. Osculare Crucifixum Iesum, & Sancti Spiritûs ab eo lucem pete.

*I. Ad dextram: Gratiæ agendæ.*
*II. Ad sinistram: Lumen petendum.*
*III. Ad pedem dextrum: Examen.*
*IV. Ad pedem sinistrum: Dolor.*
*V. Ad cor: Propositum.*

Vel sic:

*Ad dextram, Mortis memor*, morienti Christo pro morte felici supplex, age tanquam nunc moriturus gratias, pro omnibus, quæ vivens accepisti donis, & bonis.

*Ad sinistram, Purgatorij memor*, ad illius ignis lumen, lumen pete ad videndum te.

*Ad pedem dextrum, Iudicij memor*, tanquam si pro Dei tribunali stares, te examina.

*Ad sinistrum pedem*, de peccatis dole, & pœnitentiam tibi injunge, *inferni* dolorum *memor*.

*Ad Cor, cœli memor*, propone cœlo digna.

5. S. Mechtildis in *Caraffæ fascicul. 3. consid. 4. num. 2.* pretiosa dat nomina quinque Christi vulneribus. Si lubet juxta illa examen institue.

Unum

Unum *Vulnus manûs*, vocat *fluenta gratiarum*. Gratias ago, Crucifixe Iesu, per vulnera tua tibi pro gratiarum fluentis, è cœlesti tua manu in me ubertim fluentibus!

Ad alterum *manûs Vulnus*, *purgamenta animarum* ponit. Da mihi lumen, ut videam quicquid facit ad perfectum meæ animæ purgamentum, ô mi Deus!

Ad *pedis Vulnus* ponit *lavacrum salutis*. Examina quid lavandum, ut prosit lotio ad salutem.

Ad *pedis* alterius *Vulnus*, *Flammam pacis*. Exure ô Crucifixe mi Deus, exure meo dolore quicquid peccatum est: amore verò, quicquid boni factum est minus bene! Ardeam flammâ pacis sanctæ!

Ad *latus* denique *Aquam vivificantem* velut in fonte reperit, & *vinum inebrians*, velut in vinea æternitatis. Iam volo, mi Deus, volo tibi vivere. Gratias tibi, quòd me feceris è nolente volentem. Propina cordi meo è vulneribus tuis illam aquam, illud vinum, è fontibus, è vinea æternitatis tuæ!

6. *Carafa ibidem lib. 1. consid. 23. num. 3.* Sanctæ Mechtildis meminit, quam ad judiciarium Christi tribunal adductam, ut accusarent, & Angeli, & Sancti, & creaturæ denique aliæ adfuêre. Seraphini, quòd parùm amâsset Deum: Cherubini, quòd parùm cognovisset: Throni de pace modica. Apostoli, quòd se Apostolicis monitis non satis accomodâsset: Martyres, de fortitudinis defectu. Ipsa cœlorum Regina Virgo Mater, quòd Filio suo Deo parùm fideliter serviviſſet. Creaturæ autem, quòd creaturis abusa potiùs fuisset, quàm usa ad obsequium Dei. Verùm versis ad accusatam illam suam, pijs oculis Iesus, magnos afflicto illi cordi animos addidit, & ne dubitare jussit; ac demum illius advocatus factus, ad omnes contra illam positas querelas, respondit. Illa tam potente advocato recreata, Christum amplexa dulcissimè, illas illi quas in cruce tulisset plagas, & illum, qui pro se, è sacratis vulnerum fontibus fluxisset sanguinem, & omnem denique meritorum omnium universitatem, plenitudinem, thesauros, eorum loco in quibus ipsa non fecisset satis, liberalissimè obtulit: ut major superbiâ suâ altissima Christi humilitas, major languido suo corde accensa Christi charitas, omnia in omnibus, in quibus ipsa deliquerat planè, plenè, penitúsque suppleret. Ita illa felix decretorium illud tribunal evasit, ut viam tibi ostenderet evadendi. Ita coram Crucifixi tribunali te accusare, in quo possent Sancti, si adessent, vide.

7. *Apud Did. Mart. in Vita S. Iacobi l. 2, c. 12.* S. Rodesindus Conimb. Epis. pro armis, sive stemmatis sui insignibus Crucem sanguineam habuit, pendente è dextera Crucifixi speculo, circino è sinistra. In hoc speculo tuas & pulchritudines, & turpitudines inspice, & circino æternitatis metire: illas, ut perficias; istas ut deleas. Etiam Socrates suis speculum suasit.

8. *Vita S. Antonij cap. 30.* Admirandum quiddam scribit S. Athanasius Alex. Ep. dum narrat curatam illius precibus Virginem, cujus è naribus auribúsque quicquid sordium, quicquid ex oculis lachrymarum cadebat in terram, in fœdos vermes abibat, horridâ meta-

metamorphosi. Examina singulorum sensuum tuorum sordes, vermésque quotidie, & è singulis Iesu vulneribus singulis verminantium tuorum sensuum sordibus, puram & sanctam adhibe medicinam: Crucifixus, panarion, seu arca medica, est morborum.

9. *Apud Wael coronæ pag.* 63. Burgunda Cœlestina, peracto quotidie examine vespertino, vulneri lateris se committebat; in eo quasi lavabat diem illum; séque illic pro felici nocte abscondebat.

10. P. Ioannes Vaseus Anno 1623. 20. Iunij, in Paraquaria extinctus, ut est *in annuis*, singulas suas actiones cum similibus Christi actionibus conjunctas offerebat Deo, per Christi merita, ut somnum suum cum somno Christi, orationem cum oratione Christi, cibum cum illius cibo, &c. ardenter orans præsentem semper in intima cordis memoria sibi Deum.

Proderit etiam cum tuis aliorum peccata defiere, & etiam pro alijs profuturas, & efficaces, ad æternitatem gratias postulare. Ita idem P. Ioannes noctu ante decumbendum, ad quatuor cœli plagas, Curce signabat Oppidum; quasi felicem omnibus noctem precatus; Deúmque orans, ut populum universum à peccato servaret immunem.

## HEBDOMADA XLIX.

*Quàm maximo peccati, præcipuè mortalis, horrore, testare tuum erga Crucifixum amorem.*

1.

QUicquid pœnarum, & in tempore, & in æternitate sustinet peccati mortalis reus citra condignum est, utpote, qui Heb. 10, 29. *Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit.* 1. Cor. 6. *Nonestis vestri*, inquit, *empti enim estis pretio magno.* Et peccator deserto, imò proculcato illo, qui vulneratus est propter iniquitates nostras, se, à Christo sanguine emptum, vendit diabolo. S. enim Augustinus exposit. Epist. ad Rom. *Unusquisque peccando*, inquit, *animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Quid vendis te diabolo, cùm tuus non sis, verùm ementis te Crucifixi? *non estis vestri: empti enim estis.* Post peccatũ etiam non es tuus: emptus enim es à diabolo pro dulcedine voluptatis. Tertull. de fuga. *Peccator*, inquit, *traditur diabolo, quasi carnifici.* Ecce qui Christi eras, jam te dat diabolo peccatum tuum, quod est porta ad æternitatem damnatorum. S. Hieron. in cap. 4. ep. ad Eph. *Porta diaboli est peccatum.*

2. Quinque salutis portæ tibi in Crucifixo apertæ sunt: mavis portam diaboli? S. Hieron. in Isa. lib. 6. c. 14. *peccatum, cadaver diaboli putridum vocat.* Tu præfers cadaver diaboli pro te tanta passo corpori Filij Dei vivi?

3. *Annuæ Soc. Iesu Anno* 1598. referunt, Bizontinum B. Virginis Sodalem in agone contra peccatum luctantem, Iesum & Mariam invocâsse, tandémque de diabolo tentante victorem, Crucem Iesu, velut victoriæ labarum, tesserámque, manu gloriosâ generosè vibrâsse,

bráſſe, ac ter *Victoria, Victoria, Victoria!* inclamâſſe, Angelos præcedentes vidiſſe, & felici morte ad victores triumphatores æternos abijſſe.

4. Incredibile eſt, quanto Crucifixum ſtudio complexa ſit Genuenſis illa feliciſſima Catharina. Inde tantus illi peccati horror, quantus Crucifixi amor. Ajebat illa, quòd ſi ſinè culpa ſua inferni pœnas ſuſtineret, & ex illis patrato vel ſemel, vel unico, veniali etiam, peccato ſeſe poſſet redimere, & expedire, id ſe nunquam facturam; electuram ſe potiùs illic absque ullo peccato veniali manere, quàm commiſſo vel unico liberari.

5. Catharina verò Senenſis, Seraphica illa Crucifixi Virgo, adeò penetrabat eorum, quæ nos in ultimis minimísque ponimus, peccatorum enormitatem, ut putaret ne ipſum quidem infernum ſufficere peccato illi ſuo expiando, quòd bonas aliquando horas ornando ſuo corpori collocâſſet. Quid nos ad hæc, humiles talpæ?

6. *Orlandinus Hiſtor. Soc. Ieſu lib. 5. num. 52.* nocturnis tenebris jactatas ait in Luſitania voces à Zelo plenis è Societate IESU quibusdam ad ſalutarem terrorem: *Infernus! infernus his qui mortifero urgentur crimine!* Ab alijs ſub primas tenebras clamatum in compitis: *Heu! Heu! peccatores, à peccando jam deſiſtite! moriendum cùm ſit vobis.* Hoc tibi quotidie, hoc tibi ſub primam, mediam, ultimam lucem, ſub primas, medias, ultimas tenebras clamet Crucifixi mors! Reſolve te, & ex Auguſtini conſilio trac. 51. in Ioan: *elige Deo dilecto emori, quàm offenſo vivere.*

# HEBDOMADA L.

## *Ora ſæpe coram Crucifixo ardentiùs.*

1.

HOc enim optimum & maximum orbis terrarum oratorium, propitiatorium, miſericordiarum amphitheatrum eſt. S. Hedvigis Dux, quàm ſemper Crucis amans fuit, tam libenter coram Crucifixo mixtas lachrymis preces fudit, id quod tanto operæ pretio fecit, ut pendens è Cruce pijſsimus IESUS illi benedixerit. Imago enim, quaſi pietate, ac miraculo animata, dextrum à Cruce brachium revulſit, Hedvigi benedixit, & dixit: *Exaudita eſt oratio tua; impetrabis ea quæ petiſti.* Engelbert. in vita. Hoc eſt orare, hoc eſt mentem & manus ad Deum Crucifixum elevare.

2. B. Ioannem à Baculo S. Sylveſtri diſcipulum, inter operandum ſacris adeo fuiſſe collectum totum ait Iacobus Mercatus in ejus vita, ac ſi Crucifixo Chriſto adſtaret ſemper, & coram illo operaretur divinis. Limæ è Crucifixo, coram quo orabat Didacus Martinez, lux erumpens faciebat ſacellum radiare, ut eſt in manuſcriptis de illo teſtimonijs. Hic præclaras illas è IESU aſpectu haurias reſolutiones. Pone, ſterne ad pedes IESU, tepidas, ignavas, & tempus ex tempore trahentes, irreſolutas, ut ita dicam, & ſeminolentes volitiones tuas; & pete à IESU, ut etiam rebellem tuam ad ſe compellat propitius voluntatem. pete valde vel-

le,

le, seriò velle, generosè velle & constanter, perfectè. Deus tibi non deerit, qui *facienti quod in se est nunquam denegat gratiam*, Theologico proverbio. S. Ignatius Ep. Mart. epist. 7. *Perfecta cogitate, sentite, sapite*, inquit. *Volentibus enim vobis bene agere, etiam Deus paratus est vobis præstare.* Sylla bellorum tempore, Plut. auctore, parvulam Apollinis imaginem semper gestabat in sinu, alloquebatur, & imminente discrimine exosculabatur. Apollo de Sylla nihil, de te verò plurimùm meruit Crucifixus. Habe illum cordi, habe in oculis.

3. S. Franciscus Seraphicus, ut c. 1. ait in ejus vita *S. Bonavent.* cùm solus nullo nisi Deo teste oraret, Crucifixum Iesum, dulce orantis cordis spectaculum vidit. In quo tantum reperit fontem dulcium lachrymarum, ut nunquã postea de illo quicquã audire potuerit, quin profundè solutus in sanctas lachrymas, fleret totus. Factam sibi in imagine reverentiam æstimabit, & præmio coronabit; sicut factas sibi in Crucifixi effigie injurias pœnis non infrequentor ultus est Christus.

---

# HEBDOMADA LI.

## *Compensa fervore tuo præteritam tuam & aliorum negligentiam.*

I.

BAruch 4. ℣. 28. *Sicut fuit sensus vester ut erraretis à Deo; decies tantum iterùm convertentes requiretis eum.*

S. Ioannes Bonus, ut *Ferrar. 22. Octob.* narrat, S. Augustini factus filius, ardore tanto præteritam suam divinorum negligentiam, & nimium oculis hominum, sibique placendi studium convertit in argumentum virtutis, ut tam bonus jam esset, quàm malus fuerat, & ab ipso etiam pendente è Crucis ligno Iesu, ad degustandas felici osculo beatissimorum quinque vulnerum dulcedines fuerit invitatus, à quibus tantum spiritûs ardorem suxit, & carnis odium, quanto antea odio ea quæ erant spiritûs prosequebatur.

2. Supera fervore novo antiquos tepores tuos, & omnem aliorum in mundi, carnis, dæmonisque obsequijs ardorem atque industriam. S. Ignatius S. I. parens, Anno 1543. 3. Martij Conimbricam ita scripsit: *Plus prodest vel semel strenuè laborâsse, quàm millies remisse. Præcipuâ quâdam ratione sub Christi sanguine meremur.* Nec tu ultimus esto.

3. An non passim vides, quàm centimanus centipèsque gigas sit dæmon; quot manibus pedibúsque homines trahat ad irrogandam Crucifixo Deo injuriam. O si tot nos ad obsequia Crucifixi possemus flectere, quot ille ab illo abduxit! O si millies millenis vicibus copiosiùs possemus & ipsi factas Crucifixo injurias compensare, & alios ad compensandum, atque ad nos ea ire adjuvandos adducere, ut plus salutaribus monitis possemus facere pro gloria quàm dæmon exitialibus consilijs facere potuit pro injuria Crucifixi!

4. Fœmina gentilis, quæ centies quadra-

dragies millies quotidie idolorum *Amidæ* & *Aminabud* nomina iterabat, Christiana facta totidem vicibus sanctissima *IESU* & *MARIÆ* nomina repetebat. Volebat nimirùm non minor esse in colendo vero Deo, quàm fuerit in falsis dijs. *Vid. Relat. Indic. & Calendar. Marian.* 1. *Nov.* Attende & tu, ut ne modernis tuis fervoribus præterita tua negligentia, vel aliorum, Crucifixo aut nihil, aut negligentissimè servientium malitia, sit major.

# HEBDOMADA LII.

## *Cœlum, terra, elementa, homo ipse, sunt memorialia Crucifixi ad meditandum, ad colloquendum.*

1.

LUdolphus à Saxonia, qui in sacro Carthusianorum Ordine ante trecentos circiter annos vixit, *Vitæ Christi part.* 1. *cap.* 58. refert virum, cujus vitæ totius scopus is erat, ut Deo placeret quàm maximè, pertinacibus lachrymis diu inter precandum perstitisse, ut divinitus mereretur addiscere, quo demum obsequij genere Deum sibi demereri posset vel maximè. Extorsit tandem sanctè importunus orator, quod petierat. hominem nudum, frigore trepidum, & propè rigidum, atque immani cruce onustum, ac trementes sub Cruce humeros, vidit; & posteaquam rogâsset, quis esset, respondit illi: *IESUS Christus ego sum: rogâsti me, ut tibi ostenderem, quod inter cætera servitia magis mihi placeret. & nunc tibi dico quòd hoc, scilicet: quòd quis jubet me portare Crucem meam, & vulnera, & passionem in corde suo.* Ne itaque neglige, ne ingratâ oblivione sepelias rem adeò exquisitè gratam Deo, utilem tibi. Ad hoc omnia te invitant, & incitant.

2. IN COELO.

*Surius tomo* 5. 17. *Septemb.* morienti S. Hildegarde Virgine visam ait super eum, in quo ipsa decumbebat locum, lucem. In hac luce Crux rutilans visa est, primùm parva, sed crescendo postea immensa; circa quam innumerabiles varij coloris circuli, in quibus singulis singulæ rutilantes Cruculæ cum circulis, priore tamen minores conspiciebantur. Et cùm hæ in firmamento se dilatâssent, latitudine suâ ad orientem magis pertingebant, & ad terram, versùs domum, in qua S. Virgo transierat, declinare visæ, totum montem clarificabant. Ita ille.

Bene nimirùm cruci & circulo æternitatis inter se convenire, bene per crucem ad lucidæ æternitatis circulum meditandæ Christi passioni addictos per mortem triumphis cœlestibus gloriosam appellere, Magistro cœlo in crucibus circulisque lucidis perspicuè id docente, clarè didicimus. Ita S. Bavo lucidæ è cœlo crucis aspectu animatus est ad grandia. *Vide hic hebd.* 4. de S. Gregorio magnæ Armeniæ Martyre, & ostensâ illi Crucis è cœlesti lumine divino artificio formatæ gloria, de

flammeis super altaria ignea Crucibus. & interprete harum Angelo. *Vide prolixè scribentem Surium* 30. *Septemb.*

3. IN SOLE.

S. Dionysius Areopagita doctissimus, cùm adhuc in Gentilitatis errore versaretur, eo die quo Christus Dominus Cruci affixus est, Solem præter naturam defeciſſe animadvertens, exclamâsse traditur: *aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.*

4. IN LUNA.

Apud Bonfinium rer. Ungar. dec. 2. lib. 6. *Crucis figura in Luna publicè visa.* Ipso etiam Christi à morte resurgentis die, ut ex Abbate Urspergensi narrat *Cresserus lib.* 3. *de Cruce cap.* 7. à quo plura hujus hebdomadæ scopo accõmodata totis illis de Cruce libris habebit Lector. Sub ea tempora quibus Blanduinus Hierosolymitanus moriebatur, apertum à meridie cœlum lucem effudit insolitam, & Lunâ lucu plus quàm ordinariâ refulgente, dependentem è cœlo Crucem videre quàm plurimi auro & gemmis pretiosis ac varijs gloriosam. Has nobis gemmas ostentat Luna, ut ad æstimationem Crucis nos provocet.

5. IN STELLIS.

S. Xenâ defunctâ, ipso meridie Crux stellata visa est, quam alius astrorum chorus coronabat. *Menologium* 24. *Ianuar.* Constantino colloquentes cum Cruce stellatos characteres. *Vide hebdom.* 2. *p.* 30.

6. IN IRIDE.

Hierosolymis in diebus Pentecostes, nonis Maij, circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce constabat, super sanctissimum Golgothæ locum usque ad S. Montem Olivarum extensa in cœlo apparuit. In circuitu ejus corona erat *velut Iridis speciem habens.* Ita S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus *epist. ad Constant.* & Nicephorus. Socrates verò *lib.* 1. *cap.* 24. Signum Servatoris in Oriente apparuisse ait, & Columnam Crucis effigiem exprimentem in cœlo visam.

Etiam Anno Christi MCXLVII *in Iride* ostensas Cruces, testis est Dodechinus. Iesus, Iris, & simul vitale nobis diluvium est.

7. *Ad diversas orbis partes.*

*Crom. Polon. lib.* 25. initio, ait, in Polonia minore, quadam die, Sole occidente, plus quàm duabus horis imaginem Crucifixi cum gladio *ab Occidente ad Meridiem* in aëre tendere visam esse. *Deus ab Austro veniet.* Venit ab Austro Deus, cùm in Colonienſi Diœceſi *ad Austrum* Crux candidissima visa est, *ad Aquilonem* altera, tertia demum coloris medij sese dedit spectandam è cœlo, in qua suspensi hominis effigies capite inclinato, protensis brachijs, adactis in pedes manúsque clavis conspecta est. Ecce signum Filij hominis. Importunum cœlum! quot signis mones? Amabilis Auster, optime Aquilo, à quo jam panditur omne bonum! Ecce video Christum meum, & *facies ejus* à facie Aquilonis, *Surge ergo Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum!* Cant. 4. *Vide Vit. S. Ludovici Gall. Regis.*

8. IN GRANDINE.

Propè supra prodigium est, quod è vita S. Ludovici factum didicimus. Lapis grandinis è cœlo cecidit, sed signis admi-

admirabilibus insignis. Erat in lapide impressa Crux, & formata in Cruce Christi Servatoris Crucifixi stupenda effigies. Sed & titulus Crucis desuper aureo charactere ita scriptus legebatur: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Admirandum palladium! Audi, terra! vide! & lege! si cæca es, ecce collyrium. Liquefacta enim prodigiosa hæc grando in aquas salutares abijt, quæ cùm aliorum, tum verò Religiosi cujusdam cæcutientis oculos, excussis tenebris, diei pristinæ clarissimos reddidêre.

## 9. IN AVIBUS.

*P. Athan. Kircher Musurgia lib. 1. cap. 14. §. 5.* ait se vidisse, & audisse alaudam Gallandram, quæ post suavissimas cantillationes, complura Sanctorum nomina Italicè clarè & distinctè pronunciârit, nunc subjungendo, *ora pro nobis; nunc, JESUS Christus Crucifixus.*

*Spec. exemp. dist. 9. num. 161.* Fuit ex Angliæ nobilitate, qui sancto terræ Sanctæ visendæ studio profectus peregrè Saraceno itineris comite, cùm per procerum, & consitum nobilioribus arboribus nemus iter haberet, plures in arboribus aves viderit, alias quasi mœstas ramis insidentes, jacentes alias inanimes, alias alis in Crucis modum passis, quasi evolaturas, immotas tamen. Cantus etiam à tot sylvarum musicis expectabat; sed expectatione suâ frustratum se ubi advertit, rogavit socium, quid causæ subesset? Ajebat comes, frequentem toto illo nemore avium numerum esse, & annum totum suavissimis illic avium cantillantium modulis personare: non Decembri, non Ianuario, non Iunio, non Majo vel Octobri, non anno toti volucrem deesse musicam, sed illâ ipsâ, quæ Christo magno Deo pro mortalibus morienti funebris & exequialis est, hebdomadâ, omnes emori, & commori quasi morienti Deo vivo. At verò ubi ab illa, quæ passionis est Dominica, ita mortuali silentio sepultæ tacuêre, suam etiam palingenesim illas habere, & ipsâ Christi resurgentis Dominicâ cùm resurgêteChristo resurgere postliminiò, ac redivivis vocibus novos iterùm modulos resurgenti accinere; & quicquid novi spiritûs in corpusculis gestant, in guttur colligere, atque in suavissimos iterùm modulos ad anni usque sequentis tristem Dominicam cantu suavissimo explicare. Bonis avibus bone lector! si & tu Christo morienti & voce & silentio canis Crucifixo.

## 10. IN PETRIS.

Judith cap. 16. *Petræ*, inquit, *sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Ita in ceram propè abijt Poveiana illa petra ante faciem Christi Crucifixi, teste *Gretser. in hort. S. Crucis in fine*, cùm admirando supra naturam artificio, sculptore Deo, ita efformata est, ut & Christi Crucem, & ipsam Crucifixi Servatoris effigiem sibi quasi à natura divinitus impressam gestet. Attendite quæso, bonæ animæ, attendite ad petram unde excisi estis. Si cor petra est, sit talis quæ impressam sibi portet semper Christi IESU morientis imaginem. Schapenienſem petram intus, foris, atque per universas venulas Crucibus insignitam, ita ut in quolibet ejus frag-

mentulo Crux impressa appareret. lapidem, magnum lethalis peccati oſorem, ſuperiùs *hebd.* 21, retulimus.

B. Aloyſiolum refert *Ceparius lib.* 1. *cap.* 7. in mari in lapillum incidiſſe notis quibusdam ſacratiſſimas Chriſti plagas referentibus diſtinctum.

*Eum deinde lapidem, quippe Chriſti patientiæ monumentum, diu in honore habuit.* Ita etiam Annæbergi alabandico lapidi Crucem Chriſti natura inſculpſit *Cardan. lib.* 7. *de principijs. pag.* 359. Petrus de L' Ancre *lib.* 5. *Inconſt.* ſcribit oculatus teſtis, in Iapſide orientali ipſius nativâ lapidis indole videri exculptum caput Servatoris, ſpineum diadema, lachrymas, pallore mortuales genas miautioribus venulis ſtillulas quaſi ſanguineas exſudantes.

## 11. IN ARBORIBUS, ET PLANTIS.

*Nider in Formicar.* author eſt, in regno Granatæ, arborem pomiferam creviſſe, cujus fructus quocunque modo inciſi, ſemper in parte inciſa referebant imaginem Crucifixi.

*Intus mihi cano & Muſis,* inquit ille, ſuo contentus angulo, neque geſtiens in publicum ſe efferre. Etiam nobis intus *Muſa* canunt. *Muſa* fructui cuidam nomen, quâcunque ſui parte hunc fructum incideris, in latentem ſub recenti vulnere Crucem incides. Tota Muſa, totum hoc germen in intimis ſui partibus plena eſt Crucibus, unde ſingula vulnera ſingulas Cruces aperiunt. Tota totius hujus fructus anima Crux eſt, tota crux eſt in toto fructu, & tota Crux in qualibet, ut ita loquamur, fructûs parte. Ah! quæſo & tibi, bona anima! Ne obliviſcere Crucis Chriſti; Fac ut Crux anima tua ſit: ſit tota in te toto, ſit tota in qualibet tui parte. Ita dices cum Crucifixo Apoſtolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Hoc cogita & age. Taceo notiſſimam Styriæ in Straſingel radicem, nobilem effigiem Crucifixi.

## 12. IN FLORIBUS.

Etiam floſculis ſe inſcripſit Aiax noſter, ne ſui unquam interiret apud nos memoria. Eſt in Deinſani Cœnobij antiquiſſimi monumentis, non ignoti floſculi mētio, cujus adnatus radici Cruci affixus Iesus, duorum palmorum longitudine, quaſi ſcitiſſimè fabrefactus divinâ operâ, illis qui florem decerpsêre apparuit. Addunt etiam, aquam, cui prodigioſa hæc radix immerſa fuit ab ijs, qui febribus æſtuant hauſtam, eos ab æſtu noxio liberare. Tu ſi febris, nunc calidus, nunc frigidus, aut potiùs nec calidus nec frigidus: curabit febres tuas inſculptus cordi tuo Crucifixus.

Paulo V. Pontifici allatus fuit flos ab Indijs occidentalibus, quem ſuperiùs innuebamus, cui vulgo illic etiam apud infantes, *Paſſio Domini noſtri nomen eſt, nos Granadillam* dicimus. Habet is omnia Chriſti paſſi inſtrumenta effigiata in ſe. roſam magnitudine, flores omnes odore ſuperat: unde Indi eum ſecum ferunt ſemper, aperitur quotidie cum ortu, clauditur cum occaſu. ſunt ibi fila quædam rubea: quinque purpurei radij coronam faciunt: quinque corallia parva, quaſi quinque guttæ ſanguineæ, per circulum diſpoſitæ, quaſi è recenti vulnere calentes. In medio columna cum baſi, capitello: ex ea naſcuntur quinque virgulæ, in coronam ſpineam 72. ſpinarum (talis fuit Chri-

Christei) eruditæ. Eminent tria ferrei coloris germina, clavorum instar, quorum cuspides capitello columnæ sunt infixæ. Gracilis flos, instar hederæ; & vicinæ se arbori, seu palo, circumligat crescendo; illaque se sustentans fulcit. Sustentaculum verò illud suum foliis grandibus, viridibus, & densis, Christi lanceæ mucronem præseferentibus tegit. Fructus ejus ad instar ovi anserini, coloris flavi aurei, rufulis aliquot maculis insperſus. Separato cortice, ad ovi instar editur vel sorbetur liquot ejus albus. Semina ejus nigra rotundula. Liquor suavis est super mel: & ventriculo roborando prodest plurimùm. Toto anno hos fructus reperire licet, & simul in eadem plantâ & flores est videre & fructus, maturos alios, alios immaturos. *Nier. hist. nat. lib.* 14. *c.* 10 diligenter pictam illius exhibet imaginem *pag.* 299. Enpatheticam Crucifixi, & cordis Crucifixo meditando affixi imaginem. Suaviores meditationis hujus esse fructus quàm sint fructus Granadillæ. utinam ipsa te felix doceat experientia!

13. IN SYLVIS.

S. Eustachius qui & Placidus, ut refert *Brev. Rom.* 20. *Sept.* cùm sese aliquando in venatione exerceret, ac fugienté miræ magnitudinis cervum insequeretur, vidit repentè inter consistentis feræ cornua excelsam atque fulgentem Christi Domini è cruce pendentis imaginem, cujus voce ad immortalis vitæ prædam invitatus, una cum uxore Theopista, ac duobus parvulis Filijs, Agapito & Theopisto Christianæ militiæ nomen dedit. Idem de S. Huberto *hebd.* 22. retulimus, idem de S. Menulpho refert ejus vita; aitque radiantem ab illo visum inter cervi cornua Crucifixum.

14. IN SPICA.

*P. Aleg. in Cat. Script. S. I.* authore, Anno 1606. Ioannes Wilkinsonus avidus nanciscì quidpiam de reliquijs P. Henrici Garneti S. I. propiùs accessit, ubi carnifex corpus illius dissecabat, cùm ecce tibi *Spica* de circumfuso stramine Garneti sanguine aspersa, nec opinanti defertur in manus. Ergò voti compos abscedit, & spicam lætus asservat, in qua paucos post dies, ingenti prodigio, Garneti faciem vivis expressam coloribus, coronâ redimitam, stellâ, & insertâ in eam *Cruce* in fronte signatam Angelico vultu sub mento decoram cõspicatus, quò rem faceret illustriorem, non reliquis modò Catholicis, sed ipsi quoq; Hispaniarũ Regis Oratori per otium contemplandam permisit.

15. IN IMAGINIBUS.

In Anglia Crux ingens apparuit, & Christus in eâ clavis confixus, coronatus, vulneratus, fluente, sed non in terram, sanguine. Rogerus in Henrico Secundo. Sub Maximiliano I. Imperatore delapsæ è cœlo effigies instrumentorum Christi passi bajulæ. Vidit Picus Mirandulanus, Maximiliano ostẽdente, & stupuit rei testis Germania, stat juvenis sub umbilico præcinctus, extensis manibus, nudus aliàs, perforatæ manus & pedes. dextra, collum; sinistra, pectus; venter; plena omnia impressis forcipibus, crucibus, furcis, clavis, tribus in collo flagris, veste inconsutuli, vexillo, frameâ, talis tribus seu aleis, gallo, triginta argenteis, corbibus, coronâ spineâ; ipse aspectus faciei mirabilis est.

16. *In Vestibus, & Supellectile diversa.* *Cedrenus in compend. hist.* Constantinopoli subitò extitêre in hominum vestibus, & in Ecclesiæ supellectile plurimæ cruces, quasi ex oleo factæ.

Ioannes Cantacuzenus, sopitus, vidit duos adolescentes pulcherrimos tenentes vestem puniceam, super quam erat Crux aurea aureis literis sic inscripta: *IESVS Christus vincit.* Illa veste Iuvenes Imperatorem dormientem cooperiebant. *Cantacuzen. lib. 3. hist. cap. 90. Lanturius in fascic. temporum,* ait, Ratis bonæ, Norimbergæ, Landishuti, alibi cecidisse Cruces in vestes virorum, plus tamen in vestes mulierum, propter superbiam Anno Domini M. D. III. Anno M. D. In lineis vestimentis, linteaminibus, mensalibus, peplis mulierum, albis, & corporalibus Sacerdotum, etiam ijs in rebus, quæ in cistis erant absconditæ, visæ sunt Cruces pictæ, Trithemius *in Chron. Hirsaugiensi.*

17. *In quadrupedibus, & piscibus.*

Sunt qui certum ovium genus se vidisse dicant, in quibus quinque Christi vulnerum vestigia reperta sint. *Epiph. hæresi.* 18. ait oviculæ in Ægyptiorum regione mactatæ adhuc apud Ægyptios traditionem celebrari, etiam apud idololatras. Et addit illos tempore Paschatis, ovas, arbores, ficus &c. rubricâ illinere solitos: ajebant enim orbem terrarum eo die aliquando ab igne combustum.

Sunt item qui autument, etiam in lucij piscis capite nescio quid instrumentis Christi passi non absimile inveniri, & osseam Crucem: & in oculo cancri, B. Virginis imagini simile quid reperiri. Etiam Mulus (*Vide Fastos, 30. Martij.*) cui non est intellectus, intelligentes docet, Christum passum optimo quo possunt modo in mente ut habeant. Cùm enim Regulus Antistes, sanctissimus S. Dionysij in Gallijs socius dæmonem ab energumeno divinâ potestate jussisset excedere, Sanctum rogavit dæmon, ut bona ejus venia mulum se ingredi sineret, commutato hospitio. Audijt supplicem dæmonem mulus, & quasi rogata intellexisset, negarétque inviso hospiti domum, anteriore pede Crucem humi luculentam depinxit, ut hac Cruce ingratum hospitem domo priùs proscriberet, quàm admitteret; quasi non nescius quo signo, scelestus ille terreretur vel maximè. Ecce quomodo non ad formicas tantùm, verùm etiam ad mulos ableget nos Deus, ut vel à pede muli disceret caput hominis, ut Christi non sit immemor. hoc qui non facit infra mulum sapit.

18. *In diversis humani corporis partibus expressa Christi passi memoria.*

Cùm Carolus Austriacus Lincij in Austria conventum cum suis celebraret, natus in domo rusticâ rusticis item parentibus, infans, ultimo ante mortem triduo sudavit, & quarto decimo à nativitate suâ die extinctus est. Vix expirârat, cum in parvulo mortui cadavere prodigiosa in manibus pedibúsque & in latere signa erupêre. Examinata res oculis, & inspecta diligentiùs, deprehensúmque vulnus in latere, vulnera in pedibus ac manibus, illis non absimilia quæ in Crucifixi imaginibus pingi solent. ex ipso etiam parvuli cranio corona enata est, spineæ illi Christi coronæ persimilis. Fabulam dicerem, nisi delatâ ad Cæsarem fama prodigij, missi ad rem

rem propiùs & curiosiùs inspiciendam à Cæsare viri, quibus fides esset integerrima, parvulum his insignem vulneribus, ac tali redimitum coronâ contemplati, rem se ita, ac fama ferebat, habere, oculati testes affirmassent. Et quid demum prodigiorum desideramus amplius, quod nos commonefaciat Christi Crucifixi? *Vide Bizarum. & Delr. disquis. mag. tomo. 1. lib. 2. q. 35. pag. 224.*

19. IN CAPILLIS.

Plures orbis Crucifixos numerat quibus idem contingere solet divinitus, quod Deinsano Crucifixo. Crescit illi prodigiosa cæsaries, adeò ut promissum capillum nemo non advertat novis semper augeri incrementis. Detonsus Crucifixi capillus asservatur locis compluribus. Utinam vulnerer sanctè ab hoc crine colli & capitis Iesu!

20. IN CAPITE.

*Apud Surium 16. Novem.* S. Edmundi mater vidit Edmundulum in capite coronam spineam gestantem, quæ corona vehementer accèsa flammas vibrabat ad sydera. Die & nocte pascebatur Christi vulnerum cogitatione. Sic tu te corones.

IN FRONTE.

Abyssini, *ut Paulus Venetus* refert *lib. 3. cap. 43.* Christum in fronte sibi adeò impressum gerunt, ut primo occurrentium aspectu, Christiani agnoscantur. Cùm enim Christiano baptismate lustrantur, aurea illis in fronte Crux imprimitur; ut ostendant semper se victuros memores, quo auro, quo sanguine, quâ Cruce redempti sint. Hoc est signum, quo signantur servi Dei in suis frontibus; ut vel ex ipso signo agnoscantur, quòd reverà hæc sit Domus Dei, in cujus nempè vestibulo insignia sunt Domini.

21. IN FACIE.

Afri nigram Crucem depingunt in maxilla; Iaboani sacris aquis lustrati, calente ferro inurunt faciei Crucem; Guineani prælium inituri faciem plurimis depingunt coloribus, atque in ipsis etiam præcordijs Cruces efformant. Et quid picturæ istæ nisi Christum patientem pingunt? *Vide Leonem Africa lib. 4. Brocarium in descr. terræ Sanctæ.* Tu verò non nigram, quasi infaustam, sed purpuream tibi Crucem, non ferro inure, sed amoris penicillo depinge in mente.

22. IN COLLO.

*Collum tuum sicut monilia.* Appenduntur collo monilia ad ornatum, ut erecta inde colla superbiant. At verò Abyssini, & jam Christiani plerique omnes, pendulas è collo Cruces habent, ut pendentis è Cruce Iesu meminerint.

23. IN HUMERIS.

Sanctæ Osannæ Virginis, & aliorum quorundam, humeris Crucem suam imposuit Christus, cujus *factus est principatus super humerum ejus.* Gallicano, juvenis longior Crucis in humero bajulus *sume* inquit, *gladium*, *& sequere me.* Vicit hostes. *In Vita.*

24. IN BRACHIIS.

*Apud Surium 9. Febr.* Ansbertus Antistes laudatissimus, Christi quem semper in corde habuit vivus, Crucem, rosæ instar purpuream *in Brachio* etiam ostendit mortuus; ut eam ùt signaculum super brachium suum poneret. Platoni dextrum brachium, divinus amor est;

est; sinistrum, terrenus. Roga Crucifixum, ut faciat potentiam in brachio suo, & te divini amoris plenum, ne patiatur in sinistram æternitatem descendere, sed collocet *à dextris suis* inter oves.

### 25. IN MANIBUS.

In ipsa manuum palma depictas Cruces gerebant Afrorum quidam, eo consilio, ut externis signis adjuta memoriæ imbecillitas Crucem semper haberet præ manibus & oculis. Habebat & Helena Virgo Ungara ut *Rzovius Anno Christi 1270. n. 16. testis est.* vulnus etiam in manu dexterâ sibi à Christo impressum, quod tamen in cicatricem abire videbatur sensim, ipso S. Francisci Seraphici natali die, priùs quàm Helena è vita discederet, stupente & ne secretum panderetur, obtestante Virgine, ac dicente; *Ne fiat istud mi IESU: ne appareat oro istud, mi redemptor!* Aureus ergò in vola vulnerata circulus apparuit, circinatus divinâ dexterâ; & ne sinè centro videretur esse circulus, inclusum in medio & volæ & circuli, liliolum nitentissimum spectabatur. Mirabilis & amabilis Deus! Ecce *dilectus* noster Iesus *candidus* in manu, & lilio Helenæ, in Ansberti rosa & brachio *rubicundus*! Vide qualis de tali vulnere laurus surgat! Domine Iesu! In manibus meis describe te: ut hujus potiùs dexteræ quàm tuæ, horum priùs quinque digitorum, quàm tuorum quinque vulnerum obliviscar!

Abyssini Monachi Crucé portant manu alterâ è nigro ligno. Framasqual apud illos dicitur servus Crucis. Jurant manibus Cruci impositis. Processionem etiam faciunt ibidem Monachi monasterij *Visionis IESU* cum quinquaginta crucibus argenteis. *Vid Gretsf. de Cruce lib. 2. cap. 16.* Apprehende Crucem manu seriâ, nemo clavam illam tibi extorqueat, ô serve Crucis, ô Hercules Crucifixi! Admittet illa te ad æternum contubernium visionis Iesu.

### 26. IN DIGITIS ET UNGUIBUS.

S. Dunstanus (*Vide Ribad. 16. Sept.*) S. Editæ consuetudinem habenti formandi signum Crucis ad quamlibet actionem, dixit: *Non permittet Deus ut pollex ille sacer unquam putrescat.* Post mortem Sancta illa illi apparuit, & decimo tertio post mortem anno, pollex manûs dextræ repertus incorruptus, ob reverentiam signi Crucis illo pollice sæpè formati.

*Landinus in Dantem ad cant. 29.* ait Senensem Capoctium in utriusque manus unguibus totam sibi Christi passionem, ejúsque mysteria singula minutè depinxisse.

### 27. IN PECTORE.

S. Iuliana virgo Florentina, ut est in vita 19. *Iunij.* mortua in adverso pectore manifestam Servatoris à Cruce pendentis imaginem ostendit. In osse pectoris Volvandi quasi pro scuto cordis formatam Crucem narrat oculatus testis *Cantiprat. lib. 1. apum. cap. 25.*

### 28. IN CORDE.

Iam ad cor usque penetravit Christus. Ibi sedes est amoris: ibi mons Calvariæ bifidus, in quo velut in Parnassulo, quiescit Crucifixus. Audi id quod jam ante innuimus, & *Isidor. Moscon. in vita, & Ann. Eccl. A. D. 1308. n. 21.* alijque prolixè narrant prodigium, cujus fides ne sit dubia, persuadent oculati

ti testes, atque unus è reliquis Eminentissimus Bellarminus, qui viso prodigio exclamavit: *Digitus Dei est hic.* S. Clara de Cruce apud montem Falconem in Umbria Sanctimonialis, Virgo cordatissima, dignum quovis etiam masculo pectore cor habuit. Omnia illic passi Iesu instrumenta, velut inclusa nuci dolorum Ilias, continebantur. Excrevit cor Virginis supra communem humani cordis formam. Extractum ergo è cadavere cor ubi novaculâ apertum est, repertus est thesaurus; Dexteram cordis aperti partem implebat pollice oblongior Crucifixus, cujus inclinatum in mortem caput cervice deflexâ miserabile, pendebat non in humeros reclinatum, sed pendulum. Sublata in altum brachia, lividum & cruore copioso manans dextri lateris vulnus, & guttis sanguineis cruenta syndon. Nervuli jam acuebantur in lanceolam ferruginei facti, & duriores carne reliquâ, jam tres clavos pendulos sustentabant, filorum instar; jam in circulum flexi, hirsutuli & acutuli, in coronam spineam curvabant tortuosos aculeos: nunc verò quasi confusi neglecto ordine, amaræ in arundine spongiæ speciem oculis ingerebant; jam in quinque quasi fila dirempti & flexi, ac modis etiam pluribus aspersi, atro sanguine tincti, extuberabant è carne reliqua. alij alibi nervi vel in columnam erecti, vel ad funium instar columnulæ circumplexi rubebant sanguinei. Manica etiam carnea, sed ligno non multùm absimilis, visebatur. Et tota denique in tot figuras flexa cordis caro, cum nervis earum, quas exprimebat, rerum & colorem & duritiem referebat. Denique cor Claræ simulacrum fuit mentis Christo passo meditando addictæ. Vidêre hoc prodigium, & probavêre præter Moniales, Ecclesiæ Summates primarij plures; ut jam nihil sit super, nisi ut mentem etiam nostram hoc corde velut sigillo signemus, ut nunquam nobis è mente excidat, quod Clara semper gessit insculptum in corde, velut lario Crucifixi.

29. *Quinque Christi stigmata humanis impressa corporibus.*

Pretiosus ita signatorum Catalogus est in Hierogazophilaceo Belgico, seu thesauro reliquiarum Belgij, Arnoldi Rayssij Canonici. Pierona, seu Petronilla inclusa Franciscana tertiaria, ante mortem 5. Christi stigmata portavit, ita oculati testes. Divus Dodo Eremita Præmonstratensis eadem gratiâ mirabilis. S. Lyduina, S. Gertrudis Regina, alia item Gertrudis, S. Christina, S. Brigida V. Hollanda. B. Osanna Mantuana, B. Stephana Soncinas, B. Lucia Narniensis, B. Helena Ungara, Nympha Ordin. Minorum, Archangela Virgo Tertiaria Franciscana, Maria ab Incarnatione Excalceata, Maria Toletana Virgo, Maria Bagya Vidua Chiensis Dominicana. Maria à S. Dominico, quæ Christi doloribus capite, corde, manibus, & pedibus cruciabatur, ad eum modum quo S. Catharina Senensis; Joanna à Cruce, Joannes Grajus Scotus Martyr Minorita, Angelus del Pas Minorita, Joanna Vercellensis, Gualterus Teuton, Ida Lovaniensis.

30. IN MORTUIS.

Jam Lincensem parvulum, Garnetum, S. Ansbertum, S. Julianam, &

alios dedimus. *Miscella lib.* 15. Anastasius Episcopus cùm exanimis jaceret, manu fertur se signaculo Crucis signâsse.

IN CORPORE TOTO.

De juvene corpore toto Christi patientis insignibus insignito, diximus. Ejusdem propè rationis est alterum, sed fæmineâ effigie, simulacrum, cum velo, clavis in cubito, cum lanceolis, frameâ, furcis, vulnere in volæ medio, cum 30. argenteis, in pectore, tali, gallus, vestis inconsutilis, & scutica. Dextrum femur cruculas, lanceolas, clavos, coronam, & minùs nota quædam signa exhibet. Portenta sunt hæc! at vera esse testatur Imperator Maximilianus, Mirandula, & qui sub Maximiliano vixêre summi viri. Lapsi de cœlo Palladij, fabulam hîc renovatam putabit posteritas! Ecce in toto corpore pingitur, & scribitur passus Christus. At nos ne legamus, aut videamus, oculos claudimus. Habet hic omnis ætas & sexus quod videat, quod legat, quod miretur, quod discat è cœlestibus his ostentis. Ego verò te, pro omnibus vitæ tuæ & hebdomadis, & mensibus, & annis, in æternum Crucifixi Dei Iesu amplexum commendo, mi Lector: & ut id mihi tu impetres, quod ego tibi desidero, Crucifixum Deum Iesum, & te rogo; felicem nimirum unà tecum apud Iesum, & hunc Crucifixum, Æternitatem: in qua ego te, & tu me, & uterque Deum salutis nostræ, amemus æternùm!

Amen.

## AD MAIOREM DEI CRVCIFIXI IESV, Deiparæ Virginis Matris Dolorosæ, Cœlitúmque omnium gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum.

SAB-

# SABBATVM
SEU
# ANNUS
# MARIANVS,
*PER*
MARIANOS
# SABBATORVM
Anno toto currentium
# DIES,
Sabbathinis MARIAM solidè pro
felici morte colendi officijs
& exemplis
EXPLICATUS.

# *ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO*

# JOANNI PÜSKYI,

## EPISCOPO VACIENSI, PRÆPOSITO POSONIENSI, &c.

## Sac: Cæs: Regiæq; Majest: Consiliario, &c.

*TVo hic indulgemus genio,* Illustrissime ac Reverendissime Præsul. *Adeo mens Tua & COR totum Sabbathum est Marianum, ut quæ* in omnibus requiem quæsivit, *in te tandem Sabbathum quietis reperit,* Virgo *nostra. Sabbathum, suave ac sanctum quietis nomen, hebdomadarum epilogus, primum in orbe conditò festum, & pretiosa æternæ in beatitate quietis imago est. Hanc imaginem habe* Illustrissime ac Reverendissime Domine, *spectandam quot hebdomadis semel. Saturni aureorum seculorum Præsidis, aureus hic dies fuit; nunc est Deiparæ Mariæ, sub qua ætatem à Deo auream, auream* Tibi *ac nobis optamus, & verò etiam speramus æternitatem. Saturnus temporis Deus est, in fabulis; Mariæ filius, & temporis & æternitatis author est, in re ipsa. Tacemus multa Sabbathorum antiqua in sacris antiquariis profanisque scriniis & membranis, multùm prolixa, parùm nova, minimè devota. Sabbathinum Deiparæ cultum, jam inde ab Vrbano Secundo, & fortasse magis vetustum esse, patet passim, habétque etiam Bonifacius lib. 2. hist. Virg. cap. 7. quàm verò vetustus sit, disquirere non satis vacat. Antiqua curiosa qui curat, Baronium Anno Christi 146. n. 12. Riberam, templi lib. 5. cap. 1. Tostatum, Salianum, & denique Commentatores Pentateuchi, & alios adeat. Nolumus illud vadum vadare, ne res non ignota nauseam faciat.*

*Apud*

*Apud Baronium & Spondanum Anno Christi 33. & A. C. 603. Sabbathicus Palæstinæ fluvius die tantùm Sabbathi fluebat, cæteris diebus alveo sicco nec apparens, ut ibi ait Iosephus; quem tamen ipsum fluvium Plinius ibid. semper fluere, sed Sabbathis omnibus siccari ait.*

*Nos ita per totam latè hebdomadam in iis, quæ cœli sunt, nos effundamus oportet, ut ne Sabbatho simus sicci; ita Sabbathinæ pietati nos demus, ut ne totam siccam, & vacuis pietate diebus aliis, in unicum Sabbathum inclinatam ducamus hebdomadam, ut ne deplorata in Threnis Vrbis nos tangat sors, quam* viderunt hostes, & derisérunt Sabbatha ejus. *Nunc dici Sabbathi sanctè implendi modum contemplamur. Ajunt Platonem non jam cœlestia Pythagoræ instrumenta cœlis addidisse, verùm cœlestes quasdam Sirenes cœlorum modulatrices cœlis concessisse, quæ dulci adeò quiete ac harmoniâ cœlos moveant, ut si nobis inde vel unum liceret modulum delibare, suavitatis illius divino quodam numine absorpti, toti abriperemur ab his inter quæ degimus. Quiesce, quiesce in hoc Anni nostri, imò tui, Sabbatho,* Illustrissime Domine, *& quot hebdomadis, æterni Sabbathi quietem, ac harmoniam, cum aliquo Mariano, quem producemus, gusta. Age dies, & annos Marianos: Mariana te manet* ÆTERNITAS.

AN-

# ANNI MARIANI

## PARS I.

### SABBATHVM I.

*Sabbatho gratias* DEO *per* MARIAM *redde pro gratijs à* DEO *per* MARIAM *acceptis.*

HIerosolymas ope Virginis Deiparæ in Christianorum potestatem redijsse, testis est post alios *Spinellus miracul. n.* 51. Eapropter in æternam grati animi significationem, communi omnium calculo visum est, ac statutum, ut Beatissimæ Virginis Officium Clerici quidem ac Monachi omnes, quotidie, reliqui verò Christiani, singulis hebdomadis ipso Mariano Sabbathi die corde ac ore ad tenerrimas Deo ac Dei Matri gratias agendas compositò, constanter persolverent. Assuescè actioni gratiarum. Nullum in universo humanorum cujusvis linguæ vocabulorum Nomenclatore pretiosius leges, quàm DEO GRATIAS. DEO ergo gratias per MARIAM gratiâ plenam Gratiarum Matrem quòd vivas, quòd non pejor, quòd tot cœlestibus fluentis plenus. Agere gratias, est æternarum hortus, paradisus, seminarium, gratiarum. Crescunt beneficia sic rigata. Hinc Sabbathinâ tantùm gratiarum actione non contentus Nivernensis ille apud S. Petrum Damiani lib. 6. ep. 26. Clericus, hanc *regulam sibi sanctæ servituris indixit, ut Beatæ Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolveret.* Hunc gratum adeò pro beneficijs gratiarum actorem in fine vitæ anxiè palpitantem, tan-

tanto per immaculatam gratiarum Matrem beneficio cumulavit is, qui gratos malè mori nunquam patitur Deus, ut illum in agone illo fidelissima Virgo amicta lumine sicut vestimento inviserit, & fusis in ægri labia è sacratissimo pectore cœlestis lactis guttis, persanârit. Ideo verò ori tantùm datam esse medicinam, ait Sanctus, cùm tamen æger ille toto langueret corpore, ut eâ quâ MARIÆ laudandæ corporis parte serviisset, præmium acciperet à MARIA. Ergo impende cor, impende os pretiosissimo DEO GRATIAS. *Oro igitur, ne desides simus*, inquit *hom:* 10. *in Gen:* S. Joan: Chrysost: *sed unusquisque pro viribus supputet apud se singulis horis non solùm communia beneficia, sed & privata in se collata: non ea tantùm quæ omnes fatentur, & quæ omnibus manifesta, sed & propria, ac plerosque latentia. Sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est, hoc fiducia nostra ad Deum argumentum.* Dies potissimùm Sabbathi sit tibi dies gratiarum pro gratijs quas accepisti, ut in Sabbatho quietis gratiosæ habeas Sabbathum omnium gratiarum. Quod Rabbi Senex de superstitioso Sabbathi cultu nugatus est, id nos pro religioso Sabbathi cultu experiemur. Ajebat ille: *Quisquis Sabbatho multùm mutuatur, eidem Sabbathum multùm rependit. Quisquis Sabbathum honorat, Deus quadruplum illi dat. Qui frontem Sabbatho exporrigit, Deus illi hæreditates dat.* Exporrige frontem ad gratias liberales. Cave ingratus mori.

# SABBATHVM II.

## *Sabbatho hebdomadam quæ prateriit ad examen revoca.*

SUnt Civitates, in quibus ad horas ferè singulas clangente è turri tubæ signo populus ad Sabbathinum balneum ad abluendas Sabbatho totius hebdomados sordes invitatur. Arsenius magnus ille Aulicus, quem ex Aula Cæsarea *fugere, quiescere, tacere* jussit cœlestis vox, in eo in quo receptui cecinerat deserto, Magistri cœlestis Angeli docilis discipulus factus est è Magistro prolis Cæsareæ. Is quando exactâ jam hebdomadâ aderat supremus hebdomadæ Sabbathinus dies, totum illum, & semper, imperturbatæ cuidam quieti dabat, ut in hebdomadam eo die omnem, imò in vitam omnem inquireret. Ibi quasi hebdomada illi tota dies fuisset unus, Sabbathum verò ultima discedentis jam diei pars foret, sicut sub vesperum sese super diei acta examinabat quotidie, ita die Sabbathi, quasi sub hebdomadæ vesperam, universam ad Sabbathinum cordis tribunal revocabat hebdomadam, diésque singulos, ut quid bonis horis addi, quid malis detrahi posset, dispiceret. Judæi nugantur, quòd Sabbatho quovis Judæo cuivis comes bonus Angelus bene precetur pro tota sequente hebdomada, si lumen, mensam, lectum, domum, omnia Sabbatho bene composita reperiat: si verò illa malè sint composita, malus genius malè illi precatur. Debétque & malus genius dicere *Amen* bene precante

eante bono Angelo; & bonus Angelus debet dicere *Amen*, si incompositò die Sabbathi Iudæo malus Angelus maledicat. Vide tu seriò die Sabbathi quî sis compositus. Fuge, & sub diei, & sub hebdomadæ finem à tumultu negotiorum; eo quod ser. 3. de oct. Circumcis. ait Beatissimus Bernardus: *roga dari tibi devotionis lumen, diem serenissimum, & Sabbathum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei! ut quod priùs cum amaritudine, & coactione tui spiritûs faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas, & delectatione.* Tace & tu, & quiesce, ac de ultima vitæ hebdomada, die, hora provide. Hinc Arsenio semper in mente mors, in oculis lachrymæ, quibus se abluebat, ut thermis cordis; in manu illis extergendis strophiolum. Ita ab ultimo Sabbatho singula singulorum per hebdomadam dierum examina examina, & interroga, quid in die toto deprehenderint, quid reprehenderint, quis se diesdie alio gesserit melius? S. Joan. Chrysost. hom. 11. in Gen. *Scrutemur suam quisque conscientiam, & rationem examinemus, & consideremus quidnam in hac hebdomada probè actum sit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Et inde omnes compones totius hebdomadæ rationes, MARIA Rationarij Præside, JESU verò supremo Domino rationum. Ita MARIA erit instrumentum præcipuum Sanctitatis nostræ; ita dies Sabbathi erit lapis lydius hebdomadarum; ita solidè rationale erit nostrum obsequium Sabbathinum. Judæi omnes Sabbatho oculos in benedictione vini ad lumen convertunt; Rabbini enim ajunt, quòd qui per hebdomadam latos gressus, seu passus facit, quinquagesimam oculorum aciei partem perdat, quæ Sabbatho reficitur, si in lumen oculi defigantur. Nugæ! Vide tamen, an dum nimis laxus fuisti in via Dei hac hebdomadâ, aliquid in te cœlestis luminis defecerit? Illud refice. Collige te, cum Arsenio: corrige te ad lumen Dei. Colligamus nos in Sabbatho intra nos, ut olim beatum *Sabbathum* colligat nos intra se.

## SABBATHVM III.

### *Humillimæ Prædestinatorũ Matri demissi animi obsequium die Sabbathi DEO offer prò tuo in agone solatio.*

JOannes Cletelius (id quod religiosissimus Thom. à Kempis refert *lib. de ill. Flor. disc.*) è mercatore ad omnem submissionem demissus in culinam Dei servus, molesto illo culinæ igne divinum in corde ignem, precando, & sacros libellos identidem per succisivas horulas lectitando fovebat, otij adeò fugiens, ut ne unum quidem in respirando spiritum ducere voluerit otiosus. Sabbathis omnibus in Deiparæ pro morte felici memoriam, longum quoddam linteum induebat, eóque apparatu sacrum illum Virgini diem inter culinæ suæ

suæ chara munia celebrabat. Æger, de dæmone, mercaturam sibi nequaquam objiciente, victor, IESUM Christum Virginis Filium, præsentem amari agonis sui consolatorem & agonothetam vidit; robur cordi, atque solatia suavibus verbis addentem audivit, illúmque morte Sanctorum sequutus est, Anno Christi 1398. cùm illud Psalmi 145. diceret: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et verò illuminatus est oculis morte clausis, non enim ad cæcos abijt, sed ad videntes Deum. Impetravit verò id quod petierat, ut pro sepulchrali Sabbathinæ suæ erga MARIAM Deiparam devotionis tesserâ, & pro quodam quasi ad resurrectionem viatico seu veste nuptiali, illo ipso suo Sabbathino linteo involutus conderetur. Vide quali tu apparatu comparere velis ibi, ubi purpuræ erubescunt, & mallent se saccos esse. Certè Joanni nostro Sabbathina illa vestis, vestis nuptialis, regium, nuptiale in Sabbatho æternitatis paludamentum fuit *coram Deo qui ignis consumens est.*

## SABBATHVM IV.

*Sabbato ea fac quæ Deipara in te laudaret, si coràm tibi colloqueretur.*

DVrantus 6. Rational. cap. 79. Sabbathum, inquit, est janua, & introitus in diem Dominicam, quæ est dies requiei, & significat vitam æternam. Quia verò Deipara est nobis porta ad regnum cœlorum, quod per diem Dominicam significatur, ideo de illa solenizamus in septima die, quæ diem Dominicam præcedit. Fac ergo id: & videbis, quomodo in portis mortis tuæ *Ianua cœli* MARIA te laudabit. Anno Dei nati 1608. ajunt *Salsan. Coll. annuæ* P. Sebastianum à Campo S. I. miris Iesu delicijs plenum, Virginis divinæ adeo amantem fuisse, ut noctes totas coram Beatissimæ Virginis effigie pervigil pernoctaret in oratione Dei. Sæpe illi adfuit gloriosissima cœlorum Imperatrix Virgo, & laudavit Sebastianum suum, gratiásque retulit, quòd Sabbathum suum, varijs pœnitentiæ, ut vocamus, operibus celebrem haberet ac sanctum; próque Rosarijs, officijsque Marianis, Psalmis Gradualibus, disciplinis, cilicijs, & innocentissimâ oculorum atque animi puritate. Feliciorem te Achille, qui Homerum habuit laudatorem, si in portis mortis MARIAM habueris laudatricem! In morte felix noster Sebastianus, hoc nobis testamentum reliquit, omnes nos MARIÆ clientes agonizante voce sic allocutus: *O filij Adæ! Servite, & amate* MARIAM *diligentiùs? Nonscitis quàm vobis sit necessaria* MARIÆ *deprecatio!* Adverte quæso, quòd servias, quòd ames, nil dubito: adverte ad unum illud: *diligentiùs.* Diligentiâ ostende quantum diligas. ita gratias tibi aget verè immortales immortalis gratiarum immortalium Mater; ita & MARIA laudatissimâ laudatus, morte laudatissimâ morière; Dei laudator æternus! Ajunt nonnulli se id expertos, quòd nullus, aut

vix ullus, Sabbathi dies ita sit cœli injurijs obnoxius, quin aliquanto tamen tempore Solem ostendat. Ibis ad Sabbathum, ubi æternum serenum est, & sudum sinè nube cœlum semper. *Vide Annuas, & Kal. Marian. 6. Aug.*

## SABBATHVM V.

### *Hebdomadâ per Sabbathum excunte, Virgo Mater pro fortunato vitæ exitu imploranda.*

UT eò acriorem ad Sabbathinum Deiparæ cultum stimulum haberent Sodales, pro singulis Sabb. diebus plenarias pro B. Virginis Sodalibus concessas esse Indulgentias affirmat compend. Ind. Sodalit. Felix moritur cui plena peccatorum omnium amnistia conceditur. Quâ in re, pretiosissimum cultæ à se æternæ Virginis & Cœlitum, pretium tulit, suique nobis Sabbathinum reliquit mnemosynon Sanctus ille Suessionensium Pontifex Arnulphus. Cùm enim jam præ mortis foribus jaceret supremùm æger, Petrum Apostolorum beatissimum Primatem, illustrissimo cum Cœlitum comitatu lætus aspexit, lætiórque ab eodem audijt plenariâ indulgentiâ omnia illi totius vitæ jam dimissa errata: veniret securus vitæ perennis; patere jam cœli portas aureas ad auream æternitatem, ad Sabbathismum immortalitatis. Petro successit magnus cœlestis militiæ Archistrategus Michaël, glorioso Angelicæ militiæ cinctus exercitu; & suavi Arnulphum voce allocutus illi se ad ipsam usque Æternitatis Regiam fidum fore ducem comitémque unà cum omni suo beato agmine adpromisit. Adfuit, ut gaudium Arnulphi plenum esset, ipsa etiam Regina cœlestium gaudiorum Virgo, spectabili cœlestium Virginum Gynæceo cincta, disertéque dixit Arnulpho, jam fore ut ad æterna beatorum Civium gaudja abiret, & *unà cum illis*, inquit, *de meo mihi triumpho gratulabere.* Quocirca Mariano Sabbathi die, ante Virginis Assumptæ diem, ita obdormijt, ut felici illo suo somno nos excitet ut vigilemus, in cujusvis hebdomadæ imò diei cujusvis fine de vitæ fine solliciti, & pro quieto Sabbatho supplices ad MARIAM. Damnatus enim, nullam Sabbathi, nullam quietis partem capiet unquam, sed *laborabit in æternum.* Psal. 48. cujus laboris non erit finis. *Vide Lisiardum Episcopum in Vita S. Arnulphi.*

## SABBATHVM VI.

### *Tuas erga æternam Virginem, quas & ipse facis, & in alijs curas, devotiones, Sabbatho excole, acue, perfice.*

NEgabat Julianus *apud Niceph: hist: lib:* 10. *cap:* 22. faustum & felix quicquam evenire illis posse, qui Deorum Matrem remissiùs honorarent. Quod de Cybele dixit Augustus apostata;

ſtata; id nos de vera Dei Matre Virgine veriſſimum experimur. Experiêre fauſta & felicia omnia, ſi illam non remiſsè honorâris. Habes Gerardum Ungarum Chanadienſi Epiſcopatu, Venetum natalibus. Marianus hic Epiſcopus in reverentiam nominis MARIÆ nihil hoc nomine perentibus negabat. Ungaros ut MARIAM Dominam nuncuparent, neque ipſum illius nomen absque intimis extimísque ſingularis omnino reverentiæ ac religionis ſignis pronunciarent, vel pronunciari audirent, edocuit, zelo ſuo effecit, ut vero olim titulo, *Ungaria*, *Sanctæ* MARIÆ *familia*, *Ungari* MARIÆ *familiares aulici* dicerentur. Templum S. Georgio Martyri, & illic aram Immaculatæ ſemper Virgini poſuerat; ad quam, quotidianam piorum ſuorum pompam ducebat manè veſperíque quotidiè. Audite, pigra tempora! quotidie! manè, veſperique! Marianum inde ex argento thuribulum pro ara Virginis collocavit; duos canæ jam reverentiæ viros perpetuos adeſſe juſſit MARIÆ *ſervos uſque ad aras*: ut quod Veſtales olim Virgines faciebant pro aris ſuis, id ſenes illi pro aris Virginis facerent, æternúmque ignem ita illic ſervarent ſemper, *ut ne ullâ unquam horâ thymiama vaporans* deeſſet. Hæ ſunt orationes Sanctorum pro aris Marianis aſſurgentium in odorem ſuavitatis. Atque hæc Gerardus omnia Mariano Sabbathi die ita expoliebat erudiebátque, ut ſingulis Sabbathi diebus ita hebdomadam, quotidiéque geminata illa ſua & populi erga Virginem obſequia claudéret, ut ſingulos Sabbathi dies, ſolenni, novem, ut vocant, lectionum Officio MARIÆ faceret ſacroſanctos, & eam quæ tota in obſequijs Virgineis effluxerat hebdomadam, fine etiam laudatiſſimo, id eſt, ſolenni quaſi Aſſumptæ Virginis diem recoleret officio, pretioſis tenerísque de MARIA dictis laudibus, & odorato thymiamate coronaret. Ita ille claudebat hebdomadam Marianam Marianè. Tu ſic hebdomadas claude: & annos cœli æternos tibi per Mariam aperies, quando *feliciter* moriens diem claudes.

---

# SABBATHVM VII.

*Peculiare tibi ſtudium eſto, ut peculiare quodpiam lytrum pro animabus Purgatorij ſingulis Sabbathi diebus offeras.*

NEc ita pridem, nec adeo procul accidit id quod ex Illuſtriſſimi Archiep. Strig: authoritate approbata impreſſáque narratione refero. Joannes Clemens Poſonij Civis ſexagenario major, ſupremo tantùm ſeptennio Catholicus, at ſeriò pius, feliciter è vita ceſſit Anno 1641. Is vix dum elapſo à morte menſe integro, in Julio primùm, deinde facilè centies, diverſis vicibus, ac locis apparuit. Ajebat ille quidem ſe Sacramentali confeſſione antiquum quoddam ſuum homicidium, quod pro ducentorum florenorum pretio patrârat, eluiſſe quantum ad culpam, pœnas tamen ſe horrendas pati. Ergo uxori nunciat, ut ducentos flore-

nos pendat: illam esse summam sanguinis. Voviſſe ſe Deo ſtatuam Virginis Matris IESUM è Cruce depoſitum ulnis complexæ, quæ in ſummo Urbis templo collocari debeat: tria item Sacra, duodecim cereos, & nonnullam pro egenis eleemoſynam. Inde *Sabbatho* poſt diem cinerum, crebra in domo noctu lumina ad lucem perpetuam tranſijſſe Comitem Nicolaum Palffy Anno 1600. defunctum teſtata ſunt, id quod Joannis etiam anima retulit. Statuario tiliam pro Deiparæ ſtatua quærenti, ipſe Ioannes in ſpecie ſenis ſpectabilis indicavit. Poſtea & catenis, & igne, & profundis ejulatibus ac vocibus horridus apparebat. Crucem flammeam, panſam item dexteræ volam ita ijs quæ tangebat impreſſit, ut exureret, idque non ſemel. Crucifixum ſacris lypſanis pretioſum exoſculari juſſus, tertiò id fecit; & inter dextrum Chriſti brachium ac latus apertum in nova illa doloroſæ Virginis ſtatua collocavit, ſtolámque collo MARIÆ Virginis doloroſæ aptavit, & cereum benedictum Chriſto in ſinu Matris jacentis, in dextri pedis hians vulnus, velut in candelabrum impoſuit. Signa plura expoſcenti, reſpondit; ſe proximo *Sabbathi* die niveæ inſtar columbæ adfuturum. Omnibus verò audientibus, & ijs, qui vivum Joannem Clementem probiſſimè nôrant, vocem etiam agnoſcentibus, inter alias voce lachrymabili fuſas preces, ita diſtinctâ voce clarè ſuſpiravit: *O mi Deus, ó Domine mi! tu es ſolatium meum, & mea fortitudo! meum refugium, & mea ſpes!* Orantibus alijs, *Omnis ſpiritus laudet Dominum; Ita*, inquit ille, *& ego etiam.* Cùm alij orarent; *Requiem æternam dona ei Domine; miſerere ei Domine; parce ei Domine*, Joannis Clementis ſpiritus ter devotè ſubjunxit: *Amen, Amen, Amen!* Signa plura expetentibus ob hæreticos, reſpondit ea quæ dediſſet ſufficere: *Si hæretici*, inquiebat, *nolunt credere, Deus ſuo tempore ſufficientia illis ſigna dabit ut eſt. Qui credere vult, credat.* Et poſt plura talia: *O quàm magnas*, inquit, *pœnas ego ſum perpeſſus!* Et poſtea: *Magnas ago gratias ijs omnibus, qui me in hoc liberationis meæ opere adjuverunt. Dominus Deus, & ego reddemus mercedem.* Hæc ad verbum ex Germanico. Inductâ deinde fer. VI. ad S. Martini ædem principem illâ ſtatuâ Virginis doloroſæ, *promiſſo Sabbathi die*, 28. Junij, Anno 1642. ſuaviter candidulæ inſtar columbæ apparuiſſe fertur candidatus jam æternitatis, & *Sabbathi* æterni, illo ipſo *die Sabbathi* adeundi, felix Joannes Clemens.

En Mariano *Sabbathi* die liberatum ab igneo illo carcere Joannem in candicantis columbæ ſpecie, MARIA duce, comitibus Angelis in Sabbathum imperturbatæ quietis deductum! Taceo plura illa, per quæ illam Matris admirabilis ſtatuam à Ioanne adeò expetitam honorare velle videtur mirabilis in Matre ſua Deus. Certè Sabbathinis Litanijs, orphanorum precibus, eleemoſynis, non parùm acceſſit ad honorem Dei per Virginem quotidianis quidem, at Sabbathinis potiſſimum, honoribus iſthic honorari ſolitam. Habes, ſi bene ſingula in imagine contempleris, habes in illa IESU in MARIÆ ſinu jacentis ſtatua omnem felicis tuæ mortis imaginem,

nem. Habes IESUM & MARIAM, inter quos expirare desideras; ut cum Augustino, felix anima tua dum mundo vale, æternitati salve dicit inter labores agonis ultimi, in hoc IESU, in hâc MARIA, hinc lactetur ab ubere, hinc pascatur à vulnere: habes MARIAM, quæ sicut mortuum IESUM, ita te morientem sinu materno complecti parata est: habes pendulam è MARIÆ collo stolam candidam, imaginem illius, quam moriens expectas stolæ immortalitatis: habes inter apertum IESU latus & dextram manum, Crucifixum, inter cujus oscula vis animam deponere: habes denique, ut *æternam* Sabbathi *requiem* invenias, & *lux perpetua luceat* tibi, habes in hiante pedis vulnere cereum mortualem, quem manu teneas dum fidelis expiras. Superest ut Sabbathinum pro animabus lytrum liberaliter pendas. Utinam ad ultimum illum vitæ tuæ cereum in agone, præter & inter aliâ singularia dolorum illorum atque amaritudinum solatia, plurimas videas animas tuâ operâ ex illis ignibus liberatas!

## SABBATHVM VIII.

*Ægrorum servitio promptus, nullum Sabbathum vacuum præterlabi sinas, quin Patri misericordiarum per Matrem misericordiæ singulare quodpiam piæ commiserationis officium offeras in egenis. Illi fit quod illis.*

QUæsitissimis id modis egit S. Radegundis Clotarij Regis Regina conjunx, fæmina etiam in hoc exquisitæ laudis, tametsi illam non quæreret. Aliter illa secum, aliter cum alijs egit; egit verò quædam admiratione, quædam etiam imitatione laudanda. Ferreo cingulo adeo succinxit lumbos castissimos, ut sepultum viva in carne ferrum semel atque iterum inde fuerit erundum. Portandorum etiam in carne Christi stigmatum adeò avida, ut vivæ carni mortui Crucifixi IESU effigiem, sanctâ item IESU & MARIÆ nomina inusserit. Hæc tamen quia non vis, certè id quod sequitur, sequi saltem, si non assequi, poteris imitatione. Præter Marianam quadragesimam (sive jejunio exactos quadraginta quotannis in Deiparæ Virginis honorem dies) quot hebdomadis, ipso eidem Virginum Virgini sacro *Sabbathi* die, leprosum unum suismet ipsa manibus blandè abluebat, & ijs, quos eodem Mariano die ad mensam adhibebat egenis convivis ipsa serviebat ancilla. O Regina manus! Ecce ancilla Domina, ancilla Dominæ. Non vos exempla tam grandia penetrant, delicata capita, manus natæ ad mollia? Sanctum certè Bernardum ægrum, ipsa Virgo Dei Mater, infirmorum perfugium, Divis Laurentio & Benedicto stipata invisit: ipsa dolore affectam corporis partem indulgentissimè, unà cum Divis comitibus tractavit, morbúmque fugavit. Radbodum Episcopum item ægrum, ipsa cum Sanctis Thecla, & Agnete Virginibus adijt, & ad breve, quod adhuc supererat, vitæ curriculum laboriosè atque ardenter exantlandum animatum, persanavit.

Vete-

Vetera innuo. Inter nova censeri potest illud Bonifacij *lib. 3. hist: Virg: c. 3!* Inda cibi & propè vitæ jam plena fastidio, in valetudinario, Augustissimam cœlorum Reginam, Sanctis Catharinâ & Magdalenâ, quæ illi pedisequarum instar aderant, lances sustinentibus, ipsam ægros adijsse vidit, vidit plena gaudiorum gemmas illas MARIÆ, ut sic dicam, prodromas, suo etiam lectulo jam præsentes cum extensa mappa longè candidissima, & post dulcissima planéque cœlestia solatia dicentes audivit: illam quæ jam etiam illi, ut alijs, adsutura esset, cœli Reginam, se verò illius ancillas ac pedisequas esse. Vidit adventantem tandem ipsam, etiam apud alias visam, humilem Dei Matrem, & vultu oculisque blandissimùm tuentibus, sibi in os illâ cœlesti manu cibum imponentem, vidit, sensit, accepit: à quo illa cibo admirabiliter recreata, surrexit incolumis. Et verò multis gratabundorum vocibus circumiata major fama tradebat, in Mexicano illo Nosocomio, MARIAM suam sibi sedem delegisse. Meditare & tu, ad Radegundis Reginæ, ad Sanctorum Sanctarúmque Virginum, ad ipsius denique Dei Matris exemplar ingens, non absimilia imitamenta virtutis. Adjunge te MARIÆ ægris ministranti ministrum: & sicut illa è cœlo ad ægros descendit; ita tu cum illa ab ægris ascendes ad cœlum.

## SABBATHVM IX.

*Domi tuæ Sabbatho quovis unà tum tuis peculiari quoptam honore ac devotione Virginem Deiparam in sua imagine venerare.*

IN publicum prodire pietas potest ut luceat, meretur tamen æternam laudem etiam domi, si portâ tenus contineat sese. Neque timendum est, ut id quod latet intra domum, lateat cœlum. *In Annuis S. I. Lusit:* narrat *Bentius*, Lulæ, nobili apud Algarbios oppido, salutarium in fustina sua eum Virgini æternæ honorem habuisse, ut illam in ea, quam domi habebat, unà cum appenso illi Rosario, Beatissimæ Virginis iconem, & fusis crebris coram illa, tanquam sua, conjugis, ac liberorum parvulorum, totius denique pauperis domûs tutelari precibus, & accensâ quolibet *Sabbatho* lampade religiosè coleret. Anno 1587. sub finem Octobris, die *Sabbathi*, mira densáque è maris littore nubes vento quasi vecta, imbrem nunquam hactenus à memoria hominum visum cum fragore infudit in oppidum. Tres horas tenuit horrenda tempestas, & hortis atque aggeribus superfluens, octuaginta domos è fundamentis eluit, ducentas quassavit, oppidanorum plures dubios, timidos, palabundos, attonito tremore, ruinis, aquis, morte involvit. Aquæ, fragores, tenebræ, mugiens cœlum, lachrymabilis in omni ætate ac sexu ululatus, obequitantes umbræ fecerunt, ut omnes incerti consilij tremoréque absorpti, miserabili cæcitate ac surditate torperent. Alij ex aquis primùm pectore toto, postea ore tantùm extabant, postea vix visi. Domestica

ſtica ſupellex, alijs curta, alijs longior, & parietinæ ruinarum impediebant iter ad vitam, natabántque. Noſter hic Sabbathinæ ſuæ imaginis religioſus cultor, ſalutatâ illâ ſuâ imagine plus ultra ſutoris crepidam ſapuit, ac foras, ut pereuntem viciniam adjuvaret eripuit. Et hem cogitati & jam inchoati laboris ſocij, dum contra torrentem itur, amne omnes obruti, illo ſalvo. Ipſe puerum gurgite verticis volvi dum videt, aquis ereptum in Chriſtophoros quaſi humeros elevat, &, tu, inquit, quâ es ætate ſimplex ac innocens, Dei Matrem, ut nos liberet, comprecare. Ita ſe ac unà ſecum, inundanti periculo puerum eripuit. Domi alutaria omnis officina, calcei, crepidæ, ſubulæque & quicquid horum id genus loci eſſe conſvevit, ferebantur aquis, & natabant, plena omnia cataclyſmo domeſtico. Unica pia uxor, & pij quinque filij flexis religiosè genibus ante Sabbathinam, cuſtodémque domûs Deiparæ imaginem, comprecabantur effuſi in preces. Ubi autem reſedit multis decumanis pejor illa tempeſtas, venére in domum admiratores, qui lychnum Sabbathinum præ imagine Mariana penſilem ardere, & intactam ab exitialibus aquis imaginem, & ſalvam cum liberis orantem pij Sutoris conjugem ſtuperent, cùm tamen ſuperfuſam aquam ſtetiſſe viderent altiùs quàm vel imago unà cum ardente lampade, vel pia illa unà cum liberis fæmina fuerit. Debebatur hoc, aut certè dabatur liberali Dei manu, Sabbathinæ illi Patris-Matris filiorúmque familias pietati, cui fidelis & pia Dei Mater, quotidiani & Sabbathini præcipuè cultus pretium ſanctum Sabbatho pendere voluit, ut in domo illa, velut in nova & Mariana Noë arca, ij qui *ſub MARIÆ præſidium confugerant*, ſervarentur. Majora etiam his à Deo per Deiparam ſperare licebit, quando in univerſali illo orbis pereuntis fragore, in illa aquarum, ignis, ac elementorum omnium diſſolutione, inter ultimos agonizantis mundi tremores ac ululatus, in illo mundi Sabbatho, iſt eſt ultimo hebdomadarum omnium die, MARIA nobis beatum in materno ſuo ſinu faciet Sabbathiſmum, & quod conſummatæ jam felicitatis erit ſignum, nullus ad illum uſque ſinum, qui noſtram turbare quietem poſſit, fluctus aſſurget. MARIÆ imago bene ſolidéque culta, tibi in illo mundi cataclyſmo inter alias tabulas ſalutares erit, ut illam apprehendas, & evadas in io portum. Ita domi clauſo ſuper te oſtio orantem te & Pater æternus, & Mater exaudiet, & per Matris preces Pater tuas æternis præmijs non jam in abſcondito, ſed in domo æternitatis ſuæ coronabit.

---

# SABBATHVM X.

## *A Sabbathino carnium eſu, utpote graviter prohibito, etiam alios ut avertas, enitere.*

INdulgentioris cujusdam viri nobilis uxor, ſponte mariti, aut ſaltem illo non æquè ac debebat, ne delicatam offenderet, contraeunte, carnibus die Sabbathi veſci, non ſibi ducebat religioni

gioni, nec conscientiæ. Maritus, tametsi in Viennensi Convictorum Collegio in Catholico semper contubernio educatus id pensi non habebat, fortè quia sub aliorum aliarúmque exemplo excusatius accipiebat id quod in uxore videbat. Persvasum tamen mulieri est, ut si quam è sterili hactenus matrimonio cuperet prolem suscipere, caveret, ut ne temerario in Deum Deique Matrem, Matrum omnium Reginam ausu, Sabbathum carnibus temeraret. Valuit petitum à desiderata re argumentum. Neque sibi noxæ fuisse necessariam hanc pietatem sensit; nam ubi abstinuit, filium filiámque felici partu dedit, præmium abstinentiæ Sabbathinæ. Quâ re lætus uterque conjunx, in Mariano Collegij Societatis Iesu templo casulam auro textam, & calicem pretio atque arte pretiosum, Deo Deique Matri gratias dedit. *Vide Bencij in annuis Austriæ Varadiensem missionem.* Averte quos potes. *Adhuc esca eorum erunt in ore eorum, & ira Dei descendet super eos*, qui aliquot carnis bolis vendunt æternam in cœlo satietatem, emunt æternam in inferno famem. Unde quia ij quorum Deus venter, dea caro est, alumni diaboli carnibus vescuntur, etiam Sabbatho: complures boni Mariæ filij eo die etiam à cæna abstinent, quæ aliàs licet. Ergo averte quos potes. Fecit id An. 1593. 8. Febr: P. Iacobus Salesius Soc: Iesu, vir linguarum, Philosophiæ, Theologiæque peritissimus, & præcipuo erga sanctissimam Eucharistiæ Synaxim affectu. Is in Indica profectione prædatrium Calvini ministrorum factus est adhuc in Gallia; *Cùm enim illi disputatione (qua fortè ob jusculum è carne, quod Sabbatho oblatum Salesius rejecerat, nata erat) succumberent, ab uno eorum commota multitudo, illum unà cum socio ad eadem postulavit. Ibi Salesius suis hostibus veniam orans, primùm scloposecundùm humerum appetitur, ac deinde IESUM ingeminans, ferro confoditur*; in cujus amplexu etiam Guilielmus Saltamochius, itineris ac mortis felicis socius, cùm ab illo moriente, in vita ne desereretur oraret, pugionibus ab ijsdem confossus est. *Turscll. in Annuis Lugdun.* Ecce Eleazari, Sabbathini Mariani! Tulêre Sabbathinæ religionis ac zeli quasi pretium pretiosam mortem. Horrendam tulit petulans illa hæretica, quæ, ut est *in Annuis Soc: Iesu Anno 1592.* cùm inter Catholicos habitaret, protervè ausa est peccare in Sabbathum. Sed ut primum carnis bolum in os ingessit, ultimus ille illi bolus fuit. Nam extincta repentè pro bolo accepto animam miserabilem dedit.

## SABBATHVM XI.

*Cùm semper, tum Sabbatho vide ut nemini sis ulla ex parte molestus. Iejunium Sabbathinum Deo per Deiparam dedica. Aleas, & malam societatem, tanquam infernum cave.*

Fuit

FUit prope Tridentum vir divinorum omninò rudis, & projectæ præcipitísque ad omnem latrociniorum licentiam audaciæ facinoribus coopertus. Hic etsi per omnem vitam frugi non esse certum haberet, unum tamen pietatis obsequium, id quod è quopiam de divinis rebus habito colloquio didicerat, admisit in pectus. Eo in colloquio (plura certè facturus, si plura id generis audisset, legisset) miras Virginis Dei Matris die Sabbathi colendæ laudes cùm audisset, statuit, statítque sententiæ, ut Sabbatho neminem læderet, ac religioso cumprimis jejunio diem illum haberet sanctum. Existimabat pro sua tenuitate multùm se, si id faceret, facturum, homo idiota. A Magistratu Sabbatho, ut ajunt, quòd eo die se defendere ne ullum læderet nonvellet, comprehensus, parci sibi noluit. Malle se pro hoc quàm æterno tribunali pœnas luere. Morti tamen, omni quo par erat paratu, ac pœnitentialibus lachrymis instructus, palàm fassus est, dolere se intimè, quòd unica illa chari sibi Sabbathi devotione exceptâ, nihil per omnem vitam egisset boni. Ita capite plexus, ac humatus est. At nocte proximâ adfuit super sepulchrum è cœlo lux: unitum divinitùs corpori trunco caput, & à quinque cœlestibus admirabilique luce radiantibus Matronis curatum, ac pretioso ignotæ prorsus speciei velo contectum. Delatum ad Urbis usque portam cœlestibus manibus feretrum. Tum illa, quæ præ quinque reliquis augustior eminebat majestate cœlesti Virgo, spectantibus omnia & admirantibus custodibus præcepit, irent, Episcopo nunciarent, ut cadaver illud primo mane in templo vicino ritè cum honore sepeliat. Fecit id volens lubénsque Episcopus, & omnis ætas, & sexus, ac ordo, adeò luculento Sabbathinæ devotionis exemplo, usque adeo ad colendam hoc etiam modo divinam Virginem exarsit, ut essent paucissimi adultorum, qui Deo per MARIAM Sabbathinum jejunium non offerrent, ad obtinendam veram de peccatis & in vita, & in morte contritionem, atque confessionem. *Vide Spec. dist. 6. n. 65.* Minus antiquum est Sabbathinæ pietati promovendæ aptum exemplum, quod Soc. JESU Annuæ Anno 1585. referunt contigisse. In Lusitania miles templum petiturus, à sociis ad aleas avocatus, illic perdit omnia, & desperatus, à dæmone vult abripi præda æterna. Cúmque non adesset vocatus dæmon, An, inquit, auditis? An temerè præstigijs deceptus inanibus, dæmones, cùm nulli sint, esse credo? Dejectus humi repentè divina quadam vi, mutus fit atque surdus, & per dies aliquot instar cadaveris jacet. In valetudinario postea in eos, à quibus invisebatur muto furore rabidus, irruebat ut canis. Ubi tamen à furore habere per intervalla cœpit mitiùs, is qui ægrum invisebat è Societate JESU Pater, muto illi & surdo per signa persuadet, ad implorandam Dei misericordiam animum adijciat. Paruit ille, & jam per templa lachrymans circumibat spectaculum tremendum. Tandem adsunt Patres ejusdem Societ. alij, & hominem scripto instituunt, ut ad communem omnium afflictorum consolatricem se conferat supplex: per illam misericordiam reperturum. Ergo Sabbatho coram B. M.

V. prostratus imagine, diu multúmque oravit mutis lachrymis. Repentinâ verò sensu intimo voluptate sentiens se perfundi (ut postea referebat) aliquod à Matre misericordiæ munus se accipere sibi videbatur. Tum in Marianum sacellum ingressus lychni pensilis oleo fauces linit, iterùm ardenter precatur: & in ipso orationis æstu oranti & lachrymanti vox redit. Enimverò tunc ille à beneficio lætus, à miraculo stupefactus, ab utroque factus ardentior, Dei Deique Matris laudes jam non mutus eloquitur, atque se ponit perpetuum gratiarum actionis anathema, dum cingulo militari se absolvit perpetuus Marianæ illius ædis minister factus in recordationem beneficij Sabbathini. Neque postea inde discessit. illic à dæmonibus olim vocatis securus sub Domina Advocata MARIA quietus. Tu quotidie cor Sabbathinum gere, id est quietum. Sabbathismus cordis, bona conscientia. Serva Sabbathinum cor, conforme cordi Dominico, ne illud inconstanti Lunæ, ne furioso Marti, ne furi garrulóque ac semper dolorum aliquid architectanti Mercurio, ne superbo, & effrenatâ quadam lætitiâ magis quàm par est joviali Iovi, ne denique non satis verecundæ, ut modestè dicam, Veneri, concede. *Denique* inquit apud Rhodig: 7 Antiquarum lect: c. 43 Augustinus, *tranquilla mentis conscientia Sabbathum est*, futuri spe surrecta, *& præsentium inconcussa turbinibus. In cordis Sabbatho illud primum est, ut bona nostra Deo contribuamus, mala nobis.* Multis ille cum Christo crucifixus, & ad Paradisum admissus latro scandalum fuit: Vide ne hic MARIÆ datus latro tibi sit scandalo, sed exemplo, ut id quod in illo fuit optimum imiteris.

## SABBATHVM XII.

### *In gratiam Natalis Matris Dei, offer Sabbatho quovis S. Annæ Matri Matris Dei aliquid obsequij singularis.*

MARIAM, de qua natus est IESUS, die Sabbathi natam esse passim scribitur ab eruditis Marianis. September Deiparæ natalis, apud Hebræos fortitudinum seu virium Mensis est, eò quòd Mense illo natos asseverent fortes mundi. S. Birgittæ, magnæ illi Videnti, revelatum è cœlo est, nascente beatissimâ hac nostrâ tunc infante, beata illa cœlestium spirituum agmina singulari perfusa gaudio exultâsse, id quod delabi quot annis ipso natæ Divæ Deiparæ die seu nocte solitus è cœlo super natalem Virginis Laureti domum ignis testatus est. Utinam ille, ille tam secretâ cordisque palato amicâ suavitate descendens ignis, singulis tuorum Sabbathorum diebus in pectus descendat tuum, ut si quid per hebdomadam sancti caloris decessit, id omne accendatur & ardeat Sabbathinis ignibus renovatum! Certè hodierni Sabbathinæ aræ ignes sunt hesternis Veneris ignibus puriores; & illis Veneris ignibus, ignis æternus: Sabbathinis verò, æternum

num Sabbathum emitur. Quid si ergo singulari te Xenio & Matri & Filiæ, & majoribus Nepoti Annæ, MARIÆ & Filio IESU devoveas? Exoriente aurorâ natam esse, à cœlo didicimus, idque Sabbatho: quid si hodie incipias auroræ magis amicus esse; ut id quod superfluo detrahes somno (id quod somnolentis MARIÆ clientulis impossibile factu est) addas Marianæ pietati? Quotannis Natalem Deiparæ Matris diem, cœlesti musicâ festum habuêre Symphoniæ omnium suavissimæ musici Angeli: quid si renovatâ cordis cum Deo Symphoniâ festum Angelis facias, ut sit gaudium die Sabbathi in cœlo super te, quondam & fortè nunc etiam peccatore pœnitentiam in terris cùm quotidie, tum vel maximè die Sabbathi facienre? Quid si demum S. Joachimo sanctissimæ Deiparæ Patri, & S. Annæ Matris Dei Matri Matre suâ sanctiori, supplex hodie fias, ut felices tibi per illam apud Deum in æterno Sabbatho Natales procures? Ita sanctus ille Martyr (*apud Raulinum ser. 1. de Nativ. B. V.*) vidit lætantium cœlestium Spirituum agmina gloriosa, & plena triumphorum, plena odorum omnia. Ubique cœli lumina, commeantibus hinc atque inde undique ephebis gloriæ, Vidit portas cœli aperiri pompâ lætissimâ, & audivit Natales MARIÆ triumphos celebrari. Ita natalem Dei Matris Sabbathi diem celebrat cœlum exemplum terræ. I, & Annæ parienti parentem Dei gratulare, ac te devove, si non quotidie, certè quovis Sabbatho. Memoimus sanctæ Matri Annæ devoto cuidam, sub mortem adfuisse Annæ filiam, IESU Matrem Virginem gloriosam, & illum (an non ideo quia sanctæ Annæ Matri verè devotus vixit?) fratrem suum appellâsse, quódque Matri suæ Annæ addictus fuisset in vita semper hactenus, laudâsse, atque ideo se cum IESU Filio suo infernum coram illo clausuram, ne illuc ingrediatur, promisisse: denique felicem devoti IESU MARIÆ, & ANNÆ clientis animam ad Sabbathum nulli labori, ad natales nulli morti obnoxios abduxisse. Esto Annæ illius filius, ut Mariæ sis frater, & nobilissimæ, imò illustrissimæ, serenissimæ, augustissimæ ac divinæ illius familiæ privilegijs gaudeas. Iam corde puro dic sacramentum sanctæ Matri Annæ coram IESV & MARIA.

## FORMVLA DEVOVENDI SE SANCTÆ ANNÆ.

*SAncta ANNA S. MARIÆ Matris Dei & Virginis Mater sancta, quæ illam de qua sinè macula conceptus est, & de qua Virgine sinè macula natus est IESUS, nullam maculam habentem concepisti, & felicissimè peperisti, Ego NN. licet undecunque Dei ac tuo servitio indignissimus, fretus tamen pietate IESU nepotis tui, & intercessione MARIÆ Matris IESU filiæ tuæ, te hodie pro vitâ, morte, ac totâ æternitate meâ, post IESUM & MARIAM, in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo; ac propo-*

*no, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, facturum, neque permissurum, ut à meis subditis contra tui IESU, tuæ MARIÆ filiæ tuimque honorem aliquid unquam agatur. Suscipe me ergo, & IESU tuo, MARIÆ filiæ tuæ commenda in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, ut omnes ad majorem IESU & MARIÆ gloriam faciam; nec me deseras unà cum MARIA Deipara Virgine filia tua in hora mortis meæ; sed impetra, ut DEUM & hominem IESUM unà cum MARIA filia tua sancta, & tecum, æternùm videam, amem, laudem in æternitate sancta, Amen.*

---

# SABBATHVM XIII.

## *Sabbatho vires tibi & arma è Dei armamentario per MARIÆ intercessionem para pro tota vita contra tentationes omnes.*

NOn tantùm ad aras usque, id est usque ad sacra, usque ad rosaria, & preces, amica nobis esse debet Mater Deipara; verùm pro aris & focis, in templo & domi. Observa qui sis, explora pectus, cor excute, & ad quod vitij genus te videris inclinatum magis, ab illo ut abstineas hodie vide; ídque age quotidie, ut singulari studio, nervísque totius animi, singularem quempiam animi tui hostem quasi ad singulare certamen provoces duello Mariano. Assuesce hostem nunc vincere, ne te ille, damno nunquam reparabili, vincat in supremo agone. Mannus *cap.* 80. *hist.* author est, fœminam specie nobili, sed lubrico cœno sordidam fuisse, quæ publico luxui patebat liberalis lupa. Tota illi hebdomada dies Veneris erat. Sed Veneris diem Sabbathi dies subsecutus est lentis quidem principijs, at successu felici. Nam semper licet esset projecta ad fornices, tamen Sabbatho casta erat honori Matris castissimæ, ut ab his rudimentis casta semper esse posset ac vellet. Inde factum, ut tota illi hebdomada è die Veneris in castum Sabbathum verteretur, & jam nullo hebdomadæ die placeret, quod hactenus tantùm die Sabbathi displicebat. Ita illi castissimâ imitatione Sabbatum facta est hebdomada; cùm aliàs hebræi singulos hebdomadæ dies, primam, secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam Sabbathi nuncupârint. Aderat fortè vir & forma liberalis, & manu ad emendum scelus, sed cum generosâ repulsâ hoc responsum tulit: SABBATHI Virginei diem esse. A die Sabbathi se castitatem pro tota hebdomada, & omnibus vitæ purioris jam futuræ annis didicisse. Iam nec precario, nec empto scelere velle se animum contaminare, vel corpus; malle vitâ quàm castitate concedere, ídque certò, & semper sinè ullo spei lenocinio, sinè ullo vel mortem indicentis metu. Esse sibi in votis inscribi cœnobio, & sacro flammeo velare pœnitens caput; sed aurum sibi deesse pro religiosa dote. Obstupuit castâ oratione persuasissimus

mus nobilis vir, & se flagitij condemnans, laudatissimæ mulieris castitati auri tantùm liberali manu dedit, quantum illi pro nuptiali inter JESU Sponsas dote cumulatè suffecit. Tulit illa majus longæ repulsæ datæ præmium, quàm pretium tulisset pœnitendi facinoris. Tu ad Virginem, certum tentatorum asylum, velut ad Pharum Dei recurre, juxta communem jam illam Mariani Doctoris Bernardi vocem sermone 2. *super Missus. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellam, voca MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientia foditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitia, desperationis abysso; cogita MARIAM. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde.* Modum verò impetrandi suggerit dum addit: *& ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.*

AN-

# ANNI MARIANI

## PARS II.

### SABBATHVM XIV.

*Quovis die Sabbathi peculiari cum animi apparatu adesto Sacro: aut si Sacerdos sis, illud facere ne intermitte.*

JOannes Xantensis, primarius vir, & oculatus rei testis, Cæsario, Cæsarius nobis ex Ioannis & integerrimi unius Cœnobij ore *lib. 7. dial. cap. 24.* retulit rem lectione atque admiratione longè dignissimam. Neque minora ferimus, dum rem tot spectatam oculis narramus. Duo spectatæ religionis Sacerdotes proximum quod per iter occurrebat templum conspicati, cùm sacro etiam apparatu instructi essent, eamus, ajebant, & quia Sabbathum est, DEUM in MARIA, Sacro (id est, maximo quo possumus obsequio) veneremur. Ergo eorum alterum Sabbathino illi Sacro de Virgine Matre faciendo intentum, ad aras usque inimica hæreticorum manus indignis raptatum modis, linguâ etiam mutilum, & barbaram rabiem ore muto & sanguine loquentem reliquit in certam prædam seu vitæ seu mortis. Verùm à pio itineris comite ad Cluniacense abductus Cœnobium, elinguis loquebatur cœlo tantùm, cùm terris non posset nisi nutu, quo facilè regebat pronam ad obsequendum optimorum Patrum caritatem. Nocte itaque in sacrum Epiphaniæ diem eunte, cùm alios ad matutinas Deo laudes persolvendas ad odeum abire persentiret, neque aliter ad se ullum quàm scipionis strepitu evocare posset; evocavit demum, & digito loquente persvasit, ut ad ædem sacram, ad aram deferretur. Ibi verò quid ille oratore corde, quámque ad persvadendum appositè dixerit, facile est advertere, cùm sciamus à Deo & Deipara benevo-

nevolis auribus auditum. Adfuit oranti Virgo, (qualis, & quanta, illius muti silentium, cor, linguam, oculósque interroga!) manibúsque linguam ferens, ait, quandoquidem in Sabbathino ad aram sacrificio, in Filij & Matris honorem amisisset linguam, novam se illi dare. Et os aperite jussio, virgineos digitos ipsa in os intulit, linguam ipsa imposuit, aptavitque antiquæ radici feliciter, & videri desijt: amari tamen, teneri corde, prædicari novâ linguâ non desijt. Sacerdos ergo elinguis hactenus cùm præclaram adeo linguam, ab eadem, à qua S. Joannes Damascenus abscissam antea manum receperat Virgine, recepisset, primum novæ linguæ munus, plenâ, novâ, & Cœnobitis illis hactenus non auditâ voce totum Angelicum Ave Maria ita ut ab Ecclesia dici consvevit, pronunciat, medullis intus calentibus & pectore in suave gaudium dilatato. Audita nova hominis vox ab alijs, & omne mox Cœnobium rumor incessit novus. Accurritur. Omnium admiratione mixta lætitia audit, stupet! Muta primùm fuit viso loquente muto admiratio: at postea & ipsa facta vocalior, alijs aliisue narravit quod viderat. Laudabatur admirabilis & amabilis in filijs suis Mater, & in Matre sua Deus. Ipse vero Cœnobio se dedit, factus religiosa grati animi victima. Curiosis tamen exploratoribus oculis, candidior visa est linguæ quam Virgo dederat caro præ reliqua: & nullo oculo dubitante, apparebat novam antiquæ radici linguam quasi inoculatam, insitâmque impositio in veterem veluti truncum ramum novo. Facilè item erat è colore argumentari, ubi esset miraculi tanti vestigium. O tales nobis à DEO, MARIA! Utinam plena sint ora omnia linguis talibus, linguis candidis, linguis Marianis ad loquenda, disertis, ad tacenda elinguibus, linguis quarum verbum sit DEUS, & MARIA Mater Verbi.

---

# SABBATHVM XV.

*Sabbatho renova tuas circa latentem in Eucharistico Sacramento Virginis Filium Deum devotiones. Et si Sacramentali non potes, spirituali (id quod semper potes) communione, aliisque modis Sanctissimum Sacramentum cole, & illi esto constanter addictus.*

QUem testa prima odorem, quem lana prima colorem, quam prima ætas virtutis aut vitij tincturam jejuno quasi adhuc ore bibit, illam imbibit, nec aliam sinè insigni longóque labore admittit. Anno 1610 Cracoviæ, (quæ Polonis meritò Roma, sicut Czestochovia Lauretum, & Calvariæ locus Hierosolyma est) non ita pridem autoratus Mariano Sodalitio adolescens à virtute planè instructus, arctè institutum illud amplexus est quâ ferè solemus manu tenere id quod primum novúmque tenemus. Conceptorum ille pri-

primorum ignium retinentissimus sub primum diluculum ad precandum surgebat matutinus & impiger ante omnes primus. Et verò Mariani stellam matutinam suæ illius matutinæ solertiæ, ac excitatæ industriæ pretium vidit in horto suavissimarum amœnitatum delicijs supra omnes pictorum vel cogitatorum hactenus hortorum paradisorúmque delicias suavissimo glorioſam, vocémque audijt quâ Parthenius hic tyro ad contemplandam cœlestem Dei Matris Virginis pulchritudinem excitabatur. Quæ res Mariani Novitij cor tenerum tantis quantas ne ipse quidem explicare poterat delicijs implevit, effecitque, ut felicissimus ille Mariæ Novitius post spectatam omni humani cordis amore superiorem illam pulchritudinem, Marianis Sabbathi diebus non nisi Sacrosancto IESU corpore in Eucharistico epulo sit refectus, nullo præterea per totum Sabbathi diem cibo admisso. S. Augustin. *ep.* 118. *apud P. Scherer conc.* 3. *Dom.* 7. *post Pentec.* testis est, apud veteres Christianos alicubi singulis Sabbathi diebus communionem fuisse in usu. Ita ille usum veterem in se laudatissimè renovavit. Et certè iste est pretiosissimus, & MARIÆ IESU Matri longè acceptissimus Sabbathismus, IESUM colere in Eucharistia summo quo potes cultu. Fuit id solatio S. Soc. IESU Patriarchæ Ignatio, quòd crederet illam se IESU carnem in Eucharistia sumere, quam è Beatissimæ Virginis Matris utero assumpsit Verbum caro factum. Catholicum hoc dogma est. Vide Costerum de Euchar. *controv.* 8. *argumento* 10. apud quem primus Bertramus quidam, obscurus homo, circa Annum Dom. 830. adversus Paschasium Radbertum scribere est ausus, ac improbare quòd Paschasius Christi carnem in Eucharistia eandem esse dixisset, quæ nata esset ex Virgine MARIA. Taceant si qui sunt, Bertrami, & hanc non hæresim esse, verùm Catholicam veritatem, discant. Catholicus fuit Sanctus ille Regni Catholici Pontifex, B. Thomas à Villanova Archiep. Valentinus *serm.* 1. de corp. Christi loquens: *In sacro Virginis utero formatus cibus*, inquit. Huic nec doctrina ut fuerit deceptus, nec sanctitas ut decipere nos voluerit, defuit.

Catholicus fuit sanctissimus Ecclesiæ Doctor Ambrosius. Vide illum de cons. *dist.* 2. *can.* omnib. & apud Valentiam *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 3. *pag.* 114. & *lib. de ijs qui myster. initian. cap.* 9. de Eucharistia loquentem: *Et hoc*, inquit, *quod facimus, corpus ex Virgine est.* Atque hoc sensu intelligunt sapientes, quando audiunt in Eucharistia Beatissimæ Virginis carnem esse; Caro enim Christi, quæ illic sumitur secundùm quasdam sui partes, cordis, oculorum, & plurium similium, eadem est in Christo, quæ è purissimæ Virginis Matris sanguine facta est, quando Verbum caro factum est in Virgine, incarnatum de Spiritu Sancto. Potest Beatis. Vde eodem de quo Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, dicere: *Hæc caro de carne mea*; Nam sicut Christus fuit Deus de Deo Patre sine Matre; ita fuit homo de homine Matre sinè Patre: unde totum illud quod è Virgine natum est Christi corpus, totum fuit è sola Virgine Matre, cùm Patrem hominem Christus non habuerit. Quare ad hoc

Sacra-

Sacramentum conficiendum ad aras accessurus idem sanctissimus Doctor Ambrosius, postquam de Christo pane vivo convivium petivit pro animabus purgatorij, *qui*, inquit, *dat vitam mundo de tua carne sancta, & benedicta, quæ de sancto & glorioso Beata Virginis MARIÆ utero est assumpta.*

Catholicus fuit, Theologus Sent. Magister, qui lib. 4. dist. 11. ita habet: *Panem ipsum quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo, qui manu Spiritus Sancti formatus est in utero Virginis. Filius autem DEI*, ait S. Ioannes Damascenus, lib. 3. fidei c. 2. *construxit sibi ipsi è castis, & purissimis sanguinibus carnem animatam animâ rationali.* Certè aliam nobis carnem non dedit. *Eadem est caro*, inquit Petrus Blesensis tract. de Eucharistia c. 1. *tum de Virgine nata & caro nunc Verbo vita de pane sacrata.* Catholicus fuit S. Epiphanius ser. de laud. Deip. ubi illam in hunc modum, sed cum grano Catholici salis intelligendum, salutat: *Ave fabaris arca*, CIBI CÆLESTIS. Vngari, familiari vocabulo, si quem sibi sanguine junctum dicant, ajunt Petrum vel Paulum esse suum sanguinem: si fratrē Germanum esse dicant alicujus, ajunt: Hic unum corpus, & unus sanguis est cum illo. Gen. 29. Laban *cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ &c.* eum allocutus, dixit: *Os meum es, & caro mea.* Certè Christus in Eucharistia non est filius sororis MARIÆ, sed ipsius MARIÆ filius, quidni ergo majore ac veriore verbo ac jure quàm Iacobo Laban dicere MARIA possit latenti in Eucharistia Christo: *Os meum es, & caro mea.*

1. Paralip. 11. vers. 1. *Congregatus est omnis Israel ad David in Hebron dicens: Os tuum sumus, & caro tua.* Potest verius latens in Eucharistia Christus Matri suæ dicere, quàm Davidi omnis Israël: *Os tuum sum, & caro tua.* Inde intelliges quo sensu dicatur, cùm dicitur, MARIÆ carnem esse in Eucharistia. IESVS enim MARIÆ filius ideoq; ejusdem caro cùm sit, & sit in Eucharistia, benè id dici intelligit, qui Catholicè mavult sapere, quàm indoctè argutari circa ea, quæ non intelligit, & fortè vix credit.

Catholicus denique S. Augustinus, qui quàm breviter tam clarè & fortiter insignem Bertramistarum retundit credendi tarditatem tomo. 9. lib. un. de Assumptione B. Mariæ Virginis ubi c. 5. *Caro*, inquit, IESV, *caro est* MARIÆ, &c. *Caro Christi, quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen manſit, quæ suscepta est de Maria.* Et in Psalm. 98. *De carne Mariæ carnem accepit & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Consentit cum Augustino potiùs quàm cum Bertramistis Arnoldus Carnotensis tract. de laud. Mar. *Vna est* MARIÆ & CHRISTI *caro.*

Et certum est, ipso Christo teste, eum qui pro nobis traditus est sanguinem in Eucharistia sumi: is autem est de sanguine Virginis Matris. Hinc Euseb. Emiss. hom. 1. de Nativit. Dom. *Sanguinem*, inquit, *quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit, &c.* Et subdit. *Illud absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus.*

Ex his Sanctorum Patrum dictis sic

ratiocinamur Catholici. Caro Christi nata de Virgine Maria est caro de carne Mariæ, ut ait S. Augustinus cit. S. Greg. l. 9 Regist. ep. 61. Syn. 6. Act. 16. Atqui eadem est caro Christi in Eucharistia, quæ est nata de Virgine Maria; ergo caro Christi in Eucharistia est de carne Mariæ, consequenter in Eucharistia sumimus carnem, quæ aliquando fuit Mariæ. Itaq; non minùs verè, quàm piè dicere possemus: *nullas in orbe terrarum certas magis aut magis pretiosas esse Deipara reliquias, quàm eam quæ in Eucharistia est Christi carnem.*

## SABBATHVM XVI.

### *Occupationibus secularibus aliquid detrahendum, & illud tempus non avarè spiritualibus occupationibus transcribendum Sabbatho.*

THeatr. vetq vitæ hũ. vol. 27. li. 3. ex H. Boëtij lib. 13. narrat Anno 1202. à Scotis decretum pleno Senatûs consulto, ut *dies Sabbathi ab hora duodecima dies sacer esset, neque quisquam res profanas, quemadmodum festis diebus vetitum erat, exerceret: idq; campana sono populo indicaretur, ac potius sacris rebus operam darent, concionibus interessent, vesperas audirent: idque usque in diem Luna facerent, constitutâ adversùs contemptores gravi multâ.* Quiesce die septimo nonnihil à laboribus tuis, & illum diem cogita, ad illum te para, sepone horam unam vel alteram pro illius diei solatio, quo requiescas à laboribus tuis. Pindarus Lyricus ab oraculo scisciatus, quid optimum homini accideret, responsum tulit: *Id quod Agamedi, & Trophonio accidisset.* Hi Delphico templo condito, petitâque ab Apolline mercede, jussi sunt bono esse animo, & *in diem septimum expectare.* Nocte igitur septimâ placidè obiêre. Ama templum, & templum tibi condes in æternitate. operæ pretium erit ut bono sis animo, ut septimo id est ultimo ultimæ tuæ hebdomadæ die talem habeas diem Sabbathi benedicti. Gen. 2. *DEVS requievit die septimo ab universo opere quod patrârat. Et benedixit diei septimo; & sanctificavit illum.* Adrichomius refert in descript. terræ sanctæ, fontem illum in Ægypto, in quo peregrina Virgo Mater Iesulum lavit, dictum fontem IESV, eoque hortum balsami irrigari, & quia sanctus iste fonticulus minor est, quàm ut toti horto sufficiat, aliunde aquam à bobus artificio trahi. *Verumtamen*, inquit admirans Adrichomius, *à meridie Sabbathi, usque ad auroram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahendâ aquâ laborent.* Quiesce & tu modicum ab opere, ab occupationibus tuis, & ora ut diem Sabbathi tui, quietis tuæ, mortis tuæ quo requiescas ab universo bono & malo opere quod per omnes vitæ dies patrasti, *benedicat*, cumq; *sanctificet.* Si enim dies ille tibi fuerit benedictus & sanctificatus, benedictam & sanctam habebis inter immortales æternitatem. Neque in damno unam alteramvè horam illam à mortalibus curis ad immortales translatam, verùm

verùm in lucro repone. Miserum est æternitatem in secundis, imò in postremis ponere post lucellum tenue, & facere, quod impius Ethnicus dixit, *Quærenda pecunia primùm est; Virtus post nummos.* Hoc est quærere primum hæc omnia, & postea velle sibi per modum paralipomeni auctarij, mantissæ, vel appendicis, appendi Regnum Dei, cùm tamen primùm quærendum sit Regnum Dei Christi jussu, qui etiam addidit, hæc omnia adjicienda esse nobis. Omnis nobis hora, quam Deo damus est parvum seculum, quasi illi exprobremus temporis quod illi impendimus longitudinem. Ita quædam quasi æternitas videtur orare, legere, sacro vel concioni aures dare diutiùs; cùm tamen horæ omnes quas mensis, quas negotijs vel serijs vel ludicris, quas somno, quas lucris, quas denique tempori damus puncta nobis temporis, & horæ alatæ videantur. Disce à rustico meliora, de quo Th. Cantipratanus lib. 2. c. 50. Is messor cùm esset, die Sabbathi falcarios suos socios piè adhortatus est, ut labore sub adultum, & occidentem jam Sabbathi diem tantisper intermisso, ad sacram ædem sese ad preces conferrent. At surdos duroscque ubi advertit, rogare desijt, ne verba & tempus perderet. Ergo ipse falcem cum Deiparæ Virginis coronâ commutat, ad templum adit, ibi conscientiam ritè expiat Synaxi sanctâ posterâ Dominicâ sanctè refectus, & Lunæ die ad falcem Sabbatho abjectam redux. Cùm verò sublatis petulantibus cachinnis à sociorum cætu rideretur, quòd ipsi agellum jam suũ messuissent, ipse verò devotè deles agelli sui messor haberet adhuc agendum id quod ab alijs actum jam erat, nil ipse verba cachinnis exacuta moratus, bonâ aure tulit verba non bona, nec tristi aure cachinnos audijt; verùm, pro more, à sancto Crucifixi Dei signo laborem auspicatus, immissâ messi in Dei & Mariæ Dei Matris nomine falce, latens in herba Sabbathinæ suæ devotæque cessationis pretium reperit in fortuna aurea. In primo enim falcis hemicyclo seu tractu, sub demessâ illo tractu messe magnum auri obryzi pondus lætus invenit, cum hac epigraphe: Hanc illi auri massam à Deo Deiq; Matre mitti in signum amabile, quòd sacrum *Sabbathi* diem honorârit; in cælo autem æternam illi coronam paratam. Hinc ille locupletatus ad magnas evasit divitias, irrisoribus illis mæsto illi oculo Sabbathinam aureamq; fortunam invidentibus, & Mariam etiam in fortunæ bonis optimam suorum Matrem æstimantibus. Nolim tamen te, prætexti pietatis, officio tuo deesse die Sabbathi, & esse è Dositheis illis Judæis unum, (de quibus Corn. in c. 3. epist ad Philipp.) qui in tanta superstitione habuerunt diem Sabbathi, ut toto die Sabbathi eodem in situ manerent Dosithei omnes. Ita te pietati singulari da, ut necessarijs non desis, quæ sunt muneris tui. Si salvis omnibus plus temporis dare potes devotioni Sabbatho, da liberaliter. Videtur usu jam recepto in Sabbathinum Deiparæ cultum conspirasse mundi melioris pars selectior. Illam sequere. Immensum omninò aureæ in cælo gloriæ pondus operabitur in te modicum sancti Deo in Dei Matre impensi officij, scribeturque charactere auri obryzi, quicquid liberali ma-

nu posueris in libro Deiparæ ad rationes DEI, ad rationes tuas æternas. Scias verò quantumcunque ad DEI Deiparæque obsequia feceris expensarum, quicquid conatuum, *librum acceptorum* à DEO per MARIAM beneficiorum, semper majorē fore, quàm librum *datorum* seu *expensorum* DEI & MARIÆ honori ac amori conatuum, laborum, sudorum.

## SABBATHVM XVII.

### *Sabbatho quomodo jejunandum & ipse disce, & alios doce.*

SAbbathinorum dehonestamenta sunt jejuniorum, qui Sabbathinæ abstinentiæ retinentissimi, Sabbathis omnibus jejunant toti, ut reliquis diebus in lustris & ganeis voluantur toti. Vix ultra popinalem Epicuri doctrinam sapiunt diebus omnibus, unico Sabbathi die contenti frugi esse. Quod uni, alterive non tam è præsumptione, quàm simplici ruditate, singularique DEI etiam è Cruce supremâ ferè vitæ horâ latronem ad Paradisum admittentis benignitate successit, id omnibus non succedet.

Notus ille latronum anteſignanus *Stellarij p.* 2. lib. 12. a. 1. ubi piam quandam viduam unà cum filiabus jejunantem vidit, ac didicit eapropter id illas facere, quòd plurium experientiâ didicissent, absque sanctâ exomologesi illos è vita non discedere, qui Sabbathinis jejunijs Deiparam coluissent, vovit servavitque semper Sabbathinum jejunium. Ajunt resectum postea supplicio caput non nisi confessione obitâ objisse, gratiamque illam Sabbathinæ illi devotioni acceptam retulisse. Plura narrantur similia. Pudeat nos non facere id quod latrones fecêre honori MARIANO. Sed nemo se ideò vitijs ingurgitet, Sabbathino jejunio quasi sacrâ anchorâ securus futurus in morte. Hoc enim irritat, exacerbat, exulcerat ipsam misericordiam DEI, & in furorem convertit. Sabbathinum jejunium non projectæ licentiæ pulvinar, non liberioris vitæ securitas, verùm virtutis cos, & incrementum esse debet. Præcelsâ quadam indole ascensiones ad cælum in corde per jejunium disponendæ, non descensiones ad infernum. Illo enim modo jejunare, non esset MARIAM Deiparam amare sed vitia, & jejunio ipso alere in cælum clamantem illâ de DEI misericordia præsumptionem. Omnes ineundæ felicis æternitatis vires experiri debes, & jejunio Sabbathino virtutem alere, non peccata lactare. Certè P. Petrus de Anasco Sabbathinus jejunator talis fuit, ut & ipsam Beatissimam Deiparam sibi spectabilem viderit, & ad perpetuam dulcissimamq; cordis recreationem visæ semel Virginis vivam quasi effigiem impressam menti semper habuerit, & fructum omnium anteactæ vitæ Sabbathorum ultimo vitæ die maximum ceperit; dixeritque se singulis Sabbathinis jejunijs singularem quampiam à DEO per DEI Matrem gratiam impetrasse. Ieiunaeo modo, quo P. Paulus Hoffæus S. I. Bojorum Apostolus, qui per omnes B. V. vigilias religiosissimè jejunavit usque ad 84. id est ultimum ætatis annum.

Hic

Hic nunquam licèt aliàs cantare consuêsset, paucis tamen ante supremum diem diebus, MARIANUS planè olor, religiosissimâ modulatione pium de B. V. carmen cecinit.

Sic jejuna, ut facias opera bona valdè, ut quiescas. S. Aug. ser. 22. inter novos: *Requiescere vis & tu? Fac primò opera bona valdè*, inquit. *Sic data est Judæis observatio Sabbathi &c. Vacatio enim quædam imperata est. Vacatio spiritualis, tranquillitas est cordis, tranquillitas autem cordis provenit de serenitate bonæ conscientiæ. Ergò ille verè observat Sabbathum, qui non peccat.* Huc usque ille. Observa Sabbathum & tu, vaca & vide, ut ne inter illos sis, qui petulantem totius hebdomadæ libertatem totam in unicum Sabbathinum jejunium inclinant; ut illo jejunio fretæ securius per omne fas & nefas excurrere possit vitæ licentia. Tu cum Petro nostro jejunijs tuis Sabbathinis hanc pete gratiam, ut Virgo Mater per immaculatam Conceptionem suam, & per omnem, quam unquam à DEO accepit, gratiam, & gloriam te in DEI gratia servet semper usque ad gloriam. Ita enim te servabit semper gratiosum, semper gratum, paratum semper ad mortem, ad vitam, ad gloriam, quæ est æternitas gratiarum.

---

# SABBATHUM XVIII.

*Sub præsidio Reginæ Virginum, gratissimam ei castitatem tuere.*

HOrrebat id, ad quod oculis, & quasi sericeis quibusdam verborum lenocinijs à longè delicatè à quodam pelliciebatur scelus, MARIÆ nomine felix illa Virgo, & tamen ne vel adolescentis specie, vel auro quod obtrudebatur, vel occultâ suâ illecebrâ quoquomodo deciperetur, cavebat, timebat, & corde lachrymisque castissimæ Virginum Reginæ Matri sese ingerebat in sinum. Sabbathi dies erat. Ergo illa & Sabbathum & illud quod gerebat MARIÆ nomen in argumentum asserendi pudoris sui vertit. Roganti militi illi nobili nomen, respondit singultiens, MARIÆ nomen sibi esse: & per illam MARIAM cujus ipsa nomen fædare nollet, per præsentem semper & ubique illum, cui per MARIAM Virginem puritatis suæ florem devoverat DEVM, per sacrosanctum, & MARIANUM Sabbathi diem, fusis ubertim calentissimis lachrymis deprecata, rogavit ut parceret illi diei, illi nomini, suæ integritati. Malle se ajebat, malle cadaver esse quã non Virginem. Pupugit interea pectus juvenis, teneris illis & virginibus lachrymis, eoque responso delectatus filius Virginis DEVS. Et juvenis à seipso jam alius, & Virginitatis & Sabbathi, & MARIANI nominis majestati sanctæ parcere, & verò libenter dixit. Dictis factum addidit, quando Virginem illam, purissimæ, neque unquam tactæ nivis instar candore Virgineo intemeratam, inter Vestales DEO sacras gaudentem liberaliter collocavit. Iuvene postea feliciter extincto, Virgo Mater sollicitæ de juvenis anima Virgini se & spectandam & audiendam dedit, dixitque,

que, juvenem illum extremo vitæ ac mortis in confinio, de peccatis dolentissimum expirasse inq; cælum evolasse animam doloris & amoris igne purgatam. Quare illum suæ Virginitatis cum DEO conjugatæ paranymphum juvenem sacro in loco ut Mater cænobio præfecta condi jubeat, jubet; additque, valida licèt hyems esset, rosam tamen reperiendam in tumulo, illius facinoris præmium quòd sacro MARIÆ numini & diei Sabbathino, & deniq; intemeratæ pudicitiæ pepercisset. Itum, & ecce rosa in tumulo ex ipso adolescentis corde sese in altum efferens flore læto mysticæ rosæ MARIÆ prodigium. Quis ex illo olim corde non spinas potius expectasset quàm rosas? Tu verò, si quæ te pungant id genus spinæ, ad MARIAM abi; & quæso ne tentationem, tametsi fædissimam, sub rosa, sub silentio tene, sed pande vel Præsidi MARIANO, vel alteri, qui te castè doceat è spinis his rosas educere, è tentatione proventum: ut tentantem te carnem, vel amicum, vel dæmonem, non tantùm vincas, verùm etiam vincas cum insigni tuo lucro ad DEI & DEI parentis honorem, ad ignominiam verò tentatoris fædi dæmonis sempiternam. *Vid Pomerij* lib. 12. p. *ult.* c. 4.

## SABBATHVM XIX.

*Sabbathino jejunio adde frequentem & devotam ad DEI Matrem Angelicam salutationem.*

JEjuna sæpè est sine jejunio oratio, jejunum ac sterile sine oratione jejunium. Alterum alteri jungendum, & Sabbathinum jejunium oratione animandum est. Alexius à Salo author est, virum in cædes publicas ausu sanguinario projectissimum, & palmaribus ac primæ notæ sceleribus notatissimum, conscleratum divinorum ac DEI contemptorem, à pia uxore dextrè, svaviterque ac sæpè rogatum, persuasumque, ut Sabbathino jejunio Virginem æternam honoraret, neque unquam insalutatâ illâ præteriret ullam Deiparæ Virginis imaginem, quin illam Oratione Angelicâ salutaret ex corde. Jam illum per hæc ad optima disponebat etiam nescientem DEVS, è scintillis his bona facturus mansuræ incendia pietatis. Templum aliquando non DEI illic quærendi, verùm Solis & otij in umbra fallendi ergò ingressus, ad visam Virginis æternæ iconem, promissi etiam absque arbitris memor, sese demittit in genua, & coram uxore promissam Angeli salutationem utcunque perorat Virgini. Interea dum ad imaginem advertit oculos, videt in complexu Virginis parvulum IESVM, miserandum in modum vulneribus coopertum & maximis, & plurimis, totumque infusum ac oppletum sanguine. Atque ab hac velut cote, in iras illi à commiseratione pugnaciùs surrexit animus, & ecquis demum est, inquiebat ad Virginem, qui hæc tam crudelia in tuum illum parvulum est ausus? Tu, respondebat vocalis jam imago Virginis, & vos quorum enormia facinora sic tractant Filium DEI, & meum. Ita illi timor animum, lachrymæ oculos subiêre. Ergò singul-

gultiens dolore fatetur scelera, & per MARIAM apud IESVLVM advocatam veniam petit. Renuente cruentò parvulo, Mater in genua provolvi coràm Filio visa, gestu tenerrimo, & verbis ad persuadendum compositissimis quasi extorquet veniam flenti & meliora jàm molienti reo. Cùm verò parvuli vulnera jussus exoscularetur dulcissimè, singultiebat ad singula: irrugiebat illi sanguini à gemitu pœnitentis cordis sui: simulque quasi illa osculo persanasset vulnera, integritati restituta vidit statim, ac domum redux, vale mundo, vale ijs quæ malè amabat omnibus, vale tempori fallaci, salve æternitati suæ nunquam decepturæ dicit, & facit. Et uxor quidem ad mutatam in melius vitæ, velut scenæ, faciem, plena gaudentibus lachrymis, fœminarum, vir verò virorum cœnobio ultrò religiosâ sponte inclusus tam vixit benè quàm antea vixerat malè. Vide à quam ferè nullis initijs tanta progressa sit virtus! A jejunio Sabbathino Angelicâ oratione animato. Felix annus cujus hebdomadæ MARIANÆ sunt! Felices hebdomadæ, quæ tali Sabbatho coronantur!

---

# SABBATHVM XX.

## *Sabbatho qualem qualem semper eleemosynam egenus elargiri, est se parare felici æternitati.*

QVid cogitas te non posse? Non potes duo minuta à Christo adeò laudata in gazophylacium mittere, Christo dare, qui fortè adulatoribus scurris non pauca donasti? Drexel. eleem. p. 2. c. 4. §. 3. familiæ meminit, quæ lac omne, quod die Sabbathi à pecore toto excipitur, in pauperum usus effundat. Disce hæc æstimare ex eo quod Dialog. lib. 4. c. 36. narrat D. Gregorius. Meminit ille Sutoris *Deus dedit*, qui quicquid lucri per hebdomadam referebat è subula calceisque, id omne in egenos erogabat Sabbatho, tenui tantùm victu ac necessaria veste ipse, ut plus dare posset, contentus. Quare visa est pro sancto hoc sutore pretiosè magnifica domus DEO architecto fabricari, sed singulis Sabbathi diebus tantùm, neque alias, ædificandæ glorioso illi moli operas insudare. Crescebat nimirùm tunc illius fabrica, cùm ille in egenos largâ manu sumptus effunderet, id est, æternæ suæ domui, arte DEI, manibus pauperum exædificandæ suppeditaret expensas. Ibid. ait idem Sanctus, in locis amœnis cujusdam domum laterculis aureis ædificari visam. Atque is qui hæc vidit miles, dixit laterculos aureos certatim collatos ad ædificium domus à senibus, & juvenibus, pueris ac puellis, *quia* inquit, *hi quibus hic pietas facta est, ipsi illic operatores esse videntur.* Tua verò cœlestis fabrica, ut aliquo latere vel lapide crescat, quotidiè, & Sabbatho potissimùm, labora. Ita tibi MARIA erit Domus aurea aureæ æternitatis tuæ. In hac domo aurea habitavit MARIÆ filius DEVS. Nec Sol, nec Luna, nec Mars, nec Mercurius, nec Iupiter, nec Venus, nec Saturnus facit in cœlo hebdomadam, nec ullæ genethliacorum domus mansionem æternam. Supra omnes plane-

planetarum cœlos unus æterni Sabbathi dies annos æternos facit in Vrbe DEI, in qua etiam MARIA est domus aurea. Illic habita.

## SABBATHVM XXI.

*Iunge Sabbathino jejunio Officium Beatißimæ Matris; teque MARIÆ custodias totum; ut nemo te ab illa seducat, sed illa te ad æternitatis delicias manuducat.*

ANno hujus nostri seculi undecimo, Cracoviæ devotâ Virgini Polonorum Vrbe, & quadam pietatis Metropoli, Parthenius adolescens toto item biennio solidâ constantiq́ue pietate quotidianâ officij MARIANI oratione cumulabat solenne suum quod quartâ & sextâ quâvis feriâ & Sabbatho instituebat jejuniũ; ut sicut magneté ferro orationem jejunio armaret suam. Et verò maximoperè id illi è re fuisse ostendit fidelis illa Virgo, quando incautus & à non satis pura, apud quam diversabatur fœmina, velut à domestico Sathanæ spiritu blandè colaphizatus, ad oculorum verborumq́ue illecebras jam non adeò, ut esse solebat, adamantinus, sensim sinè sensu jã quasi arridebat ijs, quæ antea horrebat verbis. Iam pedetentim fiebat apparatus animæ mortualis, & apparebant morituræ virginitatis insignia: quamvis certè sæpè jam non vivat dum necdum trucidata putatur virginitas. Et ille nesciebat se mori: sciebat fidelis Virgo Mater castorum. ut propinquum jam sceleri (& nescio an non jam non Virginem corde!) arte maternâ sic Veneris diei eripuit, ut illum, per quietem, Sabbatho castæq́ue quieti vendicaret sic. Adest illi per quietem amabili majestate augustissima & semper fidelis clientum suorum in omnibus Mater Virgo, & juveni illi olim suo, manu alterâ sertum amœnâ viriditate pretiosum ostentans, vultuq́ue illi blandiens montem illi monstrat supra paradisos omnes amœnum, eoque delicatâ & amabili humanitate invitatum. Virgineâ etiam manu prehendit, utramque jam manum occupante hinc ferto, inde eâ quam Virgo prehenderat juvenis manu. O cujus fero cordi delicias non faciat, si Reginam hanc cæli Virginem DEI Matris Majestate admirabiliter amabilem, & serto & adolescentis manu onustam, occupatam aspiciat! atque ita ingredientem, & ascendentem quasi de deserto ad montem paradisorum paradisum. Ducebatur Sodalis felix MARIA Duce ad montem, & sentiebat alterâ Virginis manu capiti suo cæleste illud sertũ imponi: moxq́ue à cælesti illo somno solutus, in tenerrimas doloris circa illam non virginem sed lupam, & amoris castissimi erga æternam Virginem Matrem lachrymas resolutus, statim & oculos curioso domesticæ illius larvæ aspectu fædatos, lachrymis, & aures, cor, ac os Syrenulæ illius temeratum colloquijs, confessione matura eluit, egitq́ue gratias se à portis mortis, ad montem, ad portas vitæ revocatum, & à Virgine coronatum. Quàm vellem ita & corda & capita nostra

stra omnia coronari, sed maturius! Scit divina illa Virgo, scit quibus juvandi artibus auxilio esse nobis debeat, modo nos illud officiosis obsequijs demereri studeamus. Non placent perpetuæ illi Virgini rei læsæ virginitatis oculi, reæ aures, rea lingua, rea mens. Iam à Sabbatho Virgineo ad non virgineum Veneris diem reversus, es quisquis astuto diaboli saccaro aspersis impurarũ linguarum filiquis te delectas. MARIA te ducit ad montem, illi ad vallem seducunt æternitatis abyssi. MARIA serto te viridi donabit quãdo lætissimas tuas spes lætitijs immortalibus coronabit; illi & se & te æternis tristissimisque sinè ulla unquam ullius lætitiæ spe involuent incendijs. Da te manuducendum non cuivis manui, sed MARIÆ Matri Dei, ô charum caput! & ne Venereis, sed Sabbathinis adhære Sodalibus. Talium Sodalium ephæbium panegyrim, coronam amat Virgo. *Tempus venturum est* (inquit 22. *Civit. c.* 24. Augustinus) addo ego, Æternitas ventura est, *quando solâ invicem pulchritudine sinè ulla libidine perfruemur.* Ibi pulchriorem pulchritudinibus his omnibus MARIAM spectabis, ibi nullus turpitudinis metus, ibi omnes pulchritudines, ibi videbis pulchritudinum omnium pulcherrimum fontem DEVM, & quidem tuum DEVM. Fuge ista pulchra turpia. Iam te MARIA pulchræ dilectionis Mater Sabbathinam tibi coronam nectens in æternitate læta expectat.

## SABBATHVM XXII.

*Vbi Mariano seruiendum honori, etiam in minimis fan libenter, diligenter; impende vires, ingenium, & omnem operam.*

HVjus seculi anno primo, Veron æ quod etiam in annuis est, promptus ad omnia Partheniæ pietatis officia Sodalis dexterrimâ quadam promptitudine atque industriâ peragebat, quicquid demum agendum occurreret. Agebat verò id non servili quodam labore, sed succo & ardenti pietate plenus illi per frontem decurrebat sudor. Approbavit miraculo laborem DEVS, quando Sabbathi quodam die, ita ut solebat, ad honorandam Virginis gloriosæ imaginem, scalis admotis, ascendit, & pendulam illic lampadem Sabbathinam lychno & oleo instruit ut accendat. At corporis distracti pondere, & muri ac terræ quâ parte scalæ terram ac murum contingebant lubricitate, adeoque ipsâ scalarum non sat solidè locatarum inconstantiâ futurum videbatur, ut collapsæ humi scalæ eodem secum casu lampadi Sabbathinæ adornandæ intentum totum pium illum juvenem involverent. Et verò jam ruebant, nisi benignissima, & maxima minimorum etiam obsequiorum æstimatrix ac remuneratrix Virgo prohibuisset. Iam enim periculo involutus adolescens, in Partheniam imaginem seu casu, seu opem imploraturus flexit sollicitos oculos, &

simul scalas quibuscum labebatur protensâ ex imagine Virginis cœlesti manu, ne caderent, detineri, lætus incolumis atque admirans vidit. Non erat qui inferiùs pede vel manu firmaret securáque redderet scalas; erat quæ easdem eâdem quâ DEVM tenuerat manu teneret in gratiam Sodalis, & obsequij Sabbathini. Felix, MARIANE Iacob, simul & Angele! qui dum per Scalas ad cœli Reginam obsequio Sabbathino honorandam ascendis, innixam scalis DEI Matrem vides, vides Scalas tuas innixas manibus Matris DEI. Felices scalas, tuas pijs optimi adolescentis calcatas pedibus, quas MARIA illis suis glorioſis manibus dignata est. MARIA Scala cœli est. Felices vos ô scalæ Sabbathinæ, felici Sabbatho, quietè fortunatâ, in ijsdem in quibus IESVS quieverat manibus quiescentes. Per has Scalas ascensiones in corde tuo dispone, ut de virtute in virtutem, & de hac ad cœlum ascendas.

## SABBATHVM XXIII.

*Beatiſs: V. libenter Sabbatho largitur beneficia. Ad illa tu te ut præpares, inimicis ignoſce, fervens eſto in obſequijs Marianis.*

PRetioſum in hanc rem noſtram pro narratione Sabbathina est illud à Sixto & Clemente 8. approbatum, referente Guilielmo Gazeo exemplum. Anno 1105. Lamberto Attrebatensium Pontifice, Itiero in Brabantia, Petro Normanno alibi agenti Beatiſſ. V. cœlesti amictu glorioſa seorsim adfuit spectabilis die Lunæ, seu feriâ secundâ hebdomadæ, noctu; & surge, ajebat, Normanne, & Attrebatum proficiscere: magnam ibi pro templi foribus ægrorum turbam comperies, semianimes multos & propè consumptos tabe flagranti. Exin Lambertum loci adibis Episcopum, monebísque ut Sabbatho proximo, nocte vigil excubet, visitétque jacentes ægros præ templi vestibulo, Sub primum galli cantum videbitis amictu hoc meo conspicuam descendentem è choro templi mulierem cum cereo in manibus quem vobis tradet, de cereo pauxillum instillabitis in vasa aquæ plena, quam ægris deinde potandam præbebitis, eâdémque inflammatas lue pestiferâ partes irrigabitis. Confidentes, vita; contemnentes hoc remedium, mors manet. Ita Normanno, ita Itiero seorsim loquuta est. Sed Normanno hoc etiam adjecit auctarium: Itierum illius hactenus inimicum in hoc & ex hoc amicum jam fore. Vigil Normannus à somno relictus in dubio, orat, & ne illudatur præstolatur signa his clariora, Idem agit absens à Normanno, eorumdem conscius Itierus. Adest eadem iterùm utrique Virgo, & eandem utrique luem epidemicam comminatur ni pareat, & statim pareat, Manè (quia vicinior) Attrebati adfuit Normannus; & visâ pro templi januis ægrorum frequentiâ, Episcopo rem omnem aperuit. Mirari ille rem, at non statim adhiberc fidem quòd citharœdus esset id qui diceret. Itierus aliquot pòst horis adest, & idem

idem episcopo aperit, quid illic alter ille citharœdus dixisset, ignarus. Episcopus, ubi & hunc ejusdem farinæ hominem citharœdum intellexit, conjuratum inter conspirantes in nugas citharœdos jocum suspicatus, illudi sibi ab impostoribus existimat, & refert quæ à Normanno audisset. Itierus exoso sibi semper hactenus Normanni nomine audito, tantum abesse omnem à se pacti suspicionem dixit, ut adderet se illi ob ereptum sibi ab illo è vivis fratrem vitam ereptúrum ubi ubi esset. Sed Episcopi divinam eâ in re utrique ostensâ consilium agnoscentis oratione potentissimâ permotus tandem aliquando est, ut ad pedes Episcopi abjectus ultrò libenter Normanno ignoverit, fratrémque agnoverit occisi ab illo fratris loco. Adest accersitus Normannus, & supplex Deum, Episcopum, & Itierum precatur prævenia. Itur in amplexus & oscula, feciali Maria, Episcopo administro. Episcopus, & novi illi ex inimicis amici duo jejunant & orant Sabbatho, divinaque in templo præstolantur promissa sub vesperam. Et ecce in veste jam notâ Virgo Mater delabebatur è chori parte suprema cum cereo accenso, quem illis dum illa obtulit, paucis hortata est, ut cereum illum in perpetuum beneficij tanti memoriam studiosè conservarent: & disparuit, rapuítque post se relictorum oculos & desideria animorum, quos effusa ignea illa è cœlo lucis majestas etiam tum urebat. Fiunt imperata. CLX. ægri illic jacuêre in epidemica lue grassantis pestis: hoc ipso cœlesti alexipharmaco aquæ illius convaluére centum quinquaginta novem: unus ille qui unicus inter 160. supererat, cum aquam illam seu tantùm respuens seu etiam fortè contemnens, vinum se præ aquâ illâ malle diceret, epidemico calore in furorem actus repentè animam ejecit è corpore. Alij aquâ illâ nunc loca peste affecta lavabant, & morbum abluebant. Tum publica quæ solennissima esse potest excitata lætitia, & ardentium seu Flagrantium Sodalitas Parthenia instituta. Mira patrata ad cereum per annos etiam quingentos postea conservatum, semperque mirabilem, semper integrum, cum tamen vel è defluentibus ex illo dum ardet guttis plures alij sint cerei efformati. Tu ad cerei istius ignem Flagrans & ardens ut Mariæ sis filius enitere, ad illius lumen omnes odiorum tenebras pelle, téque ad æternum gloriæ lumen quotidie, Sabbatho tamen studio singulari, para.

## SABBATHVM XXIV.

*Multi* Mariam *Deiparam honorant Sabbathinâ aliquâ corporis afflictatione, quæ sit cum dolore conjuncta. Vide an tantum tibi animi insit, ut aliquid tale in delicatam tuam carnem fortè audeas.*

Affligatur nunc, ut ne affligatur æternis incendijs, ut quiescat æternum, laboret nunc caro delicatula. S. August. ser. 15. inter novos: *In illo*, inquit, *Sabbatho, ubi requiescere dicitur*

*est DEVM ab omnibus operibus suis, in requie DEI, requies nostra significata est: quia erit Sabbathum hujus seculi cum transierint sex ætates. Quasi sex dies seculi transeunt. Unus dies ab Adam usque ad Noë transijt: alius à diluvio usque ad Abraham, transijt tertius ab Abraham usque ad David. quartus à David usque ad transmigrationem Babyloniæ. transijt quintus usque ad adventum D. N. IESU Christi. Modò sextus dies agitur. In sexta ætate, in die sexto sumus &c. Post istum diem ventura est requies.* Ita ille. Ad illud ergo Sabbathum carnem per labores dolorésque disponc. Pretiosa illa jam id genus divitijs minùs divitis Ungariæ Margaritha, Belæ IV. Ung. Regis filia, postea in S. Dominici cœnobio à quarto ætatis anno ad ultimum usque vitæ diem, sanctè ad illam in qua est æternitatem educata, quarto ætatis anno DEO in MARIA colendo jam matura, intra semestre spacium horarias B. V. preces didicit. MARIANAM imaginem ubi videbat, flexo semper genu illi AVE MARIA dicebat. Festa Parthenia admirandis colebat jejunijs. De Sabbatho ita habe. Illam, etiamnum septennem, quòt hebdomadis à feria V. ad Sabbathinum usque completorium circulum gestasse, quo carnem tenerrimam sub horrido quo operiebatur cilicio constringebat. *Vid. Sur. 28. Ian.* Admirabilem illius vitam suavissima secuta mors. Æternabant illi in ore sancta IESU & MARIÆ nomina, quibus illa nomen dederat jam olim. Mortis suæ, decem ante mortem obitam diebus vates fuit. Admirabilis DEI MATER Angelorum coronâ coronata circùm, ad fuit expiranti, morientem coronare Margaritham, & illi jam ad cœlum perscalas abiturienti præire visa. Sequuta est Margaritha, & vox è cœlo accidit quæ dicebat, Agnam esse extinctam. Mirum Virgineo corpori decorem & odorem afflavit beata mors, quando Agnam illam ad AGNI nuptias abduxit, ad illius scilicet Agni nuptias quem illa in Eucharistia latentem quintâ quâvis feriâ, quem in Cruce pendentem sextâ quâvis feriâ, cujus Matrem Virginem Sabbatho quovis, ferreo innocentes Virginei corporis lumbos præcincta circulo, suis amans doloribus honorabat. Nunc non ferreus doloris circulus est in illa, sed illa in aureo circulo est, omnis doloris vacuæ & omnium plenæ deliciarum Æternitatis. Felix qui in illo esse circulo contendit semper!

---

## SABBATHVM XXV.

*Occupationes quævis brevibus ad Beatiss. Virginem aspirationibus intercidendæ & omnia hebd. totius acta in sinum Virginis recondenda, uno, si aliter non vacat, AVE MARIA recitato.*

FOrtunatus etiam hoc in puncto Theologus P. Franciscus Suarez coram sancta Crucifixi, & MARIÆ imagine studebat semper fidelis utriusque discí-

scipulus. & si quid non satis videret in docta illa caligine, submissis humi genibus, à Iesu per Mariam lumen postulabat ad videnda illa obscura. Quotidie vix licet prandere, dilato in cœnam prandio, tamen & quotidianis se flagellis lacerabat, & quot hebdomadis præter duos alios dies etiam Sabbathum seligebat arctiore jejunio celebrandum. Deo per Deiparam accepta referebat omnia quæ unquam hausit intellectus lumina, & ab ipsa Deipara coràm P. Guttierio de ijs quæ de illa magnificè veréque scripsit laudatus est. Totus illi dies jejunium, oratio, studia. Hic moriens cùm ad IESVM & MARIAM extremo anhelitu suspiraret, vidit pretiosam pretiosæ suæ mortis imaginem, & nunquam se existimasse dixit, adeò suave esse mori. Contemplare mortis tuæ imaginem: an pulchra, ac suavis, an horrida futura, è vita præsenti argumentare. Qualem tibi vivendo pinxeris, talem experiére. Illa ut sit suavis, etiam inter alia dum agis quidpiam, ad horæ signum auditum & aliàs Angelicâ salutione id pete. *Busæus s.* 1. *p.* 12. ait, aviculam à pia quapiam, à qua alebatur, virgine, ita ut plures aliæ aves assolent AVE MARIA garrire didicisse. Abierat illa aliquando è sinu Magistræ. Nutricis ac Dominæ suæ longiùs quàm par erat; & ecce hiantem in illam miluum! quid ageret? Alæ, ut evaderet non sufficiebant. Consilium in arena dedit trepidæ avi necessitas, & AVE MARIA suggessit. Illud illa dum cantat unicum & sæpè iterat, quasi sacro illo carmine miluum incantasset, miluus in terram decidit, cadaver factus, & avicula evasit. O quot in MARIANO sinu enutritas aviculas olim innocentes, inde nocentes factas miluus ille rapax rapuit in prædam æternam! Non rapuisset, si id quod in MARIÆ sinu, in Scholis, in Sodalitio, in sacris colloquijs, in concionibus didicêre AVE MARIA ita ut par erat cantassent. Canta tu AVE MARIA ad horas singulas, & aliàs cum vacat perbrevi quapiam aspiratione suspirans illam saluta. Ita illa in æternitate felix tibi Ave dicet. Claudat hoc Sabbathum Marianus ille amanuensis S. Ioannes Damascenus, qui lib. 2. ep. 14. *quàm fideliter*, inquit, *æterna sperabunt, qui Beatæ Reginæ mundi quotidiana horarum omnium vota persolvunt.* Persolve, & fideliter spera: crede, fideliter amabere.

## SABBATHVM XXVI.

*Quicquid dolorum pateris, cum patientis IESV & compatientis MARIÆ doloribus unias & hos & futuros tuos in articulo mortis dolores tuos; ut mors ipsa tibi prosit ad vitam in unione mortis IESV, MARIÆ, & omnium Sanctorum.*

IOannes Neapolitanorum sanctus Antistes cùm his quos suadeo actibus pretium faceret doloribus suis, tertio tandem ante mortem die, venientem ad se è cœlo S. Paulinum videt, auditque

que dicentem: *Frater Ioannes, quid hic facis? Solve vincula tædiorum tuorum: & jam veni ad nos:* simúlque candidissimum quem manu ferebat mellis cœlestis favum illi ostentans; *hæc esca*, inquit *quam manu teneo, apud nos abundat.* Dixit, & dulci amplexu Ioannem salutans escam illam, favum illum, in os illi dedit. Ergò tertio pòst die, id est Sabbatho sancto, ad altare Ioannes pro aris animum posuit. Age nunc Sabbathum Sanctum, id est sanctos fac dolores tuos, illósque velut guttulas tenues in immensum infiniti amoris & doloris Iesu mare immerge, offer illos Mariæ in Sabbatho sancto doloroſæ. in illius te sinum collocā. Solve vincula tædiorum tuorum, Ioannes Mariæ fili, quisquis es: hanc aram amplectere: ibi quietem sanctam, Sabbathum sanctum reperies, & mortem sanctam. & Pascha sanctum in resurrectione, & transitum sanctum, à mortalitate ad immortalitatem, ad illos quorum Sancta Sabbatha Dominicus æterni Solis dies coronat in resurrectione ad vitam, ad Alleluja æternitatis venientium.

AN-

# ANNI MARIANI

## PARS III.

## SABBATHVM XXVII.

*Sæpè MARIAM pro felici ultimo vitæ die ac hora ora.*

SEraphicus, MARIANVS, & IESU MARIÆque dilectus ille Franciscus Patriarcha Anno 1226. MARIANO Sabbathi die diem suum vesperi clausit supremum, apertúmque sibi æternitatis diem vidit, quando eodem ipso Sabbathi die, discipulorum & Fratrum unus cuipiam vidit animam illam beatam sub specie stellæ præfulgidæ è candidâ subvectam nubecula super aquas multas in cœlum recto tramite sursum ferri. Hic est ille qui pro Fratrum ac filiorum suorum felici æternóque Sabbatho inter precandum sollicitus, velut alter Iacob, illos velut Angelos, per scalam candidam ad Deiparam ascendentes vidit, bonus & sanctè apud Matrem pro filijs industrius Pater. Ut verò eadem viâ ascendas & tu, non verò per nigras scalas descendas, MARIAM roga, ut scalas tibi cœlestes teneat, ne illas cupidissimus tui in infernum præcipitandi dæmon per se, aliosuè subvertat. Nam ut idem noster hic in oraculis ajebat Franciscus: *Cum dico,* Ave Maria, *cœli rident; Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, dæmones fugiunt. Sicut cera fluit à facie ignis, & pulvis ante faciem venti dispergitur; sic ad invocationem nominis MARIÆ totus malignorum spirituum exercitus separatur* Pete ergo frequenter, ac ferventer, felicem illam tuam horam ut esse tibi jubeat Deus. Ora per Mariam Deum tuum; dic sæpè *Ave Maria*: ut cœlite moriente rideant sive arrideant, exultent, tanquam de te acquisito, inferi fleant tanquam de amisso, Angeli gaudeant tanquam de novo æternóque cœli cive, dæmones tristes fugiant, tanquam ab illo qui cruciabilem inferni jam evaserit æternitatem, sitque extra omnem aleam pereundi. Denique quocunque demum expires die, sit tibi beata, quieta, Sabbathina mors, quali morte Franciscus ad chorum Seraphinorum die Sabb. evectus est.

SAB-

# SABBATHVM XXVIII.

## *DEI Matris amorem etiam alijs conare imprimere, artibus quibus potes.*

P*Io. Bonif. hist. Virg. l.* 2. de Patribus S. Dominici filijs ait illos depictas habuisse B. V. Matris imagines, ut illa illorum oculis obversaretur semper, & cordibus. communi etiam decreto sanxisse, ut singulis Sabbathis preces horariæ de B. V. dicerentur, & sacrum. Franciscus etiam à Retcza in hac celeber. ac antiquis. Viennensi Universitate per totos 36. annos professor, ut ait *Nider* 4. *formic. c.* 7. fidelis B. V. è D. Dominici familia Theologus & sibi & alijs præcipuum esse voluit hunc erga Deiparam affectum post amorem DEI. Quoties aliquò, vel inter studendum à libro ad librum remotiorem ibat, Ave Maria dicebat. Si MARIÆ nomen vel ipse pronunciaret, vel pronunciari audiret, solebat occasione proximâ salutatione Angelicâ Virginem salutare. Deip. V. officium nullo die omisit quò minùs diceret. Eam quæ illi à Cathedra veniebat pecuniam, honori Deiparæ impendit omnem Sæpè in Sabbathino de Deip. colloquio, impedientibus linguæ officium devotis lachrymis, illas fundebat, condimenta verborum quæ dixerat. Sabbathinis verò diebus constanter magnam lectionis partem in MARIANIS laudibus consumebat, id quod centenis plures passim jam in Scholis factitant, idque cum fervore ac fructu. O pergant! Optimum omnis operæ ac temporis in cultu Virginis collocati pretium tulit, quando ipso Natæ DEI Matris die festo, cœlo natus est feliciter moriens, cùm vitæ quidem 84. æt. anno, vale diceret: Mariæ verò Reginæ, Matri misericordiæ, vitæ, dulcedini, ac spei suæ *Salve Regina*, Ave Maria, cantaret. *Vid. Baling.* 8. *Sept.* En quam benè Dominicus & Sabbathi dies conveniant. Labora nunc ut sanctum illum amorem tibi atque alijs ità imprimas, ut pro labore sancto sanctam quietem accipias, per illam in qua Dei Filius requievit velut in Sabbatho suo.

---

# SABBATHVM XXIX.

## *Sabbatho B. V. templum per modum peregrinationis adire, in usu fuit & est pluribus clientibus Marianis.*

FRanciscus Card. Toletus S. I. Romæ singulis diebus Sabbathi, è Vaticano, longo satis itinere, non curru vel jumento vectus aut gestatus, sed pedes quæcunque anni vel téporis tépestas esset, itare consueverat ad S. MARIÆ Majoris, & illic se MARIÆ pro aris sistere, filium DEI & Virginis æterno Patri litare apud Matrem. Singulos Sabbathi dies illo jejunandi ritu habuit solennes, ut victum omnem pane arcto & aquâ brevi definiret. Quadraginta dies totos etiam in ætate jam ultima ante

te Assumptionis B. V. festum jejunans, Virgineum illud Marianæ Resurrectionis & in cœlum transitus Pascha piâ severâque quadragesimâ præveniens. Moriens, Deiparam hæredem suarum facultatum omnium scripsit, in ejusdem S. MARIÆ Majoris Basilicâ Sabbathinis visitationibus celebratâ sepultus. Visita tu nunc illam. non erit inurbana: visitabit te, & è peregrino faciet domesticum Dei in Patria. In itinere tamen rosarium, non otiosa & curiosa tractanda. Quàm verò Rosarij hostes oderit Deus, vide id quod Lo. Lopesius 1. *de Ros.* c. 15. narrat & inde adverte quàm amet amantes Rosarium. Anno 1472. Celeberrimus Coloniæ Ecclesiastes indictâ in Dominicum concione, quâ se inutilem futilémque Rosarij inanitatem ostensurum promittebat, proximi Sabbathi nocte, cùm sanus & valens decubuisset, moritur. Die statuto cùm plenâ jam concione expectatur ut contra Rosarium detonet, non venit. quæritur, & reperitur in lecto jam cadaver. Tu Rosarium amabis optimè, si illud corde, manu, linguâ devotus tractes, cùm aliàs, tum in Sabbathinâ sacelli alicujus Parthenij visitatione. Peregrinatio debet esse sancta.

De S. Gerlaco, Ruremund. *Brev.* 5. *Jan.* ait, illum D. V. honori singulis Sabbathi diebus ad Aquisgranensem Deiparam visitandam nudis pedibus peregre ire solitum; S. verò Servatij reliquias summo manè quotidie, molesto licèt itinere, visitasse. Hic Sanctus, cum non jam ad Aquisgranensem, verùm ad cœlestem Deiparam per itinera æternitatis adeundam se componeret, nullus aderat Sacerdos in agone luctanti. Ergo à Deipara S. Servatius submissus est stolâ candidâ gloriosus, qui Gerlacum Sabbathinum Virginis peregrinum, omnibus quæ ad ultimum peregrinationis hujus iter necessaria vel utilia sunt præsidijs communivit. Atque ita demum Sabbathinus hic peregrinus domum profectus est, ubi omnes quos nudipes in peregrinatione Sabbathina fecerat passus, in numerato invenit apud illum, qui etiam vestigia pedum nostrorum considerat, numerat, munerátque. Considera & tu pedum tuorum vestigia, & numera num omnia sursum tendant. Confessione obliteranda sunt illa quæ sunt deorsum. Peregrinantur semper, & quidem pessimè ij qui deorsùm tendunt, quia ad Patriam non eunt sed ad æternum exilium. Feliciores illi qui sursum tendunt: eunt enim in Patriam æternitatis suæ Domum. *Bonif. hist Virgil. c.* 2. 8. ait in Orientis India Parthenium Coll Racholani templum singulis Sabbathi diebus incredibili hominum frequentiâ invisi: & in illo B. V. templo unicâ celebritate plures trecentis lustrali aqua initiatos Christo gentiles.

Idem *ib. §. ult.* ait quoddam B. V. templum diebus Sabbathi ab omnibus circùm plagis frequentari, Sacrum fieri, Litanias. Et quia tum nec dum exurrexerat ædificium, more jam recepto quivis qui illud adibat, lapidem unum adferebat, facientibus id sponte etiam gentilibus. Factum aliquando est ut in Sabbathina illius templi visitatione decem millia saxorum capite aut humeris collata sint, suum quovis peregrino saxum ferente. Adeò jam ad illam etiam orbis faciniam, una cum Iesu no-

mine Sabbathi Mariani gloria penetravit. Vide ut tui te pæsus interea dum peregrinaris à Domino ad Patriam è via, non ad exilium sempiternum ducant.

## SABBATHVM XXX.

*Adde jejunio Sabbathino etiam colloquia Mariana.*

P Iosephus Arriaga à Virgine Dei Matre in agro invisus & ad Societatem Iesu vocatus, Sanctos certos horis singulis certis precibus veneratus, Angeli custodis & Sanctorum familiaritate, & virtutibus longiore narratione, admiratione sanctâ, solidâ imitatione dignis quàm maximus, Virgini Matri se in mancipium devoverat, & Lauretum tributum mittebat quotannis à capite suo quod Virgini æternæ æternis nominibus devoverat perpetuíque jure mancipij. A meridie feriæ sextæ per totum Sabbathi diem ad meridiem usque diei Dominicæ nihil omninò cibi, potionis admisit nihil. In Episcopi cujusdam, valdè id urgentis gratiam, die Sabbathi quodam bolum unicum volebat sumere, sed nullis id viribus valebat. In eo quod ad Lauretanæ Domus instar extruxerat Sacello, selecta quædam capita, facto cum illis cætu, quintâ qualibet feriâ, & singulis Sabbathi diebus accendebat ijs in ignibus quibus ille ardebat adeò ut splendore nonnunquam illustrissimo radiaret, & à terra sublimis sursum traheretur à cœlo. Utinam lucem videant mira illa & magna quæ mirus hic magnúsque vir, & plures alij Sabbathi cultores maximi fecére, digna pijs & curiosis oculis auribúsque! Tu ita & alios colloquijs & te ipsum accende, ita jejuna, ita rem æternitatis tuæ constanter age. Semper, ut & ipse sis olim dignus qui in Sabbathinum Marianorum clientum relatus Catalogum, album Virgineum pretioso tuo nomine exornes tunc, cum jam perpetuo frueris ævo Sabbathi glorioso inter illos in cœlis, quorum nos nomina scribimus, & imitatione laudamus in terris, *Kal. Mar. & Catal. Script. Soc. P. Phil. Alegambe.*

## SABBATHVM XXXI.

*Et Sabbathinum jejunium pro agone felici dirige, Sanctosque ut te DEO Deique Matri commendent, nec tepescere sinant, roga.*

F Erdinandus Lusitaniæ Rex, Virginem Beatissimam & undenos alios Sanctos elegit sibi quos pietate coleret singulari atque præcipuâ. Sabbathi diebus omnibus (mirum quod vix ullus Mariæ devotus totus sit qui non etiam Sabbathino cultui sit addictus!) pane tantùm & frigidâ epulabatur, quod etiam in omnibus festorum Christi, Apostolorum, & electorum illorum Divorum pervigilijs illi solenne fuit semper.

Ma-

Mariæ sacrosanctũ vel ore proferre nomen indignum se ratus, nec illam ipse alloqui præ submissâ planè reverentiâ ausus, S. Michaëlem & S. Ioannem Apostolum Virginis primogenitum adoptivum, sui loco ut Virginem orarent oravit. Audi verò quàm omnia ista feliciter. Morienti, Beatissima & amantissima illa Virgo adfuit spectaculo glorioso sedens in throno aureo pro majestate Matris Dei, ornatissimâ Virginum coronâ cincta. Pro moriente cliente Ferdinando, S. Michaël supplicis gestu ita perorare visus & auditus: O Regina cœlestis, libera fidelem tuum servum à periculo mortis æternæ. Impone illum choro nostro: quia tibi, Domina, & mihi, ubique seriò servivit semper. S. Ioannes verò, Virgineus ille Apostolus, O amabilis mea Mater, inquiebat, ne sine dilectum hunc tuum filium longioribus premi augustijs: voca illum ad agni nuptias. habet vestes nuptiales, eásque niveas. impone illi coronam puritatis. At Virgo vultu amabili & illos advocatos & illum clientem inter supremos singultus jacentem intuita, Non abibo, inquiebat, absque hac anima, & simul Ferdinandus vixit. habet, ilicet! I, licet, habebis & tu quod Ferdinandus habet, si feceris id quod Ferdinandus fecit. *Ex Ferd. Vasconcello.*

## SABBATHVM XXXII.

*Rosario Mariano, imagini ejusdem & sacro esto quàm sanctissimè potes addictissimus.*

AIunt in quibusdam Sueviæ locis hora quarta sub vesperum Sabbatho quovis, filios familias convocari, orare Rosarium, & silere usque ad cænulam. Sebastianus Lusitan. Rex ut idem Vasconcellus habet Anno 1578. ante sacrum nil unquam cibi, nil potionis ullo sub prætextu admittere solitus, præcipua semper in veneratione habuit Virginem Dei parentem. Quotidiana illi Rosarij Mariani oratio. MariæDei paræ imaginem pro æterna sancti amoris memoríæque ac devotionis tesserâ, velut sacram bullam, gerebat pendulam semper è collo in pectus, ut illa Regij esset custos & cordis, & pectoris. Singulis verò Sabbathi diebus, uno sacro audito non contentus, duobus aderat, religione singulari, & quidem alteri adfuit semper auditor tantùm, alteri verò Angelico etiam functus munere, plenâ majestatis ac submissionis modestiâ ministrabat. Ecce illa quæ *in omnibus requiem*, sive Sabbathismum, *quæsivit* Maria, in Regio Sebastiani pectore Sabbathum reperit super cor humile. S. Ignatius Episc. Mart. ep. 3. quæ est ad Magnesianos, *Vnusquisque vestrum* inquit *Sabbathizet spiritualiter, meditationi legis congaudens.* Quiesce, meditare, ora. Da in omnibus requiem quærenti Mariæ, Sabbathum in corde tuo quietum, perpetuum, Pone illam ut signaculum super cor tuum. Sis illius minister, ut illic sis, ubi est illa. Illius signatus nomine eris inter signatos signo Dei. Non audebit hanc cordis tui hac imagine ac nomine signati (ut ita dicam) salvam guardiam tangere vel temerare dæmon. *Cujus est imago hæc? MA-*

*RIÆ Matris DEI.* Reddite ergò quæ sùt Matris DEI Matri DEI. Ita tu illi rederis,

## SABBATHVM XXXIII.

*In propositis, & in benè inchoatis, videat adamantinâ quadam soliditate sis constans, idque semper.*

ANno 1630. Andreas Volesei C. Franciſci Weſſelenyi, nunc Ung. infer. Generalis, Secretarius, cum in Polonicis Domini ſui bonis die Sabbathi in Raba fluvio balnearet, repentino in pedeſpaſmo correptus, undis hauſtus ac tandem ipſius Domini Illuſtriſſ. ope ereptus, ubi ſe in tanto præſentiſſimæ mortis periculo fuiſſe advertit, promiſit ſanctè ſe proximo die Sabbathi poſitâ hæreſi conſcientiam Catholicè expiaturum in gratiarum actionem beneficij illius Sabbathini. Monebatur, ſed ille Sabbathum trahebat ex Sabbatho, uſque dum antecineralibus diebus ſaltu nimio læſus lectóque affixus, Sabbathini propoſiti commonefactus, jam nihil aliud reſpondebat quàm *Heu! Tria! Va mihi peccatori!* Ita neque ab hæreſi neque à phantaſia turbatâ ad mentem redijt, & (ut ajunt qui hominem norunt) Sabbatho bovis inſtar mugiens, expiravit.

Anno 1609. 1. Maij Panormi è mortalitate felicior illo exceſſit Antonius Madridius S. I. Coadiutor, qui Romæ Beato Staniſlao cœleſtes inter IESV & MARIÆ calores pectore ardenti & fatiſcenti, atque intet patiendum divina dulce deliquium paſſo curator aderat, pannos applicabat, & videbat feliciſſimâ illius adoleſcentis faciem ſplendore illo illuſtrem qui eſt è ſplendoribus Sanctorum. Ne verbo offenderet, vel tacebat omninò, vel de Deo loquebatur ea quæ illi ſanctæ meditationis plenum ſuggerebat ſilentium. Singulari tamen de Beatiſſ. V. loquendi gratiâ, divinóque lepore præditus, loquebatur corde affatim pleno. Sed tamen malebat cum ea quam de eâ, malebat cum ſanctiſſimo illius Filio in altari latente loqui; ubi tres etiam quatuorvè horas orabat ſinè fulcro. Quotquot Mariana feſta reducebat annus, tot ille ſancta ſanctè ſervabat jejunia (exceptis reliquis) quibus feſtum præveniret pane tantùm frigidâque contentus. Illud in rem noſtram Sabbathinam pretium habebit, & pondus. Dulciſſimus hic, & laboribus tot, tot orationibus & lachrymis feſſus ſenex eam quam die Sabbathi jejunandi mordicus arripuerat conſuetudinem dimiſit nunquam, adeò ut legerim illum inchoati illius moris retinentiſſimum, totâ vitâ Sabbathinum jejunium uſque ad octogeſimum, qui illi ſupremus vitæ annus fuit, ætatis annum, intermiſiſſe nunquam. Sabbatho jejunaſſe, commune habet Antonius cum plurimis, etiam millenis; at verò tam diu conſtantiam eâ in re tenuiſſe adeò rarum & ſingulare id eſt, ut inter millenos unum tam diu conſtantem haud facile reperias. Et certè ergà ſingulares conſtantéſque ſuos, præter communem & cum alijs uſitatam illam

ſu-

ſuam miſericordiam etiam MARIA Deipara, ſingulari peculiarium favorum præſidio erit *Virgo ſingularis*, quia ſingulariter liberalis. Ne differ autem propoſita, ne ad *tria*, mortem, judicium, infernum, heu! abripiaris.

# SABBATHVM XXXIV.

## *Gratiſſimum eſt Virgini Matri, ſi Sabbathum tuum cum feria ſexta, id eſt cum Chriſti Crucifixi cultu conjungas.*

CONjunges optimè, ſi ad ſolidam, ſeriámque converſionem cor applicueris. Eſt in admirabili illa Bituntinæ in Regno Neapol. à duobus è S. I. Patribus Anno 1646 factæ, approbatæ, ac Italicè Latinéque impreſſæ Miſſionis narratione in rem hanc noſtram. Veſpere Sabbathi, inquit narratio, in inferiore templi fornice reperta eſt ad Crucifixi pedes burſa è nigro panno, in qua latebat parvulus draco cereus alis cinctis aureo filo. Inerant etiam, acus ſubtiliſſima, fruſta vitrea, ſal, antimonium, variæque herbarum radices, & cætera plura: quæ omnia flammis concredita coram ipſo Crucifixo, fætorem exhalarunt, qui averni lacus, ac ſtygis videretur. Proijce & tu nigram burſam, cor atrum, dracones tuos, fætores tuos avernales, inſtrumenta diaboli ad pedes Crucifixi quovis Sabbathi die. Vide quid te ab æternitate ſancta impediat, & illud Crucifixo proculcandum trade ſub pedes; ut ne ipſe ſub dæmonis pedibus abjectus jaceas, ab illo proculcandus æternùm. Et tum te pro peccatis præteritis, pro Crucifixi gloriâ afflige doloribus. Fecit id (ut eſt in vita) circa annum Chriſti 1399. Dorothea illa, quæ & in conjugio & poſtea cum jam eſſet vidua omnem ſuæ menſæ apparatum die Sabbathi cibario tantùm pane frigidáque definiebat, tametſi aliàs etiam corpus & veſtitu in frigoribus pertenui, & horrendis flagris, & ſpinis, & igne, & aquâ bulliente adeò affligeret, ut facie tantùm exceptâ & manibus, tota unum toto reliquo corpore eſſet vulnus. Taceo & multas, & miras è cœlo in illam effuſas delicias: at non taceo illas ſub vitæ agonem ultimum, quando illam unà cum Sanctis ad patiendum cohortatus cum Matre ſua præſens IESUS, ſancto vitæ ac mortis beatæ viatico munitam, exactis jam & dolorum plenis ſextis ferijs, & jejunijs Sabbathinis, in diem Dominicam, in diem æterni Solis, in diem poſt quam nullus eſt dies Lunæ, in diem [quo nomine S. Ignatius Ep. M. diem Dominicam appellat) *Reginam. & Principem omnium dierum* induxit. Certè cum nos feria ſexta, à IESU moriente, in Ioanne in filios quaſi teſtamento acceperit illa Mater, & Crucifixi Iesu verba ſicut reliqua, ita ultima, quibus in filios commendamur, conſervarit in corde ſuo, nóſque illo die in corde ſuo, velut in quodam depictæ Paſſionis conclavi concluſerit, ac ipſa in meditandis Filij ſui doloribus abſorpta fuerit tota, vult nos etiam bona Mater ijsdem quibus ipſa delectabatur delectari: ut feriâ ſextâ morientem Crucifixum, Sabbatho verò quieſcentem

in Sepulchro & animas è limbo liberantem Christum, & dolorosam, sed constantem in fide, in spe, in charitate Christi Matrem contemplemur, imitemur.. S. Bern. c 2. de Pass. Dom. de Virgine loquens, *Per illud triste Sabbathum*, inquit, *stetit in fide. propterea aptissimè Sancta Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit.* Ita feria sexta quavis, *diem Parasceves*, id est felicis ad Sabbathum imperturbatum præparationis diem celebrabimus.

## SABBATHVM XXXV.

*Si quid calamo, si quid linguâ, si quid ingenio potes, legendo, scribendo, colloquendo, fac ut de B. Virg. tractes aliquid.*

PAter Alphonsus Salmeron è primis Soc: Iesu decem viris S. Ignatij socius, adeo & os & calamum Iesu & Mariæ amori dedicaverat & honori, ut sanctâ prolixáque scriptione sit id utrúmque testatus. Per Quadragesimam per singulos Sabbathi dies, quando à quotidianis concionibus cessare eo die solent Sacri Oratores in Italia, ille Parthenius Ecclesiastes factus Sabbatho MARIAM accepit pro themate, & doctè ardentérque dixit, ad solatium ac dulcem stimulum cordium Virgini addictorum Sabbathinus Orator Virginis. Domi verò in eo quod à mensa habetur colloquio, Christus illi erat in ore & Christipara Virgo: dabátque dextrè ansam etiam alijs, vel de utroque, vel de alterutro suavissimè colloquendi. Sub mortem, post sanctum Purificationis Virgineæ diem, cum brevi se ad ultimum in manibus ardentem cereum intelligeret extinguendum, & abiturum ad lumen gloriæ, illic apparabat iter. Tandem, ecquando tandem octavus à S. Agathæ natali dies venturus esset, quærebat: atque ubi crastinum illum diem fore audivit, illum illum diem supremum vitæ suæ fore dixit, & *In vitam æternam*, inquit, *In vitam æternam! Lætabitur anima mea in Deo suo!* Lætum ajebat se esse, eò quòd vias misericordiæ patefacere sibi inceperit DEUS. Demum muto etiam ore multa cum Crucifixi, multa cum Virginis Matris imagine colloquutus, felix decessit Alphonsus. *Vid. Vitam, & Burch. de Soc: Mar.* Iuvit illum illa quá IESUM & MARIAM scripsit penna, ut volaret ad cœlum, ad lætitiam beatorum. Feliciter! Olim in die Pentecostes linguæ igneæ de cœlo veniebant in terras: jam linguæ à Iesu & Mariæ igne igneæ & pennatæ volant in cœlum.

## SABBATHVM XXXVI.

*Pro te agonizaturo, & alijs agonizantibus, ut feliciter ad breve Purgatorium transeant, ora.*

Pau-

PAulus V. in Bulla cujus partem refert Fr. Cyprianus in ſumma theſ. Carm. ait *quòd populus Chriſtianus poſſit piè credere de adjutorio animarum Fratrum & Confratrum* Sodalitij Scapularis B. V. *in charitate decedentium, qui in vita habitum geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel ſi recitare neſcierint, Eccleſiæ jejunia obſervaverint, & feriâ quartâ & Sabbatho à carnibus abſtinuerint, ſuis interceſſionibus contitinuus, pijsque ſuffragijs & meritis, ac ſpeciali protectione poſt earum tranſitum, præcipuè in die Sabbathi, qui dies ab Eccleſia eidem B. V. dicatus eſt adjuturum illos Beatiſsimam Dei Matrem.* Refert poſtea in eadem ſumma, Toletanam puellam illi Sodalitio inſcriptam, ideóque à B. V. favore peculiari viſitatam, & in cœlum poſtridiè evectam: multos à dæmonis tentatione exemptos; multis à B. V. apertam oſtenſam cœli arcem; Beatiſſimam Virginem pollicitam eſſe, ſe animam Sodalis de corpore decedentem, cum miſericordia Filio ſuo oblaturam. Ad hoc quicquid in religioſiſſimo illo Beatiſſimæ Virginis (ut cum vulgo dicã) albicante Carmelitarum ordine ſit boni, ejus omnis boni partem aliquam ſpectare etiam ad Sodales. En gloriam Sabbathi Mariani! Certè illa quam Pontifex commendat illic vitæ puritas, attenta Parthenij officij recitatio, pia imaginis Virgineæ ad pectus geſtatio & jejunia, ſunt ſancta præparatio ad mortem optimè obeundam, maximè ſi devotam Sacramentorum frequentationem adjunxeris. Quocunque die è cruciantibus animas purgatorij pœnis liberaberis, ille dies erit tibi Sabbathum præ Sabbathis omnibus totius vitæ tuæ præteritæ, quia illo verè die demum requieſces à laboribus & doloribus tuis quiete tam dulci, quàm dulcem nullo totius vitæ Sabbatho es expertus.

---

# SABBATHVM XXXVII.

*Primò te, deinde tua omnia, domum, omnia DEO per Beatiſs. Deiparam ex toto conſecra.*

HAc in VrbeViennenſi Anno 1647. Sabbatho quod in decimam octavam Maij incidit, FERDINANDVS III. Imperator, cum Eleonora Imperatrice Viduâ, & Filio ac Filia ab ea quæ Lauretanâ etiam Domo illuſtris eſt Patrum S. Auguſtini æde ad Sacram ProfeſſorumS. I. ædem per pontem proceſſit. Præcedebant modeſto ordine Religioſi Ordines, Academica, Aulica & omnis nobilitas, ætas, conditio. Sequebatur cum Epiſcopo Clerus & Pontificius, Hiſpanus, Venetúsque Legati. Tum demum Auguſti. Pleni hinc atque inde longâ pauperum ſerie ad muros ordines, quibus omnibus ab aulico ad id muneris deſtinato eleemoſynario largè ſubventum. In ipſo S. I. templo ad auguſtiſſimam, & longè frequentiſſimam concionem dixit is qui Majeſtati Cæſareæ à conſcientiæ ſecretis eſt Societatis Iesu Sacerdos. Cantatum inde, celebrante Vrbis Epiſcopo, Sacrum à choro Cæſareo quantâ maximâ po-

potuit musicæ & majestate & suavitate. Ubi Sanctissimum Sacramentum sumpsit is qui ad aram maximam sacris operabatur Princeps Episcopus, Ferdinandus III. posito ante summi altaris cancellos gladio, cum Confessario ad Episcopum prope altare accessit, & ex eo quem Episcopus manu tenebat libro, fusis humi genibus, maximâ pietatis ac reverentiæ significatione, se suáque omnia Immaculatæ Virginum Virgini clarâ voce in hæc verba devovit:

*Omnipotens sempiterne Deus per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura Regnorum; Ego Ferdinandus coram divinâ tuâ Majestate humiliter prostratus, meo, meorumque successorum, & inclyta hujus Provinciæ nomine, Immaculatam Filij tui Matrem semper Virginem MARIAM, hodiè in peculiarem Dominam & Patronam hujus Archiducatus invoco, & assumo. Insuper voveo, ac promitto ejusdem Immaculatæ Conceptionis festum, quod cadit in diem octavum Decembris, solenniter, etiam quoad forum, in hac Provincia quotannis, prævio more Ecclesiæ consueto jejunio in ejusdem festi pervigilio celebrandum. Te deprecor, supreme cœli terræque Imperator; qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas; votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere, atque ad protegendum me, Domum meam, populósque mihi subjectos, dexteram tuæ Majestatis extende*, Amen.

Asservandam Sacramenti formulam accepit Confessarius pro thesauro memoriæ posterorum. Cæsar verò de manu Episcopi Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectus est. Sacris ritè peractis, è templo ad vicinum peramplum forum ad novam Immaculatæ Dei Matris erectam eleganti opere statuam processum pompâ solenni. Ibi Augustis sub conopæo flectentibus, alijs undique circumfusis Episcopus statuam benedixit, dedicavit. Inscriptio statuæ auro exarata utrinque hæc: *Deo Opt: Max: Virgini Deiparæ Immaculatæ in Austria Patronam singulari pietate susceptæ, se, liberos, populos, exercitus, provincias, omnia denique confidit, donat, consecrat, & in perpetuam rei memoriam statuam hanc ex voto ponit Ferdinandus Tertius Augustus.* Tum cantatis ibidem quo id vocum & artis conatu fieri potuit Litanijs, tum demum universa quæ forum implebat multitudo de genibus in pedes assurrexit, & sanctæ quatuor horarum (tam diu duraverat) devotioni tantisper finis datus. Eadem novo quo poterat ritu solennitas sub horam octavam vespertinam, curante id Eleonorâ Augustâ, præsentibus Augustis & Clero, ac populi frequentia mirabili, instaurata est. Eodem ad statuam apparatu processum, Litaniæ ad campestres tubas, & tympana decantatæ. Addebant majestatem pietati collucentia è domibus luminaria, & illa potissimùm quæ circum Immaculatæ Parentis statuam coruscabat è luminum velut stellarum ardentium ordine composita corona. Decima noctis hora Sabbathinæ huic majestati, dedicationi, consecrationi, mancipationi finem imposuit; ut tamen hebdomadariâ recoleretur devotione, constituto in perpetuum pro Musica censu, Lauretanas Deiparæ Litanias eodem

eodem loci quot Sabbatis sub solis occasum decantari Cæsar voluit. Ita tu fortunas tuas, tuos omnes, bona corporis animique, officium tuum, vitam & mortem tuam ita DEO ita MARIÆ mancipa, ut emancipari velis nunquam.

## SABBATHVM XXXVIII.

*Liberalis in Deum esto, vide ne vel in minimo offendas, sancto Pœnitentiæ Sacramento cor ita elue, quasi hodiè moriturus.*

S. Aichardus Abbas in Francia nobilissimis locupletissimisque parentibus suis persacile persuasit ut non se, sed Dei Matrem facerent hæredem bonorum omnium. Ergo illi pro nongentis cœnobium fundant B. V. nomine insigne. Ad hanc pietatis totem sese exacuit Aichardus religiosissimus etiam minimorum ne qua in parte offenderet observator. Semel tamen ea in re peccare fortè aliquid visus delicato Dei oculo est, cujus maxima etiam in minimis nævis atomisque perspicientia solet in filijs reprehendere quod in servis negligeret. Sabbatho quodam post Vesperas, cùm jam & Sabbathi, & Dominici tunc ritu Ecclesiastico quasi incipientis aliud exigeret reverentia, maximè recepto tunc more, ut à Vesperis Sabbathinis Deo vacarent omnes, capillum sibi tonderi curabat Aichardus. Cum ecce ociosè occupatus in angulo dæmon, morosa arithmetica, singulos qui ex Aichardi capite decidebant capillos colligens illos in numerum & digitos mittit, secúmque immurmurans: O si Christus pro miscllis nobis dæmonibus tanta & egisset, & fuisset passus usque ad mortem, & resurrexisset etiam pro nobis; nos certè non adeò inurbanè tantáque Deo sacri temporis negligentia neglectui haberemus Deum, sicut ingrati vos Christiani. Hos ego capillulos quàm studiosissimè collectos, Lucifero nostro & omnibus inferni Principibus civibúsque ostendam hodiè ad ruborem vestrum. Erubuit tenera, ideóque verecunda Aichardi conscientia; &, Præveniam te, inquit; factum confessione sancta expiabo, teque ita confundam. & erratum non grave facili pœnitentia diluit.

Heu! quid de illis dicet ille Fratrum accusator, qui diem Sabbathi magnis contaminant sceleribus? Certè crimen (si quod fuit) confessione & oratione expiavit Aichardus adeò ut expiatum ostenderit Deus, quando omnes illos amputatos jam crines ita ut antea erant in capite reperit Aichardus.

Sed & Sabbathi melioris, id est pretiosæ mortis diem prædixit Aichardo Angelus, quando cœlesti notata minio quatuor fratrum è cœnobio nomina illi monstravit in libro, & cras morituros illos dixit, quasi diceret illud Exodi 16 v. 23. *Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras. quodcunque operandum est facite.* Monet Aichardus & omnes & singulos. Omnes illi pura aliàs corda lavant ultima exomologesi, & sancto viatico, facie illustri collucentes, instru-

untur. Et is qui in illo Dei per Angelum ostensi libro primus fuerat, horâ nonâ, alter duodecimâ, secundâ post meridiem tertius, post vesperas quartus extinguitur: quos felix Aichardus secutus est Anno 695. *Vid. Sur. & Kal.* 15. *Sept.* Nescis crastinum illud sepulchralis quietis Sabbathum. Ergò liberaliter & hodie & singulis Sabbathi diebus, pro illo tuo die Sabbathi quo quiescès, ne in æternum esurias, collige manna tibi: atque ita conscientiam expia, sicut hi ab Angelo moniti per Aichardum; id est, tanquam eo ipso confessionis die à mortalitatis vinculis absolvendus.

## SABBATHVM XXXIX.

*Officium B. V. S. Casimiri Hymnum, vel preces alias peculiares pro die Sabbathi recitandas habe.*

FEcerunt id Angeli, ut refert Ioannes Minor in scala cœli. Esto Angelus Marianus. S. Ildephonsus Toletanorum Archiantistes Sanctorum Angelorum splendores in templo vidit, & à divinis illis symphoniacis, præsente ipsa Angelorum omnium Sanctorumque Regina Virgine Officium Sabbathinum ab ipso Sancto Archiepiscopo compositum, voce ad omnem lætitiam & aurium cordiúmque delicias composita, solenni cœlestíque planè ritu decantari audivit, pompam vidit. Ildephonso verò Virgo Mater post Officium finitum gratias egit, & vestem postea donavit, pignus immortalitatis. Adhucne te piget cor, & os ad laudes Virginis Matris aperire? Angele Mariane! Non credo nos tantam ex audita Angeli cujuspiam musica voluptatem hausturos, quantam Virgo Mater, & ipse Filius Virginis Deus, è castis, & corde syncerè Mariano fusis precibus lachrymis, suspirijs percipiunt voluptatem.

AN-

# ANNI MARIANI

## PARS IV.

## SABBATHVM XL.

### *Ad Litanias Sabbathinas, ad exhortationes, ubi habentur, eundum constanter.*

EX Annuis Goanis accersò exemplum Sabbathinum è fol. 203. Indus ab annis jam plus quam duodecim non confessus, cùm quodam Sabbathi die ad *Salve Regina* apud Patres Societatis Iesu cãtari quovis Sabbathi die consuetum pulsari ære campano audit, gliscit illi repentina è cœlo in corde scintilla, & suavis Dei secordi illi sensim insinuantis susurrus. Suggerebat illi loquens in aurem silentio Deus, & rogabat ut ad templum se conferret; Sabbathi diem esse, ad salutandam Reginam Matrem misericordiæ pulsari. Movetur, inardescit, accedit ad templum. Sed ad templi portam plumbeos sentit pedes, & stupet. Simúlque templum ingredi toto conatu volens nec valens domum plumbeis pedibus reverti vult, sed nec hoc potest. Ergò proximo parieti acclinis, (renovato S. Mariæ Ægyptiacæ exemplo) visâ B. V. imagine, causam scisitatur, ut quid excludatur templo? Adest è Societate Iesu quispiam, datus illi casu à Deo ita ordinato imaginis Beatissimæ Virginis interpres. quod enim ex imagine quærebat ex Patre accepit responsum. Videt Pater perplexum hominem, interrogat fidenter, rem omnem audit, denique conscientiæ purgandæ admonet. Fatetur Indus magnam sibi esse confitendi necessitatem, seque id valdè velle. Statim atque hæc dixit, expeditos à gravi illo onere sensit pedes, & Patrem in templum præeuntem secutus omnes conscientiæ rationes planè explanavit, Patrem enixè precatus, ut Sabbathinam hanc Dei è confiteri nolente volentem facientis misericordiam, in ejusdem Dei ac Dei Matris semper immaculatæ Virginis ho-

norem & gloriam propagandam longè ac latè propalare ne gravetur. Enquàm luculentum iste illius quâ lubens inspirationi divinæ se ad Sabbathinam devotionem invitanti paruit, pro toto vitæ decursu emolumentum tulit. I, ergò, quis scit quid tibi pro hoc obsequio Mariano præmij designarit munificentissimus Virginis Unicus, Deus.

Cæsar Card. Baronius (ut habet Spondanus in ejus vita n. 8. 25. 29. 36.) ad suos domi singulis diebus Sabbathi sermonem de divinis rebus vel habuit ipse, vel ab aliquo Congregationis Sacerdote, se audiente, faciendum curavit, sive pietatem, sive eruditionem spectes, *ex utroque Cæsar.* Phœbonia, Mariani hujus Cæsaris Mater, ubi prid. Kal. Nov. Anno 1538. hunc edidit, B. V. DEI Matri in filium dedit; cumque biennio pòst penè exanimis in cunis jaceret parvulus Cæsar, illa post tridui preces apud B. V. in templo supplex, vocem audijt delapsam cælitùs: *Bono animo, latoque sis: filius tuus nequaquam morietur.* Et certè vixit postea candidissimus Virginis pullus. Unde nascebatur, ut ne puros hos amores alijs contaminaret amoribus, *acerrimis carnis stimulis aliquando vexatus, cimicem, fœtidissimum vermiculum, ori suo injecere, ac pramansum deglutire non dubitaverit; quo gravissimum illius odorem stomachante sensu, simul etiam immundissimum dæmonem animus procul exsufflaret.*

Immaculatæ Virginis imaginem semper gestabat in pectore, custodem boni cordis. Illam etiam Annalium quasi Bibliothecam antiquitatis æternæ Virgini sæpiùs dedicavit, hac sæpè arbitrariâ tesserâ usus; Cæsar Mariæ Servus. Mariæ Servus Cæsar. A S. Philippo Nerio per B. V. ad vitam longiorem impetratus est cum morti quàm vitæ propinquior decumberet, orante sic Philippo: Maria, *serva Cæsarem*; MARIA, *Cæsarem serva.* Et illi postea Philippo superstes Cæsar, illum jam cœlis additum, primùm Ferrariæ per quietem Anno 1598. cœlesti splendore collucentem, & quòd Mediolanensis Cardinalis jam moriatur nunciantem, deinde Romæ Anno 1600. vigil blandientem vidit, ac paternum ab illo amplexum accepit. Mortem (quam 13. ante annos in literis grandioribus formato hoc velut è gypso numero LXIX. annorum vitæ suæ numerum interpretatus, intellexerat) Anno 1607. prid. Kal. Iul. *die* B. MARIÆ *Sabbatho* sacrâ LXIX. natus annos adeò lætus obijt, ut cùm suam supremis jam Ecclesiæ precibus commendari animam audiret, dixerit: *Eja! ecce nunc tempus exultationis, & lætitiæ! Moriamur!* id quod Sabbatho illo beato factum, cum oblatam ad oscula B. V. imaginem, thecámque reliquiariam exosculari non cessaret; & *in osculo Dominæ* suæ Dei Matris *Servus* Mariæ *Cæsar* Sabbatho expiraret.

## SABBATHVM XLI.

*Circa inchoata seu Sabbathinæ seu alterius generis pietatis officia ita te habe, ut in illis non tantùm non tepescas, verùm ea augeas prudenter.*

My-

MYrensis Pontifex Nicolaus jejunio Sabbathino jã inde à cunis assuevit: quam ille consuetudinem tantum abest ut postea intermiserit, ut etiam adstrinxerit, Sabbathis postea pane arido fontanáque contentus. Iejunijs eleemosynas addidit, & plurima constantis officia pietatis. At cumulatè supra id quantum honoravit honoratus est, quãdo necdum Episcopo Nicolao suo. B. Virgo spectabilis adfuit unà cum Angelo. Angelus Nicolao pretiosum auro ac gemmis Evangeliorum librum porrexit, Deipara verò Virgo Pontificale Omniphorium, seu pallium Episcopale Nicolai collo humerisque imposuit, indicium ejus ad quam postea Myræ, divino calculo electus est insulæ, Naufragorum portus, captivorum libertas, pauperum divitiæ, ægrorum incolumitas. Luberet, si vacaret, luculentis & palmaribus singula miraculis firmare. At Sabbatho contenti, morientem videamus Nicolaum. Moriens *In te, Domine, speravi!* ajebat, & Angelos obvios ad æternitatem futuros comites vidit, & cum illis discessit, *Vid. Lipom. Fastos, Fornerum de B. V.* Adorna jejunia tua alijs virtutum ornamentis, & illa ornamenta jejunijs: idque constanter age quod benè agis, ageque semper melius. ita tibi pallium laudis dabit Virgo benedicta, quando pretioso æternitatis albo inscriptus, Evangelium, id est bonum nuncium accipies, de tua salute, intrabisque vocatus, & vestitus paludamento Regum Filiorum Dei.

# SABBATHVM XLII.

*Fac res dignas imitatione: & ipse imitatione digna imitare, trahe alios exemplo ad DEVM.*

SUrdo, ac muto probi cujusdam Curati, seu Parochi famulo, ut refert Discip. exemp. 18. sub extremum vitæ agonem se pro solatio extremo ostendẽs Deipara, ita surdum ut iam ab illo audiretur allocuta est: *Salvet te Iesu Christus Filius meus.* & confiteri, ac sanctissimo viatico refici, omnibus denique agonizantium Sacramentis instrui jusso, addidit: *Postea ducam te in requiem tibi praparatam.* Ad hæc surdus audire, & audita loqui incipit. Se à B. Deipara visitatum, & omnibus morientium Sacramentis muniri jussum; & denique promissam sibi requiem. Fecit imperata nihil moratus. Confessus, viatico supremo refectus, & ad mortem sacro ceromate unctus est. Stupentibus circùm omnibus atque ad promissam quietem duci præstolantem interrogantibus, quibus demum obsequijs, quo genere officiorum Deiparam sibi adeò devinxisset semper surdus hactenus atque mutus, ut ab illa & visitari, & miraculo gemino cumulari, & ad Sacramenta accipienda moneri, & ad beatam demique quietem duci mereretur? Respondit, rudem se fuisse semper rerum Dei, ut pote surdum semper (qua parte doctrina hauritur) atque mutum ideóque de Deipara nil unquam inaudisse. Adverti tamen, inquiebat, unum hoc, &

imitatus sum feliciter. Videbam ego certo die (Sabbathi erat) Parochum meum jejunare consuesse, & altero post esurialem illum diem die populum à laboribus vacantem, ad templum frequentem convolare solitum. Quare, divino intus agente lumine, hoc cum corde meo consilium posui mutus. Debere certè boni aliquid cogitare Dominum meum, quòd die illo non perinde ac alijs comedat. Huic Dei intus loquentis voci parui, dictis audiens, & illo quo Dominus meus jejunabit Sabbathi die, ego etiam eo quo Dominus modo benè me velle faceret cogitavi; eáque cogitatione instructus jejunavi, reliqua permittens Deo qui sciret me idem bonum cupere quod Dominus faceret. Et ecce hanc mihi gratiam gratiarum impetravit liberalissima minimorum etiam bonorum æstimatrix Virgo. Affirmavit id ipsum felicis hujus imitatoris famuli & exemplar & Dominus, Parochus: famulum illum suum surdum semper & mutum, Sabbathi dici sanctitatem fideli semper, arctóque jejunio religiosè coluisse. Tanti est & facere imitanda; & benè quid in quo imiteris eligere. Ecce Sabbathina erga æternam Virginem obsequia etiam muti loquuntur. Heu! quàm surdus es, si non audias, si non obedias! Pete sanari a Matre Virgine surditatem hanc tuam. Supremus Mariæ cultus est, bonos benè imitari, & facere imitanda.

# SABBATHVM XLIII.

## *Honori Virginis Matris cura sacrum die Sabbathi, pro felicitum tuo tum agonizantium omnium, agone.*

Discamus id è docto illo *Discipulo ex.* 73. Fœmina singulis diebus Sabbathi duplici semper honore observandam sibi Dei parentem constituit: altero, ut pro die illo jejunium sibi semper indiceret, altero ut unum de Dei para Sacrum celebrari curaret: utrúmque piè constantérque fecit usque ad mortem. Post quam obitam cùm de illius anima sibi adsciscendâ seu certarent inter se dæmones seu consultarent, litem diremit feliciter sanctissima Iudicis vivorum & mortuorum Dei Mater, cùm dixit: *Scitote quia anima illa nunquam damnabitur quæ mihi servierit: neque ille vester unquam erit, qui animam suam commendaverit mihi.* Dæmoni non Mariæ servit anima illa quæ est subdita peccatis, ancilla mortis æternæ. Et sacris, & jejunijs communienda est contra illam tyrannidem anima, ut gratiâ plena Virgo, gratiam nobis contra illam tyrannidem impetret perpetuam: ut ne peccati servi simus in servitute diaboli. Si inter Mariæ filios esse vis, debes esse inter *liberos* Mariæ in aurea libertate nunquam peccato, nunquam dæmoni servientium liberorum Filiorum Dei.

Sab-

# SABBATHVM XLIV.

## *Cilicium Sabbathinum.*

COnstanter id faciunt multi, ut illud die Sabbathi gestent benè cincti Mariæ filij. at verò discincti & immundi carnis mundique nepotuli id aspernantur. Non est aspernatus S. Ludovicus Galliæ Rex, qui ut Blanchæ Matris pijssimæ sæpè repetitas illas voces, ne cor unquam lethali contaminaret flagitio, exequeretur sanctiùs, inter alia tuendæ cordis mundiciei præsidia addebat hoc etiam, ut Sabbathinis diebus cilicio, velut militari cingulo authoratus Mariæ miles, se præcingeret, serviret egenis, eorumdémque pedes in Regio suo conclavi ablueret, ac postea mensæ accumbentibus ministraret. Præcingebat se nimirùm, & transiens ministrabat illis. Ita Sanctum Thomam Cantuariensem Archipræsulem dũ Sabbathino die laceratum usu cilicium reficeret, ipsa juvit Mater Virgo. Præclarum enim verò spectaculum Regem & Archiepiscopum videre Sabbathino hoc baltheo lumbis præcinctis lucernas ferentem in manibus, id est & Ecclesiastico & seculari statui præluceре exemplo: præclarum, videre Regem dissimulato cilicij dolore circa pauperum pedes ac mensam satagere: præclarum, & admirabile, reficiendo uni cilicio Dei Matrem & unum Archiepiscopum assidentes operam dare. Macte animo quisquis magnus esse vis Deo! Tu quid ad Ludovici Regium, quid ad Thomæ Archiepiscopale, utrumque, arcæ instar, cilicio opertum nomen? seu togâ seu sago sis magnus ne pudeat sub togâ vel sago cilicium abscondere. Breve ad longissimam æternitatem iter quæris? I per hæc exempla quæ hodie, quæque aliàs retuli, referámque. Breve iter per exempla. Ergo accinge te ad iter cilicio.

# SABBATHVM XLV.

## *Ætatem teneram ut ad aliquam abstinentiam Sabbatho assuescat erudi: singulare id esse dic ad moriendum feliciter præsidium.*

VNdenus non ampliùs natus annos parvulus jam illam seu è parentum, seu scholarũ disciplina, seu è probi cujuspiam viri institutione combiberat consuetudinem, ut Sabbatho etiam à lacticinijs abstineret, conaretúrque sibi Deiparam ijs quibus illâ in ætate poterat & noverat officijs demereri. Hunc parvulum *Spinellus Miracul. B. V. n. 65.* scribit exorto inopinato quodam incendio jam flammis absumendum, igni & morti, mirabili B. V. ope ereptam. O quot ab æternorum incendiorum morte immortali, Maria eripuit! Aude & tu conari aliquid pro modulo, pro ætate, pro viribus. Etiam simplex quæpiam (*Discip.* referente) puella, Sabbathini sui causam rogata jejunij, respondit crebrâ se, certâque auditione persvasissimam, eos qui id agerent, abs-

absque necessarijs ad mortem præclarè obeundam præsidijs emori non solere. id se à Virgine Sabbathino semper flagitare jejunio, ut se materno & viventem & vivere desinentem tueri præsidio velit. En pueri & puellæ id nos edocent. Sexus utriúsque, omnium ætatum, ordinum exempla id clamant: at gula nostra nostris magis vicina est auribus, auditur libentiùs. A teneris tamen si ætatem illam eorum quæ primò didicit retinentissimam his imbuas, servabit bonum à te haustum odorem nova illa testa diu. Sabbatho tamen non jejunantes ut ne contempseris, vide. Nec contemne, nec judica. Non jejunare Sabbatho, (nisi aliunde sit obligatio prō ratione personæ, temporis &c.) peccatum non est: jejunare, virtutis est, perseverare & alios in idem inducere, majoris. Iejunare si non permittaris ab ijs qui id certis de causis prohibere possunt, tunc jejunare volenti, sed non valenti, non tantùm peccatum non est quòd non jejunet, verùm etiam virtus est jejunandi voluntate simul, & parendi studio pretiosa. Sed cave, ut aliàs monui cave scandali plenam superstitionem unam. Cave, ut aliàs monui, omnem sanctitatis hebdomadam unâ hac Sabbathi devotione definias. Hoc ipsum est cur irrisores quidam Sabbathina hæc ad mortem præsidia parvi pendant. sed quàm prudenter argumententur à scandalosis jejunantibus, ad non jejunandum, ipsi viderint cùm oculos claudent. Tu ut benè tuos claudas nunc illos aperi. Moderna malè jejunantium, & omnia sua scelera uno Sabbathino jejunio tegere coram Deo se posse præsumentium præsumptio, æternæ desperationis authoramentum, signum, seminarium est. Seminant miseri, non in spe, sed in præsumptione, metent damnationem in desperatione.

## SABBATHVM XLVI.

### *Latentem in Virgineo MARIÆ utero Iesulum teneris quovis Sabbatho obsequijs venerator.*

SAbbatho combustus in Iaponiâ prō Christo est glorioſus ille P. Carolus Spinola Soc. Iesu Anno 1622. 16. Sept. ut est *Vitæ illius c.* 18 Ab illo disce, sive quotidie, sive Sabbatho quovis in honorem parvuli Iesu novem mensium spatio in virgineo intemeratæ Virginis Matris ventre gestati, & in honorem gestantis Filium Deum Matris dicere novies AVE MARIA, & alia addere pietatis officia, Carolo in Virgine colendâ usitata. Dedit etiam monita quibus instructi religione singulari & Matrem & Filium necdum natum cum illo contemplari possimus. Monita ut re ipsâ usui esse possint, sic in praxim redigo cum novem illis Salutationibus Angelicis.

Beatus venter qui te portavit, Domine amabilis IESV, & ubera quæ suxisti!

*AVE MARIA Verè Dei Mater, quæ ope Spiritus sancti tuo Deum in utero concepisti. Gratias ago Deo meo pro tibi honore collato: teque veneror ut Matrem Dei!*

*Dei: simulque rogo, ut me talem maternitatis tuæ imitatorem precibus tuis efficias, qualem me esse voluit Filius tuus* IESVS *cùm dixit: Quicunque fecerit voluntatē Patris mei qui in cœlis est, ipse meus Frater, & Soror, & Mater est.*

Hìc dic AVE MARIA primum.

*Ave MARIA, junctâ virginitati fœcunditate Mater simul, & Virgo. Oro te amabilis Domine* IESV, *per Matris tuæ merita, ut mihi bonorum omnium impertiaris ubertatem, puritati corporis, animique conjunctam.*

AVE MARIA secundum.

*Ave MARIA, quæ gravida mensibus novem, Christum non solùm absque molestia portasti ponderis, verum etiam cum levamine sensu. Ora pro me* IESUM *tuum, ut nunquam grave mihi videatur jugum Domini portare, sed levis ac suavis mihi appareat, & sit observatio legum DEI.*

AVE MARIA tertium.

*Ave MARIA, quæ cùm aliæ Matres prolem cum dolore sint enixæ, Deum Filium summo cum gaudio peperisti. Ora pro me, Domina, ut illo in partu felicem te ac lætam, hilari bonorum desideriorum propositorumque executione imiter semper: atque hinc animi mihi crescant ad vincendas difficultates omnes molestiásque, quæ bonis operibus esse solent impedimento.*

AVE MARIA quartum

*Ave MARIA, cui, postquam angustiis uteri claustris illum Virgo esses complexa, quem neque cœli, neque terra comprehendunt; tanta inter res creatas capacitas est data, ut in te Deus collocaret plenitudinem gratiæ, quæ Sanctorum omnium gratiam immensè superaret. Amabilis Domine* IESU, *obtestor te per amorem illum quo novem te mensibus utero Virgineo inclusisti, ejus ut me gratia, cœlestiumque donorum capacem efficias, quibus me jam inde ab omni æternitate ornare decrevisti, si ego modo id permittam.*

AVE MARIA quintum.

*Ave MARIA, è cujus Virgineis visceribus postquam Verbum æternum humanitatis nostræ vestem sibi texuisset, instar summi Pontificis te dicavit consecravitque in templum sibi, verumque tabernaculum Dei. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Rogo te, amabilis Deus meus interpositâ hujus Matris Virginis precatione, ut quoniam per baptismi fontem in Spiritus S. templum sum consecratus, illud ab omni labe purum servem purus.*

AVE MARIA sextum.

*Ave MARIA, cujus Virgineum uterus factus est publicum orbis horreum, è quo eductum est frumentum electorum, ut conderetur panis vitæ, panus Eucharistiæ. Obsecro te Virgo Beatissima, ut quemadmodum liberalis fuisti in subministrando illo pane; sic mihi quoque gratiam impetres, eum pari, quæ tanto par est mysterio, religione observantiáque gustandi.*

AVE MARIA septimum.

*Ave MARIA, in cujus tum latuit abditis visceribus Christus secundus noster Adamus, te secundam Evam reddidit, è qua per Christum regenerati sumus in filios Dei adoptivos, cùm ex prima Eva nati essemus filij iræ. Recurro ad te, utinam boni instar filij! ad te, pissimaMater: teque obtestor, ut in tuam me tutelam recipias, & à prima Evæ calamita-*

*tibus me immunem reddas.*

AVE MARIA octavum.

*Ave MARIA, quæ postquam in te habitavit Deus, facta es instar paradisi deliciarum ac voluptatum; imò cœli instar empyrei, cui semper frequens assistit cœli Regia; cum nequeant cœlestes illæ mentes pulcherrimo hoc spectaculo satiari, quale fuit videre immensum Deum unius virgunculæ sinu inclusum. Oro Deum meum per te, ut animam meam vertat in paradisum divinæ suæ Majestatis expurgetque spinis, urticis, tribulis omnium vitiorum, quæ sterilem insilvam atque infæcundam, animam meam converterunt.*

AVE MARIA nonum.

Solebat etiam Carolus manè quotidie Sacrosanctam Trinitatem calidissimis precibus venerari, & inter alia sic suspirare: *Da mihi per viscera Beatissimæ Virginis, ut nunquam te offendam; sed semper faciam tuam voluntatem.* In fine orationis illius, per Martyrij palmam pervenire petebat ad Deum; id quod etiam Sabbatho assecutus est. Tu à Deo per Virginem id pete, quod pro Dei gloria, & pro te optimum in suis thesauris esse judicat optimus Deus.

## SABBATHVM XLVII.

*Vt efficaciter, resolutè, constanter & ferventer volentem te faciat Deus, ac è teporis veterno ereptum in æterno spiritus calore conservet præcipuè labora, idque per amantissimum ferventium in via DEI filiorum suorum Matrem MARIAM,*

EXpertus id felicissimè successu magno, emolumento æterno P. Dominicus Valesius S. I. ut est in ejus vita. Hic coram materna B. V. majestate se de torpido suo in via spiritus tepore accusârat multis, & cùm sanctitas illi alta quædam res videretur, dejici ac pendere incipiebat hærente animo. Sed Sabbatho (quod etiam Præsentatæ Dei Matris pervigilium erat) erectus est in spem accensam, cum, *non carneis quidem oculis, sed subtiliore quadam & incognitâ retrò ratione augustâ specie visendam se illi præbet DEI Mater, suavissimum pueruluum lævo brachio suffulciens.* Ibi arsit, ibi ascēsiones in corde suo, beato illo die Sabbathi, disposuit, dubitationem abstersit, timorem discussit, torporem excussit, eluctatus est, hac Duce vel visa cum Imperatore parvulo IESU in visione Sabbathina. Cum verò aliquando inter veternum, ut ipse quidem putabat, & novos Virtutis æstus luctaretur, attentâ super mensam ex anagnoste Sanctorum illustrium, quorum heroica facinora legebantur, auditione, exarsit, rupitque quicquid difficile videbatur. Accendit illum præcipuè par nobile Marianum. Altera enim cordi illius fax fuit tenella Senensium Catharina, inter domesticas vexationes, Christi in Patre, MARIÆ in Matre, aliorum Sanctorum in alijs contemplatione adeò ardens, & in loco adeo

deo parùm opportuno adeò sancta semper usque ad Iesu cor, usque ad Mariæ familiaritatem. Secũdùm hanc, domestica Aloysiana decora in lacrymas illum effundebant. Beatissimam Deiparam à dulci illo Sabbatho animosior in novæ vitæ Matrem elegit, in illius nutus, & visam speciem attentissimè defixus. Hinc illi animi cùm se alloqueretur: Pande vela spiritui. Affler ille quàm largè vult, pelli te sine, & Deum sequere. Videant, non videant homines, perindè habe. Tu modò ne videri appete. In annuis S. P. Ignatij Exercitijs (quæ admirabili cum emolumento recepto semper hactenus more facere consuevit Societas Iesu per eum à Deo fundata) sensibili quasi quodam modo renovatus ac genitus, & eximiâ novâque quadam puritate amictus, erupit plenus intimæ syncerrimæque gratulationis in has voces ad Virginem: *Tene, Mater, quod tenes: Stringe fortiter, quia magnum thesaurum invenisti.* Ad Partheniam semper immaculatæ Matris iconem, si neminem adesse adverteret, in genua provolvebatur quoties illam præteribat; coram aliis tantùm caput aperiebat, submittebat. Semper promptas ad ea quæ petebat Mariæ Deiparæ aures expertus est. Sensit aliquando debilia in humi flectendo genua: petivit illa ab illa sibi solidari. & sinè mora sensit nervos quodam quasi oleo perfusos, solidatos. Tu genua cordis tui flecte, & Cor tibi in ardente ac seriò semper valdéque volente voluntate firmari pete. Nobiliorem post Deum, toto cœlo ad te accendendum facem non reperies, quàm Mariam.

# SABBATHVM XLVIII.

*Pete singulariter à Deo per Deiparam, mentem tuam altis æternitatis principijs, & heroicis cogitationibus imbui.*

Selzearius Comes ille illustrissimus, cui Mariam pro orandi magistra se dedisse revelavit Christus, Sabbathinis potissimum diebus apertos sibi ad mira cœlestia audienda & intelligenda dicebat oculos mentis. Et thaumaturga illa Virginis in monte Serrato imago miris luminum splendoribus, & suavissimis cœlestium chororum concentibus, primo, tertióque Sabbatho visis auditísque primùm innotuit, ut est in Montiss. hist. Ita Sancta illa Lusitaniæ Regina à S. Elizabeth Reginâ Ungarâ materterâ suâ, Elizabeth dicta sanctè semper coluit Virgini sanctum Sabbathi diem jejunio sancto arctóque: ut illa taceam jejunia, quibus in longum ductis Assumptæ Deiparæ præveniebat diem. Divósque alios aliàs colebat, adeò, ut totus illi propè annus unum esset jejunium, & illud arido ferè pane aquáque contentum. Iam nota est orbi illius admirabilis, atque florido miraculo etiam celebris eleemosyna, oratio, & illa summos quosque, Fecialis instar placandi pacandíque dexteritas. Hæc Elizabeth tot virtutibus ornati Sabbathi præmium tulit moriens, cùm illa supremùm decumbens cum gloriosis Angelorum Virginúmque turmis præsenti sibi Deiparæ agonizantium Custodi colloquens inquiebat: *MARIA, Ma-*

*tey gratiæ! Mater misericordiæ! Tu nos ab hoste protege. Et horâ mortis suscipe.* Ita suscepta est in locum Sabbathi sanctum semper. Denique singulare nescio quid est insitum pectoribus Marianis, ut factâ quasi manu conjurent ad Sabbathi diem præcipuâ in veneratione habendum, adeò ut marmoreâ quantumvis glacie concretum pectus, ad illos tot cordium calores atque spiritus delicias dissolui debeat. Incipe & tu sic dissolvi, & esse cum Christo, qui inter mortis & resurrectionis suæ diem, id est inter sextam feriam atque dominicum diem, diem Sabbathi Matris suæ esse voluit, ut illa esset pro felicis & mortis & resurrectionis nostræ die mediatrix. Certè post Christum, qui unicus est mediator supremus, & talis qui dedit semetipsum pro nobis, ad salutem per Virginem non tanquam per Salvatorem ipsum, sed tanquam per Matrem Salvatoris, consequendam, hoc *medium tenuêre Beati*, de quibus retuli. Tu etiam ad æternitatem hoc *medio tutissimus ibis*.

## SABBATHVM XLIX.

*Aliqui Sabbatho cibo abstinent prorsus. Alij quò minus indulgent genio, eò plus concedunt spiritui.*

NIthardus Bambergensis Præsul, teste *Drex. Trism. lib 1. c. 4. §. 3.* per omnem vitam omni Sabbatho cibo abstinuit: atque ut se Virgini Matri Sabbatho præcipuè colendæ totum dedicaret, cirea vesperum omne non sacrum negotij genus procul à se abesse voluit, Marianus totus ex asse, quia Sabbathinus Antistes. Sabbatho natus, Sabbatho creatus Pontifex & inauguratus, Sabbatho in pace moriens requievit. Sabbatho denique tumulo illatus est.

Denique plus religionis in colendo Sabbatho legi & vidi adhibuisse Marianos quàm Iudæi Sabbathino apud Romanos nomine ideò notati, adhibeant superstitionis. Olim apud illos tubâ vel cornu signum datum ait liber cui titulus *Synagoga*, ad Sabbathum colendum ut se dignè præpararent omnes. Sole montibus illucescente, Sabbatho fæminæ Sabbathina luminaria, seu Sabbatharia accendebant. Ubi primùm pendentium candelabrorum ellychnia ardere vident, Iudæa manibus junctis oculos ad lumen convertens benedicit Deo, qui jussit lumen Sabbathinum accendi. Tempestivè autem Sabbathum auspicantur pro animabus quæ ex Purgatorio ad Sabbathi requiem perveniunt. Ajunt enim cum in templo oratio quam illi *Gratias agite* vocant, cantatur, animas in aquas ex igne insilire, & tantisper refrigerari, quare ut animæ habeant ubi se refrigerent, Rabbini severè prohibent ne Sabbatho aqua tota exhauriatur ullo in loco. Tædet referre plura superstitionis plena dè Iudæis. Delectat Sabbathina piorum, vel omnium vel fere omnium religio calamum. Maximilianum Bavariæ Ducem omnibus per annum totum Sabbathi diebus cœnam rejecisse fama est. Aulæ plures fer. 6.

&

& Sabb. vespertinam cœnam, ut pote laudabiliter breviorem & accisam, collationem vocant. Et denique pervulgata jam est devotio ut nihil Sabbatho facere in honorem Dei Matris, religioni sibi ducant MARIÆ adoptivi. Sabbathici fluvij & illius qui reliquâ hebdomada fluens quiescit Sabbatho, & illius qui reliquâ hebdomada aridus fœcundus fluit Sabbatho, initio memini. Sabbathici fluvij dicendi sunt meliore forte felices & Navarrhorum (qui toto 60. annorum spacio Parthenium B. V. rosarium perbibetur quotidie recitasse) & aliorum Marianorum oculi, qui nunquam minus aridi sunt à devotis lachrymis quàm Sabbatho. Hi sunt fluvij Sabbathini, fluenta pacis, piscinæ probaticæ amoris quas Angelus movet in sanitatem æternam.

## SABBATHVM L.

*Si quid sanctè moliris, quicquid id est, DEI Matrem in consilium, & auxilium adhibe: gratias age.*

R*Ibad. Vitæ S. Ignatij lib.* 1. *c.* 7. refert, S. Ignatium, post superatas divinâ ope & multas & varias & plenas periculi, dum aliam vitæ novæ telam ordiretur, tentationes, inter orandum Divinæ Matris officium admirabili quadam sacrosanctæ Trinitatis luce perfusum, in qua de altissimo illo mysterio admirabili perspicientiâ stupenda videbat abscondita, cordis Deo pleni teneritate se in devotissimas profusissimásque lachrymas per oculos effundente. Et post plura ejusmodi de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, de mundi opificio, deque alijs fidei sanctæ mysterijs lumina, Manresæ tandem *accidit, ut die quodam Sabbathi, sub horam completorij, à sensibus sic destitueretur, ut à pijs quibusdam viris, & mulieribus repertus, pro mortuo haberetur; & nisi Cordis tenuem palpitationem quidam deprehendissent, sepulturæ procul dubio mandavissent. Mansit autem in hac extasi, sive abstractione à sensibus, ad alterum usque diem Sabbathi sequentis hebdomadæ: quo die, horâ completorij, quasi è somno excitatus, multis qui eum observabant præsentibus, oculos aperuit, sacratissimum IESU nomen ingeminans.* O qualis est Sabbathina hæc, seu Ignatiana hebdomada! sinè cibò, sinè potu, motionéve ullâ, humana non sentire, divina pati! Ibi totâ illâ sanctâ extaticáque hebdomadâ delineabat in Ignatij fundatoris mente ea quæ postea ædificavit Architectus DEUS. O Sabbathum stupendæ septimanæ, septimanæ extaticæ alpha & omega sanctum! Quid tot diebus noctibus, horis vidisti, absorpte in DEO Ignati? Annos ego meos dederim pro tali hebdomada quæ mihi sit seminarium æternitatis! En quàm suaviter novam telam orditur, quàm suaviter, fessus à dæmonis apparentis, fessus à turbulentissimis tot scrupulorum tumultibus quiescere Sabbathinâ quietis die incepit, & hebdomadâ vertente, eodem Sabbathi die, longam illam extaticámque quietem finivit Ignatius. Ut verò magis Ignatium acueret ad majora

jura Iesus & Maria, tricenis illum vicibus, ut minimùm visis cœlestibus recreârunt. Et verò conditæ à Beato Patre Ignatio Societatis Iesu Beatissima Virgo se Matrem fecit, & ostendit semper. Et universa Iesu Societas sicut in Ignatio Patre sancto dirigendo præcipuum DEI instrumentum fuisse Deiparam agnoscit cum Laynio; ita etiamnum illam Filijs & fratribus suis dat pro singularis stimulo & medio sanctitatis. Certè P. Claudius Aquaviva encyclicâ illâ de perfect. & charit. epistolâ, sperare se ait, ut Societas etiam atque etiam indies efflorescat, si nitatur præcipuâ illâ religione ac pietate erga Sanctiss. V. M. Itaque velim, inquit, in omnibus rebus ac temporibus sive publicis Societatis, sive proprijs singulorum, præstanti quadam veneratione, ac singulari fiduciâ quæ nullam vereatur repulsam, ad hoc laborum omnium ac sollicitudinum perfugium, supplices accurramus. Idque ipsius Ignatij Patris exemplo confirmat, & pluribus hoc argumentum tenere solidéque prosequitur. Patri etiam Martino Guttiero, præcipuo in Deiparam affectu, & pluribus visis cœlestibus illustri viro id luculentissimè ostendit, authore Plato de stat. rel. l. 1. c. 34. *quando ille divinam Matrem eximiâ admodum specie micantem vidit, vestem in magnam latitudinem expansâ, ac sub ea vestem Societatem collectam contineri, quam illa materno affectu complecteretur, eóque quasi suæ gratiæ & charitatis tegumento confoveret.* Illud ergo MARIÆ pallium, ille Mariæ sinus esto Sabbathum tuum qui fuit Ignatij. Cujus in regenda Societate Successor Vincentius Caraffa in primâ quam ad Societatem universam dedit epistolâ, ubi præclara quædam & sublimia suasisset, ut illa omnia solidâ sacráque anchorâ stabiliret, addidit: Verùm ut hæc in auras non vanescant, sed factis rebúsque sanciantur, etiam atque etiam desidero, ut in cultu Beatissimæ Dei Matris suam singuli instaurent expoliantque pietatem. Nam si Iesu tota est titulo singulari ac peculiari nomine Societas, totam quoque esse Mariæ necesse est speraréque ab ipsa patrocinium atque opem ad implendam vocationis nostræ ac Apostolici propositi mensuram.

Pretiosè! Hoc age ut solidè agas, dum in altum tendis, dum meliora præteritis atque altiora moliris consilia. Illuc abi dum aliquid ædificaturus cogitas an habeas sumptus ad ædificandum, ibi pone consilia in anima tua, illuc fuge dum pelleris à rugientibus præparatis ad escam dæmonibus, hominibus, omni denique creatura quæ ad offensam Dei te tentat adducere. Illo te pallio involue. Iesu & Mariæ cor pro fundamento ædificij accipe. Denique Sabbathismum age Ignatianum. Sanctissimæ Trinitati miserum tuum pavidúmque cor in unione geminorum illorum cordium offer: ut morienti tuo cordi duo illa cordium omnium principalissima corda succurrant. Iam scis, antiquâ phrasi nostrâ, Cor Iesu Rex cordium est, cor Mariæ cor est Reginæ Cordium. Ora ut cor tuum æterno homagio, æterno Sacramento, æternâ æternitate fidele sit utrique illi cordi cordium Domino subditorum.

SAB-

# SABBATHVM LI.

*Lita. Lauretanæ, quatuor illæ celebres per annum Antiphonæ: Alma, Salve, Ave, Regina cœli, Sabbatho meditandæ, piè recitandæ, sive in templo habeantur, sive non. Tu tibi templum esto.*

APud Sacrosanctam, & Dei Matris Nativitate, DEI IESU Conceptione ac educatione felicem Nazarethanam illam quæ ab Angelis per terras & maria Lauretum ad eum, in quo nunc mirabilis est, locum translata est, Domum quàm plurimis & quàm maximis prodigijs thaumaturgam, singulis Sabbathi diebus Litaniæ dicuntur pro felici morte, & gratia ad hanc necessaria impetranda. Iam plura mortalium millia pacto sancto inter se convenêre, ut quivis illas non jam Sabbatho tantùm, verùm quotidie recitet. Primò ergò cura admitti ad illud pactum ab aliquo ad id potestatem habente. 1. Recita Lit. Laur. quotidie, cum oratione ad S. Ioſephum, quæ illis adjuncta est. 2. Illas & pro te & pro omnibus ejusdem pacti sancti socijs dic pro felici morte.

Romæ paucis abhinc annis in Professæ S. I. Domus templo, cui à Iesu nomen, sanctè institutum est, ut Lauretanis sub vesperum Litanijs quovis die Sabbathi decantatis, unus aliquis è Soc. Iesu, eo qui inter Deiparæ sacellum elegans, & S. P. Ignatij altare & corpus est loco, inter Virginis sacellum & altare Ignatij medius consideat, & de Beatiss. V. Sabbathinam breviter enarret historiam ad accendendos erga Deum Deique Matrem affectus, idoneam. En quàm ingeniosa est, quàm nunquam satura, quàm laboriosè quàm dextrè industria Sabbathina erga semper immaculatam DEI Genitricem devotio.

Quatuor verò illæ per annum distributæ Antiphonæ, plenæ sunt solatiorum divinorum, si illas penetres. Alma Redemptoris Mater! carmen est è classe Humanitatis Iesu, à Comite Hermanno (ut *Io. Bonif. hist. Virg. l. 2. c. 3.* affirmat) celeberrimo illo Mariæ sanctissimóque cliente, compositum plenum succi sancti. Verè MARIA est *per via cæli porta*, ingredere; est *Stella maris*, respice Stellam, voca MARIAM! verba singula, singuli apices sancti sunt, id quod curioso & piè laborioso successu apud *Pædag. Christ §. ult.* gratiosum Duacensium Sodalium ex hac antiphona tota in honorem B. V. Consolatricis afflictorum eleganter explicat anagramma. Ita illi omnes Antiphonæ versus, anagrammatico ingenio, in hos alios, turbato tantùm characterum ordine, mutavêre, pro solatio agonis nostri.

*Ne metuas, quamvis cursu petnice procellæ*
*Natat, & irrugit spumosâ navis in unda.*
*Teque, tuamque ratem, placato sidere ducam.*
*Clarum lucis iter curres: cita prora volabit.*
*Errorem pelagi retegam; miserebor egeni.*

Eu-

*Euge, meos portus intra. Sum ripa salutis.*

*Ave Regina*, est altera quam suadeo Antiphona. *Fornerius Episcopus ser. 25. de B. Virg. pag. 258. è Polon. hist.* dicit Kunegundam Regis Poloniæ filiam, ut ut primum nata lucem hanc aspexit, ne vagijsse quidem, sed primis statim ætatis primæ viribus, pro quibusdam, ut ita dicam, primitijs, voce infantili in DEI Matris laudes articulatâ ore tenerrimo *Ave Regina cœlorum* ceciniisse. Faxit ter augustissima illa cœlorum Regina, & Domina Angelorum, ut sicut hæc infans inter nascendum, ita nos inter moriendum, id est inter renascendum, Ave felix in æternum cantemus innocentes, & felices.

De *Regina cœli* jam constat passim, esse Angelicam antiphonam, utpote quam Romæ Angeli pestis tempore, Urbe audiente, cantârint; subjungente postea versum ultimum, & Angelis acclamante Sancto Gregorio Papa: *Ora pro nobis Deum. alleluia.*

De *Salve Regina* vetus etiam fama est, illam ab Illustrissimo eodem Hermanno Comite compositam, & miraculis pluribus datisque à DEI para benedictionibus perillustrem. Vulgata etiam inter pias eruditio est, in Roncavalle ad fontem Angelorum omni die Sabbathi Salve Regina concentu suavissimo ab Angelis musicis decantatum. Tu etiam Angelus esto: & MARIÆ Almæ illi Redemptoris Matri, illi Reginæ cœli, Ave Regina cœlorum, & Salve Regina Mater, singulis Sabbathi diebus (& quid hic demum difficultatis horres?) devotus perora, si quidem id possis. fac verò ut possis. res non longa est. O! nunquam diceres morieris; In DEI Matris honorem nimium quantum feci! Utinam facere possimus, & velimus satis!

## SABBATHVM LII.

*Pro felici tua, & agonizantium aliorum morte; cultum B. V. perpetuo aliquo monimento promove,*

CONstantinopolitanam illam Deip. Virginis imaginem (quæ meritò eximium Sanctissimæ Virginis monumentum videri potest) ante diem Sabbathi vesperi, reducto sipario, divinitus aperiri, & posteaquam toto Sabbathi die fuit spectabilis, aperta patuit omnium oculis absque velo, iterùm inclinante in noctem Sabbatho, Angelicâ manu adductâ iterúm cortinâ claudi accepimus. Aperni Sabbathinam imaginem: jam claudo, & de manu tabulam, manum & calamum de tabula moveo. Ultimum hoc anni hujus Sabbathum est. Do Marcellum pro coronide, & cum illo erectam ab illo Constantinopolitanæ Virginis Dei Matris imaginem; & simul illum nobis Sabbatho, velut adducto purpureo felicis mortis sipario, è scena mortalitatis, in qua præclarè & egit & passus est subductum ad æternos plausus immortalitatis in theatro Dei! Solatio est Marianis Sabbatho dieni obire ultimum. Fui Patri Marcello Francisco Mastrillo

S. I.

S. I. cum Anno 1637. 17 Octobris, qui fuit Sabbathi dies, ultimum vitæ suæ diem Sabbathi habuit, die Sabbathi gladio pro Christo in Iaponia post alios cruciatus cæsus. Hic etiamnum parvulus MARIAM balbutiebat infans. Postea puer, inter comprecandum cum alijs Marianum officium, ubertim flebat aliquando, & rogatus à morum Magistro lachrymarum causam, ajebat lachrymas illas esse gaudij interpretes non mæroris. Vivam sibi inter orandum B. V. officium objici suæ mortis imaginem, quasi à circumstantibus undique barbaris mortis minas pro Christo subeundæ videret atque audiret, Iam tunc Marcello parvulo suo & officioso oratori, cruentam pro Christo mortem vaticinabatur Regina Prophetarum Virgo; cujus ille imaginem, cum aliàs aspiciens opem illius imploraret, à tauro, à quo ferociente jam sublatus erat in cornua, innoxius depositus est, ut glorioſior moreretur. Et certè cum semper antea, tum vel maximè cum Societatis jam tiro esset, singulari planè attenti cordis religione rosarium Virginis recitabat. Atque sic ut in officio B. V. Sabathinæ suæ quondam in Iaponia obeundæ mortis viderat effigiem; ita rosarium etiam è tali palo eleganti opere confectum habuit, cui palo alligatus olim in Iaponia pro Christo Martyrum quispiam conflagrárat. En officium & Rosarium Marianum quàm benè Iaponico illi Sabbatho præludebant! Iam tum ardebat, scribebátque ad universæ Societatis Generalem Patrem, ardere se unicè studio Iaponiæ adeundæ. Accidit aliquando, ut Matronæ spectatæ ac indubitatæ virtutis à B. V. monita tertiò adiret Marcelli Parentem, & moneret Deiparæ imaginem perquirendam, adornandam: operæ pretium pretiosum fore. Inquiritur. & ecce in stabulo reperitur quæsita effigies. Illam Marcello filio adornandam committit Parens, & sumptus largos suppeditat. Marcellus pretiosè adornatam in æde Principe collocat, Beatissimæ Virginis Constantinopolitanam imaginem vocari curat, Sacerdotium seu capellaniam, ut vocant, illic fundat, annuámque illius honori solennitatem instituit ritè solennitérque celebrandam proximâ à Sanctissimæ Trinitatis celebritate feriâ secundâ. Piæ munificentiæ præmium fuit felix propinquorum mors: id quod haud segniter observatum. Demum Anno 1633. proximo post celebratam semper Immaculatæ Conceptionis solennitatem die cum propensissimâ erga B. V. Proregis Neapolitani voluntate dies ille Conceptionis immaculatæ sacer apparatu magnificentissimo splenduisset, Marcellus rerum satagens, & circa peristromata quà humi, quà in alto sollicitus, dum inter reponendum apparatum pro se quisque agit suo intentus muneri, decidente ex alto bilibri malleo ad tempora vulneratus corruit penitus, postea ab omnibus pro depositò conclamatus. Mortem jam proximam operiebatur in dies, cum visis cœlestibus recreatus à S. Xaverio, qui sæpè sæpiùs ægro Marcello peregrini specie spectabilis apparebat, curatus ex integro Francisci ab illo nomen accepit: & ad firmatam voto (coràm & præeunte Xaverio) Iaponicam missionem abijt. In navigatione Iaponica, in navi aras geminas, u-

tramque Deo, sed alteram Beatiss. Virginis, alteram S. Francisci Xaverij nomine posuit. Anno 1634. 8. Decemb. ipso Immac. Concept. B. V. die, pro cujus celebratâ solennitate etiam vulnus illud vitale potiùs quam mortuale acceperat, Goam salvus appulit per grandia periculosi & decumanis etiam tempestatibus exulcerati maris pericula In ijs quas ad socios (ut erat elegantissimi suavissimiq; ingenij) tenerrimas dedit, literis, effusis cordis interpretibus lachrymis, pro coronide literarum illos per S. Francisci Xaverij nomen obtestatus est, *ut quotidiè*, inquit, *per horæ quadrantem attentè consideretis, rogetisque Beatissimam Virginem Dominam nostram per intercessionem S. Xaverij, ut concedat Vobis cognoscere atque exercere verum sensum illorum Christi verborum: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Taceo stupenda plurima. Comprehensus à barbaris, radijs relucere visus est etiam ab hostibus non semel. Tandem pro tormento

Primò. Prono & immerso in vas aquâ plenũ capite patibulo pedibus appensus est, ut S. Petrus Cruci.

Secundò, scalis supinus alligatus extensus est, & quadringenti aquæ cyathi, nihil interruptis vicibus, in os illi infusi, ut totus intumesceret.

Tertiò. Ferro candenti ustulatus.

Quartò. Iterùm aquæ tormento cruciatus.

Nocte posterâ orans, ab Ethnicis, fulgens átque à terra sublimis visus; & delapsa è cœlo in carcerem lux effusa.

Quintò. Equo impositus, funibus, catenisque onustus, & in ore ferreum dentatúmque frænum gestans mordicus ne ad concionem frequentissimam de Christo aliquid loqui posset; dexterâ capitis parte rasus, sinistrâ minio pictus, affixam dorso mortis sententiam ferens, quâ propter legem contra Deos patrios prædicatam mori scribebatur, ad fossam denique, inverso deorsum iterum capite pendulus in fossam úsque ad genua, se illic in paradiso esse ajebat. Ita ad quartum usque diem, id est, addiem usque Sabbathi, qui fuit 17. Octobris, pependit vivus. Quo die inde exemptus, flexit humi genua, & cervicem porrexit morti glorioſæ. Primum gladij ictum quo potuit robore impressit collo carnifex: at nihil egit, pellem tantùm oblæsit lævissimè. Alterum gladium corripit, sed ille manu illi excidit priùs quàm feriret. Marcellus tandem, tanquam acceptâ à Deo animam spontè ponendi potestate: Exequere, inquit, fili, id quod agere; juberis. Ita demum stupens ac pavidus à præteritis carnifex, collecto à Marcelli voce ultimâ spiritu animatus Marcello Francisco Mastrillo messuit felix caput, & exorto confestim terræ motu, Marcellus, prævisam inter orandum olim B. V. officium, petitámque Iaponico illo rosario mortem Iaponicam, die illo Sabbathi obijt Martyr, & pro gratiarum actionis tributo pro morte sua unum Ave Maria à quodam suo amico per epistolam paulò ante mortem datam expetijt magnus hic Mariæ Virginis Matris

Matris, Xaverij Virginis Patris filius. Ita non Marcelli tantùm cognatis sed & ipsi non sinè operæ pretio transijt illa de qua dixi Constantinopolitanæ MARIÆ exornata, cultui publico exposita, festo ornata, & Sacerdotio ac dote aucta imago. Sed quam ille in imagine honoravit, jam illam videt coràm, sine velo: nemo illi Angelus velum adducet, ut Constantinopolitanæ illi imagini. Tu Marcellus eras! quem terris Iaponicis tantùm ostenderunt fata, nec ultra modicum tempus esse siverunt. Manibus date lilia plenis & vos Neapolitani, & vos Sabbathini Mariani omnes omnes! jam enim in plus quàm Elysijs æternitatis campis habes, Marcelle Franciscæ, natalem Neapolim, Hierusalem novam, habes non jam peregrinum, sed domesticum DEI Xaverium, habes majorem Xaverio MARIAM, & hac in infinitum meliorem Deum. neque jam vota facis aut renovas, verùm accipis; & illa te renovant semper. Votis frueris omnibus, omnibus, *coram sacratissimâ Virgine MARIA, & Curia DEI cœlesti universa, quam formato æternum die Sabbathi es ingressus.* Fave & nobis, & serio, & ubique, & semper!

Cæterum ego, Mariane mi ac Sabbathine Lector, ita te ad MARIAM quotidie, sed Sabbatho plus quàm quotidie honorandam, ita te ad æternitatem Sabbathinam incito & invito; ut si quid incolendo per Mariam DEO tibi arduæ suboriatur difficultatis, id omne tibi DEI MARIÆ, ac ÆTERNITATIS abstergat recordatio. Do iterum S. Bern. quasi tibi ad rem planè præsentem loquentem, serm. 3. circumcis. Roga, dari tibi devotionis lumen, diem serenissimum & *Sabbathum mentis*, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirùm corde currens viam mandatorum Dei: ut quod priùs cum amaritudine, & coactione tui spiritus faciebas, de cætero cum dulcedine peragas & delectatione. Ita ille.

Et quidni, mi Lector, Maria Mater amabilis salutetur in Sabbathinis Laureti Litanijs? Plus amat semper, & plus meretur amari semper quàm ametur à nobis. Penetra ista duo quæ dixit! Amantissima est Deo & Dei, & nostri; utinam & nobis! Amari à nobis illa tantum non potest quantum meretur, vel amare nos potest.

Salve, Lector, & vale. atque pro me etiam precare serìò, ut & mihi & tibi bonus dies Sabbathi in MARIANA DEI MARIÆ Filij ÆTERNITATE illucescat.

*Nonnulla in hoc Opere retuli, quæ sanctitatem aliquibus personis conciliare, & vires naturæ superare, adeoque miracula esse videntur; cum tamen necdum sint ab Apostolica Sede examinata & approbata, sed solâ suorum auctorum fide nitantur, & purè humanam non excedant historiam. Quare protestor à me quoque sic eadem accipi, & per hoc Urbani VIII. decreto, confirmationi ac declarationi ejusdem satus fieri; nolo enim Annos hos extra cœlestia, id est, Catholica in terris sphæra orbem aut veri Catholicique Solis orbitam exerrare.*

Ad majorem DEI, DEIP V. Cœlitúmque omnium gloriam, ultimi agonis nostri solatium sanctum.

# ANNUS AETERNITATIS

*SIVE*

## LII. HEBDOMADÆ

DISTRIBVTÆ

In totidem Documenta

## MORIENTIVM

ET MORTVORVM,

*è Lectulis, è Purgatorio, ex Inferno;*

*è Cælo,*

Mortales docentium

## ANNOS ÆTERNOS

IN MENTE HABENDOS

# REVERENDISS: ET ILLV-STRISS: DD. SODALIBVS BEATISS: V. MATRIS ASSUMPTÆ, in Domo Professa Viennæ.

ANnus Æternitatis omnem annorum terminationem supergressus, Hebdomadas habet pro suo Athenæo. Vt ergo qualibet Hebdomas eructet verbum salutis, en unum in omnes ex æternitatis gymnasio documentum. Mors veteribus Dea fuit; sed sine templis aut aris, tanquam non sancta: nostra, ut sancta sit, auscultemus expertos illam Magistros è Lectulis, è Purgatorio, ex Inferno, Cœlóque petitos. Certè S. Ioanni Chrysostomo inferni imaginem in conclavi semper præ oculis fuisse accepimus: & palàm est, antiquissima nobilium plurium stemmata, pro parma tesseraria nunc lilia permista ossibus mortuorum, nunc ligones, calvariam sanè dapilas habuisse. Nihil ergò alienum erit à Te, Inclyta Dominorum, id est, Illustrissimorum Patriæ Optimatum sub augusto Assumptæ cæli Reginæ paludamento conscriptorum Sodalitas, si Tibi mors, Æternitásque consultrix pro nascentis Anni Xenio dicetur; ut dum in mortibus alienis Tuorum quilibet, quot hebdomadis, cõsiliũ capit â mortuis, extremo suo diei providenter, de quantâ maximâ potest, securitate prospiciat, felicẽ æternitatis aureæ annũ, felicissimo ex hac vita exitu ingressurõ. Valete in annos æternos.

# ANNI AETERNITATIS

## PARS I.

## DOCVMENTA MORIENTIVM.

OPtimè discitur, quod pessimè ignoratur, vel oblivione dissimulanter negligitur. S. Franciscus Xaverius author est; *lib. 3. ep. 4.* Bonzijs à Cœnobij præside apud Iapones pro concione proponi materiam per horam meditandi. *Cùm extremo*, inquit, *jam spiritu mors vocem intercludit, situm anima à corpore discedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digressu corpus alloquatur suum. Itemque si quis existat ab inferis revocatus in vitam, quidnam cæteris videatur esse dicturus.* Henricus ille Dionysius puellæ surdæ ac mutæ post obitum apparuit, & *aurium* ei, ac *linguæ* usum restituit. *Sacch. p. 3. l. 7. n. 78.* Hoc agunt hæc morientium documenta, ut nos doceant rectè *audire, loqui*, agere pro annis æternis. Beatus certè Franciscus Borgia *Isabellæ Augustæ mortem suum appellare natalem solebat. lib 8. n. 62.* Ita tu ad mortualem hinc migrantium cereum, lege illa, quæ hic æternitatis annus in singulas hebdomadas tibi dat documenta, ut novus vivas. Neque nimiùm feceris, si quot hebdomadis certam horam huic æternitatis tuæ cogitandæ negotio assignâris. Notum est Zenonis monitum, quo ajebat mortuos in consilium quotidie adhibendos: noti Megarenses, qui sua comitia ad heroum sepulchra celebrabant. Hoc est ex oraculi sententiâ vivere sapienter, sive mortuis vivere concolorem, ac annos æternos meditatè prospicere. Conandum est optimè vivere, ut moriamur benè. Idcircò etiam horrendas quorundam mortes affero, &, quod S. Cyrillus Hieros. *in Procatechesi, mihi pag. 2.* ajebat, *profero exempla casuum humanorum, ne & tu cadas*, qui hæc legis.

AN-

# ANNI AETERNITATIS

## HEBDOMADA I.

### Disce à morientibus frequenter & benè confiteri.

1.

THomas Theologus moriens id nos docet, ipso dæmone idem fasso. Vidit ille, cùm in agone mortem opperiretur, adesse dæmonem, eumque interrogavit: *Dic mihi, quid vobis maximè noceat?* obstinatè tacentem, tandem nomine divino adegit. Quare dæmon suo & omnium dæmonum nomine, *Nihil est*, inquit, *in Ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic vim nostram enervet, quàm frequens confessio.* Hæc Thomæ dæmon, Thomas alijs retulit, & lætus migravit. *Cæsarius è Sulpitio lib.* 11. *c.* 38.

2. Non ita lætus ille juvenis quem corporis potiùs, quàm purgandæ à sordibus, quibus scatebat, conscientiæ elegantia delectabat. De hoc is narrat, qui eum novit, eum, cùm ad invisendum amicum iturus, ocreas adduceret, repentè concidisse, ac priùs quàm Confessarius adesse spiranti adhuc posset, expirasse inter suspiria, & hæc verba: *Misella anima quò ibis? Paulus Barry 4. die solitudinis.*

3. Non ita aulicus ille politicus Cameron Scotus, homo plenus artium sceleratarum etiam contra innocentes, modò ipse honoribus, opibúsque floreret. Huic in arce, sua quiescenti horrenda ab irato cœlo vox, ipsâ Christi nascentis nocte semel, iterum tertióque dixit: *Cameron, Cameron, veni ad DEI tribunal, rationemque redde villicationis tuæ.* Audivit & coram contremiscente attonitâque familiâ, exertâ horrendùm linguâ abijt ad tribunal æternum. *Kaarnaus Dom.* 1. *Adv. pag.* 24.

4. Qui dum sani sunt, frequenti confessioni non assveverunt, etiam ægri ægerrimè adducuntur, ut benè cor perpurgent. Neapoli gestam rem nuperam narrat Recupitus, quam ait se ab uno quopiam è mortui cognatis accepisse. Nobili viro qui sanus sceleribus, non confessionibus frequentandis assveverat, persuadere nemo poterat, ut confessarium accerseret. Adsuére atro cultu vestiti dæmones circa ægri lectum turbâ ingenti, quæ tota mox in-

gi-

giganteam molem exerevit. Hi ajebant, se illum, eorum hactenus voluntati parentem, secum ad inferos velle abducere. Ita de salute desperans, ac horrendas diras vomens interijt. & ecce illicò mulus adfuit ex inferno; cui cadaver à dæmonibus certatim impositum: cum quo mulus per fenestram abijt, & videri desijt. Vidit hæc uxor, & quidam juvenis: at silentio res pressa, & tumbæ lapides injecti, tumulóque illati, loco cadaveris. *tract. 1. industriarum n. 28.*

5. Alius è Regijs ministris ibidem confessionem negligens, repentè ab ignoto in platea chartam accepit, in qua scriptum reperit; *Præpara te: brevi enim tibi moriendum est.* Cohorruit: domum rediit, æger decubuit: peccata, sed non syncerè, confessus est. & sacrâ hostiâ acceptâ, mox à septem dæmonibus possessus est, quorum singuli singulis diebus ejecti sunt. Ultimus cùm exiret. dixit: *Ego discedo, sed mihi illum aufero.* & mortuum cadaver reliquit. *ibid. n. 13.* Assvesce nunc sæpè, ac benè confiteri; ut mors te inveniat absolutum. *Non demoreris in errore impiorum: vivus & sanus confiteberis. Eccli. 17.*

# HEBDOMADA II.

## *Disce à moriente respectus humanos contemnere.*

1.

ANno 1615. Vesaliæ hæreticus homo impudens ac dives, licèt se ad fidem Catholicam propensum sentiret ex ijs, quæ audiebat, *ne* tamen *uxori displiceret*, perstitit in hæresi obstinatus. In morte desperanter vociferabatur, se damnatum: adesse dæmonem, cujus ipse jam esset; se à sua religione perditum esse. Suggerente amico signifero se illi Jesuitam vocaturum: Jam, inquit, nec Iesus mihi proderit, nec Jesuita. Rogatus; num sanus se errare in fide advertisset; respondit, advertisse, at *uxoris respectu ductum, manssisse in facibus hæresis.* Jesuitam iterùm advocandum suggerenti; quantum, ajebat, vulnus uxoris meæ pectori foret, si me cum Confessario videret agentem? quid mei consanguinei de me dicerent, si de fide mutanda cogitarem. Ita duæ horæ fluxêre; & fœdus ad cervical Cacodæmon ter illum terruit, ac ter lustrali aquâ repulsus est. Æger tandem de se actum clamans, ac dæmonem iterùm adesse vociferatus, infelicem animam ejecit (*Annuæ Missionis Castrensis Anni 1615.*) non sic morituros, nisi respectus humani videntem meliora probantémque, jussissent deteriora sequi. Quò verò æger per mortem abierit, audivit ejus uxor è quadrimo suo parvulo, quem tabes morti ferè admoverat. Cùm enim ei blandè diceret, num patrem sequi vellet; ego, inquit quadrimus parvulus, ad patrem ire nolo: quia ille non est in cœlo, sed in inferno: idémque iterùm affirmans, brevi decessit.

2. Respectus humanus prohibuit & infelicem illum militem, ne confiteretur,

tur, fecitque ut periret. Monitus enim à Rege, cùm æger decumberet, ut confiteretur, negavit id se facturum, *ne fortè id exprobrarent sodales: & diabolicâ fraude seductus est.* Etenim omni æternæ salutis spe depositâ, dicebat se in manibus Angelorum opera sua, & pauca, & modica in pusillo libello vidisse inscripta: peccata verò in grandi codice dæmonum: quibus se datum jam dicebat, illósque sibi intra viscera penetrasse. Inter hæc animam egit infelix. *Beda Hist. Eccles. Angl. l. 5. c. 14.*

3. Utinam nobili eminentis animi fastigio despicere discas, ac ne oculo quidem dignari respectus humanos, & dicere ipsis factis: *An quærò hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. c. 1. ad Galat. 10.* Quæro *ut placeam DEO in lumine viventium, Ps. 55. 13.* non hominibus in tenebris morientium. Illi qui respectibus humanis ducuntur, contemnunt placere DEO. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Ps. 52. 6.* Ubi dissipavit? Respondeant ipsi servi respectuum humanorum: *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Unde ibi David addens ait: *Ad te Domine, Domine, oculi mei; Ps. 107. 8.* nempe oculi cœci ad respectus humanos habitant toti in Deo, qui tales coronabit. Certè B. Margaritæ Iprensi pro reportatâ de humano quodam respectu victoriâ gratias Crucifixo agenti Christus apparuit, eámque pro illâ victoriâ coronâ illustrissimâ coronavit. *Barry solit. 6.*

# HEBDOMADA III.

## *Disce à morientibus ignoscere inimicis.*

1.

SUb annum 1618. moriebatur quidam, & ab eo, in quem hactenus irâ non levi exarserat, accito, veniam petebat, vicissimque agebat se illi omnia condonare. At inhumanus ille, respondit ægro: ageret pro suo arbitratu, quod liberet; sibi verò concepta in illum odia necdum deferbuisse, nec velle ignoscere. Exulceravit conscelerata vox ægrum, & mors brevi secuta illum in ipso iræ tunc iterùm effervescentis ardore extinxit, atque infelici æternitate mersit. At verò adfuit post mortem spectrum hominis in triclinio, in quo obstinatus ille hostis unà cum alijs vescebatur, & formidabili voce dixit; se esse, cui è vita migranti nuper ignoscere noluisset, eóque ad exitiales iras inflammasset; se idcircò jam ardere damnatum: superesse ut ipse quoque ijsdem cruciatibus addiceretur, infelix causa iræ, adeóque gehennæ suæ. Dixit: & medium hominem complexu stringit spectrum, ac damnatam animam secum ad inferos asportavit, relicto inter sodales convivas cadavere infelici. *Paulus Zebentner promontorij malaspei l. 2. §. 7. pag. 215.*

2. Moriebatur in Provincia Comes genere illustris, & in hostes suos, nescio quos, irarum plenus. Interea dæmones, tetrorum corvorum specie larvati, primùm tectum domûs, tum ipsum morientis cubiculum occupavêre. Filius

de chari patris salute solicitus, illum amanter dolentérque rogat, ut conscientiam expiet, ac inimicis ignoscat, ne à corvis dæmonibus rapiatur. Eadem de corvis dicebant alij: unde ille confessarium acciri jubet; quem accitum corvi rostris alísque infestis absterrere conati, aquâ lustrali compesci debuêre. Illud mirum; quòd cùm Comes magnâ doloris significatione peccata confiteretur, ad singula peccata corvus unus avolábat, magno edito strepitu & fragore; dum & illa omnia confessus est, & corvi omnes penitùs videri desiêre. Tum Comes datâ inimicis veniâ, & à peccatis expiatus, atque alijs quoque Sacramentis pro more munitus, felici morte migravit; ad corvos illos migraturus, nisi filij consilio paruisset. *Valer. Venet. Prati p. 1. lib. 1. c. 15. & 16.*

3. Eò abijsse videtur infelix illa fœmina, quæ fictâ pace initâ divinum Sacramentum sumpsit, & ab eo redux, ei cui irascebatur, fœminæ dixit, malle se strangulatam mori, quàm parcere. Vix hæc dixerat, cùm tetri carbonis instar humi corruit mortua, divina verò hostia ex infelici illo gutture ac ore ultrò exiliens divinitùs, in aëre tamdiu pependit, dum Sacerdos accitus illam patenâ vacuâ exciperet *ibid. c. 20. 22. ex.*

4. Hæc morientium exempla clamant illud Christi: *Diligite* inimicos vestros: *benefacite* his, qui oderunt vos: & *orate* pro persequentibus & calumniantibus vos; ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est. *Matth. 5. 44.* Ingens præmium: nec citra hæreditatem æternam, quæ si dabitur, nunquam dabitur rabidis illis, qui utinam in cor demittant illud Christi: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Matt. 6. 15.*

# HEBDOMADA IV.

## *Disce à moriente de nemine malè loqui.*

1.

MOriebatur in Anglia vir opinione quidem suâ religiosus, at linguâ non item; adeóque cujus vana fuerit religio. Audax in mores aliorum acerbiùs, nec leviter, perstringendos, famámque traducendam illi erat lingua, & licenter dicax. Monebatur, ut vitâ præteritâ expiatâ futuræ vitæ per exomologesim consuleret; sed ille sine ullis ambagibus desperanter: *Non faciam*, inquit. Urgebant illi; eccur id nollet, quod in æternitatis limine jacenti adeò è re fore sat sciret. *Quia non possum*, ait æger. Adhibebantur apta supremo illi tempori argumenta. At ille exertam horrendùm linguam digito pulsans: *Ista*, inquit, *lingua pessima me damnavit.* Dixit; & intumescente adeò, ut redire in eo non posset, reâ linguâ, infelix jacuit, & funestam animam ejecit; linguâ post mortem etiam extra os exporrectâ, & tetrum in modum tumidâ relictâ. (*Kaarnam Dom. II. Advent. n. 21. è Veteribus Auth.*) ut linguis alienæ famæ reis, & moriens, & mortuus loqueretur.

2. Religiosus laicus, ut vocant, Romæ desperanter moriebatur; sed per-

con-

confessarij, & sociorum preces allevatus, dixit, se quidem sibi nullius gravioris noxæ conscium esse, uti tamen se recordatione duarum rerum: nempe quòd cùm cocus esset, sibi optima servavisset; deinde quòd linguam contra superiores sæpè strinxisset, idcircò vidisse se totum cœnobium refertum dæmonibus ista sibi objectantibus, nunc illos fugisse, & se in Christo suo sperare: iterúmque peccata confessus, & linguam identidem exertans decessit. *Val. Venetus Pratip. 2. l. 4. c. 28.*

3. In monte Politiano quidam, qui Societatis Iesu Patribus turpem infamiæ notam asperserat, diu in agone luctatus, cùm se mori non posse videret, anno 1566. accitis, & moribundi lectulo circumfusis Vincentio Cardinalis Bellarmini Patre, ac alijs optimatibus; *Ego*, inquit moribundus, ego miser & perditus is fui, qui habitu hominis Jesuitæ ementito ad infamiam Patribus conflandam, quasi unus ex ijs, furtim noctu meretricis domum ingressus sum: unde iniqua dissipata in Patres infamia est. & propter hoc immane facinus, evidenter sentio, Deum esse, qui tanto in angore, uti videtis, detinet me; nec sinit mori. Hæc, atque his plura ubi dixit, veniam precatus, & ritè contestatus, non multò post, omnibus admirantibus, tanquam solutis, quæ ad id tenerent, vinculis, è vita migravit. 15. Kal. Septembris. *Hist. Soc. p. 2. lib. 7. n. 25.*

4. O quantæ morientibus angustiæ nascuntur à linguâ verè inflammante rotam non solum nativitatis, verùm etiam mortis nostræ! Has ut evadas, custodi linguam: *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Prov. 21. 23. Cum detractoribus non commiscearis: quoniam repentè consurget perditio eorum, Prov. 24. 21.*

# HEBDOMADA V.

## *Disce à moriente oculos, linguam, & sensus alios custodire.*

1.

ERemita quispiam ægro cuidam admirandæ patientiæ viro per ipsos quindecim annos mirâ cum charitate serviverat: is cùm æger propè à morte abesset, inter preces, vocem è cœlo divinitùs fusam audivit dicentem: *Veni dilecte mi; veni, ut in Beatorum regno præparatam longa tua patientiæ coronam recipias.* Tum invitati sic ægri anima jam migratura (seu æger ipse animæ suæ nomine) velut valedicens corpori; Gratias, ajebat, vobis, ô *omnes* corporis mei *sensus*, quòd mihi dicto audientes fueritis: vobis *oculi*, quòd vanitates; vobis, *aures*, quòd verba otiosa & pernicioſa; vobis, *manus*, quòd impuram sensuum mollitudinem; vobis, *pedes*, quòd itinera voluptatum; vobis, *nares*, quòd odorum delicias; tibi *gustus*, quòd eiculentorum, poculentorúmque lautitiam horrueritis. Conquiesce jam lassum meum corpusculum in pace tantisper, usque dum resurgas ad coronam tuæ patientiæ præparatam. Hæc audiens Eremita, vidit beatam illam animam ab Angelis cum triumpho, & cantu

tu cœlesti ad æternas delicias deportari. *Valer. Venetus prati p. 1. l. 3. c. 31.*

2. Ab alijs Angelis asportatus est malus linguæ suæ custos ille, qui cùm sæpiùs pro familiari vocabulo verba illa *diabolus me auferat*, iteraret, semel tandem idem dicentem improvisa mors occupavit, & abstulit (*Beda apud Barry solit die* 4.) eò, quò ne abeamus, frenum inijciendum est linguæ, ne nos prodat, & hat nobis universitas iniquitatis, quæ nos ire doceat ad infernum.

3. Mortem venientem ille magis securus expectat, de quo dici non potest illud: *Ascendit mors per fenestras. Ierem. 9. 21.* Non poterant tantam cladem Ierosolymæ inferre Chaldæi, de quibus hîc sermo est, quantam animæ cladem infert mors per sensuum fenestras ascendens. Mortem animæ per *oculos* propinat lenocinium pulchritudinis, ut te fœdum reddat in oculis Dei, ac cœlestis curiæ universæ; mors per *aures* à linguis obscœnis, atque alia quæ audire non licet, loquentibus propinatur: mors in *lingua*, in *palato* mors, in *tactu* mors. Et quidem in his omnibus sensibus, velut in totidem fenestris, mors est quam sequitur infernus. *Nomen illi Mors, & infernus sequebatur. Apoc. 6. 8.*

## HEBDOMADA VI.

*Disce à morientis periculo, tibi pro vita & morte de Patre spirituali quàm optimè providere.*

1.

COmpluti ad ægrum accersitus *Dominicus Russola*, vir magnâ sanctimoniæ opinione celebratus, illum lætum reperit. Nempè dæmon ægro se videndum præbuerat Crucifixi effigie personatus, ut illum deciperet. Sed ne Dominicus ægrum ab errore abduceret, ac pro morte expiaret, adfuit illicò ad alterum lecti latus idem infernus genius Dominici paulò antè acciti, & jam præsentis imaginem scitè mentitus, & dixit; dæmonem dolo vaferrimo Dominici effigiem induisse, ac primùm advenisse; se nunc demum adesse, quem æger vocasset. Caveret artes tartarei genij; Christum ipsi jam in Crucifixi imagine adfuisse: nunc se adesse; neque illum qui prior venerit, verùm se esse verum Dominicum; alterum illum dæmonem esse, adeóque cavendum. Contra verò verus Dominicus, illum dæmonem esse ajebat; se verò ipsissimum Dominicum, quem ad expiandam conscientiam advocasset. Contrà iterùm obnitente dæmone, anceps æger inter duos Dominicos, eum qui prior venerat, verúmque Dominicum, jubet facessere; séque ad dæmonem Dominici vultu tectum convertit. Sacerdos erat æger. Ejus ergò manum exosculatus verus Dominicus, se Beatissimæ Virginis indignum servum appellat; aítque se manus illas osculari, quippe quibus ille Iesum sæpè in sacrificio Missæ tenuerit, adeóque se ne id quidem facere dignum esse. Dolere se, quòd Deum, ingratus toties, offendisset: sed veniam a Deo petere ac sperare. Tum ad ægrum conversus, illi suadet, ut hæc demissi, dolentis, ac sperantis animi signa

gua ac verba edere jubeat fictum illum Dominicum: ut pateat, uter sit verus Dominicus, uter dæmon. Advertit æger Sacerdos vim argumenti: & fictο illi Dominico mandat, ut ea signa edat, probétque, quis sit. Sed indignatus superbus dæmon, negat se veniam à Deo, vel petere, vel sperare: Deum, non se esse reum: adeóque Deum debere culpam deprecari, non se. Dixit, & videri simul desijt, ac audiri. Æger verò agnitâ dæmonis fraude, peccata dolenter confessus, alijsque Sacramentis communitus decessit. *Caramuelis Dominicus pag.* 133. *n.* 280. *Ord. Carmel.*

2. S. Bathildis è Franciæ Regina monialis, S. Genesium pro Patre spirituali habuit, ei demissè, obedienter, sanctè addicta. illo mortuo, cùm & ipsa postea moreretur, illũ cum Angelis obvium habuit è cœlo venientem, & unà hinc ad superos evolavit *Vita.* 26. *Januarij.*

3. Quod de amico fideli dixit Spiritus Sanctus, *Eccli.* 6. *v.* 14. 15. 16. hoc de Patre spirituali pio, sapiente, tui amante intellige. *Amicus fidelis*, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. *Amico fideli* nulla est comparatio. *Amicus fidelis* medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum. Verè qui bonum Patrem spiritualem invenit, protectionem fortem, thesaurum, & medicamentum immortalitatis invenit,

# HEBDOMADA VII.

## *Disce à moriente, neminem judicare,*

1.

CUm in tremendo aliàs mortis agone, plus quàm ordinariæ cujusdam lætitiæ speciem præseferret quidam vir, tametsi non malus, tamen qui in eo, in quo degebat religioso cœtu, alios nec jejunijs, nec virtutibus alijs superârit; rogatus, ecquid adeò hilaris è vita discederet? Respondit: agnoscere se, quod ajebant; sed lætum hinc abire; quia, inquit, hac ipsa hora Angeli Dei peccatorum meorum ad me chirographon attulerunt. Illis verò se respondisse: Fateri se illa olim ante susceptum religiosum ordinem à se patrata; sed, ait, postquam renunciavi sæculo, *nec judicavi quenquam*, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: *Nolite judicare, & non judicabimini*; &, dimittite, & dimittetur vobis. *quæ postquam Angelus dixit, chirographon peccatorum meorum conscideruntː & inde nunc summâ cum lætitiâ & securitate proficiscor ad Dominum: Baronius anno* 599. *pag.* 128. Et decessit.

2. S. Vitalius repertus est in cella orans de genibus, & animam suam Deo tradens, ac in pavimento scriptura hæc: *Nolite ante tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus. Vita S. Ioannis Eleemosyn in Rosweido. Vitæ PP.* c. 35.

3. Habet satis, quod secum agat, qui se æternitati parat: se introspicit; nec vacat illi aliena scrutari. *Curemus nostra*, inquit S. Ioannes Chrysostomus *h. 3. ad pop. Antoich. mihi p. 53. quomodo peccatorum rationem reddamus & curiositatem hanc ac operosam indagationem circa vitam nostram exhibeamus. Quam enim habebimus excusationem, quam veniam, cùm nostra nobis ne in mentem quidem veniant; aliena verò curiosè scrutemur? Sicut in domum se inclinare, & interiora considerare, pratereunti turpe est; sic & circa alienam vitam satagere, illiberalitatis extrema est.* Quàm magno morientibus nobis levamento & solatio erit, quòd nos ipsos quotidiè severè, nec dissimulanter judicaverimus, tam erit amarum ijs, qui neglecta domo sua alienas verrunt, ut sordes efferant. Audiat sibi dici Cato ille: *Matth. 7. 5.* Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo; & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas: exîstimas quia tu effugies judicium DEI? *Rom. 2. ℣. 1. & 3.*

# HEBDOMADA VIII.

## *Disce à moriente animæ potiùs, quam corpori ornando studere.*

1.

FÆminam, quæ mundo muliebri superbè ac impudenter corpus ornabat, animam negligebat, extremis Sacramentis expiaturus in morte Sacerdos, illi sanctissimum viaticum porrigebat. Sed adfuêre gemini è cœlo Angeli, & hostiam è porrigentis manibus eripuêre, simúlque videri desiêre: quam Sacerdos postea in Eucharistico Sacrario ab ijs depositam invenit. Hæc refert Gelsominus; qui etiam meminit aliam formæ, quàm conscientiæ magis studiosam, dixisse ancillæ, ut postridie diluculò tempori adesset: velle enim se in festo crastino comparere undequaque ornatam. Et verò solebat illa, festa lascivâ corporis pompa celebrare, ut à pluribus videretur. Sub noctis medium adfuit ancillæ speciem mentitus dæmon, ac vanissimæ fœminæ conclave ingressus, illam à somno excitavit, vestivit, ornavit, & fuco, nescio quo, ejus faciem tinxit, atque discessit. Adfuit brevi ancilla ipsa officium more solito peractura; & intolerabili fœtore perculsa, visóque horrido suæ Dominæ vultu conterrita, in fugam se dedit, clamans, se tremendi dæmonis faciem in illa facie intueri. Mirabatur ancillæ fugam domina; & illâ adhuc spectante, uti & ipsa, faciem suam avernalis larvæ instar monstrosam aspexit, conterrita corruit, expiravit, *Gelsominus thesauri cæl. c. 19.* ac fucum illum, vestiúmque splendorem, & nudos humeros fœminis eam secuturis testamento legavit.

2. Dæmones in fœminæ superba veste, velut Æthiopes sessitantes, cachinnantes, plaudentes, saltantes, Spoletinam puellam se pro morte superbè vestientem, ac dæmoni tradentem, denique desperanter morientem; fœminam aliam vanæ sui suæque filiæ ornatui

tui addictam à dæmone in morte abreptam, tabulato illisam, internectam, fœtore incredibili istic relicto, *mihi à pag.* 182. Vide in Alberto de Albertis de ornatu mulierum.

3. Optandum esset profectò, ut quantum ornando corpori dant vani & vanæ; tantum nos animæ daremus: est. sétque id non animæ tantùm, sed & corpori felici æternitate donando gloriosim. *Optimum est*, inquit S. Eucherius Ep. (*ep. Paranetica ad Valerianum.*) *curam principalem animæ impendere; ut quæ utilitate prior est, non sit consideratione posterior. Imò verò plura animæ conferenda sunt, si corpori tantà præstantur. Nam si rectè quidem carnem famulam, animam verò dominam esse dixerunt; non oportet posteriore loco nos dominam ponere, ac famulam iniquo jure præferre.*

4. S. Modoaldus inter extrema verba, quæ ad suos dixit moriens (*Surius 12. Maij.*) *Carni*, inquit, *tunc major misericordia impenditur, cùm spiritu superante mortificatur.*

# HEBDOMADA IX.

## *Disce à morientibus, in templo castam modestiam.*

1.

IN festo S. Theclæ Virg. Mart. Orentius in templo se spectandæ fœminæ nescio cui, totis oculis affixum fuisse dixit, posteà domi socijs festi celebritatem laudantibus. Nocte proximâ cum somnum capere non posset petulans ille Orentij oculus, videre sibi visus est S. Theclam in templo suo, in throno excelso & aureo sedentem, ac ijs qui festo adfuerant, dona grandia distribuentem. Vidit adesse & illam, quam in templo totis oculis adorârat, eámque sibi datam quasi pro præmio, quòd & ipse adfuisset. Post hæc horâ vix elapsa, atrox & rabidus quidam dæmon in Orētium insilijt, eúmque tota undique pelle usquequaque nudavit, & *vermibus* ac *sanie ita extemplò replevit, ut omnes qui propè aderant exanimati mutique redderentur, ac tantùm non vitâ privarentur. Atque hæc erat illa mulier malè, & impiè ab illo conspecta.* Quocirca ne in tertium quidem diem superstes Orentius, *de medio à dæmone sublatus est, pœnáque impudici intuitûs* dedit. *Basilius Seleucia Ep. de mirac. S. Theclæ l. 2. c. 18. mihi pag.* 187. Basilius hæc narrans, ait se rem tam horrendâ ægrè, ac tremente manu literis prodere potuisse.

2. Nobilis vir oculis primùm inquandam licenter defixis, tum initâ etiam familiaritate, plenus desiderij scelerati, templum (suam illam videndi & amandi causa) intrarat: & ecce in templo lugubri veste ac funestis sacibus mœsto videt mortuales exequias cuipiam celebrari. Rogat singillatim plures è clero, cui ea justa fierent: & audit à singulis illud ipsum nomen & cognomen, quo ipse notabatur; audiebatque se sepeliendum brevi. Obstupuit; ac tremens domum iter arripuit, sed duobus dæmonibus illum teterrima molossorum specie comitatis, domum redux narravit suis, quid vidisset in templo,

plo, ubi amoribus suis vacare statuerat; & illicò irruentibus in illum duobus illis molossis suffocatus interijt: molossi verò videri mox desiêre. *Val. Venetus p. 2. c. 76.*

3. Si templum est *domus* Dei, *& porta cœli, & aula* Dei, (*Missale in Dedic. templi.*) ibi certè non castâ solùm, sed religiosâ quoque modestiâ parare nos debemus ad cœlum, ad domum, & aulam Dei, quam ingrediemur per mortem, veluti per portam cœli nobis; portam verò inferni, impijs. *Grave*, inquit Salvianus Ep. *lib. 3. de provid. c. 9. grave, & luctuosum est quod dicturus sum. Ipsa* Dei *Ecclesia, quæ in omnibus esse debet placatrix* Dei, *quid est aliud quàm exacerbatrix* Dei, *aut præter paucissimos quosdam, quid est aliud quàm sentina vitiorum?* &c. *In templa passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitùs reverentia irrumpunt.* Certè si de templo dixit Deus; 3. *Reg.* 9. 3. *erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*; is qui in templo seu linguâ, seu oculo, seu aliâ lasciviâ peccat, lædit *oculos* Dei, peccat in *cor* Dei, disponit se ad mortem infortunatam.

# HEBDOMADA X.

## *Discè à morientibus aspera æquo animo ferre.*

1.

ADscribam hic id, quod anno 1599. in urbe Aquensi contigisse ait Paulus Barry, dicítque se ex illo habere, qui ægro adfuit; de quo dicemus, idque ab ægro narrante audivit. Guilielmus adolescens Beatæ Virginis Sodalitati adscriptus, ejus leges omnes admodùm religiosè observabat. Is in difficilem periculosúmque morbum incidit; imprudens, enim, & inclemens pater, acerbè illum verberibus exceperat, licèt innocentem; verùm dum invictâ patientiâ dolores suos tolerat, Dei voluntatem veneratus, quodam Mercurij die circa meridiem duo Angeli majestate simul, ac pulchritudine visendi, ægro se sistunt: quorum alter se *Angelum illius*, alter *Sodalitatis custodem* esse dicebat, cui ante quatuor annos ipse nomen Aquis dederat. Hi posteaquam eũ amabili sermone salutarunt, *Angelus Congregationis Custos* ita ei loqui cœpit: Guilielme, bono animo esto. Nos duo sumus à Deo, & à Dei Matre ad te missi; ut ægrotanti tibi solatio, & morienti auxilio simus: id quod patientiæ hujus tuæ præmium est. Ad hæc, vitæ tuæ integritas Deo placuit, ac legum omnium Sodalitatis exacta observatio; tunc præcipuè quando diebus, qui sunt legibus præscripti, confessus, SS. Eucharistiam sumpsisti, etiam cùm Aquensis Sodalitas per Patrum Societatis Iesu absentiam fuit interrupta. Cæterùm, nos tuâ causa hìc sumus, non statim recessuri: sed toto tempore, quod vitæ tuæ reliquum est, semper in oculis tuis futuri: ut nostro aspectu, ac præsentiâ recreatus, à nobis ad tolerantiam animeris. Scito itaque, neque me, neque Angelum tuum custodem à te discessuros priùs, quàm animam tuam ad Dei ac tuæ Matris dulcissimæ solium evehamus, cùm primùm è vivis excesseris;

quod

quod sequenti Sabbato ad primum vesperarum signum in parœcia dandum fiet *Barry Padag. cæl. c.* 13, *à pag.* 222. Hæc Barrius. Addit; hæc à sodali ægro patri, matri, confessario, alij patri, alijsque narrata: mortuum verò prædicto die ac tempore: denique matrem masculum filium peperisse, ita ut Gvilielmus à Deo se impetraturum promiserat.

II. Magna patientiæ laus est, quòd Deus vocetur Deus *patientiæ & solatij. Rom.* 15. 5. Ille Deus patientiæ de se loquens; *Hebr.* 12. 6. Quem, inquit, diligit Dominus castigat: flagellat autem *omnem* filium, quem recipit. Castiget ergò, dum amet; flagellet, dum recipiat. Si *omnem* filium flagellat, beatus sum, si flagellat & me; si non flagellet, infelix: quia nec amor, nec sum filius, adeòq; nec hæres. *Hæc est porta* Dei, ajebat Abbas ille Ioannes, *Rosweid. Vit. PP. Rufini l.* 3. *n.* 84. *per quam patres nostri per multas tribulationes, & injurias gaudentes ingressi sunt civitatem* Dei. Bernardus verò: *epist.* 32. Sicut electis tribulatio operatur patientiam, probationem, spem, spes autem non confundit; sic damnandis, & reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem; & illa interimit.

## HEBDOMADA XI.

*Disce à morientibus cavere quicquid impudicitiam olet.*

I

RES non adeò antiqua est, & ab eo narrata, qui tunc in ea urbe fuit, cùm gesta est. Iuvenis molli nimiùm familiaritate ab impudico quopiam parùm castè quiddam didicerat, simulq; ad Sacramentum pœnitentiæ redux identidem, sed prolapsus iterùm rediebat, ut canis ad vomitum, & sus ad volutabrum luti, contrectatione impurâ. Fuit cùm urgente stimulo infelici, cogitato sceleri manus dedit, ignarus illud facinus fore ultimum suorum scelerum complementum, patientiâ Dei ultra illum numerum nihil jam expectaturâ. *Ger.* 38. 10. Ergò se ad conclave aliud abripuit, ut secum solus esset, ad *rem detestabilem* faciendam: cùm ecce sibi reperit istic dæmonem truculentum, qui adolescentem furenter aggressus, fasciam illi è tibialibus repentè solvit, eamque illius collo alligat, & è quadam illius conclavis trabe suspenso gulam stringit, ac strangulat. Reliquit ibi impudicum corpus lictor tartareus: at animam eò secum abduxit, ubi carnem ad æterna tormenta expectat. Interea in urbe celebri, & utcunque dissita, ab eo, ubi hæc gesta sunt, loco dæmon ex energumeno dixit; præclarè enim verò rem à socio suo gestam in urbe cum tali juvene: & rem quam dixi palàm narravit; adjecitque, quòd Angelus custos ob illam juvenis illius impudicitiã tandẽ indignatus, Dei permissu, dæmoni potestatem fecisset, ut illum miserum strangularet. *Recupitus tract.* 1. *industriarum bona mortis n.* 21. Scriptum actutum eò est: & repertum adolescentem è trabe

pendentem. Nempè *impolluta via ejus, qui in cœlum tendit: nec eò perveniet, nisi innocens manibus, & mundo corde.*

II. Thomæ Cantipratano Episcopo notus adolescens quidam, è pudico factus est Onan sordidus, seductus à quodam, & ea doctus, quæ pudet adscribere. Adolevit cum illo id vitium, usq; dum factus Canonicus, & necdum seipso melior, celebratâ cum nobilibus consanguineis cœnâ lautiore cubitum abijt, & brevi à mortis imminentis doloribus oppressus, accurrentibus Canonicis, ac Decano confessionem suadente, horrendis oculis circumspectans, *Væ*, ajebat, *væ illi, qui seduxit me! Ad quid, ad quid Divinum adjutorium invocabo? Ecce jam video patulum infernum, præsentes dæmones, & ad rapiendum me terribiliter inhiantes.* Et clausis oculis faciem ab ijs qui meliora svadebant avertens, *cum diris clamoribus animam exhalavit. Apum l. 2. c. 30. n. 8. & 9.*

III. Alius eidem notus, cùm à confessione post dies aliquot sordes easdem secum patraret, *mox horrificè clamans; Vindicta* DEI *super me; amarissimâ morte multatus est.* Ita Thomas Episcopus.

IV. S. Cyrillus Archiep. Hierosol. Vbi Spiritus Sanctus, inquit, *Catechesi 12. in fine. pag. 175. & 176.* Illic auferetur omnis pollutio, *&c.* Non ignoremus castitatis gloriam. Angelica enim est corona. Parcamus corporibus, quæ lucere debent sicut sol. Ne propter parvam voluptatem tantum ac tale corpus polluamus. Parvum enim est ad horam peccatum, longæva autem est ex eo, & æterna verecundia. Exterminetur omnis nimius ornatus, & omnis lascivus aspectus. Hæc ille. Certè si anima migret è corpore obscœnitati addicto, migrabit ad hædos à sinistris, & ad spiritus immundos, ad locum reproborum.

# HEBDOMADA XII.

## *Disce à morientibus animas purgatorij omni, quâ potes, ope juvare.*

SAnctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, ait religioso cuidam in Anglia pro Dei tribunali accusato ad fuisse hinc peccata, inde bona opera: inter alias verò virtutum velut personas ac vivas effigies fuisse unam, quæ dixerit: *Ego sum ipsius oratio, quæ sæpenumero animabus purgatorij orando succurrit.* Ait visam ibidem Abbatis cujusdam animam, qui in mortis agone à dæmonibus exterritus, jacebat in periculo, ne desperaret; *sed ecce*, inquit Sanctus, *septem octove circiter animarum millia cælo descendentia, illicò ei adfuére, & dixére: Omnes nos per tuam sumus charitatem adjuta. Non est ergò, quod amplius metuas. Venimus, ut par pari reddentes, tibi vicissim jam subsidio simus.* Et illam pro divino tribunali acriter defensam cælo intulerunt. *Elias à S. Theres. Legationis pag. 1408.* Adeò benè se pro extremo agone parat, quisquis animabus illis adjuvandis impensè addictus est.

II. B. Gertrudi, quæ omnia sua animabus purgatorij donaverat, in morte sollicitæ, quòd alijs omnia dedisset, atque ipsa tunc pauper sine ullis bonorum operum, quippè jam alijs donatorum, opibus inveniretur, Christus pro solatio ita locutus est : Vt intelligas quàm grata mihi fuerit charitas, tua, quâ erga animas usa es; remitto jam nunc omnes pœnas, quæ tibi essent subeundæ. Et qui pro uno spopondi centuplum, liberalitatem meam modò ostendam, tuamq; gloriam cumulabo. *Iudocus Andries de purgat mihi pag.* 191.

III. Contra verò religiosus quidam vir, càm in agone svaviſſimas in cœlo canentium voces audisset, & quendam per scalas ab Angelis in cœlum duci vidisset, dixit se divinitùs contra fratres cœnobij querelam audivisse, *quòd defunctis debitam pensionem negligenter solverent.* *Cæsarius lib.* 11. *c.* 2.

IV. Certè si *beatus est qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*; *Ps.* 40. 2. is qui super puuperrimas illas animas intelligit, quid non præmij in die mortis à Domino consequetur? Singulæ in illis pœnis animæ sponsæ sunt Christi. Carolus. V. Imperator bis mille nummos aureos (quorum singuli habebant pretium 20. ducatorum) cudi jussit, & omnes illos Marchioni de Vellareal dono dedit, ob sponsam Isabellam è Lusitania sibi adductam *Andiries pag.* 160. *ex illius Vita.* Ditior in thesauris æternis & liberalior Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium, quali te hinc ad cœlum euntem denario diurno ditabit, quòd tot immortales illi sponsas adduxeris, quot animas è purgatorio liberasti? An non animam tuam liberabit pro præmio animæ liberatæ? An non pro misericordiâ misericordiam consequeris? An non ipsæ beatæ animæ te morientem recipient in æternа tabernacula? *Ora pro defunctis*, inquit S. Aug. *tomo* 10. *ſ* 44. *ad fratres in eremo. fol.* 301. *ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Clamant quotidie, qui jacent in tormentis. Mementote quòd sancta & salubris, pia & felix, ac svavis Deo & Angelis est cogitatio pro defunctis exorare, &c, sic malâ morte perire non poterimus.* Felicia nostra sacrificia, eleemosynæ, preces, jejunia, & omnia quæ pro aurea sponsarum Dei animarum libertate impendimus!

# HEBDOMADA XIII.

## *Disce à moriente cavere teporem, & DEI Matrem colere studio singulari.*

I.

QVidam Deiparæ cliens non malus ille quidem, sed qui à primo spiritûs sui ardore elanguerat, & quicquid agebat, faciebat negligenter, velut aliud agens, tum sub mortem ad Dei tribunal abreptus, inde ubi respiravit sibi restitutus, *dixit se ab inferno modicum abfuisse, ob maledictam suam*, ut ipse ajebat, *accedam: ope tamen Dei Matris adjutum, & restitutum, ut peccata sua seriò defleret, atq; confiteretur.* Quadra-

Quadraginta annos purgatorij sibi destinatos à Christo Iudice: omnia quæ egisset, fuisse corrupta à tristi & maledicto spiritu acediæ. *Valer. Venetus Prati p. 1. lib. 2. c. 98. ex. 3.*

II. Pius vir moriens decem libras auri puero suo filio ostendebat, ajebatque, se illi vel decem illas auri libras, vel Beatissimam Virginem, quæ illius curam gereret relicturum. Eligeret, utrum vellet. Puero verò Deiparam eligente, pater decem illas auri libras dispersit, deditq; pauperibus. Puer à patris morte in templo B. Virginis (tanquam sibi à patre veluti testamento relictæ) frequentissimus erat, visus inde vix unquam discedere. Certior de his factus S. Ioannes Eleemosynarius, acersitum puerum amplexus, illumque adoptans, ceu filium consobrini, uxore, domo, & opibus Alexandriæ luculentis auxit. *Vita S. Ioan. Eleem. apud Rosweidum c. 34.*

III. Hactenus ab utroque hoc moriente didicimus, Dei Matri addictos, nec in morte à Deipara deseri, nec in vita. Discamus nunc quàm attentè, fundendæ ad illam sint eæ preces, quas illi fortè hactenus tepidi socordesq; per properantiam inconsideratiamque temerè tantùm ore percurrimus. Certè S. Mechtildis vidit Mariæ clientes, dum attentè orarent, ab illa sub glorioso pallio foveri, ac divino Jesu cordi amantissimè admoveri. *Spirit. grat. l. 1. c. 45.* Alium in Hispania narrat Cæsarius *lib. 7. c. 51.* Deiparæ per attentas preces colendæ longè studiosissimum, intento studio, & morâ interpositâ, *non solùm in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis* hæsisse intentum. Hic moriens rogatus ab amico, ut superstiti aliquid pij documenti relinqueret, ei singularem Dei Matris cultum exempli sui documento reliquit, cùm dixit: Heri Domina nostra visitavit me; & quia die septimo ad Dominum sum migraturus, prædixit, collumq; meum brachijs suis stringens, dedit mihi osculum, dicens; *Quia præ cunctis mihi intentiùs servivisti.* Septimo post die is qui loco præerat, per quietem vidit agmen candidorum è cælo venientium, qui dicebant, se ad deducendam Mariani illius clientis animam adveniisse. Hoc facit illa suis, ut in Maria *matre agonizantium*, & in *mense* Mariano, luculentis & sodalium & aliorum exemplis patet, atq; id credit orbis terrarum nos verò in morte felici experimento idem verum esse discemus.

Hactenus à morientibus magistris documenta accepimus; nunc mortuus, è purgatorio nos docentes, aure attentâ & docili audiamus; ut nos felici

Anno Æternitatis

parent.

AN-

# ANNI AETERNITATIS

## PARS II.

## DOCVMENTA MORIENTIVM. E PVRGATORIO.

## HEBDOMADA XIV.

*Disce à mortuis, è purgatorio; SS. Trinitatem enixè colere, amare, ac desiderare faciem DEI.*

I.

IN horto amœno sibi esse visus P. Ioannes Fernandez Societatis Jesu, magnarum virtutum vir, splendidum quempiam, ac velut solis radijs vestitum conspexit, & quæsivit; ecquis esset? Respondit ille: se esse unum è fratribus Societ: Jesu. Roganti porrò Ioanni, *Magnâ gloriâ fruerù?* Heu, ajebat anima, *non gloriam, sed magnum dolorem sentio.* Atque hoc est purgatorium meum, *quia fui negligens in amore erga SS. Trinitatem*; cujus ope integritatem carnis conservavi intactam: atque ita nunc desiderij flammis uror. *Io. Euseb. Nier. Hisp. de pulchritudine Dei lib. 2. c. 11. §. 4. pag. 272.* Vtinam sic uramur nunc!

II. S. Brigittæ Angelus hoc desiderij purgatorium explicans, *ubi*, inquit, *nulla alia pœna est, nisi desiderium perveniendi ad* DEVM. *Lib. 4. revel. c. 7. edit. Romana anni 1628. examinata & approbata pag. 326. & l. 4. c. 127. pag. 515.* in quem locum Durandus Episc. citat Bedam, S. Gregorium, Dionysium Carth. Bellarm. l. 2. de purg. c. 6. & 7.

III. Etiam Beatissima Virgo eidem Sanctæ de quodam sibi addicto Eremita loquens: *Quia*, inquit, *non habuit in morte perfectum desiderium perveniendi ad præsentiam* DEI, *& ejus visionem, ideò detinetur nunc in illo purgatorio desiderij, ubi nulla pœna est, nisi solum desiderium perveniendi ad* DEUM. Certè si desiderium fertur in absens bonum, cùm DEUM videre coràm, ac amare,

re, summum sit bonum; summo desiderio ad illud nobis est anhelandum, idq; persæpè quotidie.

IV. Luxemburgi anima quædam dixit se in atrio cœli esse: necdum sibi aditum patere in cælum, *quòd dum viveret* DEI *cultum non satis ardenter desideràsset intueri. Relatio Augustæ Trevirorum impressa* 1641. *& ab Ottone Azotensi Ep. ac Trevirensi Vicario approbata. Vide Hebd. XXVI.* En quàm severè nos amat, & quàm desiderat à nobis desiderari optimus & pulcherrimus DEUS noster! Ille est ultimus finis noster.

## HEBDOMADA XV.

*Disce à mortuo, è purgatorio; per conciones, aut aliter, alios quoq; hortari, ut animabus illis eleemosynâ, & omni quâ possunt ope opitulari non cessent.*

I.

OMnes vos fratres estis, inquit Christus. *Matth.* 23. 8. Agendum ergo pro fratribus in flammeo illo ergastulo vinctis.

II. Cantipratanus narrat rem, quam ab ipso quocum est gesta audivit. *lib.* 2. *c.* 4. *in fine.* Postridie ad concionem dicturo adfuit divinitùs quidam, & dixit: Legatione fungor pro animabus in purgatorio purificandis. Hæc enim mandant suis in derelictis possessionibus constitutis: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Ex his verbis cras tibi sermonis thema suscipies, & induces homines, ut defunctorum piè subveniant animabus, Ita ille.

III. Dic ergo illis, quibus quæstuosissimum hoc misericordiæ genus persuadere conaris: Induite vos, *sicut electi* DEI, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ. *Coloss.* 3. 12. Exhortandi sunt ad eleemosynas pro ijs largiendas; nam hæ meliores sunt quàm etiam ipsæ preces, si sint tepidæ. Disce id ab illa anima è purgatorio, quæ rogata, num preces mallet, an eleemosynas, respondit: *Eleemosynas, eleemosynas: orationes enim* (nempe illius cui loquebatur) *tepidæ sunt.* Cæsarius *lib.* 12. *c.* 32.

## HEBDOMADA XVI.

*Disce a mortuis, è purgatorio; accuratus esse in ijs, quæ ad statum tuum pertinent legibus observandis.*

I.

ALexius Segala Capuccinus ait. Hugonem de S. Victore post mortem adfuisse cuidam, & dixisse; se ob consvetam suis religiosis alijs flagellationem, seu disciplinam omissam, fuisse diris modis in ipso purgatorij aditu flagellatum: idque tormentum majus sibi visum, quàm quicquid cruciatuum esse

esse potest in vita: nunc demum se intelligere, quanti pretij sit apud DEUM, ut leges cum omni accuratione serventur. *triumphi animarum p. 2. c. 3. ex. 3. & 5.* Intelligamus ab illo & nos!

II. Alium refert idem ex Ord: S. Francisci vitâ functum, qui alteri apparuit, & dixit; Religiosos Minores, (ut vocant) cùm in purgatorium hinc descendunt, ab alijs animabus velut attonitis interrogari, & quasi corripi: Eccur huc ad hæc tormenta veniſtis, cùm in religione per accuratam legum præscriptarum, ac disciplinæ curam, longè faciliore operâ redimere potueritis hæc tanta supplicia. .

III. Minimas etiam leges non negligendas disce ab illo religioso, qui cùm viveret, erat legum religiosè observans, unâ illâ exceptâ, quæ jubet vinum non sine aqua bibi. Ille enim merum bibebat, conciliandi somni causâ. Hic post mortem vultu mæsto cuidam apparuit, & se pœnis purgatorij cruciari dixit, ob vinum nullâ aquâ permistum, ut somnum capere posset faciliùs *ibidem c. 18. ex. 3. pag. 157.*

IV. Alius è purgatorio apparuit, & dixit; sibi nullam sacrificiorum, aliorumq; suffragiorum è cœnobio pro se factorum partem obvenisse, eò quòd legem illam negligenter servasset, quâ preces pro mortuis præscribuntur. *idem pag. 142.*

# HEBDOMADA XVII.

## *Disce à mortuo, è purgatorio; in templo cum reverentia, & silentio versari.*

I.

CÆsarius ait se è Benignæ Abbatissæ ore habere, quæ narro. Gertrudis ferè novennis parvula, in religioso cœnobio educata, post mortem comparebat in choro, seq, humi prosternebat. Rogata ab ea, quæ illam videbat, ecquid vellet; Ad satisfactionem, inquit, huc veni: *quia libenter tecum in choro susurrabi*, semiplenè verba proferens: idcircò in eodem loco jussa sum satisfacere, ubi contigit me peccare. *Vide paradisi Berlaimont p. 3. c. 17. §. 9.* & nisi tibi de eodem vitio caveas, eandem pœnam moriens sustinebis.

II. In templo, in sacro, coram Sanctissimo Sacramento piè pro defunctis orandum esse, ac orationem eleemosynæ liberalitate adjuvandam disce ab illa quoque anima, quæ Cantipratani aviæ coram adfuit, & monuit hisce verbis: *In præsentia sacrificij Corporæ Christi cum eleemosynis pauperum pro me corpium & devotum effundas. lib. 2. c. 53.* Hoc tibi tui è purgatorio amici clamant.

III. Etiam Luxemburgensis illa è purgatorio anima, de qua aliàs, *Hebd. XXVI.* petenti nescio quid Mariæ puellæ, cui apparebat in templo, respondit: *Non oportet in templo garrire; postea*

*Reâ ad te veniam, ac tibi dicam.* id quod & præstitit post meridiem domi. *pag.* 14. Aliàs in templo & manè & in vesperis adfuit, sed neutro loco quicquam locuta est, neque rogata respondit, nempè custode Angelo id vetante, cujus injussu nihil loquebatur. *pag.* 47.

# HEBDOMADA XVIII.

*Disce à mortuo, è purgatorio; Confessionem instituere accuratè, ac dolenter.*

I.

QVidam peccatum nescio quod in vita confessus, illud in purgatorio expiabat, & divino permissu juveni ejusdem peccati olim socio apparuit, dixitque se catenâ igneâ ob illud peccatum uri; fuisseq; damnandum, nisi illud in confessione aperuisset. Monuit proinde ut & ipse illud confessione eluceret. Id enim sibi quoque in pœnis levamenti non parùm allaturum. Adjecit minas, *Si confessus illud non fueris, aeterna pœna te suscipiet.* Ita videri desijt, & audiri. *Cæsarius l.* 3. *c.* 24. Nunc disce de venialibus.

II. Religioso Sacerdoti alter quidam ejus amicus è purgatorio apparuit, & dixit; se ab ignis illius supplicio, non ante diem Iudicij liberandum fuisse, nisi aliorum suffragia intercessissent. Causa tormentorum tam productè toleraudorum fuit, *quòd*, inquit, *cùm adirem ad pœnitentia Sacramentum, licet accuratè bonâ fide omnes meas labeculas explicârim, id tamen fecerim sine dolore, ac serio proposito emendationis, verùm tanquam è consuetudine, id quod videO* DEO *maxime displicere. Vnde parùm abfui ab aterno exitio: sed adjutus sum in agone precibus aliorum. Quocirca annuente optimo* DEO *tibi appareo, non meæ tantùm utilitatis causâ, verùm etiam pro documento aliorum. Licèt enim peccata venialia non sint necessaria materia Sacramenti, tamen is qui ea confitetur, tenetur id non obiter facere, sed dolenter, & cum voluntate se emendandi, ne fiat injuria Sacramento tam augusto, in quo anima Sanguine Christi abluitur. Valer. Venetus Pratip.* 1. *pag.* 470. Si verò sine dolore fiat confessio, is qui sic confitetur, nec novam gratiam recipit, & pejor redit quàm ad confessionem accesserit. Certè apud de Lugo, *Vera Theologorum sententia negat confessionem absq; dolore efficaci habere effectum aut valorem, etiamsi de solis venialibus fiat. de pœnit. disp.* 14. *sect.* 8. *n.* 106. & 108. Vnde §. 2. ait esse mortale peccatum confiteri peccata venialia absq; ullo dolore de illis; contrariamq; junioris cujusdam sententiam vocat *omninò falsam*, quia verba Christi applicantur frustra, & quasi irrisoriè, absque omni prorsus utilitate aut effectu, per defectum materiæ validæ.

III. Quare ne te vel mortali peccato inquines, aut ne gravi illius incurrendi periculo exponas per supinam illam inconsiderantiam, & negligentiam, quâ fieri potest, ut ad confessionem venialium sine ullo dolore accedatur; connitendum est, ut ex motivo divini amoris dolorem serium de venialibus con-

confessioni subijciendis concipias; aut ut minimùm de ijs attritus accedas cum proposito emendationis. Idcircò sunt non pauci, qui ea venialia confessi, quæ à confessione ultima commisêre, addunt ad calcem confessionis aliquod vitæ anteactæ peccatum, aliàs confessum licèt, & de eo alijsque dolorem serium concipere studeant. Sed de his plura confessarius consultus dicet; talis tamen confessarius, cui neque conscientia desit, neque scientia.

# HEBDOMADA XIX.

## *Disce à mortuis, è purgatorio; Animas illas tui corporis afflictatione juvare.*

1.

QUidam per quietem amico suo post mortem conspectus, malè ac durè sibi esse dixit, petijtque impensè, ut precibus, jejunijs, alijsque corporis afflictationibus juvaretur. Fecit id amicus, alijs quoque religiosis ad id accitis; & amicum posteà læto vultu glorioſum vidit, dicentem se per illas preces & corporis afflictationes è flammis purgatorij liberatum. *Segala triumphi p. 2. c. 5. ex. 5. è B. Petro Damiano.*

2. Ut Innocentij 3. Pontificis, è purgatorio levamenti aliquid postulantis cruciatus allevatione aliquâ leniret S. Ludgardis, *mirabili se cruciatu illius causâ affecit. Bellarminus de gemitu columbæ, 2. c. 9.*

3. In Diurno divini amoris dicitur auditum à S. Mechtilde sonum dulcissimum in firmamento cœli *ex sonitu disciplinarum*: ad cujus sonitûs clangorem Sancti Angeli plaudebant, dæmones fugiebant, *animæ laxabantur à pœnis, & catenæ earum rumpebantur. cap. 15 n. 5.*

4. Beatus Petrus Damianus pro defuncto aliquo è religiosis suis septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipiendas præscribit. *Bolland. 23. Febr. pag. 426.*

5. Quicquid denique corpori molestum est, si pro illis animabus offeratur; venit in partem satisfactionis, pro illarum cruciatibus longè majoribus, minore molestiâ redimendis: ut cilicium, morbi dolores, peregrinatio; orare flexis humi genibus, vel prono aut supino corpore, vel expansis manibus; humi cubare, &c.

# HEBDOMADA XX.

## *Disce à mortuo, è purgatorio; illas animas particulatim jejunijs adjuvare.*

1.

AIunt Corbeienses Monachi, S. Remberto posteà Bremensi Archiepiscopo se spectandum è purgatorio dedisse Arnolphum Sacerdotem, ad eas pœnas ob negligentiam suam damnatum, & petijsse ab eo nominatim jejunijs adjuvari. Fecit id Rembertus jejunio per dies 40. continuos tolerato,

nullâ aliâ vel escâ, vel potione admissâ, quàm panis & frigidæ. Ad calcem tam longi jejunij redijt ad Rembertum Arnolphus, eique actis gratijs, dixit eo jejunio jam sua debita exoluta, ideóque se jam æternâ felicitate gaudere. *Bollandus 4. Febr. pag. 561.*

2. S. Monulphum monuit Angelus, ut pro anima cujusdam Principis, qui in purgatorio pœnis gravissimis torquebatur, *triduum* precibus, *jejunijs*, eleemosynisque impenderet. (*Fisen in floribus Leodien. 16. Iulij.*) Et certè hoc petunt à te omnes animæ purgatorij, quæ porrectis ad S. Mariam Oegniacensem manibus, illi supplices sunt conspectæ. & Deus illi ecquid hoc esset petenti respondit: animas purgatorij opem ab ea supplices flagitare. *ibid. 23. Iunij, c. 9.*

3. S. Lioba tridui *jejunio*, & precibus virginis cujusdam animam è purgatorio liberavit. *In Vita.* Atque hæc jejunia nobis quoque proderunt, ut mensæ cœlestis participes nos faciat. Rex æternæ gloriæ. Nam, ut benè S. Thomas, *opus satisfactorium, in quantum est meritorium vitæ æternæ, procedit ex radice charitatis: & secundùm hoc non solùm ei prodest, pro quo fit, sed facienti magis. In supplem. q. 71. art. 4.*

# HEBDOMADA XXI.

*Disce à mortuis è purgatorio Sacrificium Missæ pro illis audire aut celebrare, vel celebrari curare.*

1.

IN vita S. Nicolai Tolentini anima quædam illi apparuit, & Sacrum ab illo petijt: mox infinitâ earum, quæ igne purgatorij cruciantur, animarum multitudine illi ostensâ, pro illis ejus sacrificia expectantibus ac flagitantibus illius misericordiam imploravit. Celebratis per hebdomadam sacrificijs, anima eadem illi se ostendit candidissimâ veste gloriosa, & pro sacrificijs gratias illi egit, dixítque magnam ejus, quam in tormentis viderat multitudinis partem, per ejus sacrificia liberatam. *Venetus Prati p. 1. pag. 255.*

2. Adolescens quidam Episcopo ad Missæ finem apparuit, & gratias egit, quòd per annum quotidie pro illo salutarem hostiam immolasset. Religioso cuidam suo consanguineo anima è purgatorio conspecta; Si, ajebat, potero habere tres Missas in Ordine vestro, mox liberabor. *Cæsarius l. 2, c. 2. & l. 12. c. 33.*

3. Apud Trithemium ingens animarum è purgatorio vis, Jejunijs, inquiebat, orationibus, ac maximè oblatione Corporis & Sanguinis Christi adjuvari possumus, & rogamus. Ac tandem omnes ter succlamavêre: Orate pro nobis, orate pro nobis, orate pro nobis: & omnes illicò in ignem converti sunt visæ *Anno* 1098.

4. Anima, pro qua S. Bernardus sacrificia curaverat celebrari, altaria, in quibus illa celebrata erant, ostendens ei læta dixit: Hæc sunt arma gratiæ Dei nostri, quibus ereptus sum. *Spec. exempl. dist. 3, n. 16.*

HEB-

# HEBDOMADA XXII.

*Disce, si quid est in te peccati, vel vitij, seriò emendare, ac in virtute proficere.*

1.

ANno 1620. Italus juvenis, pro animabus purgatorij Sacrum celebrari sæpiùs curabat suis impensis. Huic per iter insidiæ parabantur. Cùm ergò, inquit Hautinus, iret eques eâ viâ, ubi è quercu membra latronis divulsa pendebant, derepentè visa sunt illa conjungi, atque in pedes latro subitò stetit: qui quidem cùm attonitum juvenem exscendere jussisset, ac equo conscenso ad sexaginta passus, ubi insidiæ structæ erant, perveniisset, sclopis explosis, humi dejicitur. Fugiunt illi: exurgit hic in equum: & ad juvenem reversus: Ea te sors manebat, inquit, nisi ego Dei jussu subijssem. Datum id tuæ in vitâ functos pietati: *in qua permane, & pristinos mores emenda.* Emendavit, & religio sam vitam inijt. Porrò cadaver illud rursum dissectum, ac suspensum apparuit. *Hautin. de Eucharistia n. 997.*

2. Luxemburgensis illa anima monuit illam, cui sæpiùs se dabat in conspectum, ut à juramentis ac mendacijs seriò caveret: eò quòd mendacia, etiam levia, severè in purgatorio puniantur. Aliàs monuit, ne Iesus, Maria, Jeviter pronunciaret: ne facilè quid voveret: in devotione semper magis ac magis proficeret: Missæ officio quotidie interesset; *vide Hebd. XXVI* caveret, ne unquam in ore haberet nomen diaboli. gaudet enim, inquit, ille nominari, ac sæpè inde deceptionum ansam capit. *pag.* 50. Iam nuper illi, præter B. Virginis cultum, suaserat, ut sacra Christi vulnera, & cœlites tutelares coleret studiosè *pag.* 30.

# HEBDOMADA XXIII.

*Disce à mortuis, è purgatorio; ea quæcúnque paveris pro animabus illis offerre.*

1.

CIrca annum 1250. pauperis cujusdam, & quæ à marito ebrioso verba & verbera dira patiebatur, patientiam pro se Deo offerri petijt anima quædam purgatorij, & impetravit. Liberata, dulces gratias egit Abbati (qui fœminæ id persuaserat) dixítque se ad æterna gaudia proficiscí. *in tabulario Cœnobij S. Trudonis.*

2. Magnâ cum patientiæ laude, tulit optima quædam mater gravem injuriam, quam in occiso filio perpessa fuerat. Antonius Bonciarius ait Didacum (ita vocabatur) occisum fœminæ illius filium suæ matri, inter duos Angelos apparuisse, gratias agentem, quòd interfectori veniam dedisset, dixisséque se idcircò è purgatorio liberatum. *de cade 1. ex 3. pag.* 102. *vide & Osorium fer. 6. post Cineres.*

3. Cæterùm variæ patiendi occasiones se se offerunt ferè quotidie, imò ferè in horas. A cœlo, ab hominibus, à te ipso, ab inferno, aliquid semper

ferendum est, quod corpori vel animo est molestum. Gratias age pro his Deo; & illa ei offer pro dilectis his animabus. S. Franciscus Xaverius; Finge, inquit, te esse in purgatorio tuorum delictorum luentem pœnas. *lib. 1. ep. 7.* Feliciter planè tecum actum putabis, cui Deus purgatorij ignis cruciatum, cum istius vitæ molestijs commutârit.

# HEBDOMADA XXIV.

## *Disce à mortuis, è purgatorio, non obiter, sed attentè orare.*

1.

SAnctus Thomas, *Magis*, inquit, *acceptatur suffragium pro mortuo, quàm pro vivo; quia magis indiget, cùm non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest. In supplem. q. 71. a. 5. ad 3.* quare oratio pro defunctis fusa, videtur Deo esse magis grata, si cætera sint paria, quàm pro vivis. Sed oratio debet fundi perseveranter, atque attentè. Ita ille in Prædicat: fastis Gillardus, cùm se quidam post mortem combustum latere toto ac pectore ostendisset. rogatus quomodo juvari posset, respondit: *Si fratres instanter orent pro me, quantocyùs liberabor.*

2. Celebris est, in cœnobio S. Rufi ad Valentiam, memoria illius animæ, quæ è purgatorio se cuidam sistens, petijt pro se per annum à fratribus omnibus attentè Psalmum *Miserere* quotidiè recitari: torqueri enim se ajebat igne, quòd post refectionem non *Miserere*, pro more Ordinis, sed *Laudate Dominum omnes gentes*, pro compendio recitasset. *Fisen in flor. Leodien. 29. Iulij. pag. 353.* Bartholomæus floridæ Valis conditor, pro illis animabus *Miserere* quotidie centies & quinquagies recitabat.

3. Luxemburgensis ille spiritus Mariæ puellæ quinquies *Pater* & *Ave* pro illo expansis brachijs recitantis, brachia suppositis manibus flectens sustentabat; quò illa faciliùs laborem ferret. *Relatio cist. pag. 26.*

4. Ægro cuidam Cistercienſi apparuêre animæ è purgatorio, & quæstæ sunt se in purgatorio teneri ob modicam reverentiam, quâ preces pro ijs fundebantur, cordibus non in oratione, sed ad cogitanda alia occupatis. *Nieremb. de affectu erga B. V. c. 23.*

5. Audi, & disce ab alia anima indidem veniente, quæ suos moneri jussit, *ut sine intermissione pro defunctis fidelibus orarent. Si enim sentiremus, in quibus essent pœnis, quantúmque eis preces viventium fidelium prosint, nec ad horam imò ne ad momentum quidem sine memoria eorum viveremus. Bredenbach. coll. l. 8. c. 40. pag. 879.*

# HEBDOMADA XXV.

## *Disce à mortuis, è purgatorio; morientibus omni, quâ potes, ope adesse.*

*1*

QUidam de Societate Sacerdos anno 1642. se in purgatorio versari dixit post mortem, *eò quòd in Vita in moribundis visendis ac juvandis tardior fuisset ac negligentior. Phil. Servius Amici fidelis p. 1. pag. 15.*

2. Contra verò anno 1650. Pragæ quidam è purgatorio ad amicum venit, rogavítque inter alia, ut Patri illi è Societate Iesu, qui sibi in agone laboranti præsentissimâ fidelissimáque ope constanter adfuerat, impensè referre suo nomine gratias ne omitteret. *Annua Bohemiæ n. 42.*

3. Docent hoc etiam suo exemplo illæ animæ; quippe quæ suos in extremo illo articulo enixè juvant. Cuidam in supremo agone sollicito, cœlum aperiri visum, & effusa inde plurium millium animarum corona se in vestibus candidis, & splendidis armis stitit, eúmque lætissimo animo esse jussit. Stupente illo, neque præ lætitiâ se satis capiente, ac petente, quis esset ille exercitus; Animæ sumus, ajebant illæ animæ, quas tu è purgatorio, ut in cœlum citius evolarent, adjuvisti. Nunc qui nos juvit, juvamus, & par pari reddimus. Veni, ut unà fruamur Deo, gaudijs immortaliter duraturis. *Vide Andries purgatorij pag.* 150.

4. Nôrunt experimento proprio illæ animæ, in quanto infelicis æternitatis discrimine versentur qui jacent, qui palpitant in mortis faucibus, in agone supremo. Ut nam quàm magnum est illud periculum, tam magna sit charitas mortalium omnium ad morientes juvandos, ne pereant morte æternâ, ne absorbeat eos tartarus, tunc maximè ore aperto hians. Multa hoc de argumento dicta sunt in Anno morientium & mortuorum; sed pro rei dignitate, ac necessitate nunquam dicetur satis. Juvandi ergò sunt omnes, qui per orbem universum in extremo agone certant, & nisi pro illis oremus, fortè vincentur. Juvari possunt jejunijs, alijsque corporis cruciatibus, sacrificijs, eleemosynis, statis precibus in communione ac aliàs fusis; adjutis purgatorij animabus, ut illæ pro illis & nunc, & posteà cœlo receptæ orent quantâ maximâ efficacitate; operibus misericordiæ; piâ libellorum de hoc argumento tractantium, lectione, scriptione, editione, concionibus, colloquijs crebrò hac de re institutis; fundatis sacerdotijs, sodalitatibus; exhortatione ad eos, qui testamentum condituri, quærunt quid facere Deo gratissimum possint. Certè, sicut in quo quis peccat, in eo & torquetur; ita si in hoc singularem operam posuerimus, in hoc pro mortis horâ luculento præmio coronabimur à bono Deo, à quo solo pendet perseverantiæ donum, quod est gratia gratis data. & dari solet *pijs*, ac *misericordibus.*

5. Omnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti; respice propitius famulos tuos infirmitate corporis laborantes, & animas refove quas creasti: ut in hora exitûs illorum absque peccati macula tibi Creatori suo per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereantur. Per Dominum &c. Da, ut in hora mortis eorum non prævaleat contra eos adversarius; sed cum Angelis tuis transitum habe-

habere mereantur ad vitam. Per Dominum, &c. *Ex Missali post Missam pro infirmis.*]

# HEBDOMADA XXVI.

## *Disce à mortuis, è purgatorio; Deiparam colere studiosè.*

1.

LUxemburgi anno 1640. animaquædam è purgatorio sæpè apparebat Mariæ, innocenti pueliæ 16. annorum, quæ ab illa, seu per illam petijt pro se fieri peregrinationem ad celebrem quandam *B. Virginis Imaginem*, & tria Sacra, &c. (*In Commercium utriusq; mundi Augustæ Trevirorum impressum* 1641. *cum facultate P. Florentij Montmorenci Provincial: & cum approbatione Ottonis Episcopi Azotensis, & Vicarij Trevirensis, &c.*) Cùm Maria unà cum alijs *Litanias* B. V. & preces aliàs recitaret, spiritus ille genua flexit, conversus ad oratorium, & statuam B. Virginis. In capite habuit velum candidum, & reliquam quoque vestem candidam; in manu verò nigrum *Rosarium* Beatissimæ Virginis, neque unquam visus est sine *Rosario*.

2. Die Sabbati Maria jussa *miraculosæ statuæ B. Virginis pedes*, nomine illius spiritûs, osculari, id prælibit in sacello: cùmque ab altari & statuâ reverteretur, spiritus illi assurrexit, & se demissè inclinans, magnam illi reverentiam exhibuit.

3. Imò eodem die idem *Deiparæ sacellum* ingredientem, blando vultu arridens, expansisque brachijs, quasi amplexabundus excepit, sed citra contactum; ac denique cùm inde egrederetur, eodem modo se inclinavit, & disparuit. Aliàs dixit se ad illam ire, quæ ad B. Virginem missa erat sui causâ peregrinatum, & curatum tria Sacra petita. Posteà splendidus, & ab omni sensus pœnâ liber illi sæpè apparuit, eique gratias egit.

4. Monuit ut *coleret quàm devotissimè B. Virginem. Nam si vel quotidie ter illi salutationem Angelicam recitaret, fore ut in hora mortis ipsi opitularetur.* pag 22. Se autem quicquid hactenus locutus esset, ab *Angelo Custode* habere, atque eo jubente dixisse. quocirca hoc etiam de cultu B. Virginis documentum dixit jussu Angeli tutelaris.

5. Aliàs postquam dixit: ego in extremo tuo agone tibi adero, hortari illam institit, ut *vitæ Beatissimæ Virginis mysteria devotè assuesceret meditari.* pag. 30.

6. In Vigilia Immac. Conceptionis B. V. è monitis nonnulla repetijt; videlicet, uti *pro animabus in purgatorio detentis quàm diligentissimè oraret: eo melius fieri nihil posse. Coleret Beatissimam Virginem quàm studiosissimè, eámque pro animabus illis invocaret: ipsam enim ad eas adjuvandas posse plurimum.* pag. 36. 37. Antequàm in cœlum reciperetur, dixit, se beneficij ab illa accepti memorem fore; uti & ejus patris ac matris, & eorum omnium, inquiebat, *qui vel unum* Pater & Ave *meâ causâ devotè recitarunt.* Ita dixit & MARIAM *pronuncians, demissè se inclinavit.* pag 44. Die Immaculatæ Conce-

Conceptioni sacro dixit: Ecce hîc adstat Angelus meus custos, qui quæ dicere debeam, omnia suggerit; præter quæ nihil omninò mihi loqui licet.

6. Tandem adjecit Angeli sui jussu: *Commendo tibi iterùm, atque iterùm Beatissima Virginis cultum* (ad quod verbum suo more se inclinavit) *quam & ego dum viverem, valdè dilexi, & ipsa magno mihi ad celeriorem liberationem auxilio fuit.*

8. Cùm innocens illa 14. puellarum corona, seu totum in quo Maria degebat contubernium, Beatissimæ Virginis Rosarium facto circulo recitaret, spiritus ille erat pro centro in medio, & ad singula Iesu ac Mariæ nomina caput inclinabat.

9. Tum ei tria verba è B. V. Litanijs Deiparæ præ reliquis gratissima indicavit: *Mater admirabilis, Consolatrix afflictorum, Regina Sanctorum omnium.* & monuit: *Hæc tu diligenter observa; & quoties ante imaginem ipsius transibis devotè pronuncia; item aliàs quoties libuerit. pag.* 45. 46.

10. Jam, jam in cœlum abiturus, iterùm dixit: Dei *Matrem semper in mente habeas: illa neminem deserit, nisi priùs deseratur. Ego verò illam tuo atque omnium nomine salutabo, qui pro me orave-runt.*

AN-

# ANNI AETERNITATIS

## PARS III.

## DOCVMENTA MORTVORVM EX INFERNO.

## HEBDOMADA XXVII.

*Disce à damnatis, ex inferno; quàm optimè confiteri.*

1.

ANno 1640. in Paraquariæ Reductione illa, quæ à B. V. Assumpta nomen obtinuit, id mater damnata docuit filium ex inferno. Jacebat ille pro mortuo, cùm à matre in inferno visâ audivit, (jussus ea omnibus nunciare) multos ibi ardere ob nefandum in pœnitentiæ Sacramento silentium. Tu verò cura, inquit, ut non expectato alio quàm matris damnatæ hortatu, labes animi ad unam omnes integrâ fide Sacerdoti exponas. Quam illic fornacem vides piceis flammis undantem, ijs accensa est, qui Patrum cohortationes insuper habere, neque tanto animi dolore, quanto decebat, detestari scelera consveverunt. *Messis Paraquariæ pag.* 261.

2. Alia fœmina post mortem, filiæ cum fœtore teterrimo spectata, dixit; se damnatam esse ob sacrilegum erubescendi cujusdam peccati in confessione silentium: neque sibi illud confiteri nolenti quicquam profuisse preces, eleemosynas, jejunia, quibus in vita peccatum illud sine confessione tollere conata erat. Eidem suæ filiæ prædixit, fore ut damnaretur, nisi vanum corporis cultum, quo animæ ad peccatum & infernum trahuntur, abijceret, id quod fecit. *Valer. Venetus Prati p.* 1. *pag.* 106. Ibidem in Prato suo narrat Venetus, *pag.* 109. 110. 128. aliam, ob confessionem sacrilegam, à dæmone suffocatam: & Regis filiam ob simile silentium damnatam, licèt se diris modis afflixerit, ut peccatum sine confessione deleret. Plura habet Annus meditationum cordis Dom. XIV. post Pentecos-

costen, & Cæsarius lib. 2. c. 15 ubi de Canonico, qui se damnatum dixit ob confessionem factam sine dolore, ac serio proposito emendationis.

## HEBDOMADA XXVIII.

*Disce à damnato, religiosam vitam magni facere.*

MOrtuus juvenis amico quondam suo post mortem ex inferno apparuit, & monuit ut quicquid artem diabolicam saperet, abjiceret: & *consulo tibi*, inquit, *ut vitam religiosam sectando, pro peccatis satisfacias.* Cæsarius *lib. 1. mir. c. 33. & 34.*

## HEBDOMADA XXIX.

*Disce à mortuo, ex inferno, ignoscere.*

IUvenis nobilis post mortem parenti ex inferno apparuit, & se condemnatum dixit. Stupuit parens, & multa de illius virtutibus locutus, causam quæsivit. Verum est, respondit damnatus filius; sum virgo; nulli rem ullam, nulli famam abstuli; non fui blasphemus, non luxor, non ganeo; jejunavi, &c. tamen quia si quis me offendebat, non ignovi ex corde, omnia perdidi, etiam cœlum. & si omnes cœli stellæ essent linguæ, non possent explicare, quantum patiar in æternum. *Vigliegas de charit. ex 22.* S. Gregorius: Ille rectè sui delicti veniam postulat, qui priùs hoc, quod in ipsum delinquitur, relaxat. Igitur, dum per indulti temporis spacium licet, dum judex sustinet, conflemus in lachrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et audenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem DEO ipsi hostia fuerimus Ita ille. *cap. ultimo dialogorum. initio. & in fine.* Sacrifica ergo DEO cor mite: & occide odium omne in te.

## HEBDOMADA XXX

*Disce à mortuo, ex inferno; ergà nullam rem creatam immoderatè affici; tenere in fræno illam maximè propensionem, quæ in te præ aliis major est.*

1.

ALius alio laqueo seu affectione animi trahitur ad infernum. Parùm interest, sit illa funis nauticus, camelus, aut funiculus sericeus, vel aurea, argentea, ferreavè catena. Laicus è sancto quodam Ordine, Bibliorum libro ita totum suum amorem affixerat, ut immemor paupertatis, superioribus non annuentibus illum clàm absconditum retinuerit usq; ad mortem. Is post mortem ex inferno umbræ instar se stitit ijs, qui eo in loco, ubi vitâ defunctus fuerat, ad nocturnas preces canendas convenerant, & miserando ejulatu; Ego, inquit, *sum frater ille mortuus, & sum damnatus ad inferni æterna incendia, quia contra superioris voluntatem abscondi Biblia, ut ea retinerem.* (*Recupit: industriarum tr. 1. n. 16. e Chron. Min.*) Vi-

de nete quæcunque animi commotio, & velut adhæsio, alicui rei affigat, unde velut viſco traharis in abyſſum immortalium tormentorum.

2. Examinanda eſt accuratè conſcientia, ejusq; anguli omnes, amor, odium, & ſimiles laquei mortis. Nam *nemo credit*, inqvit mortuus ille apparens, & loquens amico ſuperſtiti, *nemo credit*, *nemo credit!* Ecquid nemo crederet roganti vivo reſpondit mortuus: *Nemo credit, quàm districtè judicet* DEVS, *& quàm severè puniat. Granatenſis Dom. II. Adv. conc. 3. initio pag.* 89.

# HEBDOMADA XXXI.

## *Diſce expenſis damnatorum tormentis, tempus quàm optimè collocare.*

1.

QUendam Principum ſanguine inclytum, ſed coram æterno Judice, de rapina, & impudicitia accuſatum, ſpoliatum, ad æterna incendia condemnatum, refert Cantipratanus. *libro primo apum. c. 3. n. 4.* Eo ad tartara jam abrepto, ij, qui tremendo judici aſſederant, velut epiphonema, & concluſionem è præmiſſis ſpectatis deductam, in hæc verba pronunciavêre: Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum.* Vidit hæc Hilgemenſis Epiſcopus, & narravit.

2. Turpiſſimam temporis à DEO nobis ad lucra æternitatis dati jacturam deflent damnati. Ita damnatus ille à religioſiſſimo quodam viro plorare auditus, & rogatus, quid adeò mœſto ejulatu defleret: Unus è damnatis ſum inquit. Ego, damnatiq; cæteri nil adeò acerbè deploramus quàm vitæ tempus inter flagitia perditum. Eheu! vel horulâ unâ impetrare licuiſſet, quod omnis deinceps æternitas negabit. *Drexelius inferni c. 3, §. 2.*

3. Cogita lucrum ceſſans, dum bonas horas malè prodigis; cogita damnum emergens; quomodo hanc, quam tu ſomno, jocis, otio, gulâ, *&c.* perdis horam impenderes æternitati, ſi tibi redire liceret ex inferno? Quid facerent illi, qui illic ardent, ſi unius horæ ſpatium pro pœnitentia concederet DEVS? Quomodo te tot horæ malè; vel non optimè impenſæ accuſabunt coram æternitate?

# HEBDOMADA XXXII.

## *Diſce à mortuo, ex inferno; gulam, ſociosq; pravos cavere: in cultu Deiparæ conſtantiam tenere.*

RECens eſt id, quod in Flandriæ quadam urbe anno 1604. contigiſſe narravit Richardus Flandrenſis, qui rei geſtæ pars fuit, & eâ occaſione Ordinem S. Franciſci amplexus, poſteà in Japonia in odium fidei flammis abſumptus eſt. *Lyræus triſagij lib. 3. pag.* 469. Hic Richardus cum alio quopiam licenter ad omnem libertatem effræna tus, præſtituto die ad infamis fœminæ domum unà cum ſocio æquè ſcelerato divertit ad epulum, ad choreas, & quic-

quid

quid suaderet gula, quicquid libido nullis verecundiæ legibus circumscripta. Sic dies, & noctis magna pars obscœnis flagitijs, inter improbam ingluviem transcripta est, cùm Richardus, instinctu Angeli custodis, seu conscientiæ, socium domum invitat: se enim magnoperè lassum esse. Negavit alter sibi satis esse: velle se simili pervigilatione noctem totam genio, gulæ, libidini indulgere. Reversus domum Richardus, cùm se in lectum parat abijcere, inter ponendum vestes, venit illi in mentè quotidianum precum pensum honori Deiparæ die illo minimè persolutum. Diu secum ipse discors disceptavit vino, somno, sceleribus gravis, atque lassatus in via iniquitatis: pervicit tamen DEUS, DEIque Matris amor, vivus adhuc in aliqua scintilla, etiam in pectore scelerato: & preces omnes quâ tandem cunq; poterat, semisopitâ, & semiexperrectâ pietate persolvit, seque tandem quieti dedit. Vix id fecerat, cùm importunus ad fores socius pulsat, & aperiri jubet, neque nomen edicit, aut causam, quis aut cur veniat. adeò intempestivus, & importunus. Iterùmq; ac iterùm aperiri sibi imperans, addit se ad fores patefaciendas, vel ad ingressum ejus operâ non egere. Tum Richardus; Ingredere ergò, ait. & ecce tibi videt coram se socium illum, quem inter epulas in domo scelerata reliquerat, ostio clauso ingressum. Posteaquam alter in alterius aspectu hæsit silentio, hospes ille amicus alto ducto suspirio ingemiscens, & plenus lacrymis; Scias inquit, eodem illo tempore, ac horâ, quâ simul in lupanari libidini serviebamus, dœmonem coram Divino tribunali ambobus nobis litem intendisse, exegisse autem, ut nos sceleribus coopertos, vindex ejus justitia de vitæ statione ejiceret; atque æternis cruciatibus manciparet. Annuit Judex; dataq; sententia executionem spectabat, cùm tu MARIAM, ejus invocato nomine, magnificè celebrabas: & derepente illa ante Judicem stetit, tibi, qui eo temporis puncto eam colebas, apud Filium veniam postulans, cujus precibus ille annuens, sententiæ tuæ judicium distulit; mecum verò effectum dedit. quare me dæmon invasit, illicò interemit, animam in profundum abyssi secum evecturus. Et ecce tormenta quæ patior; Quo dicto togam diducens, vermes igneos, serpentesque, flammas denique ostendit; moxq; teterrimo post se fœtore relicto, tristissimo ejulatu dilapsus evanuit. Richardus effusus in lachrymas, & abjectus in genua, DEO ac DEI Matri gratias agens, audito Patrum S. Francisci ad preces ære campano pulsantium sono, ad illos adijt, rem explicuit, illis adscribi petijt Itum ad locum: & ganeonis illius cadaver repertum est longè teterrimum. Hæc P. Alphonso Andrade Soc: JESV, ipse Richardus tunc jam Ordini sacro adscriptus narravit.

## HEBDOMADA XXXIII.

*Disce à mortuo, ex inferno; impudicitiam horrere.*

I.

P. Petri Bonfrerij literæ ajunt, in Regno Mexicano Sacerdotis impudici

cadaver in templo fuisse conditum. At dæmon prægrandis ac teterrimæ suis horrendâ specie formidabilis in omnium oculis templum ingressus, erutum pedibus ac rostro cadaver impurum è templo abstulit, stupentibus qui id videbant, atque trementibus. *Hautinus Eucharistia num. 492.*

2. Alius impudicis cogitationibus se delectans, at ritè confessus, post mortem confessario damnatus apparuit, dixitq; se quidem Sacramentis ab eo benè expiatum, sed objectam sibi impudicam fœminæ imaginem à dæmone, dicente an non redditâ sanitate esset ad vetera illa rediturus? se verò delectatum annuisse, & illicò extinctum esse, atque damnatum. Mox diductâ veste, infernales flammas, quibus urebatur, ostendit, & abijt. *Recupitus de numero prædest. c. 7. pag. 75.* Discendum hinc ut assuescas nunc vincere, quicquid se vel oculis, vel menti oggerit impudicum.

## HEBDOMADA XXXIV.

*Disce à mortua, ex inferno; castam modestiam in cultu, incessu, &c.*

SOlebat à DEO enixè postulare fœmina quædam pia & nobilis, ut videret quid DEO in fœminis maximè displiceret, idq; ideò, ut caveret. Hæc vidit in inferno amicam olim suam, illustrissimam quondam Comitem. Volvebatur miserabilis illa sine ulla quietis parte de tormento in tormentum; & horrido ejulatu, Heu! ajebat, eheu me miserabilem! ego casta fui semper corpore! ego jejunavi? ego in eleemosynis liberalis, & ad alia opera pietatis non parca, feci multa! sed ecce, ob infelicem corporis mei ornatum, ob vanissimas vanitates, justo DEI judicio crucior in æternum. Illis enim mundi muliebris illecebris fui scandalum, & adulterium oculorum alijs, alijs invitamentum: & pellexi etiam illorum oculos, qui sanctâ mentis castimoniâ se DEO dedicârant. Ergo, inquiebat hæc videns, ea vestium forma adeò displicet oculis DEI? Ita est, respondit damnata illa: his enim alij ad offensam DEI provocantur. Et quia in pectore fœminarum præcipua est scena obscœnæ vanitatis, igneas duas lanceas damnatæ illi dæmones in pectus (olim nudatū oculis obviorum) in pectus inquam medium adegêre, & penetrantibus per impudicum pectus, atque ad dorsum usque se porrigentibus, & illac emergentibus lanceis, miserandam fœminam in immanem bullientis liquati plumbi cacabum injecêre; ubi mersa, & pijs orantis oculis erepta est. *Gelsominus Thesauri cæl. c. 19. Ital.*

## HEBDOMADA XXXV.

*Disce à mortuo, ex inferno; carmina obscœna, turpes cantus detestari.*

TIbicen, qui juvenes & puellas *ad carmina obscœna & turpia concitabat*, fulmine internectus, & sepultus, manè postridie in sepulchro repertus non est, cadavere à dæmonibus asportato. Coram alio obscœno tibicine dæ-

dæmon saltare est visus: cúmque ille ab *obscœnis carminibus* non desisteret, post dies paucos reprobâ morte interijt. De turpissimo quodam cantu dæmon ipse anno 1216. manifestè coram populo dixit: Cantum hunc celebrem ego cum collega meo composui, & per diversas terras Galliæ & Theutoniæ seminavi, promulgavi. *Cantiprat. 2. apum. c. 57. n. 4. & cap. 49.*

# HEBDOMADA XXXVI.

## *Disce à mortuis, ex inferno, superbiam, & gulam execrari.*

DOcent nos damnati, quid cavere debeamus; dum dicunt quâ viâ ipsi ad inferni æternitatem descenderint Neapoli in triclinio comparuêre mortui olim religiosi mensæ accumbentes. Adfuit loci Prior cum SS Sacramento, & adjuratos respondere jussit; qui essent? quid vellent? Respondit omnium nomine unus: olim se illic religiosos fuisse, ac ferè Superiores, ac Lectores, & nunc omnes damnatos esse ad æterna supplicia, ob ambitionem, superbiam invidiam, &c. Nunc se adesse, ut omnes officij ac vocationis suæ commonefacerent. *Anton. Senens. in Chronico* 1370. *Delrius disquisit. lib. 6. c. 2. sect. 3. q. 3. pag.* 511. Et omnes, inquit author, cappas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti, & incensi visi fuêrea. Anno 1599. Neapoli perscriptum est, à Fr. Tiberio viro sanctimoniæ famâ insigni, in triclinio visos religiosos; & Superiorem signo super mensam facto, ita dixisse: *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad tartara.* Et relictâ super mensam impressione manûs videri desiêre.

# HEBDOMADA XXXVII.

## *Disce à mortua, linguam custodire.*

1.

SAnctus Gregorius Magnus 4. *dialog. c.* 51. ait Sanctimonialem, castam illam quidem, sed linguæ liberioris, mortuam: visúmque illius cadaver è sepulchro extractum secari per medium, & alteram partem intactam relictam, ob castimoniam: alteram verò esse combustam, ob linguæ intemperantiam.

2. Certè S. Bruno inclytus ille stupendi Ordinis Patriarcha, à Parisiensi illo Doctore damnato, & post mortem è tumba vivos docente, ac dicente se justo Dei judicio accusatum, judicatum, condemnatum, didicit sanctum *silentium*, compendium salutis.

3. Nimia in hominibus otiosis, ac tepidis linguæ libertas, audet etiam in cœlum ponere os suum aliquando. Et qui multum loquitur, incipit malè loqui. Sæpè loquaces impudici etiam, vel blasphemi, qui audent etiam de rebus fidei susquedéque loqui, & fortè dubitare. Ita ille, qui uxori aliquando meliora suadenti, dixit infernum non esse aliud, quàm terriculamentum Sacerdotum. Sed hanc linguæ intemperantiam correxit mortuus quando in infernum abreptus est, corpore instar car-

bonis nigro relicto, cum tabula in manu hisce verbis inscripta charactere grandi: » Jam sum certus infernum esse: » & timor quem habui agendi pœnitentiam, & languor ac tepor meus » me illuc ultrò deduxêre. *Vigliegas de timore. infrust. SS.* Ita ille. Et certè languidi spiritu ac tepidi ferè plus loquuntur. Utinam sicut labia Isaiæ ignito carbone mundata sunt; ita nostra mundet carbones inferni, qui urant damnatos, ne nos urant.

## HEBDOMADA XXXVIII.

*Disce à mortuo, ex inferno; in concionibus habendis, audiendis, quærere DEVM, non floridam vanitatem.*

1.

PArisijs concionator elegans, vanitate suâ omnes ad se trahebat, & delectabat. Hic post mortem Episcopo apparuit, veste per terram longè ac latè fusâ, sed odorem teterrimum exhalante coopertus; dixitque se in omnem æternitatem damnatum, ob ingenij vanitatem. quòd, inquit, magis studuerim delectare aures curiosas, quàm id agere, quod conscientia recta dictat, & quod Ecclesiastes quivis quærere debet pro salute animarum; ideóque justè damnatus sum ad æternas pœnas inferni. *Valer. Venetus Pratt p. 1. l. 1. c. 27. ex Petro Alphonso.*

2. Recens est ille in Hispania Ecclesiastes clarus, at impensè vanus, qui si à quopiam de ludicris inanitatibus monebatur, invidiam existimabat esse, non zelum & charitatem. Hic tertio post mortem die, illi ipsi à quo monitus frustra fuerat, oranti apparuit in inferno, incendio involutus. Exundabat in illum igneus è latere Crucifixi torrens: ille verò clamabat: *Operuit confusio faciem meam.* Tum Christus voce fulmineâ illi velut exprobrans, dicere auditus est: Nonne silui? Nonne tacui? Nonne dissimulavi? Projecisti sermones meos; nunc autem sicut parturiens loquar, & absorbebo simul. *Andrade. Vvaëlin 5. Vulneribus. Hesius Legati fidelis pag. 75.* Ita evanuit, documento relicto mortalibus, ut ne prurientes auribus quærant sibi garrulos & licenter dicaces sacros oratores, sed illos, qui non adulterant verbum Dei, quibus auditis redeant doctiores in rebus Dei, & ad cœlestia magis accensi.

## HEBDOMADA XXXIX.

*Disce à damnato socios pravos cavere.*

BRuxellis Sacerdos gulæ, ac ijs quæ inde scaturiunt, libidinis sordibus inquinatus, cum socio amico suo, at inimico Dei, demum è vita migravit. Post mortem, sub terra miserabili editâ voce plangere auditus est ab alio illo scelerum suorum conscio. à quo rogatus, ecquis esset, respondit: *Ego sum infelix ille socius tuus.* Móxque sublato rugitu formidabili, *Va*, inquit, *va mihi, va, va! quoniam clausit super me aputes os suum! Cantiprat. 2. apum. c. 30. n. 16.*

ANNJ

# ANNI AETERNITATIS

## PARS IV.

## DOCVMENTA MORTVORVM è COELO

## HEBDOMADA XL.

*Disce à mortuo, è cœlo; attentè orare.*

1.

SAnctus Godefridus Comes Cappenbergensis, post mortem cuidam qui somno oppressus jacebat, cùm ad orandum eundum esset, illustris cœlesti luce apparuit, & illũ nominatim appellans, ait: *N. Surge quantocyùs, quia chorum jam ingreditur conventus!* Surrexit. *Bollandus* 13. *Ian.*

2. Monialis per septem extremos vitæ dies, doloribus miserandum in modum cruciata longo agone, post mortem apparuit; & docuit quanti in cœlo pretij sit oratio, dum dixit: se illos septem dierum cruciatus, licèt atrocissimos, libentissimè subituram, si redire ad corpus posset ad salutationem Angelicam vel semel (licèt non cum summo ardore, sed cum pietate quadam mediocri) recitandam. *B. Alanus de Psalterio, p.* 5. *c.* 72. Ita illa. Et verò tota nostra occupatio in cœlo erit perpetua & dulcissima quædam oratio. In sæcula sæculorum laudabunt te!

## HEBDOMADA XLI.

*Disce à mortuis, è cœlo; curam pudicitiæ accuratam.*

1.

SAnctus Andreas Corsinus, post obitum familiari sibi Canonico apparens in veste candida, & lilia rosásque gerens manibus, ea pudicitiæ suæ ac virginitatis custoditæ symbola & præmia esse dixit. 6. *Ian. ex relat. Roma im-*

*impress. pro Camniz.* Vide similia plura in Anno cœlesti.

II. In Paraquaria, uxor cœlesti luce circumfusa marito post mortem visa per quietem, illum graviter monuit, ne libidine conscientiam fœdaret: & particulatim ei ejus peccata, socios, angulós que ac arcana quæque detexit; eúmque correxit. *Messis Paraquariæ pag.* 219.

## HEBDOMADA XLII.

### *Disce à mortuo, è cœlo; neminem temerè judicare.*

LEo, unus è primis socijs S. Francisci, gloriosum cœlitum agmen in cœlo vidit. In toto illo agmine unus præ alijs eminere videbatur Bernardus de Quinta valle, è cujus pulcherrimis, & omni Sole illustrioribus oculis pleni gloriæ radij emicabant. Petenti splendoris illius causam, responsum è cœlo est; illud præmium esse Bernardi, quòd cùm viveret, omnia quæ videbat, in meliorem partem fuerit interpretatus, neque se ulli judicem præfecerit, sed omnes præ se ut meliores fuerit veneratus. *Hist. Min. Rodriqu. p. 1. tract. 4. c. 17.* Cor illi, &, oculos fuisse puros, simplicésque, non criticos.

## HEBDOMADA XLIII.

### *Disce è cœlo, à mortuis; carnem jejunijs macerare.*

SAnctus Philippus Nerius rogantibus, cur adeò parcè vesceretur, respondit: Oranti mihi ostenderunt se duæ animæ Sanctorum gloriâ decoratæ, quarum una frustulo aridi panis, quod manu tenebat, vesci videbatur. Vox quoque tunc è cœlo audita jubebat in Urbe illum vitam non aliter degere, quàm degeret in deserto; id est, ut ille interpretabatur; ut pane eóque sobriè vesceretur, unde carnes rariùs admittebat. *Gallonius in Vita A. 1550.*

## HEBDOMADA XLIV.

### *Disce è cœlo, tempus quàm pretiosissimè collocare.*

SAncta Brigitta post mortem nepoti suo, Caroli filio, manu clepsydram superiore vitro arenâ propè jam vacuam ostendens, apparuit, & dixit: *Ecce quàm parùm vita tibi superest. ubi exigua hac arena dilapsa fuerit, morieris: vixisses diutiùs, si priores dies non decoxisses.* Promittebat ille optima omnia, si vitam liceret producere, sed sancta avia illi respondit: *Iam serius est.* & videri desijt. *Lyræus de imit. Iesu pat. l. 5, c. 5, pag.* 270.

HEB-

# HEBDOMADA XLV.

*Disce à mortua, è cœlo; silentium.*

SAncta Teresia in cœlo jam glorioſa, volebat ut ſuæ filiæ ſilentio eſſent addictæ. unde ſi quando aliquæ tempore ſilentij loquebantur, audiebant tres ictus ſuper portam cubiculi, atque ſi S. Teresia illas è cœlo commonefaceret ſilentij religioſè integréque ſervandi. *Ribera ejus Vit. l. 5. c. 4.* Diſce id ab ipſo Chriſto, qui ne charitatis quidem obtentu vult ſilentium violari. Unde cuidam loquendi gratiâ, ſub charitatis colore, infirmum viſenti eo tempore, quo tacendum erat, diſertè dixit vox è Crucifixi Chriſti ore audita: *Non placet mihi iſta charitas. Laberhitel Praga impreſſ. medit. 29. pag. 57.*

# HEBDOMADA XLVI.

*Disce à mortuis, è cœlo; libenter pati.*

SAncta Teresia id docuit, cùm felici æternitate jam donata, cuidam conſpecta dixit, ſe in cœlo pro nulla re præmij tantum accipere, quantum pro moleſtijs, quas perpeſſa fuerat, dum hîc degeret inter mortales: & ſi quid eſſe cauſæ poſſet, ob quam deſideraret relicto cœlo redire ad terras, id ſe non aliâ de cauſa deſideraturam, quàm ut pati poſſet. Aliàs è cœlo item dicere eſt audita: eos, qui in cœlo ſunt cum ijs, qui in terris degunt, debere eſſe puritate ac amore conjunctos, ac planè unum: Sanctos in cœlo videndo divinam eſſentiam, mortales in terris adorando SS. Sacramentum occupari: Nos gaudendo, inquit, vos patiendo: in hoc enim diſcrepamus. Et quanto plus patiemini, tanto ampliùs gaudebitis. Dic hæc filiabus meis. Et abijt. Aliàs viſa eſt S. Teresia quaſi exiret de ſepulchro cum cruce pulchra, & eleganti arte facta; (*Ribera ibid. Ital.*) nempe ſymbolo patientiæ, quæ eſt ars crucis & filiorum Dei.

# HEBDOMADA XLVII.

*Disce è cœlo, voluntatem tuam divinæ conjungere.*

I.

EAdem S. Teresia ſuper iridem, cum aperto & aureis literis inſcripto libro, cuidam viſa dixit: Lege, filia. Et legit hæc ibi ſcripta: Sponſus meus habet voluntatem tuam, ut illâ utatur, prout ille volet, ſemper contradicendo tibi. Rogante illâ, quæ hæc legebat: Et quomodo me vincam in magnis, quæ in parvis quoque tam ſum debilis? Reſpondit Sancta: Cùm id non cogitas, dabitur tibi: & tolerando modicum in minoribus pervincendis, vires acquiruntur ad majora vinceda. Roganti, an bene rem ageret; dixit Sancta: Faciendo quod tu vis, non: fuge ſingularitatem; & ſine te duci, quo ille vult, qui animæ tuæ curam gerit, ſic eris ſecura. *ibid.*

2. Huc spectat illud cœlitum canticum, in cœlo aliquando cani auditum, quo magna docemur. Canebant ergo illi: *Patientia, mansuetudo, humilitas, & obedientia, sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum. Caramuelis Dominicus pag. 276.*

## HEBDOMADA XLVIII.

*Disce à mortuis, è cœlo; actuosam charitatem.*

BEatus Aloysius Gonzaga ante annos aliquot cuidam è cœlo gloriosus in conspectum se dedit, eique author fuit, ut pro anima illa, pro qua precari cœperat, porrò preces urgeret. *Recupit. industr. mort. tract. 3. p. 429.* Inter alia, quæ cœlitibus exhiberi à mortalibus possint obsequia esse, si aliquid ab eis postuletur. Cùm enim i cœlo neque corporis affligendi, neque molesta ferendi, neque se ad humilia demittendi, neque alias quasdam quæ hîc frequentantur, virtutes exercendi detur occasio; nihil est illis reliquum, nisi charitas erga Deum, & proximos. Disce à Sanctis gaudere, si quæ tibi charitatis exercendæ offeratur occasio. Infernus est carcer canum rabidorum: cœlum est patria charitatis.

## HEBDOMADA XLIX.

*Disce à mortuis, è cœlo; Deo servire ardenter.*

1.

TEpor est virtutis tinea. Fassus est religiosus quidam se à languore omni ad mirum in spiritu ardorem inflammatum viso mortuo nuper P. Barnabâ la Vecchia, & auditis ex illo verbis illis: Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. *Obiit Bivonæ anno 1614. 19. Aug.*

2. S. Vulstanus Epis. trigesimo post mortem die amicissimo suo Roberto Episcopo adfuit. *eúmque de negligentia, & ignavia acriter corripuit, admonuitque, ut tam suæ vitæ, quàm sibi subjectorum emendationi, quàm vigilantissimè posset, studeret. Ita fore, ut peccatorum veniam citò obtineret. Bollandus 19. Januarij.* Quod è cœlo ille monebatur, hoc age: ne tepidum te incipiat Deus evomere ex ore suo.

3. Sanctimonialis è cœlo apparens, & infinitas æternæ illius voluptatis delicias narrans Moniali superstiti, post multa, *Nunc*, inquit, *video, soror charissima, quàm felix & beata res sit, Deo cum pura conscientia, & spiritus fervore servire! Venetus prati p. 1. pag. 257.* Serviamus & nos, & videbimus & nos!

## HEBDOMADA L.

*Disce à mortuis, è cœlo; ijs, qui extremo in agone periclitantur, amanter optitulari.*

1.

DOcent hoc exemplo suo Sancti, qui Mechtilde moriente visi sunt, cùm

cùm per Litanias eorum imploraretur auxilium, singuli vocati incredibili gaudio assurgere, ac demissi coram Deo in genua merita sua pro moriente offerre. *Barry fœderis c.* 10

2. Beatissima Virgo inter SS. Petrum & Joannem Apostolos, media visa est ire ad assistendum moribundo cuidam, sibi Sanctisque omnibus unicè devoto. Ingens erat lux & gloria euntium cum Virgine sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, choris & vestium coloribus distinctorum, atque accensos cereos manu gestantium. *Valerianus Prati p. 2. l. 4. c. 8 pag.* 471.

3. Moriente Villariensi Theodardo *occurrit gloriosus exercitus undecies mille Virginum & Martyrum, ducente S. Ursulâ, quas ille præcipuâ veneratione coluerat; earúmque præsidio cœlitum chorus adscriptus est. Fisen florum Leod.* 14. *Jan. pag.* 64. Ita superati dæmones, qui ad morientem tantâ multitudine accurrerant, ut vel ipsas tecti tegulas numero superarent. Age, nos quoque superemus assiduitate nostrâ dæmonum diligentiam; & charitate nostrâ exemplum cœlitum ad morientes juvandos tam promptorum imitemur.

4. Religioso ægro Virgo illustris apparuit è cœlo, & se unam è S. Ursulæ comitibus esse dixit, deditque illi consilium, ut singularum undecies mille Virginum honori semel *Pater* & *Ave* recitaret: ita præsens in morte auxilium ab eis habiturum. Fecit, & à morbo tunc convaluit. Moriens postea, dixit; se pactum servâsse, Sanctas adesse, ac se ad cœlum ab ijs invitari. Sic decessit. Civis item quidam è solutiore factus est melior, per insignem erga easdem Sanctas pietatem. Moriente illo, visa est S. Ursula cum suis velut Regina, domum ingredi morientis. Tum ille migravit. *Crombach de S. Ursula à pag.* 880.

# HEBDOMADA LI.

*Disce à mortuis, è cœlo; Dei Matrem vero amore prosequi.*

1.

SAncta Leocadia V, post mortem è tumulo egredi visa, palam in templo S. Ildephonso gratias egit, quòd ille scriptis suis Deiparam defendisset. *Martyrol Hisp. 9. Dec.*

2. Civis Colonien sis seu laboraret, seu quiesceret, seu ambularet, Rosarium B. V. præ manibus, vel penes se habebat, & piè *Ave Maria* recitabat. Hic post mortem Virgini cuidam apparuit gloriosus in veste pretiosa & rutila, in qua *Ave Maria* charactere aureo eóque mirabili legebatur. Ipse verò, *O filia*, ajebat, *recita* Ave Maria *sine intermissione: nam hujus præmium est infinitè magnum in cœlo. Kalend. Mar. 23. Marij.*

3. Carthusianus quidam vidit in cœlo cœlestes cives JESUM & MARIAM benedicentes, & Deum pro ijs orantes, qui Sanctos imitati Dei Matrem coluerint. *Iacobus Alvarez, de perfect. tomo* 2. *col.* 973. Discamus ergo a Sanctis amare Reginam Sanctorum,

4. B. Petrus Damian. Anno 1072. 22. Febr. obijt: & post mortem docuit nos amare Dei Matrem, dum retulit, quid pro ea hîc culta præmij sit nactus in cœlo. Nam Urbano Abbati post mortem visus dixit: *An nescis, quòd in camera S. MARIÆ Virginis habito; in ejus sacrario demoror; ac ejus camerarium me esse profiteor. Marracci purpura Mar. pag.* 365. P. Hieremiæ Fischero Soc. Jesu, post mortem quidam Deiparæ amantissimus apparuit, & dixit; *Sibi penes Beatissimam Virginem bene esse. Annus dierum illustrium Soc. Iesu Romæ impressus pag.* 163.

---

# HEBDOMADA LII.

## *Disce à mortuis, è cœlo; varia documenta.*

1.

Sancta Editha Virgo Regia, post mortem in sepulchro incorrupta reperta est, exceptis *oculis, pedibus, & manibus*, cujus rei causam esse ipsa dixit, quòd illis, cùm esset parvula, fuerit nonnihil ad levitatem abusa. *Annus cœlestis* 16 *Sept.* Ita nos docuit custodire *oculos*, ac *manus*.

2. Disce Crucifixum piè osculari. Beatrix Ord. Præd. Sanctimonialis, post mortem apparens cuidam, in recessu *eam rogavit; ut pro se lateri Crucifixi lanceâ confosso, amicum ac pium osculum figeret. Lyræus de amic Iesu pat. l.* 5. *cap.* 6. *pag.* 283.

3. Disce voluntatem divinæ conjungere. Stephanæ de Soncino conspecti è cœlo Sancti, & rogati quomodo tantam essent gloriam assecuti, responderunt: *Voluntatem suam conformando cum voluntate Dei. Barry Hagiophila die* 9. *medit.* 3.

4. S. Thomas de Villanova, cuidam in testamenti pij executione lento, post mortem apparuit, eúmque acriter arguit, quòd ea, quæ pauperibus dandaerant, dare illis differret Putas, ajebat me esse mortuum, aut gravem hanc à te pauperibus factam injuriam ignorare? Mox eum à quodam, qui cum Sancto advenerat, flagris cædi jussit; & nisi eleemosynam pauperibus destinatam quantocyùs illis daret, mortem illi minatus, evanuit. *Vitæ Romæ recusæ lib.* 2. *c.* 14. Disce hinc in testamentis fidelitatem, in eleemosynis celerem, liberalitatem.

5. P. Petrus Faber post mortem, gloriosus, dixit lætissimus, se *obedientiæ nomine mortem oppetiisse*; ac in cœlo eapropter frui gaudio infinito. *Vita illius l.* 2. *c.* 27. *&* 28. Disce hinc obedientiam etiam in arduis.

6. P. Jacobus Tyrius Romæ Anno 1597. narravit triduo ante mortem, sibi Logicæ studenti S. P. Ignatium decimo post quàm mortuus erat anno visum, dixisse; ut nihil pro studijs decerperet de tempore orationi vel examini destinato, plurisque faceret virtutem quàm scientiam. *In ejus elogio: & vita S. Ign.*

7. Scrupulosus quidam, cùm ex alia vita, velut è Schola æternitatis à quodam olim jam vitâ functo inviseretur, consilium ab illo petijt pro scrupulis, & audivit: *Consule bonos, prudentesque viros; & eis acquiesce. Recup. indust. tract.* 1. *pag.* 19.

AU-

# AUCTARIUM ANNI SSS. TRINITATIS.

## Typographus Lectori.

*Via seriùs, quàm ut suis locis inseri possent, quæ sequuntur Anni SSS. TRINITATIS augmenta & fragmenta, nobis ab Autore submissa sunt: judicavimus ea hîc Tibi, benevole Lector, apponenda. Tu ea studiosè lege,* ne pereant. *Nec difficilè erit partibus reliquis coaptare; cùm pene omnia, vel principio, vel fini Hebdomadarum adjungenda sint, uti sequentia docebunt:*

### *Hebdomada 2. in fine. pag. 5. addantur sequentia.*

SAnctæ Franciscæ Romanæ visus est Deus in symbolo circuli permagni, atque splendentis, qui in alto penderet suâ se vi sustentans. Circa circulum hæc visebantur: *principium sinè principio*; *finis sinè fine*. Sub circulo erat velut *abyssus nihili*. Inde illi Angelorum, totius mundi, adeóque hominis quoque creatio est ostensa. *Ceparius ejus Vitæ lib.* 3, *cap.* 1. (*Vide Dionys. Areop. de div. nom. cap.* 2. *ubi de Circulo, Centro, DEO.*) Nos *nihili abyssus* sumus; Deus est circulus infinitè infinitus, cujus centrum est ubique, (veteri vocabulo) circumferentia nusquam. Nihili nos faciamus; sicut revera nihili sumus. Ita fiet ut splendidus ille circulus nos amplectatur, & ex hoc nihilo Deus cor mundum creet, quod amet, quod exaltet, in quo triumphet sinè fine ibi, ubi à SSS. Trinitate *coronâ humilitatis* coronatam Deiparam vidit eadem Sancta, & audivit: Deus thesaurus est animarum; & animæ sunt thesaurus Dei. *Vitæ lib.* 3. *cap.* 14.

*Hebdo-*

## Hebdomada 3. in fine,

pag. 7.

AUdiamus tandem Ambrosium: *Ecclesia Virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur. Hæc est Trinitas, quæ Ecclesiam suam irrigat, Pater, Christus, & Spiritus.* Ambros. l. 1. de Virg. c. 5.

## Hebdomada 5. initio, p. 8.

CAput Christi Trinitas, inquit Augustinus tom. 3. de Trinit. lib. 6. cap. 9. *Ab hoc ergo in Eucharistia pete, ut illam bene colas.* Pater Ferdinandus de Monroy, &c.

## Eadem Hebdomadâ in fine,

pag. 9.

QUam in rem insigne est illud è sancti Edmundi vita: quæ narrat S. Edmundum de SSS. Trinitate disputaturum, ac de illa meditantem, in Cathedra obdormivisse; atque visam illi columbam, quæ in ejus os *Sanctissimum Christi corpus* inferret; eóque accepto experrectum Edmundum acerrimo ingenio, felicissimáque facundiâ de arcano Sanctissimæ Trinitatis mysterio tam augustè disseruisse, ut videretur omnes vires, ac fines humani ingenij supergressus. Nempe in SS. Sacramento acuendum est ingenium, & voluntas, ut SSS. Trinitatem quam augustissimè colamus.

## Hebdomada 6. in fine,

pag. 10.

SAncta Franciscа Romana *die festo SSS. Trinitatis* vidit post sumptam sacram Synaxim, se in splendidissimi cujuspiam hominis cor, velut in tabernaculum, ingressam: ibi plenum pretiosissimis gemmis balneum vidit, cujus guttam unicam dum libavit, adeò inebriata est suavitate divini amoris, ut cor suum illi ferendo impar fuisse fatassa. *Ceparius Vita lib. 3. cap. 21.* His nempe delicijs pascit suos SSS. Trinitas in hoc suo convivio; ut & balneum habeant, quo cor abluant, & gemmas, quo illud ornent, & potum, quo inebrient. Horum omnium fons est ipsa SSS. Trinitas; hauriendi verò ex hoc fonte tempus est illud, quo accumbimus epulo Angelorum.

## Hebdomada 7. in fine,

pag. 11.

DEnique divinum hoc Sacrificium est excellentissimus modus colendi SSS. Trinitatem, & fons uberrimus beneficiorum. In domo Professa Romana S. P. Ignatij Sacellum est, ubi olim ejus, & cubiculum, & cubiculo adjunctum Sacellum fuit. Ibi ei oranti, celebranti, deliberanti (ut patet è tabellis appensis) *Spiritus Sanctus specie ignis, ut olim Apostolis, apparuit.* Do verba duarum aliarum tabellarum. Altera ita habet: *Hic sancto Ignatio Constitutiones Societatis scribenti, sæpe divina persona apparent, eumque miris luminibus illustrant.* Altera sic: *Hic sanctus Ignatius rem divinam faciebat, SSS. Trinitatis personis ei sæpenumero apparentibus.* In Sacro ergò optimè orabis, & deliberabis, luménque petes ad ea, quæ ad officium tuum, ac salutem spectant,

Hebdo-

## Hebdomada 8. in fine

*pag. 12.*

SAncta Franciſca Romana tenerum ſuum erga SSS. Trinitatem, & Chriſtum, Deiparámque amorem aluit, firmavítque admirabili illo ſpectaculo, quo vidit ſe puriſſimo cuidam balneo immerſam, & inde munda, atque ad omnia pietatis opera prompta, felix, expedita exivit. Et mox arbor illi oſtenſa multifariam admirabilis; cujus verticem tres rami occupabant, indices SSS. Trinitatis, longè latéque porrecti, admirabili, ac jucundiſſima cum majeſtate, propè hos tres SSS. Trinitatis ramos, aderat cum Jesu parvulo Virgo Mater, quæ omnia tantis Franciſcæ deliciis acta ſunt, quantas nec illa potuit explicare, quæ illas accepit; nec ego poſſum, qui hebes ſum, ad illa tam excelſa myſteria, divinitatis & ſuavitatis æternæ. Invito tamen ad balneum corda illa, quæ de SSS. Trinitatis arbore, ac ramis legere volunt fructus honoris atque amoris, ut ſota placeant oculis Jesu ac Mariæ, imò ipſius SSS. Trinitatis. *Ceparius Vita lib. 3. c. 23.*

## Hebdomada 9. in principio

*pag. 12.*

CAvendus hic primùm palmaris error impudentis ingenij Lutherani. Ait ille, & poſt illum Muſculus, infelix Lutheri aſſecla, divinam in Chriſto naturam paſſam eſſe, ac mortuam; imò divinitatem quoque neci dant & hi & alij, quos citat eruditus author Jodocus Coccius *theſauri libro primo A. 1.* Nempe Lutherani è Petri Fullonis ac Theo Paſchitarum officina habent hanc hæreſim: nos verò Deum paſſum eſſe affirmamus; negamus autem divinitatem vel divinam naturam paſſam eſſe aut mortuam. Chriſtus quà Deus nec pati, nec mori potuit, quà homo & pati & mori potuit, & voluit. Hunc ego ſvadeo colendum ei, qui colit SSS. Trinitatem. Sunt qui dicant, &c.

## Eadem Hebdomadâ poſt

*numerum 2. pag. 12. fine, poſt verba;* (quàm ut narrari pluribus debeat) *hæc inſerantur.*

HIc mihi in mentem venit illud ſapientiſſimi Auguſtini *lib. 6. de Trinit. cap. 10. Hic in rebus corporeis non tantum eſt res una, quantum tres ſimul; & plus aliquid ſunt duæ quàm una res. Cæterùm in ſummaTrinitate tantum eſt una* (perſona) *quantum tres ſimul ſunt: nec plus aliquid ſunt duæ quàm una, & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia* Sed nos ad vulnera revertamur. Sancta Gertrudis, &c.

## Eadem Hebdomada in fine

*pag. 14.*

HAc SSS. Trinitatis, & Crucifixi unâ colendi arte invicem illigatâ utitur Eccleſia, dum luſtrali aquâ vel aliàs nos ſignamus. Tunc enim & manum in crucis figuram ducimus, & SSS. Trinitatis perſonas numeramus. Fre-

quen-

quentissima sunt experimenta dæmones ita pelli, ne nobis molesti sint. Anno 1610. de Societate quidam Linduæ in Hungaria duos dæmones (quibus nomen Mammon & Behemoth) pepulit ex obsessa. Fassi sunt illi rugitu ingenti tria maximè sibi in sacris illis oppugnationibus fuisse molesta: *Aquam piacularem, signum crucis, & Catholicum sancti Athanasij Symbolum. quod cùm ad vitæ fidei confirmationem legeretur, dæmones non expectato fine* Symboli, *mulierem reliquére.* Annuæ Societatis pag. 315.

## *Hebdomada 14. in fine, pag. 21.*

ITa impetrabis, quod flagitas, nempe lumen ac sublimem, & dulcissimam quandam flammam erga hocce mysterium. S. Brigitta *lib. 8. revel. cap. 1.* in palacio grandi vidit thronum mirabilem, in quo sedenti adstabat *coronata Regina cœlorum.* Ex ore sedentis audivit Brigitta explicari mysterium SSS. Trinitatis & Unitatis. Aliàs diu cum *Deipara* collocuta, vidit, ibid. c. 48. in cœlo domum miræ pulchritudinis, & magnitudinis, & in domo erat pulpitum, & in pulpito liber, & ante pulpitum stantem Angelum hinc, inde diabolum, qui ajebat nomen sibi esse *Heu!* » Pulpiti aspectus erat quasi radius Solis, » habens colorem rubeum, & album, & » aureum fulgentem. Et quilibet color, » inquit illa, videbatur in alio. Nam » cùm aspicerem colorem aureum, videbam album & rubrum in eo; & cùm » viderem album, videbam in eo reliquos duos colores; item quando aspiciebam » colorem rubeum, quilibet videbatur in » alio, & tamen quilibet discretus erat ab » alio, & per se, sed in omnibus, & ubique » æquales videbantur. Cùm aspicerem » sursum, non valui comprehendere longitudinem & latitudinem pulpiti; re- » spiciens verò deorsum, non valui videre » & apprehendere immensitatem profundi ejus, quia omnia erant incompre- » hensibilia ad considerandum. Post » hæc autem in ipso pulpito vidi librum » resplendentem, quasi aurum fulgentissimum: qui quidem liber appensus erat, » & scriptura ejus non erat scripta atramento, sed unum quodque verbum in » libro erat vivens, & seipsum loquebatur; quasi si aliquis diceret; fac hoc, » vel illud; & statim cum prolatione verbi esset factum. Quicquid continebat » scriptura, hoc totum in pulpito, & illis » coloribus videbatur. Coram pulpito, » ait Sancta, visos à se tres Reges, unum vivum, eúmque in globo vitreo sedentem coronatum, globo illi vitreo gladius tricuspis horribilis imminebat. Angelo ac dæmone Regem quendam expectantibus, cui cederet, ubi gladius, (id est mors) vitrum (id est vitam) quassaverit. Vidit ibidem Regem alium, mortuum, & damnatum; & alium Regem item mortuum, sed in purgatorio. Demum intellexit voce divinitùs missâ, pulpitum illud esse *divinitatis* imaginem, colores tres *personarum*; librum esse Justitiam & Sapientiam Dei. Tum adjectum: *Ecce hanc visionem divinam promeruit tibi Mater Dei.* Adeò verum est, ei, qui lumen singulare haurire vult de SSS. Trinitate, & singulari

erga

erga illam cordis propensione ferri, atque amore ardere, adeundam esse Dei Matrem, Matrem luminum. Ita S. P. Ignatius divinæ Matris officium recitans admirabili de divinæ Trinitatis arcanis lumine perfusus est, & igne accensus, de quo aliàs.

## *Hebdomada 16. in fine*

*pag. 23.*

HIerarchias Angelicas S. Dionysius *de cœlesti Hierarch. cap. 6.* cum suo Præceptore, *in ternas tertiò repetitas distinctiones ad Sancta Trinitatis deiformem imaginem.* Cum his ergo illam lauda ac imitare *sanctissimos thronos* (ut idem loquitur) *& oculis plurimis, aliisque præditos ordines, Cherubim scilicet ac Seraphim, juxta Deum, nullis mediis insertis agminibus eminenti propinquitate locatos.*

## *Hebdomada 17. in fine*

*pag. 25.*

SAnctus Dominicus Abbas (vitæ c. 3. n. 13. apud Bollandum 22. Ianuar.) noctu orans, in cœlesti *luce tres conspicatur columnas fulgore similes, mensurâ pares.* Tum ad illas repente in altum abreptus, *in ictu oculi orbem simul terræ universum conspexit.* Hoc habemus, dum adorando illi mysterio attentè addicti sumus, ut ab eo ignis ac lucis plurimùm hauriamus, & orbem terrarum velut in ictu oculi transeuntem generosâ despicientiâ infrà nos despiciamus.

## *Hebdomada 19. in fine*

*pag. 28.*

ITa B. Angelæ de Fulginio Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus bene precatus est.

## *Hebdomada 20. sub initium*

*post verba*: Quasi fumum expellit. *hæc inserantur.*

HUjus lætitiæ fundamentum, & apex esse debet illa, quâ tres divinæ Personæ in seipsis exultant lætitiâ. *Pater*, inquit S. Zeno Veronensis Antistes serm. 1. de Genesi. *suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium. Alter in altero exultat cum Spiritûs Sancti plenitudine, unâ originali coæternitate renitens.* Atque iste Deus ubique nobis adest, *cujus ineffabilis magnitudo, profunda inferorum, diffusa fluctuum, extensa terrarum, excelsa cœlorum intrat, implet, excedit.* Biblioth. PP. Tomo 9. Paschasius Diac. lib. 1 de Spiritu Sancto, cap. 11.

## *Hebdomada 20. in fine*

*pag. 30.*

HÆc est ars veræ lætitiæ. *In illa summa Trinitate tantum est una Persona, quantum tres simul; nec plus aliquid sunt duæ, quàm una. In illa Trinitate summa origo est rerum omnium, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio.* S. Aug. 6. de Trin. c. 10.

## *Hebdomada 21. in fine pag. 31.*

INgredere; atque ab augustis illis Sanctorum cordibus aliquas religiosæ erga SSS. Trinitatem pietatis, amorisque scintillas, velut mendicus flagita. Fuit moris olim, cordi S. Augustini corda è ferro conflata religiosè admovere, ut refert Ioannes Ferrandus noster, (de reliquijs lib. 1. cap. 1. pag. 21. & lib. 2. cap. 2. pag. 419.) qui idem autores laudat, aitque S. Augustini *Cor* crystallo inclusum ad hymnum *Te Deum laudamus* veluti tripudiasse. *Cùm Clerici Te Deum laudamus inciperent*, inquit ibi Ludovicus de Angelis, *& versiculum Sanctus, Sanctus, Sanctus, canerent, cor in crystallo se movere cœpit, & quasi os ad laudem Dei aperuit, tanquam diceret: O S. Trinitas, te dictando, prædicando, scribendo, canendo laudarem, si in corpore meo viverem! Singulis quoque annis in festo S. Trinitatis, cùm Missa canitur, & cor super altare ponitur, mox omnibus intuentibus, se cor movere incipit, quasi piscis in aqua.* Addit nescio ubi in festo S. Augustini in Sacro cani præfationem de SSS. Trinitate. Iordanus de Saxonia ibidem laudatus, *Cor*, inquit, *istius Doctoris inclyti in crystallo inclusum, quoties Sancta Trinitas coram eo nominabatur, vel liber ejus de Trinitate expandebatur, cor ipsum exultabat.* Idem alibi de eodem sic: *Cor Augustini post mortem habuit motus vitales, imò quasi intellectuales, exultando ad præsentiam verborum Sanctissimæ Trinitatis dictorum, vel scriptorum.* Huic ergo cordi ferreum tuum cor admove, ut magneti; ut ab illo traharis ad verè exultandum in gloria SSS. Trinitatis, eámque unicè, sanctéque colendam.

## *Hebdomada 23. prope medium pag. 33 columnâ 2. post verba:* Vide autem, ut id sobriè facias & prudenter.

SAnctus Basilius hom. 10. in Hexameron: *Proœmium nostræ generationis, theologia vera; faciamus hominem, & secundùm imaginem, & similitudinem nostram. Depurgemus cor insicium, præsumptionem, & anticipationem inerudita, indoctas de Deo opiniones.*

## *Eadem Hebdomada prope finem pag. 34.* At per miracula non semper itur.

VIderi potest Anno 495. Baronius, ubi Olympius Alcianus in balneo dirâ morte luit pœnas blasphemiæ contra SSS. Trinitatem: & miraculum illud Imperatoris jussu depictum palàm proponi est jussum. Et passim plura refert, quæ sunt ad confirmandam rectam fidem de Deo uno ac trino; de quo accipe ex Augustino (tom. 3. l. 6. de Trinit. cap. 7. 8. 9.) fidei nostræ breviarium: *Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Nos fidei demus cæcas manus, & cæca obedientia, jubenti ea nos credere quæ non intelligimus, Deo toto capite annuamus. *O sancta æqualitas*, inquit S. Zeno Epis. Biblioth. PP. serm.

ferm. 3. *ac sibi soli dignissima individua Deitatis!* Quiescamus in sinu fidei, imò in sinu Dei; *unde processit Filius Paterni cordis excultor.* Ibid.

## Hebdomada 25. in fine pag. 36.

Ajunt, quòd si unum palmæ dactylum terræ inseras, palmæ arbores tres enasci; si tres dactylos terræ mandes, unam palmam inde succrescere. *Lobbet:* Dom. S. Triuit. q. 2. Nobile id, ac palmare symbolum est SS. Trinitatis, ubi palmæ nostræ, id est victoriæ, optimo solo crescunt, altámque habent radicem. Quidquid unquam victoriæ reportâsti; illi palmam porrige; illi *Sanctus, Sanctus, Sanctus* canta cum invicto Camillo. Ita fiet, ut singulæ tuæ palmæ à tribus Personis divinis serantur in corde tuo; & singulæ natæ victoriæ ter laudent ter optimam ac ter maximam Trinitatem.

## Hebdomada 26. in fine pag. 38.

ORatione ad SSS. Trinitatem fusâ poteris omnia. S. Nicolaus Episcopus in Concilio Nicæno contra Arium disputans pro SSS. Trinitate, laterem unum fusis precibus resolvit in ignem, aquam, terram; ut tria in uno ostenderet, juxta illud effatum Pythagoræ: *unum tria, & tria omnia.* (*Lobbet: Dom. Trinit. q. 3.*) Ora & vinces tu quoque illa etiam quæ aliâ vi superare non posses; & miraberis id perfici à te potuisse quod factum est.

## Hebdomada 27. in fine pag. 39.

INter agnos venturo tempore, non inter hædos deputatur, qui pignus Trinitatis acceperit, iuquit S. Zeno Veronensis Episcopus Biblioth. PP. tom. 2. serm. de Juda. Quidquid terrere nos potest in die vel noctis vel judicij, quidquid potest ad victoriam & gloriam præparare, ab illa petendum est, & sperandum. *Ecclesia* inquit idem ibidem, *ipsâ veritate in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, non tantùm diaboli præsentes ignes extinguit, sed etiam futuri diei judicij incendia superabit.* Et cùm ij qui in SSS. Trinitatem non solùm rectâ fide credunt, verùm etiam illam cultu peculiari, singulatíque industriâ venerantur, amant, & suo ac omnium cordi conantur inserere, felicissimi triumphabunt.

## Hebdomada 30. circa medium pag. 42. col. 2. post verba: absentem faciant adverte, &c.

SAnctus Thomas opusc. 63. cap. 23 occupationes omnes in una beati erga SSS. Trinitatem amoris occupatione absorbens, *O quàm felix anima,* inquit, *quæ se absque interpolatione ex omni virtute Sanctæ Trinitatis ad omne, & propter omne quod ipsa sentit se amari, & Deum tanto amore circa se occupari, quasi omnium creaturarum sit oblitus. Cujus beatitudo augetur, cùm è converso, amore SSS. Trinitatis cum omnibus viribus suis penitus se immergit.*

*Tunc anima nunquam errabit in amore Dei: nunquam obliviscetur ad momentum amoris divini, qui semper præsens est.* Ita S. Thomas. Ego certè sapientissimum, ac intellectu felicissimum judico, qui sic ijs quæ agit est occupatus, & ejus, coram cujus oculis, & cujus amore agit omnia Dei, longo jam usu non obliviscì didicerit. Quin, &c.

## *Hebdomada 34. in fine*

*pag. 49.*

CAstè vult coli, atque laudari SSS. Trinitas. Africani illi Episcopi, qui pro defenso contra Arianos SSS. Trinitatis mysterio linguas amiserant, etiam abscissis à radice linguis adhuc loquebantur, & sacrosanctum illud mysterium defendebant atque laudabant, Arianis ne quidquam frementibus. *Ecce*, ajebant, *videte, quia linguas non habemus, & loquimur.* Eorum unus Constantinopoli *in luxuriam lapsus*, inquit S. Gregorius lib. 3. Dial. c. 32. *mox privatus est dono miraculi.* Vides hìc SSS. Trinitatem ab ore impudico non fuisse dignatam laudari. Tu ergo, si quæ fæditas menti tuæ se objiciat, & cor & linguam ad SSS. Trinitatis laudes, opémque implorandam converte, ut sis dignus cujus casto corde ametur, casto ore laudetur purissimus Deus, te ab immundo spiritu defensurus.

## *Hebdomada 35. post initiũ*

*pag. 50. col 1. post verba*: in nullo illius angulo lateat vipera.

OMnium quotquot usquam fuêre viperarum venenum tam horrendum non est, quàm est virus unius peccati mortalis, illico interficit & expellit ex anima Deum, id est vitam gratiæ Dei. *Recedente animâ*, inquit S. Petrus Chrysologus, serm. 19. *mox corporis fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam conscientiæ vermis, vanitatum cinis: & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ.* Tu peccata tua coram SSS. Trinitate dolenter deplora, & ne in ullum deinceps incidas, ab illa benedictionem pete. Beatam Angelam de Fulginio post amarissimos de peccatis dolores, tentationésque horrendas, Spiritus Sanctus solatus est; eidem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus benedixit, & visus eidem divinæ pulchritudinis radius, ac illam respicientes Dei oculi admirabiliter recreârunt. Bolland. 5. Ian. Adeo nimirum experimentis sæculorum certum est, hanc pietatem in cultu SSS. Trinitatis, esse ad omnia utilem. Cujus cor, &c.

## *Eadem Hebdomadã in fin.*

BEne in rem nostram Ambrosius l. 1. de Virginibus cap. 8. *Patris imaginem habemus in Filio; sigillum Filij habemus in Spiritu. Hac Trinitate signati caveamus diligentiùs, ne quod acepimus pignus in cordibus nostris, aut morum levitas, aut ullius fraus resignet.*

Hebdo-

## Hebdomada 36. in fine

pag. 53.

UT autem attentè ores, adi cum corde Jesu SSS. Trinitatem. Cùm S. Gertrudis conaretur ardentissimè orare, nec satis id posset, edocta est divinitùs, ut Christi *Cor* pro supplemento ardoris & pietatis offerret Deo. Nam Christus ostendens illi suum cor instar lampadis ardentis lucens; ecce, inquit, *cor meum dulcissimum semper veneranda Trinitatis organum*: cui omnia quæ per te minùs potes supplenda cum fiducia commendabis. Et sic omnia in oculis meis apparebunt summè perfecta. Et dixit, optare se, ut rogetur ut suppleat. Ita illam accendebat cor Jesu in medio cordis ejus instar lampadis collucens. Insin. lib. 3. c. 24. 25.

## Hebdomada 37. initio

pag. 53.

ARnobius Rhetor (qui floruit ante annos mille trecentos sexaginta) perpetuas Deo gratias agendas ait: *O nullis unquam comprehense naturis*, inquit, *cui spirans omnis, intelligensque natura, & habere, & agere nunquam desinat gratias; cui totâ conveniat vitâ genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare!* (apud Coccium thes. lib. 1. art. 1.) hæc est occupatio prædestinatorum, ut patet ex ijs quos nunc do veris Sanctissimæ Trinitatis clientibus. P. Didacus Martinez &c.

## Hebdomada 38. in fine

pag. 55.

UTinam cordis oculos nobis aperiat SSS. Trinitas ad pervidenda pericula petulantium oculorum. O quantæ tenebræ ingrediuntur ad cor per has fenestras mortis! In Lithvania, ut Lomzense Collegium refert, fama crevit compertæ fidei testium asseveratione firmata, circa annum 1648. cuidam ad extremam propè oculorum orbitatem redacto, visam cœlestis viri candidati speciem, & ostensam ab illo viro *aram illustri SSS. Trinitatis imagine conspicuam*, ac perfrequentibus luminibus collucentem: ipsum verò planè redditum pristinæ oculorum luci. Annuæ Lithvaniæ Anni 1650. pag. 299. Age, si sapis, & oculorum tuorum curam ac rectionem permitte SSS. Trinitati; ut sicut illius corporis oculos ad videndum perfecit; sic animi tui oculos aperiat, ut scias corporis oculos attemperatè aperire, ac etiam claudere, ibi, ubi id placet SSS. Trinitati.

## Hebdomada 41. in fine

pag. 61.

MAnè surgentibus SSS. Trinitatis clientibus lumen porrigit S. Dionysius Areopagita de div. nom. cap. 2. parte 1. Posteaquam enim conjunctiones divinas, discretionésque laudavit, ac dixit, quòd *unicæ Trinitati* commune sit aut singulare; præclarè addit, quòd illa sit *bonitas eminentissimè bona, cuncta transiliens, unitas superprincipalis, personarum in se invicem mansio & sedes, integrè & superexcellenti modo conjuncta, & nullâ ex parte confusa. Quemadmodum cereorum lumina, in domo una*

cùm

*cùm sint, & tota in totis mutua sunt, & integra tamen atque perfecta, ab se invicem discretione separantur, discretione conjuncta, & conjunctione discreta.* Plura ille ibi de uno lumine à cereis pluribus veniente. *Et expedit*, inquit, alibi cap. 13. *ut nos quoque à multis ad unum virtute divinæ unitatis conversi, unicè laudemus, totam atque unam Deitatem. Unitatis ac Trinitatis appellatione celebratur, quæ est super omnia Deitas. Neque Unitas, neque Trinitas, aut à nobis, aut à quovis alio cognita est: verùm ut & ineffabilem ipsius unionem, & divinam fœcunditatem celebremus, trinitatis atque unitatis sacratissimâ appellatione omne nomen excedentem appellamus.* Ad hoc unum refert multa illa quæ hoc die, quæque per omnem vitam acturus es: ut singula illa, velut lineæ à circumferentia fusæ, in Deo, tanquam in centro, conveniant. Nam idem divinus Theologus alibi c. 2. p. 1. Deum etiam centro confert.

## *Hebdomada 45. in fine pag. 67.*

HAbitet in nobis Deus, & prior ipse cor occupet *bonâ voluntate*; ita fiet ut voluntatem prævaricari non sinat, quidquid agant humani respectus; à quibus variè raptatur cor, nisi oculo fixo Deum semper aspiciat. *Cor humanum*, inquit, S. Augustinus Manualis cap. 25. *in desiderio æternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse: de alio in aliud transit. Bona voluntas, illius summæ majestatis Trinitatem ad se inclinat. Sapientia namque* (Filius) *ad cognitionem veritatis illam illuminat; Charitas* (Spiritus Sanctus) *ad desiderium bonitatis inflammat; Paternitas* (Pater) *in ea custodit quod creavit ne pereat.* Hæc ille.

## *Hebdomada 46. paulò ante finem pag. 68. post verba:* Retuli hebdomadâ 36.

BOgonidi ante annos ferè mille mirum de divinis originibus delirium spargebant in vulgus, ajebántq; Deum humanâ formâ præditum *ex binis cerebri panniculis binos radios emittere, alterum Filij, alterum Spiritûs Sancti.* Vide Coccium Thesauri lib. 1. art. 1. Sinamus hæc somnia delirorum. Cæterùm quidquid virium, quidquid lucidæ aciei habet nostrum ingenium, id omne, velut collectis radijs, eò est convertendum, ut omnia omnium quæ possumus corda veris divinitatis radijs illuminanda præparemus. Quo circa utere ingenio, &c.

## *Hebdomada 49. in fine pag. 73.*

ALtissimum pone refugium tuum contra hostes tuos domesticos qui tui cordis arcem tenere videntur. Expugnabis illos ope SSS. Trinitatis. Apud. Bolland. 13. Febr. p. 716. S. Fulcranus Episcopus, cùm in suo quodam castro velut asylo, collectos cum præda grassatores audiret, neque ob excelsam rupem vel adiri, taceo expugnari castrum posset, *invocatâ virtute SSS. Trinita-*

*nitatis, vicibus tribus castrum circuivit: & illico totus castri murus undique corruit.* Tum latrones unà cum præda se illius arbitrio permisére. Ita tu latrones animæ tuæ prædones vince; ac potissimùm ducem latronum, id quod est examinis particularis officium, nempe ut in nobis debellatum eat principium vitiorum nostrorum, & caput. Certè contra hostem quem habes pessimum, & maximum, optimè opem implorabis SSS. Trinitatis; quæ est Deus optimus ac maximus. Igneâ quadam indole hîc opus est, & excelso ingenio, ut audeas, ut provideas, ut ipse tecum, contra te philosopheris, téque ipsum, sensim subigendo pervincas. Ita Marcianus Ile Philosophus apud Athanasium Kircherum in epilogo lucis & umbræ pag. 917. refert Philosophiam olim *ad unitatis trinæ fastigium* conscendere meditantem, unà cum igne & sphæras & circulos vomuisse.

*Hebdomada 52. circa medium, pag. 81. col. 1. post verba*: In visceribus charitatis, &c.

ODit amorem & mutuam inter plures conjunctionem dæmon: Sed pellendus est in nomine SSS. Trinitatis. In vita S. Romualdi cùm coorta inter Religiosos dissensio sedata fuisset, dæmon auditus est *ululare, plorare & flebiles voces emittere.* Et domum redeuntes cum tempestate ac turbine prosequi non destitit priùs, quàm eorum unus quispiam ei dixit *præcipio tibi in nomine SSS. Trinitatis immunde Spiritus, ut desinas venire post nos.* & ita fugatus est. B. Petrus Damian. apud Bolland. 7. Febr. p. 122. Hunc nos amorem foveamus in corde amore SSS. Trinitatis; aspellamúsque illos ceu dæmones, qui verbis vel factis seminant in terra bona radices amaritudinis. Hunc nos amorem docet, &c.

IN-

# INDEX
# RERUM ET MATERIARUM
## NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE PASSIM CONTINENTUR.

Prior numerus *p.* paginam; posterior *c.* columnam designat.


### A.

*Abstinentia.*

ANte Sacrum auditum nîl cibi & potionis ullo prætextu admittere solebat Sebastiauus Lusitaniæ Rex, p. 651. c. 2.

Abstinentia Sabbathina. pag. 636. 645. 648. 650. 652. 667. 668.

*Actus divini amoris.*

Actus divini amoris quales à Deo edocta Magdalena de Pazzis. p. 11. c. 2.

*Adamas.*

Adamas mundo major. p. 50. c. 2.

*Advocatus.*

Advocati bona iniquè parta per sanguinem strophio expressum detecta. p. 216. c. 2.

Advocato iniquo dæmon sub schemate simiæ famulatur. p. 216. c. 2.

Advocatus iniquus B. V. Mariæ ante somnum quotidie se commendans à dæmone abripi nequit, p. 216. c. 2.

*S. Ægidius.*

Confiteri verecundantium Patronus p. 158. c. 1.

*Æternitas.*

Æternitas quid. 77. c. 1.

Æternitas sæpe considerauda. p. 185 678.

Æternitatis jugis memoria Justo Lipsio. p. 164. c. 1.

Ad æternitatem tempus omne breve. p. 221. c. 1.

*Affectus inordinatus.*

Ob affectum inordinatum erga librum religiosus quidam Laicus damnatur. p. 705 c. 2.

Affectus inordinatus erga sanguine junctos punitus. p. 142. c. 1.

*Agnus.*

Agnus ponè urbis muros circumferri solitus apud Danagæos. p. 505. c. 1.

Agnus castus frutex portatus viatores allevat. p. 319. c. 1. Beatæ Virgini comparatur *ibid.*

*Agon.*

Agon supremus qualis cuidam Religioso visus. p. 548. c. 1.

*Alapa.*

Alapâ ab imagine B. Virginis percutitur Monialis apostatare volens. p. 555 c. 2. Item quidam ab Angelo custode p. 206. & 208.

*Albi citatio.*

Albi citatio festum solenne Carthaginensium p. 441. c. 1.

*Alea.*

Aleatorum graves pœnæ p. 575. & seq. item p. 626. c. 2. *S. Am-*

*S. Ambrosius.*

S. Ambrosij domum flamma ambire visa p. 256. c. 1. concionanti Angelus astat p. 192. c. 2.

*Amicitia.*

Amicitiæ pulchrum emblema pag. 155. c. 2.

Amicitiæ privatæ, licèt bonæ videantur, cavendæ p. 207. c. 2.

*Amor.*

Amor dictus annuens pag. 67. col. 1. Manus animæ p. 89. c. 1. Flores incolit p. 315. c. 2. Omnia scit, Musicam & omnia docet pag 564. c. 1. Amanti res amata pro cibo p. 412. c. 1 Amor exhibitus p. 430. c. 2. Amor omnis virtus p. 81. c. 1. Amor Dei inter pia legata numeratus p. 164. c. 1. Quàm fervens fuerit Magdalenæ de Pazzis pag. 569. col. 1. S. Francisco Seraphico, p. 571. c. 1. Philippæ Lotharingicæ, p. 572. c. 2 Præ amoris in Deum vehementia cor scissum devotæ cuidam Virgini p 382. c. 1. Amoris scalpellum quomodo ignitum à Christo pag. 524. Amor divinus & terrenus duobus brachijs à Platone comparatus p. 559. col. 2.

Amor proximi quantus in Alphonso Rodriquez p. 478. c. 1. Amor filij erga Parentes admirandus p. 570. c. 1. Amoris conjugalis pulchrum exemplum p. 571. & 588. c. 2.

Amori carnali miserandùm immortuus quidam p. 590. c. 2.

*Angeli.*

Angelos SSS. Trinitatem laudantes videt & audit S. Ignatius Mart. p. 22. c. 2. eosdé trisagion canentes audit puer Constantinopolit: p. 27. c. 1. Hymnum *Te Deum laudamus* sæpe item canere auditi pag. 30. c. 2. Angeli dicti Dei oculi, manus, pedes p. 294. c. 2. & pag. 204. col. 1. Eorum pulchritudo quanta pag. 195. col. 2. p. 233. c. 1. p. 359. c. 1. Salutis nostræ ministri p. 217. c. 1. Malorum vindices p. 206. p. 229. c. 2. Igni comparati pag. 191. c. 2. Eorum vita primaria qualis pag. 230. c. 1. Opera nostra bona offerunt Deo p. 190. c. 2. Eadem describunt pag. 231. & seqq. Contra hostes pugnant p. 189. 199. Adversùs dæmones sunt præsidio p. 196. c. 2. & 197. c. 2. 227. c. 2. Victori dæmonum triumphum accinunt pag. 51. c. 2. Itinerantium comites p. 233. & seqq. Tabellionum vices agunt p. 206. c. 2. Item procuratoris p 257. c. 1. Pro S. Isidoro arant p. 189. c. 1. Manualibus operibus intentis collaborant p. 203. c. 2. Pontem super Rhodanum fabricant p. 256. Ægris ministrant p. 244. & seqq. item p. 269. 270. Coci officium in culina supplent pag. 249. c. 1. Afflictos solantur p. 246. In extrema necessitate alimenta ministrant p. 255. c. 2. Sacerdotibus primas deferunt pag. 230. c. 1. Missæ sacrificio ministrant pag. 189. 249. 438. Communicantibus adsunt, eósque describunt, p. 188. 189. Indignè communicantem interficerent, nisi Deus prohiberet pag. 438. c. 2. Eucharistiam ministrant, pag. 230. c. 1. Item extremam unctionem moribundo pag. 270. col. 2. De MARIA sua Regina gloriantur p. 211. c. 1. Formula quâ se illi devovent *ibidem.* Audito ejus nomine justis appropinquant, *ibid.* Coronam B. Virginis attentè recitantibus valde afficiuntur, *ibid.* In difficultatibus opitu-

lantur pag. 193. & seq. Colloquijs spiritualibus interfunt pag. 261. col. 2. Nonnullis canunt p. 193. 197. 200. S. Ambrosio concionanti adstant p. 192. c. 2. In specie mendicorum eleemosynam petere visi p. 260. Item in specie columbæ p. 200. c. 1. In tentationibus invocandi p. 198. c. 1. Omnes hominis sensus recreant pag. 194. c. 2. Asyli jura tuentur p. 193. c. 1. Quomodo loquantur p. 258. c. 2. Prædestinationem nonnullis revelant p. 227. col. 1. A sceleribus dehortantur pag. 271 c. 1. Iustorum morientium animas excipiunt p. 199 & seqq. Oratorium morientis adolescentis floribus conspergunt p. 201. c. 1. In judicio eos, qui monita sua spreverunt, accusant p. 208. c. 1. Animas purgatorij solantur p. 105. Novem Angelorum choros colendi varij modi pag. 277. & seqq. Quomodo ad novem Angelorum choros ire solita sit Magdalena de Paz. p. 22. c. 1. Quomodo salutandi, p. 223. c. 1. p. 225. Centum quotidie Angelos à Deo creari fingit R. Moyses p. 226. c. 1. Hæretici quidam cur *Angelici* dicti p. 779. c. 2.

*Angelus Custos.*

Angeli Custodis præsentia semper habenda p. 228. & seq. Præsentiæ ejusmodi utilitas, *ibid.* Angeli custodis aspectu semper fruita S Francisca pag. 228. c. 2. Ejus venustas p. 233. c. 1. Nomen cuidam *Benignus montis Dei*, p. 177. c. 1. Est loco Matris p. 23. c. 2. Nutricis vices agit p. 217. c. 1. à somno excitat, p. 181. & 183. rudes instruit p. 241. c. 2. solitarios visitat pag. 220. c. 2. grata illi frequens confessio, pag. 187. c. 1. ad eam hortatur p. 158. 188. admonet quendã de confessione perperam facta p. 186. c. 2. constitutos in gratia, prope; peccatis verò inquinatos, eminus & cum lacrymis comitatur, p. 186. c. 2. peccatis abigitur p. 187. Missæ sacrificio ministrat p. 189. in dubijs consulit p. 193. c. 1. S. Marcellinum senem ambulantem sustentat p. 202. c. 1. disputanti ex Philosophia responsa in aurem suggerit, *ibid.* artem mechanicam docet *ibid.* familiaria colloquia cum sibi devoto miscet pag. 203 c. 1. delinquentem alapâ percutit p. 206. c. 2. & p. 208. versus pangit p. 253. c. 1.

Angeli Custodis imago remedium adversus incendia p. 216. c. 2, Item adversus malos genios pag. 217. col. 1. Ejus officium quotidie recitare quàm utile p. 222. c. 1.

Angeli Custodes ob fidam hominum custodiam à Deo coronari visi p. 215. col. 1. gratiæ Deo agendæ ob Angelum Custodem nobis datum exemplo S. Augustini *ibid.* etiam aliorum custodes Angeli honorandi p. 272. & seq.

*Anima.*

Anima, omnium, quæ penes hominem sunt, diviniſſimum pag. 200. c. 1. hominis anima arbor p. 60. col. 1.

Animæ beatæ pulchritudo in quo consistat, p. 58. c. 2. Animam suam imaginem SS. Trinitatis esse videt S. Teresia p. 50. c. 2. Anima S. Ælredi in specie hominis lucidissimi, cum nubecula parvula cuidam ostensa p. 197. Anima destituta à Deo, cadaver p. 724. c. 2.

*Annulus.*

Christum plenum annulis videt S. Catharina Senens. p. 76. c. 1. annulus pronubus eidé à B. V. datus p. 299. c. 1

An-

*Anser.*

Anseres furem, qui imaginem pueri IESU sustulerat, produnt p. 315. c. 1.

*SS. Apostoli.*

S. Petrus Apostolus cum multis alijs Sanctis adest S. Arnulpho Episcopo morienti, p. 618. c. 1.

Item SS. Petrus & Paulus puero cuidam Saxoni recens converso pag. 496. col. 1.

Item SS. Petrus & Ioannes Apostoli morienti S. Ioanni Chrysost. pag. 496. col. 1.

*Aqua.*

Aqua Asbamæa periuris noxia, fidelibus salutaris p. 405. c. 2.

Aqua Narsan initio Maij è cœlo cadens à Deo benedicta p. 408. c. 2.

*Aqua lustralis.*

Dæmones fugat p. 173. c. 2. aquâ lustrali exercitus ante conflictum aspersus à Leone VI. Papa p. 173. c. 2.

*Arbor.*

Anima hominis, Arbori similis pag. 60. c. 1. homines arbores mortis; Deus arbor vitæ p. 66. c. 1. qui fructus utriusque *ibid.* Lauretanæ domui transeunti arbores sese inclinant p. 318. c. 1. Arbor Solis & Lunæ manè dat oracula; vesperi lacrymatur. p. 296. c. 1. Marcianus Imperator dictus arbor gratijs plena p. 512. c. 1. Arbor prodigiosa in loco, ubi Christus sanguinem sudavit p. 566. c. 1. Arbor mirabilis SS. Trinitatis index p. 719. c. 1.

*Armilla.*

Ad auream armillam sibi oblatam sponte manum extendit IESULI Lauretani imago p. 330. c. 1.

*Asylum.*

Asyli jus Angeli tuentur p. 193. c. 1.

*S. Augustinus.*

S. Augustini os, fistula aquæ vivæ; vena fontis æterni pag. 7. c. 2. Cordi ejus corda è ferro conflata admoveri olim solita p. 722. Idem S. Augustini cor crystallo inclusum movetur ad præsentiam dictorum vel scriptorum SS. Trinitatis, *ibid.*

*Avis.*

Aves caveæ inclusæ animarum Purgatorij symbolum p. 114. c. 1.

*Aura.*

Aura Deorum pretiosissimum vehiculum p. 470. c. 2.

*Aurum.*

Aurum arte confectum p. 428. Rex Monomotapæ dictus Imperator auri, p. 327. c. 1. Virtute præditos aurum in pectore circumferre dicebat Plato, pag. 432. col. 1.

## B.

*Balneum.*

In balneo gemmis pleno post sanctã Communionem se esse videt S. Franciscа p. 718. c. 1.

*Balsamum.*

Lacrymæ in balsamum conversæ pag. 305. c. 2. Balsamum è puero IESU in devotas animas stillare visum à S. Mechtilde p. 358. c. 1.

*Baltheus.*

Baltheo eleemosynæ loco pauperi dato Crucifixi imago se præcingit, pag. 546. c. 1

*S. Bartholomæus.*

S. Bartholomæo Apost. devotus Petrus Lusitan. Rex ab eodem à mortuis excitatur ad confessionem integrandam, p. 157. c. 2.

*Beatitudo.*

Beatitudinis partes quatuordecim, pag. 373. c. 2.

*Bellum.*

Bellum quomodo aggrediendum, pag. 35. c. 1.

*Beneficium.*

Beneficia in libello notanda p. 408. c. 2. Beneficijs Dei dextrè utendum pag. 385. c. 2.

*Bibere.*

Modicum citra sitim bibens quidam, in purgatorio ob id cruciatur, pag. 124. c. 1. Alius vinum non dilutum cum gustu inordinatè bibens, similiter cruciatur, p. 123. c. 2. è fluvio Cydno qui bibunt beati ac divites fiunt, pag. 488. col. 2.

*Bibliotheca. Biblia.*

Bibliotheca, medica animorum officina, p. 534. c. 1. ob affectum inordinatum erga librum Bibliorum Religiosus quidam Laicus damnatur, p. 705. colum. 2.

*Bos.*

Bos Deum confitetur, p. 82. col. 1.

Bos aureus Elisæo nascente mugit, pag. 306. col. 1.

Bos in pauperum convivium emptus sponte suâ die præstituto emptori se sistit, p. 327. c. 1.

*Botrus. Uva.*

Uva Parnassia, cur botrus quotidianus dicta, p. 403. c. 1.

*Brachmanæ.*

Brachmanæ Deum suum oleo ungunt, & denigrant, p. 405. c. 1.

## C.

*Cæcitas.*

Cæcitatem simulans, verâ cæcitate percutitur, p. 6. c. 1. Aspides ptyades afflatu suo cæcitatem homini inducunt, p. 411. c. 2.

*Cælum.*

Cælum pro domo Gertrudi ab Oesten p. 386. c. 2. Cælum patria nostra p. 446. c. 1. Cælestis gloriæ unica gutta omnes damnatorum rogos extingueret, 532. c. 2.

*Cæmeterium.*

Cæmeterium ager Dei, p. 132. c. 2. Cæmeterium quodpiam in Hibernia, nulla femina, nec gallina adire potest, p. 548. c. 1.

*Cæna.*

Cæna perfecta apud Persas, quæ dicta, p. 403. c. 2. Cænæ Præfectus apud Byzantios Anticensor dictus, pag. 434. c. 1. In cæna Calvinistica canis ater visus porrigi communicantibus, p. 428.

*Calamus.*

Aristoteles scripturus, calamum in mente tingebat. *In dedicat. An. SS. Trinit. init.*

*Calvaria.*

Calvaria à quibusdam in mensa statuitur, p. 161. c. 1.

*Campana.*

Campana Brixiensis diebus Bacchanalium cur pulsetur, p. 99. c. 2.

Campana feralis Ramiri, *ibid.*

Campanæ in sepulchro Regis Porsenæ vento concussæ concentum edebant pag. 100. c. 2.

Campanæ cladis prænunciæ, p. 100. c. 2. & 101. c. 1. Item mortis p. 161. col. 1.

S. Fursæo funus pueri deducenti Angelus campanam dat, pag. 260. colum. 1.

*Cancer.*

Cancri ſtomachus in capite prope verticem, p. 540. c. 2. Jejunio renovatur, *ibid.*

*Candela.*

Candela ardens mortis prænuncia, p. 161. c. 1.

*Canis.*

Canum erga Dominos ſuos pietas, pag. 116. c. 1.

*Cantus.*

Cantibus obſcænis dæmon delectatur, eósque ipſemet componit ac divulgat, p. 709. c. 1.

*Capilli.*

Capillos ſub veſperas Sabbathinas attonſos dæmon numerat, p. 657.

*Caro.*

Ab eſu carnium die Sabbathi abſtinentis præmium, p. 624. c. 1.

*Caſtitas.*

Caſtimoniæ pulchrum exemplum in Henrico ab Helffenſtein, p. 528. & ſeq. Item in Momia, p. 530. c. 2. Caſtitatis præmia poſt mortem, p. 711. & 712.

*Catena.*

Catena flammea è cœlo prodire viſa S. Franciſcæ, pag. 591. c. 2.

*S. Catharina V. M.*

S. Catharina Virgo & Martyr ex occaſione viſæ imaginis B. Virginis MARIÆ IESULUM portantis, à gentilitate converſa, p. 317. c. 1.

*S. Catharina Senenſis.*

Obſtinatos in peccatis ad pœnitentiam reducit, p. 156. & ſeq.

*Cera. Cereus.*

Cerâ benedictâ dæmon fugatur, pag. 174. c. 1.

Cereum miri fulgoris morienti S. Lidwinæ Chriſtus in manus porrigit, p. 178. c. 2.

Cereus prodigioſus Atrebati à B. Virgine delatus, à quo Sodalitas *Ardentium* inſtituta, p. 642. & ſeq.

*Cervus.*

Cervorum medullis educatus Achilles cervos pernicitate pedum æquabat, p. 493. c. 1.

*Charitas.*

S. Franciſco de Paula ſcutum ab Angelo oſtenſum cum inſcriptione *Charitas*, p. 274. c. 1. Qui in vita exercuerunt opera charitatis citiùs è purgatorio liberantur, p. 482. c. 2.

*Chirographum.*

Chirographum debiti in lance appoſitum Carolo Quarto à Cive Pragenſi, p. 407. c. 2.

*Chriſtus.*

Chriſtus quare amandus, pag. 530. & ſeq. Ejus cor præ amoris vehementia quadruplo vehementiùs micabat, quàm aliorum hominum, p. 384. c. 1. Ejus manus pulcherrimæ, oſtenſæ S. Teresiæ, p. 470. c. 2. in carne quaſi ſub cryſtallo apparet, p. 301. c. 1. in triplici ſpecie viſus à Magdalena de Paz: pag. 387. c. 2. Venit in mundum facere ſibi fratres, p. 393. c. 1: Ejus Humanitas inſtrumentum & Pſalteriũ quo Deo canit, *ibidem.* Eſt connexio Patris & noſtri, *ibid.* c. 2. Cythara Dei Patris p. 295. c. 1. Radius Dei Patris, pag. 307. c. 2. Templum Patris, p. 374. c. 1. Sagitta Dei Patris, p. 397. c. 2. Currus igneus divinæ charitatis p. 363. c. 1. Novum canticum, p. 387. c. 2. Nobilis pecunia, p. 445. c. 2. Liber magnus, p. 32. c. 1. Ejus Nativitas piorum corda demulcet, pag. 300 c. 2. Sæpiùs circa illum lux à B. V. & S. Joſepho viſa, p. 416. c. 2. propter indigen-

gentiam proximi deferendus, pag. 301. c. 2. In specie Iuvenis Solis instar fulgidus, & spineâ coronâ redimitus apparet S. Pachomio, pag. 543. col. 2. S. Mechtildis ab omnibus Sanctis accusatæ advocatum agit, p. 597. Christus patiens speculum animæ nostræ p. 577. c. 2. Magdalenæ de Paz: coronam spineam imponit, p. 13. c. 1. In Christi Humanitatem majora, quàm in omnes creaturas dona effusa, pag. 11. c. 2. Ejus Divinitatem pro auro SSS. Trinitati offert die Epiphaniæ S. Gertrudis *ibidem.*

Vide plura de Christo sub titulo: JESULUS.

*Christiani.*

Christiani olim dicti Religiosi crucis, pag. 570. c. 1.

*Cibus.*

Cibos carnales per 40. dies nauseat Arnulphus, præ delicijs spiritualibus, p. 377. c. 2.

Cibi in angues versi, p. 512. c. 2.

*Cilicium.*

Cilicij usus quibus familiaris, p. 562 & seqq. p. 575. c. 2. p. 603. c. 1. quatuor ciliciola Luciano, ejúsque sorori à S. Hieronymo missa, p. 414. c. 2.

*Cineres.*

Sacros cineres die Cinerum S. Lydvinæ dat Angelus, p. 184. c. 2. Cineres parentum in capite suo sepelit puer Indus, 570. c. 1. fine.

*Citharædus.*

Citharædus varios affectus ciens, p. 309. c. 1 alius surdus licet effectus, artem tamen citharizandi non amittit, *ibidem* c. 2.

*Civitas.*

Civitas animabus defunctorum dicata, ab ijsdem defenditur, pag. 140. col. 1.

Civitas Mensæ alicubi dicta, p. 424. c. 1. Civitas quædam à S. Ladislao farinâ expugnata. p. 492. c. 2.

*Clypeus.*

In clypeis Turcarum nomina expugnandarum Urbium inscripta, p. 491. col. 2.

*Cogitatio.*

Cogitatio minima de divinis cuicunque de creatis cognitioni præfertur, p. 534. c. 1. Cogitationes inefficaces paralyticæ dictæ, p. 559. c. 2. Cogitationum diei primitias dæmon præripere conatur, p. 183. c. 1. Cogitationes obscænæ invocatione SSS. TRINITATIS repellendæ, p. 48. c. 2. Item invocatione B. V. M. p. 49. c. 1. ijs non immorandum, p. 125. c. 1.

*Cognitio.*

Cognitio Dei orationi præmittenda, p. 63 c. 1. Cognitio sui, & cognitio Christi cœlitùs data B. Jacopono, pag. 349. c. 1.

*Colloquia.*

Hominis maximum bonum de virtute loqui, p. 361. c. 1. Colloquijs pijs Deus & Angeli delectantur. p. 47. ijsdem intersunt Angeli, pag. 261. c. 2. quanti æstimentur à Christo, pag. 367. & seq. Colloquijs otiosis Christus fugatur, p. 322. c. 1. Colloquia tempori accommodata apud Persas, pag. 448. c. 2.

*Columba.*

Spiritus S. in specie columbæ evolat ex ore cujusdam peccatoris, p. 51. c. 2. fides cujusdam hæretici in specie sordidæ columbæ ostensa, *ibidem.* animæ purgatorij in specie columbarum visæ, pag.

pag. 114. c. 1. Item Angeli. p. 200. c. 1. nec non Sancti, p. 44. c. 1. Columba purpurea infinitarum columbarum dux, p. 519. Columba SS. Eucharistiam in os S. Edmundi infert, pag. 718. c. 1.

*Columna.*

Ex alta columna ascetæ cuidam Angelus scelera totius mundi, & infernum ostendit, p. 184. c. 1. Tres columnæ fulgore & mensurâ pares visæ à Dominico Abbate, p. 721. c. 1.

*Comestio.*

Extra consveta tempora non comedendum, p. 124, c. 2.

*S. Communio.*

Quolibet die Iovis communicare, quàm utile, p. 497. c 1. Omnibus Dominicis communicare svadet S. Augustinus, p. 82. c. 1. Communio frequens certa salutis tessera, p. 464. c. 2. Ob raram Communionem igne purgatorio quidam torquetur, pag. 93. c. 2. Communione menstruâ animæ purgatorij juvantur, p. 94. c. 1. p. 465. Devotè communicantibus adstant Angeli, eósque describunt, pag. 188. & seqq. Indignè communicantem occiderent, nisi Deus prohiberet, pag. 438 col. 2. Cum pura conscientia communicantes in articulo mortis, ob reverentiam SS. Sacramenti rectà in cœlum deducunt, p. 159. c. 2. Negligentibus sacram Communionem ingressus in cœlum retardatur, p. 160. c. 1. Devotè communicanti Sancti omnes gratulantur, p. 442. c. 1. Item B. V. caput inclinat, p. 455. c. 2. Communicantium nomina libro cœlesti inscribi visa, negligentium sacram Communionem deleri, p. 488. c. 2. Cum sacra communione è vita decedentes singulari pulchritudine fulgent, pag. 496. c. 2. Quanta præparatio ad eam a nonnullis præmissa, p. 485. & seq. Nunquam sufficiens haberi potest, p 490. c. 2. Eam à Christo edocetur Agatha à Cruce, p. 414. c. 2. Communio sacra est vestis nuptialis p. 160. c. 1. Communicantium magis vel minùs dignè facies diversimodè affectæ visæ, p. 273. c. 2. & pag. 415. c. 2 Sacerdoti in peccato celebranti sub communionem sacra Hostia cum sanguine evanescit, p. 426. c. 1. Communionem Paschalem ob inimicitias obire negligens damnatur, p. 430 c. 2. Devotè communicantium solatia quanta, pag. 308 & seqq. Sensibus inter communicandum destitui solita B. Beatrix, p. 412. c. 2. S. Ida radios ex oculis vibrabat, *ibidem.* B. Silvanus Christi Domini instar transfiguratus, ita ut facies ejus resplenderet sicut Sol; vestimenta alberent sicut nix, p. 415. c. 1.

In S. Communione omnia misericordiæ opera erga Christum exercentur pag. 498. & seq. Fratrem sinè communione defunctum resuscitat Ebrulphus, & sacro viatico reficit, p. 497 c. 1

Communio spiritualis commendatur, p. 313. p. 466 c. 2. ejus effectus, p. 114. c. 2. ducenties per diem iterata à B. Agatha de cruce, p. 467. c. 2.

Plura de S. Communione vide, sub Titulo: *Eucharistia.*

*Concio. Concionator.*

Concionum pretium, & fructus, pag. 237. & seq. item pag. 350. Athenienses quomodo populum ad conciones cogebant, pag. 549 Concionum neglectarum pœna, p. 548. & seq. Concionis

ionis exordium quale præmittebat B. Antonius, p. 350. c. 1. Concionanti Riberæ humeris Christus incumbere visus, p. 333. c. 2. S. Ambrosio concionanti Angelus astat, pag. 192. c. 2. F. Cherubino morienti 66. millia animarum per conciones ab eo conversarum apparent, p. 463. c. 1. Concionatoris superbi horribilis catastrophe, p. 249. c. 2. Item vani, p. 710.

*Concordia.*

Concordia unitatis, quæ est in SSS. Trinitate, discipula, p. 81. c. 1.

*Confessio.*

Confessio pœnarum compendium, p. 406. c. 2. cum sincero dolore & proposito emendationis facienda, p. 696. frequens, dæmonibus summè noxia pag. 679. c. 1. p. 187. c. 1. qualiter eam impedire nitantur, p. 158. c. 1. & pag. 186. c. 1. Angelo Custodi grata, pag. 187. c. 1. peccata in ea ne reticeantur, monent Angeli, p. 158. Item monent de ijs, quæ per oblivionem suppressa, aut obiter perstricta sunt, p. 186. c. 2. Confessionis seriæ, devotæ, frequentis exempla, p. 158. 159. 581. procrastinatæ & sacrilegæ pœna, pag. 659. 680. 704. Confiteri verecundantium Patronus S. Ægidius, p. 158. c. 1. Post Confessionem Spiritus S. in specie columbæ ad quendam redire visus, p. 51. c. 2. S. Joseph clientem suum in extremo morbo ad confessionem hortatur p. 158. c. 1. Confessarius idoneus eligendus, p. 684. c. 2. *Confiteor* sub Sacro devotè recitantem frequens Angelorum chorus circumdat, p. 192. c. 1. Confessio ita instituenda, quasi esset ultima, p. 423. c. 1. Confessionis generalis beneficio æger sanitatem recuperat, p. 589. c. 2.

*Confirmatio.*

Sacramento Confirmationis initiati, olim totos septem dies festos habebant, p. 483. c. 2.

*Conjuges.*

Conjugis sui res præclarè gestas mundum suum muliebrem esse dicebat Phocionis uxor, p. 437. c. 1. Conjugalis amoris rarum exemplum, p. 588. col. 2.

*Conscientia.*

Conscientia bona juge Sabbatum, pag. 626. c. 1.

*Consilium.*

Consilia in dubijs, & maximè de statu vitæ deligendo à IESU petenda, p. 367.

*Constantia.*

Constantia in bene cœptis à Christo flagitanda, p. 356. c. 2. Vide plura in verbo *Perseverantia.*

*Contritio.*

Contritionis pulchrum exemplum, p. 108. c. 1. Ejusdem vis & pretium, pag. 505. & seqq.

*Conversio.*

Conversio S. Neaniæ, conversioni S. Pauli quàm simillima, p. 559. c. 1. Pro animarum conversione orandum, p. 68. col. 2. Conversio peccatorum Angelorum gaudium, p. 206. c. 2. Obstinatus quidam precibus cujusdam conversus, p. 69. c. 2. Ex aspectu SS. Eucharistiæ ad ægrum deportatæ famosa meretrix conversa, p. 504. c. 1.

*Convivium.*

Missæ sacrificium animabus purgatorij convivium, p. 190. c. 1. Item suffragia vivorum, earundem fercula, pag. 94. c. 1. Convivium pauperibus instructum, pag. 82. c. 1. pag. 326. c. 2.

Con-

Convivium apud veteres charistia dictum, cui soli cognati & affines intererant, pag. 430. c. 1. Sybaritæ uno ante convivium anno hospites invitabant, p. 440. c. 1. In quodam convivio beatos epulantes, & damnatos esurientes videt S. Golinducha, pag. 513. col. 1.

*Coquus.*

Coqui Religiosi pius fervor, p. 616. col. 2.

*Cor.*

Tres rivulos à SSS. Trinitate procedentes, cor B. V. MARIÆ penetrare videt S. Gertrudis, p. 15. c. 2. Cor purum gratijs divinis aptissimum, pag. 19. c. 2. Tres flammulæ in unam coalescentes post mortem in corde Francisci Foliani inventæ, p. 47. c. 2. Deus cordis petra S. Davidi, p. 82. c. 2. Cor pudicum SS. Eucharistiæ casa, pag. 82. c. 1. Cor Dei opera nostra bona sibi intrahit, p 77. c. 2. In corde S. Claræ de monte Falco omnia passionis instrumenta post mortem reperta, p. 12. c. 2. Cor Christi ob charitatis æstum quadruplo vehementiùs micabat, quàm cor nostrum, p. 384. c. 2. Ejusdem cor dulcissimum SSS. Trinitatis organum, p. 725. c. 1. Cor S. Augustini crystallo inclusum ad nomen vel scripta de SSS. Trinitate movetur, pag. 722. Cor suum Christo Sponso pro dote dat S. Catharina Raconisia, pag 298. c. 2. Cor præ teneritudine erga parvulum JESUM scissum B. Jacopono, pag. 337. c. 2. Item præ amoris in Deum vehementia cuidam Virgini, pag. 382. c. 1. Cor foculo superpositum cœli imago apud Ægyptios, p. 415. c. 2. Cor P. Joannis Brebeuf à divina manu oleo perungitur, p. 476. c. 1. Tria corda Christo hospiti in lance apponit B. Joanna, p. 497. c. 2. Cor in vino epotum, p. 473. c. 1. Cor aridum, p. 300. c. 1. Cor humanum in æternis non fixum, nunquam stabile, pag. 726. c. 1. Cor invidi ab Angelo evulsum, pag. 229. c. 2.

*Corona.*

Coronam spineam Christus Magdalenæ de Pazzis imponit, pag. 13. c. 1. Coronæ B. Virginis in cœlo, p. 61. c. 1. Coronam stellarum duodecim orandi modus, p. 16. c. 1. Corona SSS. Trinitatis, p. 82. c. 2. Corona patienti præparatur, p. 193. c. 2. Corona pretiosa S. Guilielmo ab Angelis fabricata, *ibidem.* Coronis filigineis sese coronabat Aurelius Imperator, pag. 445. col. 2.

*Corpus.*

Corpori magna misericordia impenditur dum mortificatur, pag. 687. c. 1. Nimius corporis ornatus in fœminis divinitùs punitur, p. 686.

*Correptio.*

Ante correptionem linguam suam in sanguine Crucifixi tingebat S. Gertrudis, p. 573. c. 2.

*Corvi.*

Dæmones in specie corvorum cujusdam morientis cubiculum occupant; eóque peccata confitente avolant, pag. 681. & seqq.

*SS. Cosmas & Damianus.*

SS. Cosmas & Damianus ægro longiorem vitam impetrant, p 227. c. 2.

*Crater.*

Crater cœlestis Ludovico duodecimo Galliarum Regi pro symbolo cum lemmate; *inter eclipses exorior*, p. 411.

col. 2. Crater Philotesij apud Græcos amicitiæ pignus, p. 403. c. 2. Crater ingenij apud Trismegistum, pag. 447. col. 2.

*Crux. Crucifixus.*

Crux Christi quàm suavis, pag. 358. col. 2. eam assiduè portare Christo gratissimum, p. 601. c. 2. portatu dura absque Crucifixo. p. 359. c. 1. maximo honori nonnullis, pag. 361. c. 1. Cruci Christi confixi, p. 339. c. 2. Signum crucis dæmon expavescit, p. 171 c. 2. in omnibus cruce signari debemus p. 172. in exitu è domo non se signantem Angelus reprehendit, p. 233. c. 1. Crucis signum mala omnia fugat, pag. 198. c. 2. Crucis signo ante somnum signare se negligens à dæmonibus infestatur, p. 252. c. 1. P. Balthasar Alvarez, cùm se cruce signaret, sentiebat à tribus divinis Personis se benedici, p. 501. c. 2. Crucis encomia, pag. 172. 532. 534. Crux spiritualis militiæ signum, pag. 531. c. 1. Crucem suam Christus in corde S. Claræ de monte Falco plantat, p. 535. c. 2. Crux Christi mundi ara, p. 541. c. 2. Crucis amor in Catharina Senensi, p. 543. c. 1. Crux artificiosa è cœlo missa S. Landradæ in signum amoris, pag. 591. c. 1. Item crucula e filo serico pendula pro amoris mnemosyno data Agneti de monte Politiano à B. Virgine, p. 365. c. 2. Crux aurea & gemmea ab Angelis fabricata, p. 204. c. 1. Crux aurea de collo pendula vitæ servatæ occasio Joanni Corvino, pap. 534. col. 2. Crux dicta *Risus* apud Ægyptios p. 556 c. 1. Crux loco Sceptri Rudolpho I. Austriaco, p. 579. c. 2. Crucem cubiculum ingrediens & egrediens venetatur Abbas Attala, p. 535. c. 2. Crux in cœlo visa omen victoriæ Constantino, p. 526. c. 1. Item Alphonso Lusitan. Regi, pag. 544. c. 2. Milites ad pugnam animat, p. 577. c. 2. Cruces variæ in cœlo, stellis, planetis, iride, arboribus, &c, visæ, à pag. 601. usque ad pag. 610. Crucem demoliri tentantes barbari de cœlo sternuntur, p. 544. c. 1. Crux in Regno Congo 80. palmorum erecta de cœlo illustrata, pag. 545. c. 1. Sanctæ Crucis Reliquijs tempestas maris sedata, pag. 545. c. 1. Crux thaumaturga Constantinop. pag. 543. c. 2. Item Ragusiana, pag. 544. c. 1. Crux S. Ignatij sudans, p. 542. in fine; nec non S. Francisci Xaverij, p. 539. Idem Xaverij Crucifixus tempestates maris sedat, p. 553. c. 2. Crucifixi imago contra dæmones in agone clypeus, p. 171. Item dæmonum præstigias dissipat, p. 555. c. 2. Tentationes fugat, p. 531. & seq. In crucifixi amplexu expirantes, p. 565. & seq. Crucifixus bibliotheca, pag. 534. c. 1. Crucifixus concionator, pag. 592. c. 1. In perplexis rebus consultor, p. 586. & seq. Aures obturat, p. 546. c. 1. p. 548. c. 2. p. 558. c. 2. Lachrymatur, p. 556. c. 2. Explicatis à cruce brachijs docet Catharinam Ricciam, pag. 561. c. 2. S. Hedwigi inter precandum benedicit, p. 599. c. 2. S. Gertrudem sagittat, p. 561. c. 2. Fulgurat, p. 476. c. 2. Torvis oculis contemptorem suum aspicit, p. 580. c. 1. Oculos versùs Japoniam aperit, p. 594 c. 1. Promissi matrimonij testem agit p. 577. c. 1. Nullius peccato mortali fœdati amplexum admittit, p. 581. c. 2. Panem parvulo porrigit, p. 591. c. 2.

Inter

Inter cervi cornua visus, pag. 558. c. 1. Cœlesti luce illuminatur, p. 599. c. 2. In quali forma visus Magdalenæ de Pazzis, p. 569. c. 1. Monialem apostatare non sinit, p. 555. c. 1. Crucifixum cuti suæ inurit S. Radegundis, p. 562. c. 2. Eundem præ mundo muliebri eligit puella trimula, p. 571. c. 1. Eundem infans in cunis jacens contemplatur, fitque loquax, p. 583. c. 2. Imaginem crucifixi devotè aspicere, quàm Christo gratum, p. 560. c. 1.

Crucifixo filium & domum totam commendat S. Michelina, pag. 590. & seq. Crucifixo meditando devota domus inter tempestates cœlesti luce perfusa, p. 579. c. 2. Crucifixum sanguineum pendente è dextra speculo, circino è sinistra pro insigni habuit S. Rodesindus, p. 597. c. 2. Crucifixum ex auro fabricans aurifaber de auro suo nonnihil apponit, nec sinè operæ pretio, p. 582. c. 2. Crucibus signatus lapis neminem impium juxta se transire sinit, pag. 558. c. 1.

## D.

*Dæmon.*

Dæon triceps SSS. Trinitatem mentitur, p. 32. c. 1. In specie Monachi in gigantem excrescentis, fratrem ægrum tentat, p. 46. c. 1. Sub schemate simiæ Advocato iniquo famulatur, p. 216. c. 2. Centimanus & centipes visus S. Brigittæ, p. 577. c. 1. Ejus imbecillitas, *ibidem*. Ejus conatibus obsistendum, p. 531. c. 2. Nunquam nominandus, p. 269. c. 1. Eum sæpe nominans improvisâ morte punitur, p. 684. Dæmon coram tribunali Dei homines accusat, pag. 208. c. 2. Dæmonum multa millia Sanctos quosdam oppugnant, p. 227. c. 2. In specie muscarum orantibus obvolitant, pag. 252. c. 1. In specie porcorum vaniloquijs intersunt, p. 262. c. 1. Dæmon præcursor unde dictus, p. 183. c. 1. Item somnium, *ibidem*, c. 2. Alius dictus *Heu!* p. 720. c. 1. Ab ipsâ nativitate hominis animam aucupatur, pag. 196. c. 2. Confessionem impedire conatur, p. 186. 188. Item orationes pro defunctis, p. 146. Familia quædam Bungi à centum annis à dæmonibus infestata, p. 46. c. 1. Aquam piacularem & signum crucis horret, pag. 720. c. 1.

*S. David.*

S. David conclave penes altare Domini habuit, pag. 322. c. 2. Cuidam pauperculo sub dio in platea morienti apparet, p 177. c. 1.

*Debita.*

Ob debita etiam minima non exsoluta quidam graviter in purgatorio torquetur, p. 139 c. 2.

*Defuncti.*

Pro defunctis quotidie & constanter orandum, p. 143. 144. 145 265. 700. Ejusmodi orationis præmia, pag. 100. 111. 113. 266 690. 691. Negligenter pro defunctis orantium pœnæ, pag. 101. 102. 104 695. Erga fideles defunctos pij, pag. 107. 112. 113. 120. 700. Defuncti orationibus convalescunt, p. 104. c. 2. Item eleemosynis, p. 134. 135. 694. Sacrificio Missæ, p. 89. 480. 698. Afflictatione corporis, & jejunijs, p. 697. 698. Patientiâ, p. 699. Consvetudo noctu pro defunctis orandi, p. 99. c. 1. Defunctis

opera bona applicata, p. 138. c. 1. Defunctis potiùs opitulandum, quàm vivis, p. 135. Sunt grati erga suos benefactores, p. 131. 132. 143. 144. 473. 690. 701. Invocati multa impetrant, p. 142. c. 2. Non nimium deplorandi, p. 136. Die Dominico nonnihil respirant, p. 2. c. 2. E purgatorio liberantur, p. 136. c. 1. Defuncti vades, p. 90. c. 2. Orationes pro defunctis dæmones impedire conantur, pag. 146. Fœmina defuncta dum inter sepeliendum preces pro ea fiunt, manus elevat, p. 479. c. 2.

Vide plura verbo: *Purgatorium.*

*Deliberatio.*

Deliberatio de statu vitæ eligendo coram & cum Deo instituenda, p. 367. & 368.

*Delicia.*

Deliciæ spirituales nauseam ciborum carnalium pariunt, pag. 377. c. 2. Delicijs spiritualibus abundantes, pag. 43. c. 1. 79. c. 2. 83. c. 2. 501. c. 2. Deliciæ Dei, & in Deo inexplicabiles, pag. 39. c. 1.

*Desiderium.*

Ob remissius desiderium videndi Deum, purgatorij pœnis puniti, p. 693. & seq.

*Desolatio.*

In desolatione quid agendum, pag. 299. 532. & seq.

*DEUS.*

Deus in symbolo circuli magni visus S. Franciscæ, p. 717. c. 1. Deus anima mundi, p. 81. c. 2. Dei in animam venientis liberalitas, p. 441. c. 2. Nihil magnum, nihil jucundum, nihil gratum præter solum Deum, p. 572. c. 2. Animæ se cum Deo copulantis satietas, pag. 65. c. 1. 467. c. 2. Misericordiâ maximè colitur, p. 446. c. 1. Etiam pro exiguis nos coronat, pag. 333. c. 2. Attributa Dei quomodo salutaverit S. Augustinus, p. 27. c. 2. Deus principium, medium, & finis rerum omnium, pag. 77. c. 1. Æternitas Dei substantia, *ibidem.* Deus nos tenet ne peccemus, p. 72. c. 2. Dei nomen orationis argumentum seni centenario, p. 80. c. 2. Dei præsentia in omnibus actionibus habenda, p. 362. Exercitium præsentiæ Dei à peccatis præservat, pag. 30. c. 1. Quidam Arabs capiti suo plenum Majestatis oculum, aurem, manum imminere sibi imaginabatur, p. 28. c. 2. In Deo velut in adamante videntur omnia quæ facimus, p. 50. c. 2. Dei nominis reverentia, p. 81. c. 2. Deum triplici honore colebant Pythagorici, p. 32. c. 1. Dei in servos suos providentia. pag. 255. c. 2. Deo ab anima recedente, ipsa anima fit funus, p. 724. Deo ardenter serviendum, p. 714. c. 2.

Vide plura de Deo, Verbo, SSS. Trinitas.

*Diadema.*

P. Balthasar Alvarez sub Missa in diademate splendido visus, p. 274. c. 1.

*Dies.*

Sex mundi dies, totidem ætatibus comparati, p. 527. c. 2. Dies unus viri docti præstat totâ vitâ indocti, pag. 540. c. 2. Dies Deo dicandus instar templi, in quo 24. horæ sint veluti totidem altaria, p. 60. c. 2.

*Dies Dominica.* Regina & princeps omnium dierum, p. 653. c. 2. Dies panis, p. 2. c. 1. Verus dies, pag. 3. c. 1. Die Dominicâ animæ purgatorij respirant

rant, p. 2. c. 2. E purgatorio liberantur, p. 136. c. 1. Diebus Dominicis communicandum, p. 82. c. 1.

*Dies Lunæ.* Dies Lunæ mons pietatis animabus purgatorij, p. 88. Die lunæ ignis gehennæ creatus, p. 89. c. 1.

*Dies Iovis.* Dies secretorum nuncupatus. Dies indulgentiæ. Natalis Eucharistiæ. Dies perfectæ cœnæ. Dies crateris Philotesij. Dies Phœnicis. Dies mensæ heroum, p. 403. Quovis die Jovis communicandum, p. 497. c. 1. Item quolibet die Iovis pauperum pedes à nonnullis loti, p. 402. c. 1.

*Dies Veneris.* Peculiari erga Christum patientem devotione transigendus, pag. 537. & seq. Die Veneris eadem quâ Christus mortuus est horâ Hierosolyma expugnata à Godefrido Bullionio, p. 539. c. 1. Quovis die Veneris 13. pauperes mensæ admovet Carolus Flandriæ Comes, p. 539. Quovis die Veneris confessum fuisse præcipuè ad salutem profuit marito S. Brigittæ, p. 580. c. 2. Die veneris devotio pro bona morte instituta in templo Domûs Professæ Societatis Jesu Romæ, p. 540. c. 1. Eodem die per totum annum campanæ pulsantur in Sicilia in memoriam mortis Christi, *ibidem*, col. 2. S. Laurentius quolibet die Veneris unam animam è purgatorio liberat, p. 115. c. 1. Ob lotum die Veneris caput purgatorij pœnas sustinet quædam Virgo, p. 123. c. 2. P. Bernard. Realinus die Veneris toto corpore scintillat, p. 539. c. 2.

*Dies Sabbathi.* Vide *Sabbathum.*

*Difficultas.*

Difficultates omnes ex aspectu & consideratione Jesu superantur, p. 363 & seq. In difficultatibus Angelus Custos consulendus, p. 192. 193.

*Dilectio proximi.*

Dilectio proximi statera divini amoris, pag. 102. c. 1. Vide plura verbo: *Amor*, & verbo: *Zelus.*

*Disciplina. Castigatio.*

Reos castigandos admonet imago Crucifixi, p. 549 c. 2.

*Discordia.*

Discordiæ authores dæmones, pag. 274. c. 1. Discordiâ inter Religiosos sedatâ ululant, p. 727 c. 2.

*Distractio.*

Distractio in oratione quàm noxia p. 217. c. 2. Distractiones in Missa dæmoni gratæ, p. 190. c. 2. Vide plura verbo: *Oratio.*

*Divitiæ.*

Divitiæ improbis impedimenta, bonis adjumenta virtutis, pag. 148. c. 1. Divitijs carere quibusdam salutare, p. 324. c. 1.

*Doctus. Doctrina. Documenta.*

Dies unus viri docti præstat totâ vitâ indocti, pag. 540. c. 2. Quinque pulchra documenta ab anima beata cuidam data, p. 268. c. 2. & p. 269. c. 1.

*Dolor.*

Dolores Iustorum pignus cœlestis æternitatis, p. 165 c. 2. Dolores in delicijs S. Mariæ Oegniacensi, p. 166. c. 1. Vide plura verbo: *Pati.*

*S. Dominicus.*

S. Dominicus in Deo semper defixos oculos habuit, p. 203. c. 2.

*Domus.*

Domus aurea in cœlo ædificari visa eleemosynarijs, p. 639. c. 2.

*Donum.*

Dona mutua inter Christum & S. Abundantiam, p. 343. c. 1.

# E.

*Ebrietas.*

Ebrium diabolus aggreditur, p. 204. col. 2.

*Ecclesia.*

Ecclesia primitiva, Angelica Respublica, p. 188. c. 2.

Ecclesia in nomine SS. Trinitatis præsentia & futura diaboli incendia extinguit, p. 713.

*Eleemosyna.*

Eleemosyna thesauros parat, & invenire facit, p. 583. c. 2. Domos aureas in cœlo ædificat, p. 639. c. 2. Animabus purgatorij prodest, pag. 134. 135. 694. Alij ejus fructus & præmia, p. 325. 326. 572. Eleemosynis mirè deditus Carolus Flandriæ Comes, pag. 539. c. 2. Eleemosynam alicubi qui petunt, specula objiciunt, p. 546. c. 1. Christus eleemosynæ instar nobis à Deo datus, p. 325. c. 1. Eleemosynas pauperibus datas in sese transfert, pag. 546. Eleemosynam puero JESU qui impertierint, p. 327. c. 2. Tumbam suam eleemosynis bis quotidie implet S. Ida, p. 446. c. 2. Moriens omnes suas opes pauperibus distribui jubet S. Udalricus, p. 572. c. 2. Collectæ in usum pauperum à primis Christianis quolibet mense factæ, p. 471. c. 1. Eleemosynæ negatæ pœna, p. 546. c. 1.

*Equites.*

Equites à Carduo quales, pag. 468. c. 1. Item Equites à Spica, pag. 475. col. 2.

*Evangelium.*

Evangeliorum codex splendere visus, p. 177. c. 2. Fædas cogitationes sedat, *ibidem.* Sigismundus Imperator Evangelium die Natalis Domini in Missa canit Constantiæ, p. 394. c. 2.

*Eucharistia.*

Eucharistiæ excellentia super reliqua Sacramenta, p. 440. c. 1. In Eucharistia Deus Pater mensa, Filius cibus, Spiritus S. ministrans, p. 9. c. 2. Eucharistia panis Trinitatis, p. 7. c. 2. Incarnatæ Deitatis vitale pulmentum, p. 446. c. 2. Lingua ignis, p. 450. c. 1. Cæna lucis, p. 460. c. 1. Pharus cordium, p. 494. c. 1. instar carbonis ardere visa, p. 493. c. 1. instar sphæræ igneæ, p. 499. c. 2. benignitatis Dei thesaurus, p. 459. c. 2. animæ vis & nervus, p. 411. adversus tentationes & vitia remedium, p. 411. 419. ignis amoris pro hominibus, & ignis justitiæ pro dæmonibus, p. 419. c. 1. balneum gemmeum, p. 718. c. 2. Pomum Virginis à dæmone appellata, p. 430. c. 1. Quanta illi debeatur reverentia, p. 439 mundo corde sumenda, pag. 421. c. 1. quotidie, aut sæpius in hebdomada sumpta, pag. 420. 447. 449. 455. 460. Sæpe visitanda, p. 314 c 2. instar sachari & mellis in ore quorundam dulcescit, p. 448. 461. in os Imeldæ ex altari devolat, p. 450 c. 2. Sumentem in Christum transformat, pag. 419. 453. 455. 456. terram in cœlum convertit, p. 489. c. 1. imaginem regiam in nobis florere facit, p. 421. c. 1. animos tranquillat, p 460. frigidos accendit, p. 420. c. 1. instar ceræ ad ignem applicatæ pectus S. Gertrudis emollit, p. 8. c. 2. sensus expurgat, pag. 412. c. 2. muto loquelam, claudo gressum restituit, p. 449. c. 1. alios item morbos relevat, p. 477. & seqq. Concionatores illuminat, p. 462. & seq. alios item illumi-

luminat, alios obscurat, pag. 490. c. 1. Militibus pugnaturis robur addit, pag. 492. hostes fugat, p. 491. c. 1. Dæmonibus terribilis, pag 411. 419. 494. præstigias dispellit, p. 459. & seq.

Alij ejus effectus, pag. 495. c. 1. in morte solatium, p. 479. c. 1. in ea SS. Trinitas in specie trium ramorum ex uno trunco prodeuntium visa, p. 9. c. 1. Eucharistiam in ramos item pulcherrimos extendi videt S. Gertrudis, p. 11. c. 1. in eadem radium Solis cum columba videt S. Catharina Senensis, pag. 9. c. 2. Eucharistia instar candidæ matiæ nivis visa à S. Francisca, pag. 407. c. 1. item in specie agnelli, pag. 494. c. 1. pellicani, p. 489. c. 2. in varia forma Scalabisci, p. 424. c. 1. sanguinem stillat, p. 468. c. 2. in varias item Christi effigies transformata, pag. 308. usque ad pag. 312. p. 314. 560. In ea Christus in specie parvuli à varijs visus, pag. 307. usque ad pag. 314. p. 324. 347. 382. in specie quâ ostensus fuit à Pilato populo, pag. 425. c. 1. ab ipsomet Christo quibusdam porrecta, pag. 189. specialiter martyrio coronandis, p. 423. c. 2. duobus viatoribus, pag. 318. c. 2. Item ab Angelis, p. 230. c. 1. à columba, p. 718. c. 1. à jumentis adorata, p. 504. c. 2. ab apibus in alveare delata, p. 314. Maximiliano I. in præcipitio constituto monstrata, p. 460. c. 2. in ea duos oculos videt B. Angela, pag. 469. c. 2. in ejus desiderio suaviter extinguitur S. Juliana, pag. 467. c. 1. ad elevationem sacræ hostiæ cadaver B. Didaci in loculo movetur, p. 465. c. 1. item cadaver S. Mauritij oculos aperit, p. 465. c. 2. quomodo à S. Augustino moriente salutata, p. 496. c. 2. ad ægros deportatam comitari soliti viri Principes, p. 503. & seq. ex ejus sic deportatæ aspectu famosa meretrix conversa, p. 504. c. 1. In Eucharistia caro Christi dici potest caro MARIÆ, pag. 632. & seq. Eam, ubi asservaretur, nullo indicio cognoscebat B. Franciscus Borgia, p. 487. c. 1. Ob Eucharistiam domi asservatam copiosa benedictio, p. 324. c. 2. Oratiuncula: *Laudetur SS. Sacramentum*, Goanis usitatissima, p. 497. c. 2. pro data nobis Eucharistia quomodo gratiæ agendæ, pag. 8. c. 1. Eucharistiâ solâ pasti, p. 2. c. 2. p. 416. c. 1. In Eucharistiam injurij graviter puniti, p. 451. c. 1. p. 504. c. 2. Eucharistiam indignè tractanti fœminæ puer JESUS totus saucius apparet, pag. 392. c. 1. in ore sacrilegi nigrescit, p. 404. c. 1. eandem adulter, dum in Missa elevatur, nigram conspicit, p. 425 alij duo adulteri inter communicandum toti nigri visi, *ibid.* c. 2. falsa Anabaptistarum Eucharistia in bufonem versa, p. 406. c. 1.

*Examen Conscientiæ.*

Examen conscientiæ quàm utile, p. 209. c. 2. Sæpius in die usurpatum, p. 349. c. 1. ad quinque Christi vulnera, velut ad totidem puncta illud rediendi modus, p. 596. Examinis particularis utilitas, p. 280 quomodo illo utendum, p. 72. & seq. ejus materiam B. Virgo præscribit Catharinæ Ricciæ p. 385. c. 2 ejusdem beneficio filere didicit F. Juniperus, p. 71. c. 2.

*Exemplum.*

Exempli vis, p. 524. etiam surdos & mutos trahit, p. 661. c. 2. Sanctorum exemplis abundare primum vitæ spiritualis principium, p. 527. c. 1.

*Extre-*

*Extrema Unctio.*

Extrema Unctio ægris non negligenda, p. 167. c. 2. Ejus effectus, *ibid.* & p. 168. eam negligens quidam centum annis in purgatorio torquetur, pag. 168. c. 1. ab ipso Christo S. Lidvinæ collata, p. 178. c. 2.

## F.

*Fames.*

Herba Scitica in ore gestata famem & sitim arcet, p. 487. c. 1.

*Farina.*

S. Ladislaus Rex Ungariæ urbem quampiam farinâ expugnat, p. 492. c. 2

*Festum.*

Festa theatrum memoriæ beneficiorum Dei p. 482. c. 2. renovant juventutem spiritûs, p. 483. c. 1. festi violatio dæmoni accepta, pag. 657. festum SS. Corporis Christi religiosè non colentes Christum vulnerant, p. 483. c. 1 festum apud Persas dictum, *Malorum extinctio*, p. 405. c. 2. festum apud Carthaginenses, *Albi citatio.* p. 441. c. 1.

*Ficus.*

Ficui domesticæ ficus sylvestris adjungi solita, p. 557 c. 1.

*Fides.*

Fides cordis nostri primogenita, pag. 469 c. 1. Lumen fidei inebriat animam S. Catharinæ Senensis, p. 33. c. 1. in fide à dæmone tentatorum constantia, p. 13. c. 2. p 31. c. 2.

*Flagellum. Flagellatio.*

Flagellum Philippo Tertio à Patre testamento relictum, p. 562. c. 1. Philippus Tertius dū se flagellaret purpuram substernebat, pag. 415. c 1. S. Dominicus ter singulis noctibus se flagellat, p. 139. c. 2. Otto Imperator manibus Sacerdotum flagellari se curat p. 117. c. 1. Flagellis in se acriter desævit fæmina à mortuis rediviva, pag. 547. Religiosus in disciplinis seu flagellatione negligens, in purgatorio flagellatur, p. 137. c. 1. Ex sonitu disciplinarum in cœlo suavissimus sonus auditur, p. 697. c. 2. Flagellis quartana discussa, p. 414. c. 2. Flagellis ad sapientiam eruditi veteres Philosophi, *ibidem.* Item Spartani ad fortitudinem, p. 585. c. 1. Persæ gratias agunt Regi, à quo jussi sunt flagellari, p. 585. c. 1. Item Turcæ, *ibid.*

*Flos.*

Flores hibernos à Christo accipit eidémque redonat S. Abundantia, p. 343 c. 1. De succo Solsequij si quis quotidie cyathum bibat, omnibus morbis carebit, p. 496. c. 1. E sacra Christi Spina Samnij quotannis die Parasceves flos enascitur, p. 587. c. 2.

*Fluvius.*

E fluvio Cydno qui bibunt beati fiunt ac divites, p. 488. c. 2.

*Fons.*

Fons rotundus è candidissimo alabastro post communionem à S. Francisca visus, p. 493. c. 2. Fons Jovis extinctas faces accendit, p. 43. c. 1.

*Formicæ.*

Formicæ ad tabernaculum SS. Sacramenti emortuæ, p. 408. c. 1. Plura de ijsdem vide pag. 400. & 401.

*S. Franciscus Seraphicus.*

In S. Francisco Deo summè acceptus amor, & imitatio passionis Dominicæ, p. 13. c. 2. Ejus affectus erga Crucifixum quantus, p. 571. c. 1. A sexaginta millibus dæmonum oppugnatur,

tur. p. 227. c. 1. Aspectu suo draconem fugat, pag. 529. col. 2. Præsepe Christi instruit, p. 396. c. 2. Inter concionandum duobus gladijs fulgentibus per modum crucis signatus videtur, p. 549. c. 2. Item crux aurea ex ejus ore prodire visa, cujus summitas cœlos tangebat, p. 529. c. 2. Die Sabbathi obit, p. 647. Ejus anima in specie stellæ nube candidâ subvectæ cœlum petit, *ibidem.*

*Fulgur.*

Militem è monasterio extrahere volentes milites alij, fulguribus ex imagine Crucifixi prodeuntibus absterrentur, pag. 576. c. 2.

*Funis.*

Fune minio tincto populum ad concionem agebant Athenienses, p. 549. c. 2.

G.

*S. Gabriel.*

S. Gabrielis nomen invocatum contra hostes præsidio, pag. 213. c. 2. S. Gabriel cultoribus suis in morte adest, pag. 214. c. 1. Item Neo Mystæ primam Missam facienti, *ibidem.* Ei specialiter addictus P. Balthasar Alvarez, p. 273.

*Garrulitas.*

In templo non garriendum, p. 595. c. 2. Ob garrulitatem in choro Monialis graviter in purgatorio punitur, p. 110. c. 1. Item ob jocos & facetias Duranus Archiepiscopus Tolosanus, p. 123. c. 1.

*Gehenna.*

Gehennæ ignis feriâ secundâ creatus, p. 89. c. 1.

*Gemma.*

Tres gemmmæ è templi fornice Sacerdoti sacrificanti ad altare decidunt, p. 35. c. 1. Gemma insignis claritatis ad cor gestata, p. 199. c. 2. Gemma Pantarba gemmas alias trahit, p. 463. c. 1. Gemma Diacostidis ori cadaveris imposita vim omnem perdit, p. 498. col. 1.

*Gladius.*

Quinque rutilantes gladij in cœlo visi ab incolis Regni Congo, pag. 545. c. 1. S Franciscus inter concionandum duobus gladijs per modum crucis signatus videtur, p. 549. c. 2.

*Gloria.*

Gloria hominum ala, & vehiculum, p. 296. c. 2.

*Gloria Patri.*

Versum *Gloria Patri* devotè orantibus Jesus & Maria benedicunt, p. 14. c. 1. & p. 59. c. 1. Illum cum Christo orat Catharina Senensis, pag. 52. S. Franciscus Seraphicus ad singula Dei beneficia *Gloria Patri* pronunciat, pag. 53. c. 1. Religiosus ad *Gloria Patri* se non inclinans graviter in purgatorio punitur, p. 52. Alius præcipitanter nec integrè illud pronuntians similiter punitur, *ibidem.* V. Bedæ ultima vox: *Gloria Patri*, pag. 53. c. 1. In eodem versu omnis sacræ Scripturæ scientia inclusa, p. 53. c. 1.

*Gratia Dei.*

Gratiâ Dei scire uti, quantum prosit, p. 526. c. 1. Gratia habitualis stellæ matutinæ comparatur, p. 295. c. 1.

*Gratitudo. Gratiarum actio.*

Voce *Deo gratias* nihil melius, pag. 493. A Beatissima Virgine Maria

principium ducit, *ibidem.* Centies, & sæpiùs in die repetita à P. Didaco Martinez, p. 53. c. 2. Exercitium gratiarum actionis, *ibidem.* & p. 54. p. 725. c. 1. Frequens gratiarum actio commendata à Divo Chrysostomo, p. 615. c. 1. Pro donis in humanitatem Christi collatis gratiæ agendæ, pag. 11. nec non pro SS. Eucharistia, p. 8. c. 1. In gratiarum actionem ob liberatam beneficio Deiparæ Hierosolymam, officium ejusdem à Clericis quotidie, à reliquis quovis Sabbatho recitari solitum, pag. 614. Gratitudinis exemplum in Aristotele & alijs, p. 223. c. 1.

## H.

*Hasta.*

Hastâ crinem discriminabat quædam Sponsa Romana, p. 589. c. 1.

*Haustus.*

Haustum frigidæ parvulo Jesu porrigit Jacoba Aquilana, p. 327. c. 2.

*Herba.*

Herba Scitica dicta in ore gestata famem & sitim depellit, p. 487. c. 1.

*Homo.*

Hominem è duobus compactum carnificibus dicebat Claridemus, p. 564. c. 1. Homo aureus repertus, p. 291. Homo flos SSS. Trinitatis, p. 15. c. 1.

*Honor.*

Honorum fuga in B. Gaufredo, pag. 65. c. 2.

*Hora. Horologium.*

Tres horæ SSS. Trinitati dicatæ *in dedicat: Anni SSS. Trinitatis.* Lupinus cum Sole circumactus horas agricolis monstrat etiam in nubilo, p. 427. c. 2. Horologij descriptiones, p. 295. c. 1. Horologium artificiosum Venetijs pag. 297. c. 2.

*Hospitalitas.*

Hospitalitas Angelis grata, p. 235. c. 1. Erga peregrinos maximè exercenda, p. 234. c. 2.

*Humilitas.*

Humilitas in cor Dei Patris ascendit, pag. 5. c. 2. Humilis vertice cœlum tangit, p. 4. c. 2. & p. 248. c. 1. Humilitas parvulo Jesu gratissima, p. 393. & seq. dæmones fugat, p. 248. c. 1,

*Hypocrisis.*

Hypocrisis Pseudo-Episcopi Ariani divinitùs punita, p. 5. c. 2.

## I.

*S. Iacobus Apostolus.*

S. Jacobi patrocinio Episcopus Compostellanus è purgatorio liberatur, pag. 115. c. 1.

*Ianua.*

In Januis olim inscriptio: *nihil ingrediatur mali,* p. 405. c. 1.

*Iejunium.*

Jejunij laudes, & effectus, p. 204. & seq. Jejunij observantes, p. 205. 712. decem annis à terreno cibo abstinens Eremita, *ibidem.* Jejunio animæ purgatorij juvantur, pag. 116. 137. 697. Nostra jejunia earum convivia, p. 137. col. 2.

*IESUS. IESULUS.*

Infantia Jesu implorata peccatoribus salutaris, p. 304. c. 2. Puer Iesus instar Solis exoriens visus B. Iacopono, p. 294. c. 1. P. Balthas. Alvarez sub oratione matutina plenis ulnis dona ferens apparet, p. 296. c. 1. Alteri item Religioso oranti septem globis igneis coro-

coronatus, p. 336. c. 1. In manibus sacrificantis coronâ aureâ, oemmis stelliferis radiante redimitus, p. 307. c. 2. totus lucidus, p. 398. Item in S. Hostia specie parvuli, p. 297. 307. 308. & seq. Edmundo puero colludit, pag. 329. c. 1. Cubiculum S. Catharinæ Senensis frequenter invisit, p. 322. c. 1. cum Hermanno puero manducat, pag. 324. c. 2. in sinum S. Franciscæ convolat, pag. 345. c. 2. à Lucia Narniensi quinquenni è templo domum asportatur, p. 353. Aldegundi se desponsat, p. 386. c. 2. nec non Catharinæ Raconisiæ, pag. 298. c. 2. ab eadem stipem poscit, & vicissim impertit, p. 323. c. 1 haustu frigidæ recreatur, pag. 327. c. 2. calefieri poscit, p. 300. c. 1. p. 344. c. 1 velo cooperitur, p. 327. c. 2. P. Bernard. Realinum frigore rigentem calefacit, p. 366. c. 2. in ejusdem lecto cubat, p. 296. c. 2. item in lectulo B. Rithæ, p. 328. c. 1. S. Elzeario in lectulo quiescenti benedicit, *ibidem.* P. Alphonso Barzanæ cubanti se sistit. *ibidem.* à somno excitat sacras Virgines, p. 294. c. 1. in oratoriolo includitur à Moniali, p. 328. c. 2. in pectus Antonij Martini sagittas habitu Cupidinis jaculatur, p. 397. c. 2. ob hominum peccata lacrymatur, p. 324. c. 1. lacrymas devotæ Virginis colligit, iisque pectusculum suum ceu balsamo perungit, p. 305. c. 2. pomum aureum S. Abundantiæ donat, p. 343. c. 1. Henrico Susoni in Bacchanalibus jejunanti canit, p. 364. c. 2. poculum eidem sitienti porrigit, p. 366. c. 1. tentatis subvenit, p. 331. & seq. triennis apparet cuidam Virgini, p. 342. c. 2 S. Paulæ aliâ atque aliâ facie & statura pro diversitate festorum, p. 396. c. 2. in majori statura ei, à quo obedientiæ causa parvulus relictus fuerat, p. 301. c. 2. in fasce acutarum spinarum cuidam, pag. 366. c. 2. Crucem ferens itineranti Raymundo de Prado, pag. 318. c. 1. à nonnullis inter prandendum conspicitur, p. 376. à Vincentio Carrafa nocte Nativitatis gestatur, p. 397. c. 1. super librum S. Antonij de Padua stat, p. 317. c. 2. duos ex itinere reduces S. Eucharistiâ reficit, p. 218. c. 2. Monialem epilepticam Natali suo die sanat, pag. 357. c. 1. Item alios, *ibidem.* & pag. 369. c. 2.

*S. Ignatius de Lojola.*

S. Ignatio Spiritus Sanctus in specie ignis, ut olim Apostolis, apparet, pag. 718. c. 2. S. Ignatius sanitatem ægro impetrat, p. 590. c. 1. Crucifixus S. Ignatij sudare solitus, p. 542 *fine.*

*Ignoscere inimicis.*

Inimicis ignoscere soliti, p. 429. c. 1. p. 595. ignoscere nolentium horribiles pœnæ, p. 429. c. 2. p. 430. c. 1. p. 431 c. 1. p. 595. c. 2. p. 681. c. 2. p. 705.

*Imago.*

Imagines Majorum ad virtutem accendunt, p. 524. c. 1. p. 588. c. 1. Imaginem S. Pauli semper præ oculis habebat S. Chrysostomus, pag. 554. c. 1. Imaginem Apollinis ad cor gestabat Sylla, eámq; imminente aliquo discrimine exosculabatur, p. 545. c. 2. Julius Cæsar quinque Deos in tabella depictos gestabat, p. 554. Scipio Magnus, septem, *ibidem.* Imagines B. V. gestari solitæ à Dominicanis, pag. 648. c. 1. Item à Sebastiano Lusitaniæ Rege, p. 651. c. 2. Imago Polemonis à libidine quendam retraxit, p. 554. c. 2.

Imago pueri Jesu crescere visa, p. 384. c. 1. eam ad lectum qui habuerint, pag. 328. c. 1. multos ad fervorem accendit, p. 315. & seq. Imaginem Crucifixi devote aspicere quàm meritorium, p. 560. c. 1. Imaginem B. V. ad omnes portas appendi curat S. Carolus Borromæus, p. 174. c. 2. Ex aspectu imaginis B. V. S. Catharina Virgo & Martyr conversa, p. 317. Imago B. V. sub Missa in Helenæ Ungaricæ manus ex altari devolat, *ibidem*. Imago B. V. Constantinopolit. ante diem Sabbati vesperi divinitùs aperitur, p. 672. c. 2. ab imagine B. V. alapam accipit Monialis apostatare volens, pag. 555. c. 2. Imago B. V. ab Angelis deportata, pag. 253. c. 2. Unguenta scaturit p. 175. in clypeo gestata, *ibidem*. curru triumphali vecta, *ibidem*. In Marianæ imaginis osculo & amplexu mortui. p. 174. 175. 176. Imago septem SS. Angelorum inventa Panormi, pag. 216. c. 2. Imago Angeli Custodis ab incendio prædium servat, p. 216. malos genios propulsat, p. 217. c. 1.

*Imitatio.*

Aliorum heroica facta imitanda, p. 520. c. 2.

*Impatientia.*

Ob levem impatientiam S. Franciscæ Angelus sese abscondit. p. 197. c. 1

*Impetratio.*

Impetrandi quidpiam à Christo modus facilis per MARIAM, p. 343.

*Inconstantia.*

Pumex colorem in die sæpius mutans symbolum inconstantiæ, pag. 299. c. 2. Inconstantia in bono proposito punita, pag. 650. c. 2.

*Incredulitas.*

Pauci credunt, quanto rigore peccata castiget Deus, p. 125. c. 1. Infernum credere nolens post mortem ex inferno cuidam apparet, p. 709. & seq.

*Indulgentiæ. Jubilæum.*

Indulgentiæ æstimandæ, p. 304. c. 2. Animabus purgatorij prosunt, p. 133. 134. Item moribundis, p. 164. 165. 618. Anno Jubilæi 1300. omnes animæ è purgatorio liberatæ, p. 172. c. 2.

*Infamia.*

Infamia pro Christo toleranda, pag. 577. c. 1.

*Infans.*

Infans loquax, pag. 210. 367. 585. 672. Infans mediator, pag. 308. 320. Infans per muros circumlatus, Urbem inexpugnabilem reddit, pag. 331. c. 1. Infans aspectu suo hostes fugat, p. 304. c. 1. in cunis ex arbore suspensus milites ad pugnam animat, pag. 331. c. 2. Infanti dona missa, p. 332. c. 1. Infans Sciaca dictus apud Sinas quid significet, p. 298. c. 1.

*Infernus.*

Infernus die Lunæ creatus, pag. 89. c. 1. S. Franciscæ ab Angelo exhibitus, p. 184. c. 1. Infernum esse serò credit quidam, p. 709. & seq.

*Infirmitas. Infirmi.*

Infirmitates cum gaudio à nonnullis susceptæ, p. 586. In infirmitate Christi cruciatus meditandi, p. 585. & seq. Infirmæ B. Angelæ de Fulginio Christus ministrat, p. 153. c. 1. Infirmis ministrantium exempla, p. 567. & seq. Præmium ejusmodi ministerij, *ibidem*. Infirmos visitare solitus Imperator Tyberius, p. 151. c. 1 Infirmi pauperes præ divitibus visitandi, p. 269. c. 2.

*Injuria.*

Injurias remittere est colaphum dæmoni impingere, p. 272. c. 1. Injuriarum condonatio juvat ad animas è purgatorio liberandas, p. 126. & seq.

*Inobedientia.*

Inobedientia Religioso quantopere vitanda, p. 287. c. 2.

*Intentio.*

Intentionis puritas, p. 333. p. 511. Opus sinè intentione cadaveri simile, p. 76. c. 2. Opera cum recta intentione facta in cor suum Christus intrahit, p. 57. c. 1.

*Inspirationes divinæ.*

Inspirationibus divinis parendum, p. 266. 267. 558. Inspirationes divinas non ut par est faciens in purgatorio punitur, p. 109. c. 2.

*Invidia.*

Invidi cor ab Angelo evulsum, pag. 229. c. 2.

*S. Ioannes Apostolus.*

S. Joannes Apostolus S. Gregorium Thaumaturgum mysterium SSS. Trinitatis edocet, p. 33. c. 1. Pro Ferdinando Lusitaniæ Rege Deiparam deprecatur, p 651. c. 1. Clientem sibi devotum è purgatorio liberat, p. 115. c. 2.

*S. Ioseph.*

S Joseph adversus somniorum illusiones invocandus, p. 183. c. 2. Cultorem suum ad confessionem in morbo excitat, p. 158 c. 1. In via errantem latronum discrimini eripit, p. 318. c. 1. Dæmones fugat, p. 417. Amissa reperire facit, *ibidem.* Ægros sanat, *ibid.* Orandi artem docet, *ibid.* Animos turbatos tranquillat, *ibid.* Plura de eodem vide p. 418.

*Ira.*

Iræ definitio, pag. 335. c. 2.

*Iter.*

Iter quomodo instituendum, p. 233. c. 1. In itinere Jesus duodennis amissus contemplandus, p. 318. Itineris comes puer Jesus, *ibid.* Oratio Bellarmini ante susceptum iter, pag 432. c. 1. In itinere cuidam centum Ave Maria oranti rosæ ex ore prodire visæ, eundem à latronum insidijs præservant, p. 319. c. 1.

*S. Iudas Thadæus.*

Cum S. Thadæi lypsanis S. Bernardus semper vixit, & cum ijsdem tumulari voluit, p. 176. c. 1.

*Iudicium temerarium.*

Iudicium temerarium quantopere cavendum, pag. 582. c. 1. p. 685. c. 2. Ejusdem pœnæ, p. 241. c. 1. Item vitati præmium, p. 712. c. 1.

*Iuramentum.*

Modus jurandi Turcarũ, p. 427. c. 1.

*Iustitia.*

Justitiæ vindicativæ rarum exemplum, p. 426. c. 1.

*Iuventus.*

Juventutis institutio Persis magnæ curæ, p. 451. c. 1.

## L.

*Labor.*

Labores Dei causâ suscepti pretiosi, p. 141. c. 1. p. 354. c. 1. p. 510. c. 2.

Laboris pro Deo susceptí solatia, p. 250. Semel strenuè laborâsse plus prodest quàm millies remisse, p. 524. c. 2.

*Lac.*

Lacte Virgineo à Nativitate Christi usque

usque ad Purificationem abundat Gertrudis ab Oesten, p. 386. c. 2. Item S. Lidvina nocte Nativitatis Domini, p. 390. c. 1. Laca pecoribus expressum Sabbato, totum in pauperes distribui solitum à quadam familia, p. 639. col. 2.

*Lachrymæ.*

Lachrymæ piorum ad cœlum deferuntur, p. 129. c. 1. à Christo manibus exceptæ in balsamum vertuntur p. 305. c. 2. in vermes conversæ, p. 597. c. 2. in fontem aquarum, p. 408. c. 2. sunt diluvium peccati, *ibidem col.* 1. supplicium ignis, *ibidem.* lachrymæ amicorum nimiæ defunctis obsunt, pag. 371. c. 2. lachrymarum dono præstantes, p. 305. c. 2. Christus ob peccata hominum lacrymatur, pag. 303. c. 1. pag. 324. c. 1. lachrymis arborum alvearia inungenda propter bestias, p. 408. c. 1.

*Lætitia.*

Lætitia spiritualis potissima ratio vincendi dæmonem, p. 28. c. 2.

*Lampas, Lucerna, Laterna.*

Lampades sponte reaccensæ, p. 535. Lampas honori B. V. accensa in aquis inextincta perdurat, p. 623. c. 1. Lucerna manè & vesperi apud Iudæos accendi solita, pag. 295. c. 1. Piscis quidam laterna maris dictus, p. 518. c. 1.

*Lapis.*

Lapis triophthalmos symbolum SSS. Trinitatis, p. 28 c. 2. tres lapilli S. Agneti de monte Politiano à B. V. dati, pag. 60. c. 2. tres item lapides pretiosi S. Idæ dati quid denotent, p. 76. c. 1. Lapillus in vesica fellis Rayneri à Burgo repertus imaginem parvuli Iesu repræsentat, p. 335. c. 1. Lapillos 24. Iesu nomine insignitos è puteo extrahit Religiosus Cisterciensis, pag. 350. c. 1. Lapis in Polonia crucibus signatus nullum impium pone se transire patitur, p 558 c. 1. Lapis apud Sinas effossus, confessionem veri Dei insculptam monstrat, p. 32. c. 2. Lapis in agro repertus Crucifixi imaginem repræsentat, p. 477. c. 2. Lapis Panthera omnes colores Sole oriente refert, p. 295. c. 2. Lapis arurophylax thesaurorum custos, p. 200. c. 1.

*Latro.*

Latro bonus apparet unà cum Christo crucifixo S. Porphyrio, eúmque exosculatus ad Christum adducit, p. 584. c. 1. Latro Sabbato jejunans honori B. V. ab eadem post mortem honoratur, p. 625. Latro conversus, cùm ex ore viatoris Ave MARIA recitantis rosas prodire videt, p. 319. c. 2.

*S. Laurentius.*

S. Laurentius quâvis feriâ sextâ unam animam è purgatorio liberat, pag. 115. c. 1.

*Lectulus.*

Christus Dominus in lectulo B. Rithæ cubat, p. 328. c. 1. P. Bernardini Realini, pag. 296. c. 2. Imaginem pueri Iesu semper ad lectum habere solitus P. Alphonsus Barzana, p. 328. c. 1. Lectuli ornatissimi in cœlo pro Sanctis præparati, p. 252. c. 2.

*Lectio. Libri.*

Lectio spiritualis ab Angelis commendata, p. 257 c. 2. In legendis libris assidui, *ibidem.* Libri sacri cœlum apertum, *ibid.* quàm attentè legendi, p. 350. c. 1. Librum tribus foliis constantem, nigro, rubro, & candido, quomodo quotidie legerit quidam Anachoreta, p. 73. c. 2. Liber B. Veronicæ

nicæ aureo calamo ab Angelo dato conscriptus, p. 258. c. 2. Librum duobus speculis constantem à Christo apertum videt Maria Oegn. p. 351. c. 1. Librum vivis literis conscriptum in cœlo videt S. Birgitta, p. 720. c. 2. Item S. Teresia visa in cœlo cum libro aureis literis conscripto, pag. 713. c. 2. Libellus Thomæ de Kempis divini responsi loco, p. 368. c. 1. Liber gesta antiquorum Patrum continens aureus visus, p. 533. c. 2. Libellus supplex infanti Theodosio superimpositus quam efficax ad persvadendum, p. 308. c. 2.

*Leprosus.*

Christus in specie leprosi in festo locatus, rosas post se relinquit, pag. 546. col. 2.

*Liberalitas.*

Liberalitas erga Christum crucifixum mirificè remunerata, pag. 582. & seqq.

*Lignum aridum.*

Lignum aridum in festo Nativit. Domini virere solitum, p. 397. c. 1.

*Lingua. Loquela.*

Antequam loquamur, quid faciendum, p. 574. c. 1. Linguæ custodia quanta adhibenda, p. 412. c. 2. Lingua loco citharæ, pag. 510. c. 1. per Eucharistiæ sumptionem fit aureus gladius, p. 412. c. 2. In S. Basilij concionantis os lingua ignea intrare visa, pag. 448. c. 2. Spiritus S. in linguis igneis apparet S. Ignatio, p. 718. c. 2. B. Virgo Sacerdoti sibi devoto linguam ab hæreticis abscissam prodigiosè restituit, p. 631. c. 1. Defensores SSS. Trinitatis etiam abscissis linguis loquuntur, p. 724. c. 1. Lingua Græca cœlitùs infusa Angelo Franciscano, p. 374. c. 1. Linguæ Persicæ addiscendæ summum studium in Themistocle, pag. 452. c. 2. Linguæ detrahentis pœna, 682. & seq.

*Lotio pedum.*

Quâvis feriâ quintâ pauperum pedes lavare solitus S. Andreas Corsinus, pag. 402. c. 1.

*Lux.*

Lux cœlestis circa Christum sæpius visa à B. V. & S. Josepho, p. 416. c. 2. P. Bernard. Realinus feriâ sextâ toto corpore scintillare solitus, p. 539. c. 2.

*Luxuria.*

Ob luxuriam pauci ex adultis salvantur, p 530. c. 1. ob eam damnati, p. 708. c. 1. p. 710. c. 2. ob eandem lascivus Iuvenis à dæmone strangulatur, p. 689. c. 2. p. 707. quidam luxuriosus orari pro se vetat, p. 69. c. 2. alius cœlesti musicâ nil movetur, pag. 386. c. 2. alius linguâ abscisâ locutus, ob lapsum in luxuriam dono miraculi privatur, p. 724. c. 1. Motiva ad cavendam luxuriam ex S. Cyrillo, pag. 690. c. 1.

## M.

*Magistratus.*

Magistratus & Urbium gubernatores divini homines vocati à Platone, pag. 526. c. 2.

*Majestas.*

Majestas Trajani juncta comitati Romanis valde accepta, p. 463. c. 1.

*Manè.*

Manè quid faciendum, p. 61. 183.

*Mansvetudo.*

Mansvetudo erga subditos exercenda, pag. 335. & seq. Mansvetudinis præmia, p. 391. 392. Christus mansvetâ allo-

allocutione sacrilegam fæminam convertit, pag. 392. c. 1.

*Manus.*

Christus manus suas pulcherrimas exhibet S. Teresiæ, pag. 470. c. 2. B. Virgo manum suam osculandam præbet B. Abundo, p. 344. c. 2. Manus SS. Trinitatis symbolum, p. 71. c. 1. Manus dextræ hostibus abscissæ ab antiquis Lusitanis Dijs oblatæ, pag. 559. col. 2.

*S. MARIA.*

Varij MARIÆ tituli, p. 15. c. 1. MARIA est imago SS. Trinitatis, p. 18. c. 2. MARIÆ & SS. Trinitatis una voluntas, p. 19. c. 1. MARIÆ cor tres rivuli à tribus divinis personis procedentes, penetrant, p. 15. c. 2. In similitudine candidi lilij trifolij visa, pag. 18. col. 1. Item tota crystallina, p. 380. c. 1. in pulchra veste & corona stellea apparet B. Catharinæ Raconis. pag. 298. c. 2. Die Sabbati nata, p. 626. Ejus Nativitas quantâ cœlitum lætitiâ celebrata, p. 626. & seq. IESU Sponsa, p. 341. c. 1. Ara cœli dicta à Sybilla Tiburtina, p. 353. c. 2. Quales affectus habuerit in partu suo erga Filium, p. 345. c. 1. Ejus erga animas hominum amor, p 457. c. 2. Hungariæ Patrona, p. 619. c. 1. Parvulum Filium in sinu Fastredi Abbatis deponit, p. 345. c. 2. in sinu Coletæ Virg. p. 339. c. 1. B. Felicis Cappuc. p. 340. c. 1. Item in lecto ægri B. Bonifacij, p. 357. c. 2. in lecto Bernard. Realini, pag. 296. c. 2. S. Bernardum ægrotantem cum SS. Laurentio & Benedicto invisit, & curat, p. 621. c. 2. Item alios, *ibidem*. Ægræ cuidam Indæ cibos in os imponit, p. 622. c. 1. Febribus æstuantem Alexand. Bertium floribus aspergit, & aurâ recenti recreat, p. 585. c. 2. Ægro à medicis depositò sanitatem restituit, p 589. c. 2. 244. c. 1. Sacerdoti Sabbato Sacrum facienti linguam ab hæreticis abscissam restituit, pag. 631. c. 1. Flagitioso coram imagine sua Salutationem Angelicam orare solito veniam delictorum impetrat, p. 638. c. 2. Sutorem ob accensam honori suo Sabbato lampadem, tempestate grassante, morti præsenti eripit, p. 622. Adolescentem sibi devotum à lapsu carnis Sabbato præservat, p. 640. Alium item adornantem lampadem Sabbato, à lapsu de scalis, p. 641. c. 2. Epidemicos multos ope cerei à se submissi sanat. Atrebati, p. 642. & seq. Militem desperatum sibi reddit, p. 626. Latronem Sabbato jejunantem honore sepulturæ post mortem afficit, pag. 625. Religiosum adversus dæmonis tentationes præmunit, p. 45. c. 2. alium item Religiosum sibi devotum parvulo Filio commendat, pag. 338. c. 1. Manum osculandam porrigit B. Abundo, pag. 344. c. 2. Coronam devotè recitanti P. Bernardino Realino apparet, p. 340. c. 1. Ave MARIA orantes resalutat, p. 442. c. 2. In Antiphona *Salve Regina*, sibi mirè complacet, p. 342. Eandem cantantibus sese inclinat, p. 341. c. 2. Quomodo ejus viscera, pectus, manus salutaverit B. Hermannus, pag. 345. c. 2. Occulta peccata nonnullis detegit, p. 404 c. 1. Peccatorem ad se à Filio ablegatum in gratiam recipit, p. 384. c. 2. Sibi devotos in morte consolatur, protegit, eisque apparet, pag. 174. c. 2. pag. 389. c. 1. animas eorum suscipit, p. 175. c. 1. Moribundos

dos ad suprema Sacramenta præparat., p. 155. c. 1. pro eis Filium deprecatur, p. 171. à damnationis æternæ periculo quendam liberat, p. 707. Margaritæ Ungar. per scalas ad cœlum præit, pag. 644. sibi devotos igne purgatorio diu torqueri non sinit, p. 95. c. 1. & seqq. Ejus nomen auditum animabus Purgatorij solatio, p. 95. S. Thomæ Cant. pyxidem cum rubra casula pro munere donat, p. 436. c. 1. SS. Ildephonso & Bonito vestem cœlestem, *ibidem*. Eam videre desiderat Religiosus quidam, p. 274. c. 2. alius eâ conspectâ oculo privatur, mox tamen eundem recipit, p. 413. c. 2.

MARIÆ devotum esse certum prædestinationis signum, p. 662. c. 2. p. 716. c. 1. Ejus cultus ab animabus Purgatorij vivis commendatur, p. 702. & seq. Eandem oppugnare certissimum signum reprobationis, p. 210 c. 2. Ejus immaculatæ Conceptionis magnus propugnator Ferdinandus Tertius Imperator, p. 656. pro gratijs B. M. collatis quomodo gratias egerit B. Hermannus p. 15. c. 1.

*Martyres. Martyrium.*

Martyrum ager in Westphalia, cùm aratur, sanguineus apparet, pag. 587. c. 2. P. Marcelli Francisci Mastrilli illustre in Japonia martyrium, pag. 673. & seq.

*Mater Deorum.*

Nihil faustum evenire posse ei, qui Matrem Deorum remissiùs honoraret, dicebat Julianus Imperat. p. 618. c. 2.

*Medicina.*

Avis icterus aspectu suo sanat ictericos sed moriendo, p. 557. c. 1. Succus floris Solsequij à morbis omnibus præservat, p. 496. c. 1.

*Meditatio.*

Piæ meditationis utilitas, p. 378. & seq. Meditationis usus etiam apud Bonzios Japones, p. 678. c. 1.

*Mel.*

Mel sepulchrum Babyloniorum, p. 422. c. 2. Inspicis inventum, p. 414. c. 2. Candidus mellis cœlestis favus cuidam ostensus, p. 646.

*Mendacium.*

Mendacium etiam leve severè in purgatorio punitur, p. 699. c. 1. Mendacij fuga cuidam quàm salutaris, pag. 280. col. 1.

*Mensa.*

Mensa unà cum pede ex integro smaragdo alicubi reperta, pag. 424. col. 1. Mensa S. Sophiæ è lapidibus pretiosis p. 507. c. 2. tempore mensæ divina meditantibus Christus cum Matre apparet, p. 376. 377. Catharinæ Pulchræ Romanæ singulos cibos sanguine suo tingit Christus, p. 552. Inter comedendum ad singulos bolos IESU patientis meminit B. Henricus Suso, *ibid.*

*Meum & Tuum.*

Meum & Tuum in exilium pellendum, p. 26. c. 2.

*S. Michaël.*

Ad S. Michaëlis nomen dæmon tremit, p. 46. c. 2. S. Michaëli addicti, p. 213. c. 1. Ejus erga homines studia, p. 214. c. 2. agonizantibus opitulatur, p. 199. c. 2. Cuidam pauperculo in platea morienti apparet, p. 177. c. 1. alium peregrinum in platea morientem invisit, p. 212. c. 2. pro Ferdinando Lusitaniæ Rege moriente Deiparam deprecatur, p. 651, c. 1. Ejus imago agonizantibus salutaris, p. 213. c. 2. Christianos in prælio adversus

barbaros defendit, pag. 213. col. 1. Manſvetudine delectatur, *ibid. c.* 2.

*Militia. Milites.*

Vita Religioſi perpetua militia, pag. 280. c. 2.

Milites paſcua diabolorum, p. 450. c. 2.

*Minima.*

Minima non negligenda, p. 123. c. 2 ob minima graviter in purgatorio cruciati, *ibid.* & p. 124. 695. Deus etiam pro minimis nos coronat, p. 333. c. 2.

*Miſericordia.*

Miſericordiâ Deus maximè colitur, p. 446. c. 1. Miſericordiæ opera qui exercet, facit in terris opera cœlorum, *ibidem c.* 2. Miſericordia Dei petenda, p. 191. Miſericordiæ opera Chriſto gratiſſima, p. 334. c. 2. Item Angelis, p. 259. Ejusmodi operum præmium, p. 546. & ſeq.

*Miſſa.*

Miſſæ dignitas, p. 503. c. 1. Ejus encomia, p. 480. c. 2. & ſeq. per eam ſummè laudatur Deus, p 476. c. 1. fidelium defunctorum cibus & convivium, p. 90. c. 1. valde eâ juvantur, pag. 89. & ſeq. Dæmoni inviſa, p. 106. c. 1. Miſſam in Dominica audire negligens puer, à pueris cœtaneis punitur, p. 3. c. 1. Eandem die Dominicâ audire nolenti dæmon cervices frangit, p. 484. quotidie auditæ fructus & præmia, pag. 476. neglectæ damna, pag. 477. c. 1. plures in die celebrare olim licitum, *ibidem.* ſed & defacto duas celebrare permiſſum die Animarum in Regno Valentiæ, p. 480 c. 1. totâ nocte ad Miſſam ſe præparabat Caietanus, pag. 486. c. 1. Miſſam devotè celebrantem P. Jacobum Alvarez Chriſtus amplexatur, pag. 475. c. 1. alijs devotè Miſſæ aſſiſtentibus apparet, pag. 297. c. 1. & p. 308. & ſeq. uſque ad pag. 312. Miſſam facientibus aſſiſtunt Angeli, p. 189. cum ſumma reverentia, pag. 476. c. 1. devotè eam audientes coronant, p. 189 p. 308 c. 1. diſtractis dæmones adſunt, pag. 190. c. 2. Octo Miſſas audiente quodam Angeli pro eo adverſus hoſtes pugnant, p. 189. c. 1. Miſſam devotè celebrans P. Balthaſ. Alvarez diademate ſplendido conſpicitur à S. Teresia, p. 274. c. 1. & p. 415. c. 1. P. Carolus Spinola in carcere quotidie Miſſam celebrat, p. 475. c. 2. Ad Miſſam Reges miniſtrant, p. 476. c. 2. peculiaris olim Miſſa votiva pro amico, pag. 480. c. 1.

*Molendinum.*

Molendinum S. Lucherini Abbatis diebus Dominicis nihil, de furto verò, vel rapina nunquam molit, pag. 2. c. 1. Mola Pittaci, p. 507. c. 2.

*Mons.*

Septem montes in mente quomodo ſignârit Ioannes Falco, pag. 70. c. 1. Mons pietatis pro defunctis quomodo inſtituendus, p. 88. c. 1. Montes aurei ab Angelo Cuſtode cuidam oſtenſi, pag. 254. c. 2.

*Monſtra.*

Succum Ophiuſæ æthiopicæ bibentes monſtra varia videre ſe putant, pag. 410. c. 1.

*Morbus.*

Morbi recordatione purgatorij leniti p. 121. & ſeq. Poculum cuidam omnium morborum ſanativum, pag. 427. c. 2. de ſucco floris Solſequij ſi quis quotidie cyathum bibat, omnibus morbis carebit, p. 496. c. 1.

*Mors. Moribundi.*

Morte beatâ nihil beatius, pag. 564. in fine, & p. 565. Mortis memoria quotidie renovanda, pag. 421. & seq. Ad deliberationes graves adhibita, p. 185. c. 1. Mortis mysterium terribile, pag. 148. & seq. Mortes pretiosæ Sanctorum, p. 74. 75. Eædem Angelorum gaudium, p. 30. c. 2. Moriente S. Henrico Anglo, Angeli *Te Deum laudamus* canunt, p. 74. c. 2. In morte læti & ridentes, p. 166. 167. 479. Serij, p. 169. c. 2. Baptista Genuensis Monialis ignea verba moriens loquitur, p. 74. c. 1. Peculiariter parvulo Iesu devotorum felix mors pro præmio, pag. 337. Moriens S. Gertrudis quomodo se suáque omnia Christo commendârit, p. 574. c. 1. Pro moribundis orandum, p. 148. ijsdem assistendum, pag. 153. c. 1. p. 714. 715. Modi varij moribundos juvandi, pag. 151. & seq. quæ ijs inculcanda, p. 165. c. 2. quæ circa eosdem vitanda, *ibidem.* & p. 170 Indulgentijs juvantur, pag. 164. & seq. Nec non orationibus, p. 170. c. 2. Eos B. V. M. ad suprema Sacramenta præparat, p. 155. c. 1. Charitatis erga moribundos exercitæ præmia, p. 149. 154. Mortis præsagia, p. 161. c. 1.

*Mortificatio.*

Corpori misericordia impenditur, cùm mortificatur, p. 687. quibus usitata, p. 562. & seqq. est efficax remedium ad juvandas purgatorij animas, p. 117. c. 1.

*Mundus.*

Mundus est triclinium, p. 434. c. 2. Mundus miseriarum in nobis ipsis reconditus, p. 71. c. 2. Mundum universum in ictu oculi conspicit S. Dominicus Abbas, p. 721. c. 1.

*Mundities.*

Mundities in sacris vasis quàm grata Christo, p. 353. c. 1.

*Munus.*

S. Thomæ Cant. à B.V. loco muneris pyxis cũ rubra casula data, p. 436. c. 1. SS. item Ildephonso & Bonito, ab eadem vestes cœlestes, *ibidem.*

*Musca.*

Dæmones in specie muscarum orantibus obvolitant, p. 252. c. 1.

*Musica.*

Cœlesti musicâ homo impudicus nîl movetur, p. 386. c. 2.

*Mutus.*

Ministellus hæreticus invocatâ à Catholico SSS. Trinitate mutus efficitur, p. 37. c. 2.

## N.

*Natalis dies.*

In lucem statim felicem venire, maximum Deorum munus, p. 495. c. 2.

*Nativitas Christi.*

In Vigilia Nativitatis Domini multæ animæ è purgatorio liberari visæ à quodam parvulo, p. 372. c. 1. Nativitatem Christi piè meditari quàm salutare, p. 389. c. 2. Nativitas Christi cœlitùs repræsentata quibusdâm, p. 322. 336. 346. 355. 359. 390. In corde Margaritæ à Castro insculpta, p. 361. c. 1. Nox Christi nati gaudijs plena, p. 389. & seq. Nascentis Christi symbolum globus aureus, pag. 341. col. 1. Christus natus in scuto depictus à pictore, p. 332. c. 2. Ægyptiorum antiquus mos Virginem in lecto, & infantem in præsepio locandi, pag. 346. col. 2.

*Nauta.*

Nautæ patrijs littoribus dulcia oscula figunt, p. 422. c. 2.

*Nomen.*

Nomen Dei ineffabile IEHOVA 24. literis Hebraicè expositum, p. 59. c. 2. SS. nomen IESU & MARIÆ cuti suæ inurit S. Radegundis, p. 562. c. 2. non leviter pronunciandum, pag. 699. c. 1. quadragies millies per diem repetitum à femina Japonica, quæ dum gentilis esset, toties nomina suorum idolorum repetebat, p. 601. c. 1. Nomen MARIÆ ore proferre indignum se existimat Ferdin. Lusit. Rex, p. 651 c. 1. Nomen cuidam Angelo: *Benignus montis Dei*, p. 177. c. 1. Item cuidam dæmoni nomen *Heul* p. 720. c. 1. solo nomine & imagine Alexandri quidam se beatos putant, p. 553. c 2. Nominis Amydæ mysteria apud Indos, pag. 43. c. 2. S. Mellito moribundo nomen ejus auro exaratum ostensum ab Angelo, p. 177. c. 1.

*Novissima.*

Novissima meditari quidam ab Angelo edocetur, p. 184. c. 1. eorum meditatione quidam in religiosa vocatione nutans firmatur, p. 185.

*Nubes.*

Cujusdam Sancti anima in specie hominis lucidissimi cum nubecula parva ostensa, p. 197. c. 2.

*Numus.*

S. Franciscus Seraphicus tres numos aureos è sinu extrahit, & Deo offert, p. 26. c. 1. Numus repertus Christi genealogiam referens, p. 406.

*Nuptiæ.*

Apud Athenienses in nuptijs panes & glandes à pueris circumferri solitæ, p. 512. c. 2.

## O.

*Obedientia.*

Obedientiæ præmium, p. 250. c. 1. p. 263. p. 716. c. 2. Obedientia Christum crescere facit, p. 301. c. 1. Christus obedientiæ causâ relinquendus, p. 302. & seqq. Obedientia Angelis placet, p. 263.

*Obstinatio.*

Obstinatos in peccatis S. Catharina Senensis emollit, p. 156. 157. Oratio pro obstinatis, *ibidem.* Obstinatus in impudicitia cœlesti musicâ nihil movetur, p. 386. c 2.

*Oculus.*

Oculorum modestia in templo servanda, p. 687. c. 2. Novitius Societ. JESU ob custodiam oculorum Angelorum aspectu in morte recreatur, p. 196. c. 1. Oculi Edithæ post mortem, toto reliquo corpore incorrupto permanente, corrupti ob levitatem, p. 716. c. 1. Oculus impudicus impedit aspectum Spiritûs Sancti, p. 55. c. 1. Oculos in aspectu Dei Matris perdit & recuperat nonnemo, p. 195. c. 2. Oculum in nobis usu generatum, quo principia videamus facillimè, dicebat Aristoteles, p. 409. c. 1. Oculi portæ Solis, p. 469. c. 2. Oculi divinitûs restituti, p. 725. col. 2.

*Odor.*

Qui Arabiam felicem prætervian gant, odore suavissimo recreantur, pag. 512. c. 1.

*Officium divinum.*

Officij divini perfunctoriè recitati gravis pœna, p. 572. c. 1. ad illud majori ardore dicendum Moniales exhortatur B. Virgo, p. 336. c. 2. quomodo

cum

cum Christo illud dixerit S. Catharina Senensis, pag. 7. c. 1. Officium B.V. Sabbatinum ab Angelis cantari auditum, p. 658. c. 2.

*Oleum.*

Oleo affuso urbes captæ, pag. 196. col. 1.

*Olla.*

In Regum inferijs ollæ à Lacænis mulieribus pulsatæ, p. 538. c. 1.

*Opera.*

Opera ordinaria ad Deum spectantia, quàm exactè facienda, pag. 231. & seq. quasi essent ultima, p. 423. Opera nostra quàm diligenter à Deo annotentur, p. 409. c. 2. Opera, & actiones suas singulas cum similibus Christi actionibus coniunctas Deo offerebat P. Joannes Vaseus, p. 598. c. 1.

*Oratio.*

Orationis pretium & excellentia, p. 218. c. 1. p. 452. c. 1. qualis esse debeat, p. 219. & seqq. mentalis quomodo instituenda, pag. 220. c. 2 & seqq. comparatur thuribulo aureo, pag. 222. c. 2. ut fumus aromatum rectâ viâ cœlum petit, pag. 511. c. 2. Oratio justi clavis est cœli, p. 452. c. 1. lancea cor Christi transverberans, p. 58. c. 1. attentio in oratione Christo quàm grata, p. 359. distractio dæmoni sapida, pag. 210. c. 1. quomodo ad attentè orandum se præparârit S. Gertrudis, p. 64. c. 1. In oratione necessaria unio Dei, cordis, & oris, pag. 63. c. 2. devotè orantibus adsunt Angeli, p. 231. eorum preces Deo offerunt, p. 64. c. 1. orationem quomodo impediant dæmones, p. 218. c. 1. maximè pro defunctis; p. 264. c. 1. Quomodo P. Carolus Spinola manè orare sit solitus, p. 59. c. 2. Sub oratione matutina Christum plenis ulnis dona ferentem videt P. Balthasar Alvarez, p. 296. c. 1. Inter orandum cælesti lumine collucere visi, p. 575. c. 1. Orationis distractæ & somnolentæ pœna, p. 575. c. 1. Orationes solitæ non intermittendæ, p. 212. c. 2. Orare pro peccatoribus quàm gratum Deo, p. 69. c. 2. Orationem *Ave Filia Dei Patris, &c.* quotidie orans à mortali peccato præservatur, p. 68. c. 1. Senis centenarij oratio non alia quàm *Deus! Deus!* pag. 80. c. 2. Orationum jaculatoriarum fructus, p. 224. & seqq. earum praxis, *ibid.* Orariones jaculatoriæ ad Crucifixum, pag. 592 & seqq. Orandi studium à puero Jesu petendum, p. 359, & seq. Item à S. Josepho, p. 417.

*Organum.*

Os hominis justi organum divinum, p. 21. c. 1. Cor Christi organum SSS. Trinitatis, p. 725. c. 1.

*Osculum.*

Osculum à Christo usque ad cor impressum Paulæ Camaldulensi, p. 321. c. 1. Magdalenæ de Paz. dum Monialium pedes exosculatur, pag. 569. c. 1. Idæ de Lewis, p. 360. c. 1. Monialibus *Salve Regina*, canentibus, pag. 336. c. 2.

*Otium.*

Otium quantopere fugiendum exemplo Joannis Cletelij, p. 616. c. 2.

## P.

*Palma.*

Ex uno palmæ dactylo terræ inserto, tres palmæ arbores enascuntur, p. 723. c. 1.

*Panis.*

Panis quàm reverenter tractandus, p. 440. c. 2. pane hostes superati, pag. p. 491. c. 2. panes in hastilia mutati, *ibidem.* albus panis apud Græcos solis nobilibus dari solitus, p. 405. c. 2. panes & glandes apud Athenienses in nuptijs circumlatæ, p. 512. c. 2. panis citreis capsis incluſus felle amarior redditur, p. 405. c. 1. panis Guaiazæ radicis qualis, p. 490. c. 2.

*Paradisus.*

Paradisum intraturi stolas suas lavant in sanguine Agni, p. 536. c. 2.

*Parentes.*

Pater gloria Filij, & Filius gloria Patris, p. 454. c. 1. Parentes defuncti à filijs juvandi, p. 130. 131.

*Passio Domini.*

Passio Domini mæstis solatio, p. 532 c. 2. Ejus effectus, p. 536. c. 1. Eam imitandi desiderium, est peculiare donum Spiritûs Sancti, pag. 13. c. 2. assiduè in corde portare Christo gratissimum, p. 601. c. 2. in ejus meditatione assidui, SS. Bernardus & Franciscus, p. 533. pretium ejusmodi meditationis, p. 562. c. 2. Item præmium, pag. 536. 550. & seqq. pœna oblivionis, p. 547. hymnum de Passione Indus quidam à B. V. edocetur, p. 551. c. 2.

*Pati. Patientia.*

Pati pro Christo quanta dignitas, p. 579. Patientes pro Christo imago sunt Crucifixi, p. 578. patienter pro Christo ferre adversa, est certissimum signum prædestinationis, imò desponsationis cum Deo, p. 578. c. 2. propter visionem faciei Iesu dignum esse pati omnes tribulationes ajebat B. Bonifacius Cisterc. p. 357. c. 2. Patientia corona fabricat, p. 193. c. 2. Patientiæ mira B. Nicolaæ Virg. p. 478. c. 2. patientiæ præmium, p. 688. c. 2. patiendi desiderium etiam in Sanctis, p. 713. col. 1.

*Patibulum.*

Triduo in patibulo pendens quidam miraculosè in vivis servatur, p. 7. c. 2.

*SS. Patroni.*

Patroni menstrui & annui quomodo colendi, p. 114. c. 2.

*S. Paulus Apostolus.*

S Paulus Apostolus raptus ad altitudinem Trinitatis, p. 68. c. 2.

*Paupertas. Pauperes.*

Pauperes sunt altare Corporis Christi, p. 445. c. 2. pauperum curam habere magni apud Deum meriti, p. 130. in paupertate divinitùs adjuti, p. 325. c. 1. Pauperes die Natalis Domini convivio excipere solitus Franciscus à Puero Iesu, p. 326. c. 1. In hoc ab ipso Iesu adjuvatur in annonæ penuria, *ibidem.*

*Peccatum.*

Peccatum animam diabolo vendit, p. 187. c. 1. est cadaver diaboli, pag. 598. c. 2. Item porta, *ibidem.* Ejus fœditas sepulchri fœditate deterior, p. 555. c. 2. Christum denuo vulnerat, p. 395. & seq. Angelum Custodem fugat, p. 187. c. 1. in peccato mortali orans non exauditur, pag. 118. c. 2. Peccata venialia animæ scabies & pustula, p. 96. c. 2. totius vitæ lacrymis deflenda, p. 191. c. 2. dæmonum de illis gaudium, p. 105. c. 2. graviter in purgatorio luuntur, p. 119. c. 1. in inferno ardere mavult nullâ suâ culpâ, quàm se peccato veniali patrato inde liberare Catharina Senens. p. 599. c. 1.

pec-

peccata occulta à B. V. nonnullis patefacta, p. 404. à peccatis per nocturnas tenebras homines dehortantur Patres Soc. JESU, 599. c. 1.

*Pecunia.*

Ossa mortuorum nonnullis Gentibus loco pecuniæ, p. 472. c. 1. Christus nobilis pecunia, p. 445. c. 2.

*Pellis.*

Pellis Iuveni lascivo ab Angelo detracta, p. 239. c. 2.

*Penna.*

Quibus pennis ad Deum evoletur, p. 164. c. 1.

*Peregrinatio. Peregrini.*

Peregrinatio ad loca sacra à Deo præmiata, p. 649. Christianorum peregrinorum tessera literæ quatuor, P. F. S. S. quid significet, p. 55. c. 2.

*Perfectio.*

Perfectionis religiosæ instrumenta, p. 185. c. 2. culpæ genus non fecisse quod summum est, p. 373. c. 2.

*Pestis.*

Peste correpti multi ope Cerei à B. V. submissi sanantur Attebati, p. 642. & seq.

*Phœnix.*

Phœnix integer uno prandio absumptus, p. 403. c. 2.

*Philosophia. Philosophus.*

Philosophus gloriæ animal, pag. 61. c. 2. Philosophi quidam ligari se patiebantur, ut Philosophiæ vacarent, p. 414. c. 2. alij flagris seipsos cædebant, ut corpus ad sapientiam erudirent, *ibid.*

*Plato.*

Plato assecla & comes Iovis dictus, p. 464. c. 1. In ejus sepulchro lamina aurea reperta continens professionem fidei Christianæ, p. 316. c. 1.

*Poculum.*

Poculum cuidam omnium morborum sanativum, p. 427. c. 2. poculum immortalitatis apud Sinas, p. 488. c. 1. Vide V. *Crater.*

*Pœna. Punitio. Impunitas.*

Reos punire monet imago Crucifixi, p. 549. & seq. Ob impunitatem delictorum pauci ex Rectoribus salvantur, p. 550. c. 1.

*Pœnitentia.*

Pœnitentiæ procrastinatæ pœna, p. 560. c. 1. Pœnitentiæ pro alijs susceptæ exemplum, p. 129. c. 2.

*Pomus, Pomum.*

Pomus arbor ad Norimbergam nocte Natalis Domini efflorescit, p. 390. c. 2. pomum aureum à parvulo IESU accipit S. Abundantia, pag. 343. c. 1. pomum grande arboris Malabaricæ, *ibid.* pomum dolosum Fenellæ, *ibid.*

*Pons.*

Pons super Rhodanum ab Angelis fabricatus, p. 256.

*Porcus.*

Porcus loco corporis humani in sepulchro repertus, p. 240.

*Prædestinatio.*

Prædestinatorum numerus quibusdam ostensus, p. 488. & seq.

*Præmium.*

Pro parvo labore ingentia præmia à Deo proponuntur, p. 198. c. 1.

*Præstigiæ.*

Præstigiæ Gentilium ad Crucifixum exustæ fœtorem retrum exhalant, pag. 653. c. 1.

*Propinqui.*

Affectus inordinatus erga propinquos punitus, p. 142. c. 1. Religiosus Ordo non deserendus propinquorum causâ, p. 569. c. 1.

*Propositum.*

Propositorum bonorum tenacitas, & in ijs constantia, pag. 351. 352. 574. Propositi boni violati pœna, pag. 650. c. 1.

*Psalmi.*

Psalmos pœnitentiales ante mortem recitat S. Augustinus, pag. 177. col. 2. Psalmum *Laudate Dominum, &c.* ante S. Communionem quomodo oravit S. Gertrudis, p. 8. c. 2.

*Pumex.*

Pumex colorem in die sæpius mutans symbolum inconstantiæ, p. 299. c. 2.

*Purgatorium.*

Purgatorij quam graves pœnæ, pag. 96. c. 2. & pag. 99. c. 1. p. 102. c. 1. p. 139. c. 2. etiam minima purgatorij pœna gravissima, p. 109. c. 2. Religiosus diu in purgatorio detinetur ob remissum Dei videndi desiderium, pag. 57. c. 1. parvulus novennis acerbè in purgatorio cruciatur, p. 139. c. 2. purgatorium evadendi modus, p. 333. c. 2 p. 495. c. 1. p. 541. c. 2. p. 548. c. 1.

*Purificatio. Puritas.*

Vita nostra dies purificationis, pag. 306. c. 2. Puritatis studiosissima Magdalena de Paz. p. 387. c. 2. puritas Aldegundis stolâ candidâ à puero JESU præmiata, p. 386. c. 2.

*Purpura.*

Purpura ad Imperatoris tentorium pridie prælij suspensa milites ad pugnam accendit, p. 526. c. 2. Conclave pictum purpurâ apud Imperat. orientis, pag. 588. c. 2.

## R.

*Radius.*

Christus Catharinam Adornam ex S. Hostia radio amoris ferit, p. 409. c. 2. Item ex imagine Crucifixi S. Gertrudem, p. 561. c. 2.

*Refectio.*

In refectione corporis modestia servanda, p. 235. & seq. Vide V. *Cibus, Mensa.*

*Religio.*

Religiosi status encomia, pag. 103. c. 2. per eum pro peccatis satisfacimus p. 705. c. 1. Religiosa cœnobia à multis dæmonibus infestantur, p. 217. c. 1.

*SS. Reliquiæ.*

Reliquiæ SS. fontes salutares, pag. 176. c. 1. religiosè honoratæ, *ibidem.* Sunt contra fædas cogitationes amuletum, *ibid. c.* 2. eas visitantis præmium, pag. 649. c. 2. ægro cuidam à Christo pro solatio submissæ, p. 243. c. 1.

*Respectus humani.*

Respectus humani contemnendi, p. 66. p. 275. & aliquot seqq. p. 427. fin. p. 666. & seq. Respectibus humanis laborantium graves pœnæ, p. 427. fin. p. 680. 681.

*Restitutio.*

Bonorum injustè acquisitorum Restitutio Advocato salutaris, p. 216. c. 2.

*Retia.*

Christum hospitem retibus includit quidam Eremicola, p. 321. c. 2.

*Rex.*

Regis æstimatio apud Ægyptios quanta, p. 410. c. 1.

*Risus.*

S. Ambrosium morientem Christus arridens invisit, p. 164. c. 1. In morte læti & ridentes, p. 166. 167. 479.

*Roma.*

Romæ laus ex sancto Dionysio, pag. 412. c. 1.

*Ros.*

Ros in igne, pag. 145. c. 2.

*Rosa.*

Rosa Hierichuntina nocte Natalis Domini refloresçit, p. 307. c. 1. Rosa ab horto SSS. Trinitatis porrecta cuidam Sacræ Virgini, pag. 38. Rosis à Christo obtegitur B. Henricus Suso, ob cruces fortiter toleratas, pag. 331. c. 2. Rosis candidis ab Angelo coronatur Virgo devotè Missam audiens. p. 308. c. 1. Rosas & lilia super cujusdam sepulchrum spargunt Angeli, p. 177. c. 1 Ex viatoris Ave MARIA recitantis ore, rosæ prodire visæ, p. 319. c. 1. Item è tumulo cujusdam adolescentis, p. 638 c. 1. Rosæ in lecto repertæ in quem Christus specie leprosi à pia matrona locatus fuerat, p. 546. c. 2.

*Rosarium. Corona B. V. M.*

Rosarij recitati utilitates & præmia, p. 175. c. 2. p. 266. c. 1. frequens ejus recitatio beatæ mortis causa, pag. 97. c. 2. item liberationis è purgatorio, *ibidem.* illud attentè recitantibus valde afficiuntur Angeli, pag. 211. col. 2. ejus recitandi modum edocent, & cum orantibus illud orant, p. 212. c. 1. Rosarij orandi modus P. Petri Fabri, p. 21. c. 1. Iosephi Anchietæ, *ibid.* Emmanuelis Fernandez, p. 341. c. 1. P. Caroli Spinolæ, p. 665. Rosarium mortuorum quale, p. 128. c. 1. p. 566. c. 2. Rosarium recitanti P. Bernard. Realino B. V. apparet, p. 340. c. 1. Rosarium execratur dæmon, p. 212. Rosarij hostes divinitùs puniti, pag. 649. Civis Colonienſis Rosario recitando addictus post mortem in veste rutila, in qua *Ave MARIA* scriptum erat, appareat, p. 715. c. 2.

*Rubeta.*

Ruberam si quis etiam bene rubens tangat, continuò pallescit. p. 557. c. 1.

*Rusticus.*

Rustici Tyrannorum pascua, p. 450. col. 2.

## S.

*Sabbatum.*

Sabbato B. V. MARIA nata, p. 626. Sabbatum ejusdem obsequijs dicandum p. 616. & seqq. Sabbato recollectionis facienda, p. 615. Scotis dies Sabbati à meridie olim festus, p. 634. c. 1. Sabbatinæ abstinentiæ præmium p. 624. 625. 661. 662. 663. Sabbato jejunantes, p. 636. 645. 648. 650. 652. 667. 668. Ob Sabbatinam abstinentiam propugnatam ab hæreticis confossus P. Iacobus Salesius, p. 624. Ejusdem violatæ pœna, *ibid.* c. 2. Meretrix Sabbato casta, ope B. V. ad frugem bonam reducta, p. 628. c. 2. Quolibet Sabbato templum S. MARIÆ pedes visitare solitus Card Toletus, pag. 648. c. 1. Item nudis insuper pedibus S. Gerlacus, p. 649. c. 1. Sabbato solâ Eucharistiâ pastus adolescens Marianus, p. 631. c. 1. Sabbato ecstasin passus S. Ignatius de Loyola, p. 669. col. 2. Sabbato boves impelli non possunt, ut aquam è fonte Mariano trahant, p. 634. c. 2. Sabbato metere renuens messor, die Lunæ thesaurum in agro reperit, p. 635. Lac à pecoribus expressum Sabbbato in pauperes distributum, p. 639. Sabbato in eodem situ persistunt quidam Iudæi, pag. 635. c. 2. De Sabbato Rabbinorum commenta, pag. 615. c. 2.

*Sacerdos.*

Sacerdotum quanta dignitas, p. 475. c. 1. p. 478. c. 2. quantus honor ijs exhibendus, p. 443. c. 2. Angeli Sacerdoti cedunt, p. 230. c. 1. Sacerdos impurus Missam celebrans carnifex fit Christi, p. 188. c. 2.

*Sagitta.*

Mors & Amor in convivio sagittas invicem permutant. p. 409. c. 2. Christus habitu Cupidinis sagittas in pectus Antonij Martini jaculatur, p. 397. c. 2.

*Salutatio Angelica*, seu *Ave MARIA.*

Salutatione Angelicâ nihil B. V. gratius p. 16. c. 2. nihil eâdem jucundius Angelis, p. 647. c. 2. nil tristius dæmonibus, *ibid.* ejus sinè intermissione recitatæ præmium infinitè magnum in cœlo, p. 715. c. 2. Sancti quanti eandem æstiment, p. 711. c. 1. ter eam pro felici exitu orare quomodo S. Mechtildis edocta à B. V. p. 17. c. 1. Eandem inter studendum sæpius repetebat Franciscus à Retza, p. 648. c. 1. Eandem ante B. V. iconem orare solitus homo flagitiosus veniam peccatorum obtinet, pag. 638. c. 2. Centum Salutationes Angelicas per viam recitans viator, rosas exhalare videtur à prædone vitæ ejus insidiante, sicque à morte liberatur, p. 319. c. 1. Avicula *Ave MARIA* recitare docta à milvi unguibus liberatur, p. 645. c. 1. Quomodo S. Gertrudis & S. Thomas Aquinas B. V. salutârint, p. 17. c. 2. Antiphona *Salve Regina* mirè B. V. grata, p. 342.

*Sancti.*

Festum omnium Sanctorum singulari devotione cultum à quodam Religioso, p. 356. c. 2. In cultu Sanctorum eximij, p. 433. & seqq. Sanctorum vitas scribere Sanctis ipsis quàm gratum, p. 521. c. 1. Sancti nos felices proclamant, qui possimus quotidie mereri, p. 433. c. 1. Cultores suos in morte solantur, p. 355. & seq. p. 715. è purgatorio liberant, p. 115. nihil eis gratius, quàm si aliquid ab eis postuletur, p. 714. c. 1. Orant Deum pro cultoribus B. V. Mariæ, p. 715. c. 2. Sanctos menstruos colendi modus, p. 458. & seq. Sanctos certos horis singulis certis precibus veneratur P. Iosephus Arriaga, p. 650. c. 1.

*Sanguis.*

Sanguine è Christi latere hausto asperitas Ordinis religiosi cuidam dulcorata, p. 563. c. 1. Catharinæ Pulchræ Romanæ cibos sanguine suo Christus tingit, p. 552. Item ægrum linit, p. 589. c. 2. Os plenum Christi sanguine à S. Communione reperit S. Teresia, p. 561. c. 1. Sanguinem Christi Deo offert pro suis erratis Magdalena de Paz p. 12. c. 1. Sanguine occisi mariti sese lavat uxor, pag. 588. c. 2. Sanguis occisi amasij epotus ab amasia, p. 530. c. 1. Sanguis è mensæ mappa expressus iniquè expressa pauperum bona designat, p. 216. c. 2.

*Scala.*

Bathildis defunctæ animam Angeli per scalam ad cœlum deportant, p. 201. c. 2. per scalas cœlum ascendere visus S. Andreas Corsinus, pag. 336. col. 2. Christi Humanitas scala, *ibid.* Scalæ pro anathemate in templo positæ, pag. 437. c. 1.

*Scandalum.*

Scandalum parvulis qui dat, eorum Angelos Custodes offendit, p. 276.

*Scientia. Studia.*

Scientia scientiarum est, scire se nihil scire, p. 534. c. 2. Scientia perfectissima scire Crucifixum, pag. 534 & seq. Studiorum causâ nil decerpendum de consveto tempore orationis, p. 716. c. 2.

*Scrupuli.*

Adversus conscientiæ scrupulos remedia, p. 141. c. 2. p. 716. c. 2. Scrupuli à Christo depulsi, p. 320. item à B. V. *ibidem.*

*Scutum.*

Scutum S. Francisco de Paula ab Angelo ostensum quale, p. 274. c. 1. Vide *Clypeus.*

*Scyphus.*

Scyphi ad oris humani similitudinem facti Brasilis in thesauris, p. 447. c. 2. Vide: *Poculum.*

*Sensus.*

Sensuum custodia accurata habenda, p. 195. c. 1. p. 412. & seqq. Cuidam eremitæ in morte solatio, p. 683. c. 2. minor in oculis, auribus, & pedibus adhibita corruptionis eorum sensuum post mortem occasio, p. 716. c. 1. Sensus suos in sensibus Christi mortui collocare solita Magdal. de Paz. pag. 573. c. 2. idem faciebat S. Gertrudis *ibidem.* & pag. seq.

*Sepulchrum.*

Sepulchrum sponte suâ apertum mortis præsagium, p. 161. c. 1. super sepulchrum cujusdam rosas & lilia spargunt Angeli, p. 177. c. 1. Sepulchrum ioffar scrinioli fabrefactum Cardinalis Olivæ p. 185. In varijs sepulchris Christi Nativitas figurata, p. 316. c. 1. Aves sepulchrales dictæ sepulchrum in capite gestant, p. 521. c. 1.

*Serpens.*

Serpens mortuus sinè noxa comestus in confirmationem fidei Christianæ p. 463. c. 2. Serpens biceps hominem in speluncam abripit. p. 155. c. 2. Serpens dictus *Sagitta*, quòd se in oculos hominis vibrans jaculetur, p. 55. c. 1.

*Silentium.*

Silentij studiosissima S. Teresia, pag. 713. c. 1. Silentium sex mensium servat F. Juniperus, p. 71. c. 2.

*Simonia.*

Simoniacus Episcopus fulmine percutitur, p. 229. c. 2.

*Simplicitas.*

Simplicitas parvulo Jesu mirè grata, p. 374. & seq.

*Societas IESU.*

Societas Jesu cuidam divinitùs monstrata sub symbolo vasis pulcerrimi & profundi Deo oblati, pag. 21. c. 1. Societatis Jesu filij cum stella in fronte visi, p. 373. c. 2. Hominum Societatis Jesu privilegium quale, pag. 103. c. 1. Societati Jesu charitas erga defunctos curæ, p. 103. c. 2.

*Societas prava.*

Societas prava quantopere declinanda, pag. 206 207. 556. & seqq. 625. c. 2. 710. c. 2.

*Sol.*

Sol SSS. Trinitatis symbolum p. 1. Sol cum tribus radijs pictus, quid significet, p. 66. c. 1. Sol octavâ Ianuarij ab Indis, tanquam novus hospes plurimis muneribus honoratur, pag. 445. col. 2.

*Solatia.*

Solatiorum divinorum copiam ferre non valet Arnulphus, p. 370. c. 2.

*Solitudo.*

Solitudinis laus, p. 81. c. 2. Solitarios Angeli invisunt, p. 220. c. 2.

*Somnus, Somnium.*

A somno cum devotione surgendum, p. 181. 183. ab Angelo Custode à somno excitati, *ibidem.* & pag. 391. c. 1. somni negligentes, p. 182. c. 2. somnus Deo offerendus, p. 252. c. 2. ante somnum ad 4. cœli plagas Cruce signabat oppidum P. Vasæus, pag. 598. c. 2. Vesperi ante somnum diem suum in vulnere Christi lateris lavabat Burgunda Cœlestina, pag. 598. c. 2. per somnia dæmon multos decipit, p. 183. c. 2.

*Speculum.*

Speculum vatidicum, p. 405. c. 1. Specula pro anathemate in templis suspensa, p. 437. c. 1. quidam populi eleemosynam petentes, speculum ei, à quo petunt, objiciunt, pag. 546. col. 1. Christus patiens speculum animæ nostræ, p. 577. c. 2. Speculum S. Elisabethæ alterâ parte effigiem spectantis, alterâ imaginem Crucifixi referebat, pag. 578. c. 1. Speculum è Crucifixi dextera pendens pro insigni S. Rodesindo, p. 597. c. 2.

*Spica.*

Ordo Equitum à Spica qualis, pag. 475. c. 2.

*Spina.*

Puer Jesus cuidam se videre desideranti in fasce acutarum spinarum apparet, p. 366. c. 2. Christi spina Samnij in Italia quotannis die Parasceves efflorescit, p. 587. c. 2.

*Spiritus Sanctus.*

Spiritus Sanctus Parochus gratiarum, p. 69. c. 1. Vinum cœli, p. 502. c. 2. Ex ore cujusdam specie columbæ evolat ob commissum mortale crimen, in illúdque revertitur post confessionem, p. 51. c. 1. Super SS. Eucharistiam incubat, p. 500. c. 2. Eandem in specie item columbæ quibusdam defert, p. 500. 502. S. Ignatio de Loyola specie ignis, ut olim Apostolis, apparet, p. 718. c. 2. Consolatione mirâ replet B. Angelam de Fulginio, pag. 501. c. 2.

*Stella.*

Stellæ consiliariæ, pag. 437. col. 1. Stellæ in characteres compositæ Constantino victoriam nuntiant, pag. 526. col. 2.

*Stigmata.*

Stigmata diaboli strigibus impressa, p. 526. c. 1. De sacris Stigmatibus vide Tit: *Vulnera Christi.*

*Sudor.*

Sudorem cujusdam Fratris è Societ. Iesu communicantis abstergunt Angeli, p. 510. c. 2. Sudor corporis pro Deo susceptus animam ungit, p. 140. col. 2.

*Superbia.*

Superbia stulta igne punita, p. 4. c. 1.

*Superstitio.*

Superstitionibus dediti, p. 46. c. 2.

## T.

*Talentum.*

Ob talentum ingenij neglectum pœnis purgatorij torquetur Ioan. Picus Mirand. p. 109. c. 2.

*Tempestas.*

Tempestatis insolitæ & horridæ exemplum, p. 622. & seqq.

*Templum.*

Templum ædes bonæ fortunæ, pag. 502. c. 2. Quanta ei debeatur reve-

ren-

rentia, p. 513. & seqq. In templo non garriendum, p. 695. c. 2. Lascivi in templo aspectûs horribilis pœna, pag. 687. c. 2. Indus à pluribus annis non confessus templum ingredi non valet, p. 659. ad templum construendum à singulis peregrinis lapides singuli apportati, p. 649. c. 2. Templi postes osculari solitus Carolus Imperator, pag. 445. c. 1.

*Tempus.*

Tempus misericordiæ non perdendum, p. 584. c. 2. quàm pretiosissimè collocandum, p. 706. c. 1. p. 712. c. 2. quanti illud æstiment moribundi, pag. 167. c. 2. p. 169. c. 2. Item animæ purgatorij, p. 63. quantopere ejus jacturam deplorent damnati, p 63. c. 1. p. 706. c. 1. Tempus Deo dicatum non suffurandum, p. 109. c. 1.

*Tentatio.*

In tentationibus quid agendum, pag. 331. & seq. Quid egerit Cardinalis Baronius, p. 660. c. 1.

*Tepiditas.*

Torpor in divinis quomodo excutiendus, p. 542. Tepiditas in Dei servitio punita, p. 191. c. 1. pag. 572. c. 1. ob eam penè damnatus quidam, p. 691. c. 2.

*Testamentum.*

Testamentum maturè condendum, p. 161. c. 1. executioni ab hæredibus dandum, *ibidem.* & pag. seq. Item pag. 716. c. 2. quæ tempora ejus condendi optima, p. 162. c. 2. quomodo ordinandum, p. 163. c. 1. Amor Dei, Crucifixus, flagellum testamento cuidam relicta, p. 164.

*S. Thomas Apostolus.*

Sanctus Thomas Apostolus quotannis aspectabilis Eucharistiam fidelibus ministrat, p. 465. c. 2.

*Thuribulum.*

Thuribula ante Crucifixi imaginem sponte moveri solita Ragusiæ, p. 544. c. 1.

*Tintinnabulum.*

Tintinnabula Sacerdotis in antiqua lege quid significârint, pag. 100. col. 1. Mortis præsaga, p. 161. c. 1.

*SSS. TRINITAS.*

SSS. Trinitatis symbola, p. 79. c. 2. p. 80. c. 1. Quomodo SSS. Trinitas opus nostræ redemptionis diviserit, p. 11. col. 1. Ejus cultores eximij Raso Carthus. p. 14. c. 1. Franciscus Folianus, p. 10. & 47. S. Ignatius de Loyola, p. 24. c. 1. B. Stephanus Aquitanus, p. 25. c. 1. B. Magdal. de Paz. p. 26. c. 1. B. Henricus Suso, p. 29. c. 2. Didacus Martinius, p. 29. c. 1. Dominicus Anadomus, p. 50. c. 2. Ioannes à S. Cruce, p. 79. c. 1. Vincentius Caraffa, p. 81. c. 1. Michaël de Sandoval, p. 82. c. 1. SSS. Trinitas æternum viridarium, p. 14. c. 2. Eam confessi coram Tyranno. pag. 44. c. 1. coram dæmone, p. 13. c. 2. SSS. Trinitas invocata quendam ab incendio liberat, p. 44. c. 2. Item à spectris, *ibidem.* à dæmone, p. 45. c. 2. p. 46. c. 2. p. 48. c. 2. à fædis tentationibus, *ibid.* ore peccatoris invocari nequit, p. 50. c. 1. Tres animæ potentias quomodo SSS. Trinitati commendabat P. Faber, p. 500. c. 1. Quid Sinæ de ea senserint, p. 32. c. 2. Item Brachmanes, p. 20. c. 1.

*Tuba.*

Tubæ sono Imperatorem Græc. manè facultas adeundi data, p. 295. c. 2.

*Tyran-*

*Tyrannus.*

Tyranni pascua diabolorum, p. 450. col. 2.

## V.

*Vana gloria.*

Vanæ gloriæ pœna, pag. 249. c. 1. p. 710.

*Vaniloquium.*

Vaniloquijs dæmones interſunt, p. 262. c. 1.

*Vaſa ſacra.*

Vaſa ſacra mundè ſervanda, p. 353. col. 1.

*Verbera.*

Pro verberibus Turcæ lictori ſolvunt, & fuſtem quo cæſi ſunt, ſacrum habent, p. 585. c. 1. Vide plura verbo *Flagellum.*

*Vermis.*

Lachrymæ in vermes converſæ, p. 597. c. 2.

*Veſtis, Veſtitus.*

Veſte nectareâ Meſſiam indui Rabbini commentum, p. 296. c. 2. Veſtes cœlicæ à B. V. quibusdam datæ, pag. 436. Veſtis nuptialis innocentia baptiſmi, p. 49. c. 2. Veſtes pulchras induit Pericles ad nuptias iturus, pag. 436. c. 2. Veſtitûs imitatione Alexander M. Perſas ſibi devincit, p. 373. c. 2. Veſtes Patris occiſi à Matre filijs oſtenſæ eosdem in homicidas accendunt, p. 557. c. 2. Ob nimium in veſtibus luxum feminæ quædam damnatæ, p. 685. 708.

*Victoria.*

Ars ſeipſum vincendi, pag. 71. c. 2. p. 713. c. 2. Victoriâ bene utendum, p. 366. c. 1.

*Vigilia.*

In Svevia ultimâ Anni exeuntis nocte vigiliæ à quibusdam flagitioſis cultu olim celebrari ſolitæ, p. 298. c. 1.

*Viola.*

Viola Trinitatis vulgò dicta menſe Decembri floret, p. 3. c. 2.

*Virtus.*

Virtus hominis purpura, p. 82. c. 2. Summitates è ſingulis virtutibus decerpebat Pindarus, p. 437. c. 1. Virtutes & vitia animalia à quibusdam exiſtimata, p. 306. c. 1.

*Viſio.*

Viſiones duæ B. Jacopono datæ: altera, quâ cognoſcebat JESUM, altera, quâ ſeipſum, p. 349. c. 1.

*Vita.*

Cuique curandum, ut vivat hodie meliùs quàm heri, p. 409. c. 1. tota noſtra vita, feria ſexta eſt, p. 539. c. 1.

*Vitium.*

Vitia ſunt idola p. 281. c. 2. adverſus ea quomodo pugnandum, p. 280.

*Vocatio.*

Vocatio mira cujusdam Adoleſcentis, p. 365.

*Voluntas.*

A ſola voluntate pendet, ut perfecti fiamus, p. 542. c. 2. Voluntas noſtra divinæ conjungenda, p. 713. c. 2. ejusmodi conjunctionis præmium, p. 716. col. 2.

*Votum.*

Vota exolvenda, p. 140. c. 2. Vota religioſa nuncupanti vox de cœlo allabitur, p. 329. c. 2.

*S. Urſula cum Sociabus.*

S. Urſula cum Sociabus præſens in morte auxilium ferunt ſibi devotis, pag. 715. c. 1. eosdem è purgatorio liberant, p. 115.

*Vterus B. V. MARIÆ.*

Vterus B. V. totus crystallinus visus, p. 380. c. 1. In eo sibi Christus castra metatur, p. 322. c. 2.

*SS. Vulnera Christi.*

Christi vulnera quid ad homines clament, p. 559. c. 1. Sunt cœli portæ, p. 537. c. 2. Iustos & peccatores illuminant, p. 523. 535. dura corda emolliunt, p. 585. c. 2. à libidine revocant, p. 530. 570. animabus purgatorij sunt levamini, p. 541. ea colentis beatamors, p. 568. c. 1. Modus eadem colendi exemplo S. Mechtildis, pag. 551. c. 1. quibus impressa, pag. 523 540 affectus erga illa quantus Magdalenæ de Paz. p. 569. c. 1. In ijs velut in centro habitandum, p. 588. c. 2. ita habitare optabat S. Bonaventura, pag. 574. c. 2. In vulnere lateris vesperi diem suum lavabat Burgunda Cœlestina, p. 598. c. 1. Vulneri lateris S. Teresiæ manum Christus immittit, p. 571. c. 2. è vulnere lateris flammæ erumpere visæ, p. 543. Item è cunctis vulneribus catenæ igneæ, *ibid.* Sanguine è sacris vulneribus hausto æger à Christo linitur, p. 589. c. 2. quantus Christi patientis vulnerum numerus, p. 579. c. 1. quomodo à S. Gertrude salutari solita, p. 13. c. 1. lumine cœlesti circumfusa, *ibidem.* & p. 591. c. 2. exoscu-landa, p. 600. c. 2.

X.

*S. Franciscus Xaverius.*

S. Franciscus Xaverius quotidie quartâ horæ parte expendendam svadet illam Christi sententiam: *quid prodest homini, si mundum, &c.* p. 185. c. 2. quotidie de Christo crucifixo dimidiâ horâ meditatur, p. 521. c. 1. P. Mastrillum ægrum curat, p. 178.

Z.

*Zelus animarum.*

Zelus animarum à Crucifixo commendatur, p. 594. Zelus singularis Jacobi Avilæ erga feminam Mauram, p. 463. Item Eugenij erga Judæum, *ibidem.* Alphonsi Rodriquez, pag. 478. c. 1. S. Amandus in cœlum deducitur ab ijs, quos suo zelo cœlo lucratus fuerat, p. 156. c. 1. Item F. Cherubinus Franciscanus, p. 463. c. 1.

IN-

# INDEX THEMATVM
## PRO CONCIONIBVS.


### Dominica 1. Adventûs.

THEMA.

*Scitis quoniam prope est æstas. Luc.* 21. Mundi novissima messis (id est Iudicium) sæpius recogitanda. *Vide Anni Angel. Heb.* 2.

### Domin. 2. Advent.

*Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Matt.* 11. Mollibus vestiti non sunt ex Aula Christi; ideo animæ potius quàm corporis ornatui studendum. *Ann. Æternit. hebdom.* 8. & *heb.* 34.

### Domin. 3. Advent.

*Confessus est, & non negavit. Ioan.* 1. Christi fides in nullo vitæ discrimine neganda. *Ann. SS. Trinit. heb.* 9.

### Domin. 4. Advent.

*Parate viam Domini. Luc.* 3. Solida ad S. Communionem præparatio sunt ferventes actus Fidei, Spei, & Charitatis. *Ann. Eucharist. heb.* 34.

### In Festo Nativitatis D. N. Iesu Christi.

*Natus est hodie Salvator. Luc.* 2. De nocte Christi nati *vide Anni Pueri IESU, hebd.* 49.

### Domin. infra Octav. Nativ.

*IESUS proficiebat. Luc.* 2. In virtute semper proficiendum. *Anni Pueri IESU hebd.* 47.

### In Festo Circumcisionis Domini.

*Consummati sunt dies. Luc.* 2. Felices anni à Iesu petendi, & eidem dedicandi. *Anni Pueri IESU hebd.* 2.

### In Festo Epiphaniæ Domini.

*Obtulerunt ei munera. Matt.* 2. Opera nostra bona sunt velut Annuli aurei (dignum Deo munus) *Anni SSS. Trinit. hebd.* 41. & *Anni pueri IESU, hebd.* 30.

### Domin. 1. post Epiph.

*Dolentes quærebamus te. Luc.* 2. In desolatione parvulus Iesus quærendus. *Anni Pueri IESU hebd.* 3.

### Domin. 2. post Epiph.

*Vocatus est autem & IESUS ad nuptias. Ioan.* 2. In nuptijs & convivijs ita nos gerere debemus, ac si Christum & SS. Angelos præsentes haberemus. *Anni Angelici hebd.* 26. *Anni Pueri IESU hebd.* 43. *Anni Crucif. hebd.* 18.

### Domin. 3. post Epiph.

*Domine si vis potes me mundare. Matthæi* 8. Voluntas nostra divinæ conformanda. *Anni Æternit. hebd.* 47.

*Dico huic, vade, & vadit.* Obedientia in subditis quàm laudabilis quámque superis grata. *Anni Pueri IESV hebd.* 4. *Anni Angel. hebd.* 42.

*Veniam & curabo eum.* Ægris ministrare opus magni meriti. *Ann. Crucif. hebd.* 27. *Anni Marian. Sab.* 8.

### Domin. 4. post Epiph.

*Ipse verò dormiebat. Matt.* 8. Somnus noster exemplo Christi ad Dei gloriam dirigendus. *Anni Angel. hebd.* 35.


Domin.

## Domin. 5. post Epiph.

*Cùm dormirent homines, venit inimicus.* Matt 13. Torpor in Dei servitio quàm noxius. *Anni Crucif. hebdom.* 10. *Anni Æternit. hebd.* 13.

## Domin. Septuages.

*Exijt primo manè.* Matt. 20. Manè citò & devotè surgendum. *Anni Pueri IESU hebd.* 1.

*Ite in vineam meam.* Deo cum recta intentione laborandum. *Anni Euchar. hebd.* 51.

Omnia opera nostra & labores Christi sanguine veluti sudore quodam tingendi. *Anni Crucif. hebd.* 42.

*Hi novissimi unâ horâ fecerunt.* Plus prodest semel strenuè laborâsse, quàm millies remisse. *Anni Crucif. hebd.* 1. *Anni Angel. hebd.* 24.

*Voca operarios & redde illis mercedem.* Labores Dei causâ suscepti pretiosi. *Anni Morient. hebd.* 35. *Anni Pueri IESU hebd.* 30. *An. Euch. heb.* 51.

## Domin. Sexages.

*Referunt fructum.* Matt. 13. Ex Concione ut fructus referatur, Angelus Custos invocandus. *An. Angel. heb.* 27 Vide plura in priori Indice *tit: Concio, Concionator.*

## Domin. 1. Quadrag.

*Ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. Tempore tentationis quid faciendum. *Ann. Angel hebd.* 8. *Ann. Euch. heb.* 5.

*Cùm jejunâsset.* Jejunio displicemus dæmoni, placemus Angelis. *Ann. Angel. hebd.* 11. *Ann. Morient. hebd.* 16.

*Ostendit ei omnia Regna mundi.* Mundus quomodo despiciendus. *Ann. SSS. Trinit. hebd.* 26.

## Domin. 3. Quadrag.

*Locutus est mutus.* Luc. 11. De Confessione sincera & crebra. Vide *Ann. Angel. hebd.* 3. *Ann. Crucif. hebdom.* 36. *Ann. Æternit. heb.* 1. *heb.* 18. *hebd.* 27.

## Domin. 4. Quadrag.

*Quantum volebant.* Ioan. 6. Deus illos, qui erga se liberales sunt, liberalitate vincit. *Ann. Crucif. hebd.* 39.

## Feria II. Paschæ.

*Ipse IESUS ibat cum illis.* Luc. 24. In itineribus Iesus comes adsciscendus. *Anni Pueri IESU hebd.* 11.

*Qui sunt hi sermones?* De Christo & divinis sæpe loquendum. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 34. *Ann. Euch. hebd.* 25.

## Domin. II. post Paschæ.

*Oves meæ vocem meam audiunt.* Ioan. 10. Inspirationibus divinis fortiter & constanter obaudiendum. *Ann. Angel. hebd.* 44.

## Domin. III post Paschæ.

*Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ioan. 16. Eucharistiæ Sacramentum, & Iesus crucifixus afflictis pro solatio sunt. *Ann. Euch. hebd.* 50. *Ann. Crucif. hebd.* 2. *hebd.* 34.

## Domin. V. post Paschæ.

*Petite, & accipietis.* Ioann. 16. Quomodo orandum, ut oratio nostra sit efficax. *Ann. SSS. Trinit. hebd.* 42. 43. *Anni Morient. hebd.* 17. *Anni Angelici hebd.* 18. *Ann. Æternit. hebd.* 24.

## Dom. VI. post Paschæ.

*Absque Synagogis facient vos.* Ioan. 16 Extra pravorum societatem esse summa

felicitas. *Ann. Angel. hebd.* 12. *Ann. Crucif. hebd.* 21. *Ann. Ætern. heb.* 32.

## Domin, Pentecostes.

De Spiritu Sancto consule superiorem Indicem, verbo: *Spiritus Sanctus.*

## Domin. Trinitatis.

*Ecce ego vobiscum sum, Matth.* 28. Præsentia Dei & SSS. Trinitatis ubique habenda. *Ann. SS. Trinit. hebd.* 20. Reverentia Angelica erga SSS. Trinitatem imitanda, *ibid. hebd.* 16.

*Euntes docete omnes gentes.* Rudes, quid de SSS Trinitate credere debeant instruendi. *Ann SS. Trin. hebd.* 22. 23. *hebd.* 52. Eis frequens Dei recordatio persvadenda, *ibid. hebd.* 46 Rudes, parvuli & maturi in virtute instruendi. *Ann. Angel. hebd.* 29.

## Domin. 1 post Pentec.

*Estote misericordes. Luc.* 6. Opera misericordiæ constanter exercenda, *Anni Angel. heb.* 40. Eleemosynis quantopere Deo placemus. *Ann. Crucif. hebd.* 13.

## Domin. 2 post. Pentec.

*Fecit cænam magnam, Luc.* 14. Eucharistia quomodo comparetur cænæ. *Ann. SS. Trinit. hebd* 6.

## Domin. 3. post Pentec.

*Peccatores recipit. Luc.* 15. Peccatoribus spiritualiter miserendum, & pro ijs orandum. *Ann. SS. Trin. hebd.* 47.

## Domin. 5. post Pentec.

*Vade reconciliari Fratri tuo. Matt.* 5. Reconciliatio cum inimico acerrimum dolorem ac probrum dæmoni inurit. *Ann. Angel. hebd.* 46.

## Domin. 6. post Pentec.

*Triduo sustinent me, Marc.* 8. In bene cœptis constanter perseverandum. *Ann. Crucif. heb.* 20. *Ann. Mar. Sabbath.* 33. *Gratias agens.* Gratiæ Deo frequenter reddendæ. *Ann. SS. Trinit. hebd.* 37. *Ann. Angel. hebd.* 16. *Ann. Euchar. hebd.* 44.

## Domin. 7. post Pentec.

*Veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi, Matt.* 7. De hypocrisi & simulatione. *Vide Ann. SS. Trinit. hebd.* 3.

## Domin. 8. post Pentec.

*Diffamatus est. Luc.* 16. Diffamatores severè à Deo plectuntur. *Ann. Æternit. hebd.* 4. *& hebd.* 37.

*Quid faciam?* In dubijs Deus consulendus. *Ann. Pueri Iesu, heb.* 38. *Ann. Euch. hebd.* 29. *Ann. Crucif. hebd.* 41.

*Scio quid faciam.* Quod in articulo mortis nos facere vellemus, id nunc faciamus. *Ann. SS. Trin. hebd.* 48.

*Scio quid faciam.* Testamentum de rebus temporalibus sanctè & maturè condendum. *Ann. Morient. hebd.* 44.

*Quantum debes Domino meo?* Examen conscientiæ cuilibet homini Christiano valde necessarium ac salutare. *Ann. SS. Trin. hebd.* 49. *Ann. Angelici hebd.* 13. *Ann. Crucif. hebd.* 48. *Ann. Mar. Sab.* 2.

## Dom. 10. post Pentec.

*Deus propitius esto mihi peccatori. Luc.* 18. De contritionis vi & efficacia *Vide Ann. Euchar. hebd.* 49.

## Dom. 12. post Pentec.

*Vade, fac similiter. Luc.* 10. Heroico Samaritani exemplo, heroicæ actiones aggrediendæ. (*Ann. Morient. hebd.* 12.) Sanctáque aliorum opera imitanda. *Ann. Mariani Sab.* 42.

Dom.

## Dom. 13. post Pentec.

*Ostendite vos Sacerdotibus. Luc.* 17. Sacerdotes quanto honore prosequendi. *Ann. Euchar. hebd.* 22.

## Dom. 14. post Pentec.

*Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Matt.* 6. Deo sedulò servientibus temporalia non desunt, *Ann. Pueri Iesu hebd.* 14.

## Dom. 15. post Pentec.

*Ecce defunctus efferebatur, Luc.* 7. Occasione funerum mors meditanda. *Ann. Angel. hebd.* 2.

## Dom. 16. post Pentec.

*Si licet Sabbato curare? Luc.* 14. Christianorum Sabbatum est Dies Dominicus, & dies festi. In ijs curanda anima, & rebus divinis vacandum. *Anni SS. Trin. hebd.* 1. *hebd.* 52. *Ann. Euchar. hebd.* 39. Festi dies sunt nundinæ animarum. (*Ann. Morient. hebd.* 29.) Theatrum memoriæ beneficiorum Dei. *Ann. Euch. hebd.* 39.

*Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Humilitate Deo & Angelis placemus. *Ann. Angel. hebd.* 33. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 51.

## Dom. 17. post Pentec.

*Diliges Deum. Matt.* 22. Deus solus verum amoris objectum. *Vide superiorem Indicem Verbo: AMOR.* & V. *DEUS.*

## Dom. 18. post Pentec.

*Offerebant ei paralyticum. Matth.* 9. Cogitationes inefficaces, & ut vulgò dicimus velleitates Deo serviendi virtutique studendi, paraliticæ meritò dici possunt. *Ann. Crucif. hebd.* 22.

## Dom. 19. post Pentec.

*Quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? Matt.* 22. De veste nuptiali Eucharistica *Vide Ann. Morient. hebd.* 43. Item, Vestis nuptialis Eucharistica est cor à peccato mundum. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 8. *Ann. Euchar. hebd.* 2. & 3.

## Dom. 20. post Pentec.

*Infirmabatur. Ioan.* 4. Quæ occupationes infirmis & præsertim moribundis assumendæ. *Anni Morient. parte* 4. *totâ.*

## Dom. 21. post Pentnc.

*Redde, quod debes. Matt.* 18. Pia legata maturè executioni danda. *Ann. Morient. hebd.* 34. & 44.

*Sic Pater vester faciet vobis si non remiseritis, &c.* De pœnis gravissimis injurias ignoscere nolentium. *Consule superiorem Indicem* Verbo: *Ignoscere.*

## Dom. 22. post Pentec.

*Non respicis personam hominum. Matthæi* 22. Respectus humani despiciendi, (*Ann. Angel. hebd.* 49. *Ann. Æternit. hebd.* 2.) & quomodo adversus illos munire nos debeamus. *Ann. SS. Trinit. hebd.* 45.

## In Dedicatione Templi.

*Terribilis est locus iste. Gen.* 28. Templo quantus honor & reverentia habenda, *Ann. Euch. hebd.* 52. *Ann. Æternit. hebd.* 9. *hebd.* 17.

## In Festo S. Andreæ Apost:

*Salve ô bona Crux.* Libenter adversa patiendo Christo conformes simus. *Ann. Cruc. heb.* 35. *Ann. Æter. heb.* 46.

In

## In Festo S. Stephani Protomartyris.

*Domine ne statuas illis hoc peccatum.* De inimicis diligendis. *Vide Ann. Angel. hebd.* 46.

## In Festo Purificationis B. M. V.

*Impleti sunt dies purgationis. Luc.* 2. Vita nostra dies est purgationis & purificationis. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 6.

## In Festo S. Josephi.

*Desponsata Ioseph. Matt.* 1. De variis prærogativis S. Iosephi. *Vide Ann. Euch. hebd.* 8.

## In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

*Flevit. Luc.* 7. Lachrymæ pœnitentium in balsamum convertuntur; quo non tam pedes, quàm pectus Christi suavissime perungitur. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 6.

## In Festo S. Laurentij Martyris.

*Si mortuum fuerit, multum fructum affert. Ioan.* 12. Mortificatio carnis quàm fructuosa. *Ann. Angel. hebd.* 37.

## In Festo S. Michaëlis Archangeli.

*Nisi efficiamini sicut parvuli. Matt.* 18. Simplicitas quàm Deo grata. *Ann. Pueri Iesu hebd.* 42.

*Angeli eorum semper vident faciem Patris.* S. Michael singulari devotione colendus. *Ann. Angel. hebdom.* 15. In Angeli Custodis præsentia ubique versandum. *Ann. Angel. hebd.* 23.

## In Festo Omnium Sanctorum.

Consule superiorem Indicem; *Verbo:* SANCTI.

## In commemoratione Fidelium defunctorum, & in die depositionis alicujus defuncti.

*Miseremini mei. Iob.* 19. Misericordia erga animas purgatorij magnum conscientiæ affert solatium. *Ann. Morient. hebd.* 36. Ejus præmium mors felix. *Ann. Morient. hebd.* 14.

*Miseremini mei.* A doloribus ægritudinum nostrarum, Animarum purgatorij doloribus succurrere discamus. *Anni Morient. & Mortuor. hebd.* 18.


FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0030582

A.
Ascet. La
N° 2